SACRARUM
CÆREMONIARUM
SIVE RITUUM ECCLESIASTICORUM
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
LIBRI TRES

AB AUGUSTINO PATRICIO ORDINATI;
ET A MARCELLO CORCYRENSI ARCHIEPISCOPO
PRIMUM EDITI.

Nunc vero tandem in duos Tomos distributi, ac innumeris pene mendis purgati, & Commentariis aucti.

AD SANCTISSIMUM PATREM
BENEDICTUM XIV.
PONTIFICEM MAXIMUM

TOMUS II.

Quo Libri secundi, & tertii Ritus, ac Cæremoniæ explicantur, auctoritate Summorum Pontificum, Patrum, Canonum, probatorum Auctorum, Ordinumque Romanorum, & Cæremonialium tum editorum, tum mss. complurium.

Accedit in calce Operis Appendix, in qua varia tum mss. tum edita Decreta referuntur ad reformationem hujus Cæremonialis spectantia, & rerum Index locupletissimus.

AUCTORE JOSEPHO CATALANO
ORATORII S. HIERONYMI CARITATIS PRESBYTERO.
Monasterii Benedictoburani.

* * * * *
* * *
*

ROMÆ, MDCCLI.
EX TYPOGRAPHIA ANTONII FULGONII APUD SANCTUM EUSTACHIUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

JOSEPHUS CATALANUS.

TO, BEATISSIME PATER, *promissis, absolutumque Tomum alterum Commentariorum in Librum secundum, ac tertium Cæremonialis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immortali* SANCTITATIS TUÆ *Nomini dedico. Non enim illum Virorum alias prudentium sequi morem volui, qui ubi aliquod Opus conficiunt in plures To-*

mos

Digitized by Google

mos diviſum, uni unum, alios aliis nuncupant. Ego certe magni me criminis reum cenſerem, ſi hoc Cæremoniale, quod Ritus Romanæ Eccleſiæ continet, & Prædeceſſorum Tuorum in iis obſervandis pietatem exhibet, TIBI PONTIFICI MAXIMO, *a quo & illuſtrati ſunt Ritus ipſi, & Divinus cultus auctus, integrum non offerrem. Labore itaque hoc defunctus, non quantum debui, ſed ut potui, pro viribus meis, ut eſſem qui prodeſſem nonnullis, ſi non Magiſtris, tironibus ſaltem Papalium Cæremoniarum ſtudioſis, rem jam completam Tibi exhibeo, nec ut Pontifici ſolum, ſed ut Viro etiam undequaque doctiſſimo, qui maximam in his rerum potiſſimum ritualium ſtudiis propter & ingenii perſpicacitatem, & ſapientiam ſingularem, atque aſſiduam Librorum lectionem, editionemque complurium Voluminum, quibus res difficillimas reſeraſti, ſuper cæteros vendicas auctoritatem. Tot enim, tantaque ſunt egregia Opera omnigena eruditione referta a Te edita, & typis iterum iterumque mandata, ut ſine ulla hæſitatione fateri omnes cogantur, ab Eccleſiæ primordio ad noſtra hæc uſque tempora, nullum Romanorum Pontificum extitiſſe, qui Tibi exæquari poſſit. Cæterum digneris rogo pro Tua in me, atque in alios omnes bonis ſtudiis addictos ſolita humanitate, labores hoſce meos ſuſcipere, quos pro mea in* SANCTITATEM TUAM *devotione, ſingularique obſequio erga Apoſtolicam Sedem, libens ſubivi, non quæſtus terreni gratia, gloriolæve ambitione. Oppreſſus autem variis humanitatis Tuæ in me argumentis, ac eo præſertim, quo me non ſemel excitaſti, ut aliquid peterem, cum nihil poſſim tantæ beneficentiæ rependere, orabo ſemper Clementiſſimum DEUM, ut* SANCTITATEM TUAM *quamdiutiſſime ſervet incolumem.*

TI-

Digitized by Google

TITULI ET CAPITA
LIBRI II. ET III.

LIBER II.

De Dominicis Adventus. Tit. I. Pag. 1
De prima Dominica Adventus Domini. Cap. I. 3
Ordo servandus, quando cantatur Missa ordinaria coram Papa per Prælatum. Cap. II. 8
De prima Dominica Adventus, Papa absente. Cap. III. 28
De Missa Papali in Dominicis Adventus. Cap. IV. 30
De secunda Dominica Adventus. Cap. V. 32
De tertia Dominica Adventus. Cap. VI. 32
De quarta Dominica Adventus. Cap. VII. 34
De Vigilia Nativitatis Christi. Cap. VIII. 35
De Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi, Pontifice in crastinum celebraturo. Cap. IX. 36
De publica compotatione, sive collatione; potus in Aula a priscis vocitatus. Cap. X. 39
De Matutinis in nocte Nativitatis Christi, Papa præsente. Cap. XI. 43
De Ordine cantantium Lectiones. Cap. XII. 51
De Laudibus, & Missa in Aurora. Cap. XIII. 54
De Missa majori, Papa celebrante. Cap. XIV.
De traditione Ensis, & Pilei. Cap. XV. 91
De Vesperis in Vigilia Nativitatis Christi, Papa in crastinum non celebraturo. Cap. XVI.
De Missa in die Nativitatis Christi, Papa præsente non celebrante. Cap. XVII. 94
De Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi, Papa absente. Cap. XVIII. 94
De Matutinis Nativitatis Christi, Papa absente. Cap. XIX. 96
De prima Missa Nativitatis Christi, Papa absente. Cap. XX. 97
Si Papa in nocte Nativitatis celebret. Cap. XXI.
De Laudibus, & secunda Missa, Papa absente. Cap. XXII. 98
De tertia Missa in die Nativitatis Christi, Papa absente. Cap. XXIII. 99
De die S. Stephani. Cap. XXIV. 100
De Festo S. Joannis Evangelistæ. Cap. XXV. 103
De Vigilia, & Festo Circumcisionis. Cap. XXVI.
De Vigilia, & Festo Epiphaniæ. Cap. XXVII.
De Festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Cap. XXVIII. 108
De eodem Festo Pontifice absente. Cap. XXIX.
Ordo distribuendi candelas. Cap. XXX. 120
De die Cinerum. Cap. XXXI. 122
De Officio ejus diei Papa absente. Cap. XXXII.
Si Papa in die Cinerum celebrabit. Cap. XXXIII.
De prima Dominica Quadragesimæ. Cap. XXXIV.
De secunda Dominica Quadragesimæ. Cap. XXXV.
De tertia Dominica Quadragesimæ. Cap. XXXVI.
De quarta Dominica Quadragesimæ, quæ dicitur, Lætare, *sive* de Rosa. Cap. XXXVII. 137
De quinta Dominica Quadragesimæ. Cap. XXXVIII. 140
De sexta Dominica Quadragesimæ in Palmis, Papa præsente. Cap. XXXIX. 142
De Officio Dominicæ Palmarum, Papa celebrante. Cap. XL. 154
De Officio Dominicæ Palmarum, Papa absente. Cap. XLI. 155
De Matutinis Tenebrarum quartæ Feriæ majoris hebdomadæ, Papa absente. Cap. XLII. 157
De Matutinis Tenebrarum quartæ Feriæ majoris hebdomadæ, Papa absente. Cap. XLIII.
De quinta Feria majoris hebdomadæ, quæ Cœna Domini dicitur, Papa præsente. Cap. XLIV.
De Processibus, qui fiunt per Papam. Cap. XLV.
De Mandato faciendo. Cap. XLII. 177
De Officio in Cœna Domini, Papa celebrante. Cap. XLVII. 188
De Officio diei Jovis Sanctæ, Papa absente. Cap. XLVIII. 189
De lotione pedum tredecim Pauperum, Papa absente. Cap. XLIX. 189
Quando Papa Processibus tantum interesse volet, & publicam Indulgentiam Populo dare. Cap. L. 190
De sexta Feria majoris hebdomadæ, Papa præsente. Cap. LI. 191
De Matutinis Tenebrarum quintæ, & sextæ Feriæ majoris hebdomadæ. Cap. LII. 218.
De Indulgentia danda populo. Cap. LIII. 219
De Officio diei Veneris, Papa celebrante. Cap. LIV. 219
Quod Papa hac die non sedet in Sede in Camera, Cap. LV. 222
De Officio dictæ diei, Papa absente. Cap. LVI.
De Sabbato Sancto, Papa præsente. Cap. LVII.
De habitu, quo utitur Papa die Sabbati Sancti usque ad Sabbatum in Albis. Cap. LVIII. 244
De Sabbato Sancto, Papa absente. Cap. LIX. 244
De Sabbato Sancto, Papa celebrante. Cap. LX. 244
De Festo Resurrectionis Domini, Papa celebrante. Tit. II. 253
De accessu Pontificis ad Ecclesiam ad celebrandum Missam solemnem hac die. Cap. I. 257
De Communione Imperatoris aut Regis. Cap. II.
De Festo Paschatis Papa non celebrante. Cap. III.
De secunda Feria post Pascha. Cap. IV. 275
De tertia Feria post Pascha. Cap. V. 276
De Sabbato in Albis, cum dantur Agnus Dei. Cap. VI. 277
De eodem die, quando non sunt distribuendi Agnus Dei. Cap. VII. 280
De Festo Annunciationis Beatæ Mariæ & Vesperis Papalibus in Quadragesima. Cap. VIII
De Festo S. Marci. Cap. IX. 284
De Vigilia, & Festo Ascensionis Domini. Cap. X.
De Vigilia Pentecostes, & mutatione Capparum. Cap. XI. 290
De die Pentecostes. Cap. XII. 292
De Vigilia, & Festo SS. Trinitatis. Cap. XIII.
De Vigilia Corporis Christi. Cap. XIV. 295
De Festo Corporis Christi, Papa præsente. Cap. XV. 297
De Processione ejus diei Papa absente. Cap. XVI.
De Vigilia, & Festo S. Joannis Baptistæ. Cap. XVII. 302
De Vigilia, & Festo Apostolorum Petri & Pauli. Cap. XVIII. 304
De Festo Visitationis Beatæ Mariæ. Cap. XIX.
De Vigilia, & Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis. Cap. XX. 308
De Vigilia, & Festo Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis. Cap. XXI. 310

De

Digitized by Google

De Vigilia omnium Sanctorum, & mutatione Capparum. Cap. XXII. 310
De Festo omnium Sanctorum. Cap. XXIII. 311
In Vesperis, & Matutinis Defunctorum, Papa præsente. Cap. XXIV. 312
De Vesperis, & Matutinis Mortuorum, Papa absente. Cap. XXV. 314
De Commemoratione Animarum, Papa præsente. Cap. XXVI. 315
De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, Papa absente. Cap. XXVII. 318
De Vigilia, & Festo Dedicationis Basilicæ Salvatoris. Cap. XXVIII. 319
De Vigilia, & Festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum. Cap. XXIX. 320
De Anniversario Pontificis proxime defuncti. Cap. XXX. 321
De Anniversario Summi Pontificis. Cap. XXXI.
De Anniversario ejus Coronationis Cap. XXXII.
In Anniversario generali omnium Pontificum, & Cardinalium defunctorum. Cap. XXXIII.
De Missa, quæ pro animabus Imperatoris, Cardinalium, & Regum noviter defunctorum in Capella dici consuevit. Cap. XXXIV.

LIBER III.

De reverentiis. Tit. I. 329
De reverentiis Altaris. Cap. I. 329
Quod Romanus Pontifex nemini reverentiam facit. Cap. II. 330
De reverentiis, quæ Romano Pontifici exhibentur. Cap. III. 330
De solemni reverentia Cardinalium, quomodo, & quando fiat. Cap. IV. 331
De reverentia Cardinalium erga Pontificem. Cap. V. 332
De reverentia Cardinalium inter se. Cap. VI.
Quando assurgunt Cardinales, & Prælati in Capella. Cap. VII. 333
De reverentia Cardinalis, quando venit Officio jam inchoato. Cap. VIII. 333
De reverentia erga Cardinales. Cap. IX. 333
De reverentiis, quæ fiunt Cardinali Divina celebranti. Cap. X. 335
De Bulla pro celebrando in Ara S. Petri. Cap. XI
De reverentiis, quæ privatim fiunt Cardinalibus. Cap. XII. 336
De reverentiis Episcoporum erga Cardinales. Cap XIII. 337
De reverentia, quæ fit Episcopo celebranti. Cap. XIV. 339
De ordine sedendi in Capella Papæ. Tit. II. Cap. I. 339
De illis, qui stant, ac primum de Magistro Sacri Hospitii, & Scutiferis Papæ, ac minoribus Nobilibus. Cap. II. 342
De servientibus Armorum Cap. III. 343
De Clericis Cæremoniarum. Cap. IV. 344
De Cardinali assistente Papæ in Divinis. Cap. V.
Quando Episcopus Cardinalis assistit Papæ celebranti, & de diebus Processionum. Cap. VI.
Quando Presbyter Cardinalis assistit Papæ celebranti. Cap. VII. 348
De assistentia in Vesperis cum paramentis. Cap. VIII. 348
De assistentia in Missa cum paramentis. Cap. IX.
De assistentia Cardinalis sine paramentis in Vesperis. Cap. X. 352
De assistentia in Missa sine paramentis. Cap. XI.
Quomodo Cardinalis assistens servit in sua assistentia. Cap. XII. 354
Quod Papæ debent osculari manus, cum aliquid ei traditur, sive ab eo accipitur. Cap. XIII.
De assistentia duorum Diaconorum Cardinalium, & quomodo Papa paratur in Camera ordinarie. Cap. XIV. 355
De Officio Cardinalis Diaconi Evangelium lecturi. Cap. XV. 356
De supplendis vicibus Cardinalium in assistentia Papæ deficientium. Cap. XVI. 361
De Officio assistentium non Cardinalium S. D. nostro Papæ. Cap. XVII. 362
De Officio Sacristæ. Cap. XVIII. 364
De Officio Protonotariorum. Cap. XIX. 365
De servitio Subdiaconi Apostolici. Cap. XX. 366
De Auditoribus. Cap. XXI. 368
De Magistro Sacri Palatii. Cap. XXII. 364
De Clericis Cameræ. Cap. XXIII. 371
De Acolythis. Cap. XXIV. 372
De Cubiculariis secretis, & aliis. Cap. XXV. 372
De Secretariis, & Advocatis. Cap. XXVI. 373
De habitu omnium, tam celebrante Pontifice, quam non celebrante. Tit. III. 374
De omnium habitu, Pontifice celebrante solemniter Vesperas, vel Missam. Cap. I. 375
Ubi, & quando capiuntur paramenta. Cap. II.
De habitu Protonotariorum, Auditoris Contradictarum, & Correctoris Litterarum Apostolicarum, atque aliorum. Cap. III. 376
De habitu Papæ. Cap. IV. 377
De habitu Cardinalium. Cap. V. 378
De habitu Prælatorum. Cap. VI. 379
De habitu Cardinalium, & Prælatorum Religiosorum. Cap. VII. 370
De habitu Sermonem habituri. Cap. VIII. 380
De Circulis Cardinalium ante Papam. Cap. IX.
De habentibus Sermonem in Capella Papæ, & primo de Papa. Tit. IV. Cap. I. 381
De Cardinalibus. Cap. II. 384
Diaconi non orant. Cap. III. 384
De Prælatis. Cap. IV. 385
De aliis orantibus. Cap. V. 385
De servandis ab Oratore. Cap. VI. 386
De Indulgentiis. Cap. VII. 387
De quibusdam extraordinariis, & regulis generalibus. Tit. V. Cap. I. 388
De incensatione Altaris, & aliorum. Cap. II.
De ordine dandi pacem inter Missarum Solemnia. Cap. III. 392
Quando Papa lavat manus ante Missarum Solemnia, & actibus publicis. Cap. IV. 395
De luminaribus in Capella Papæ, & sacris Imaginibus super Altare. Cap. V. 396
De Ministris Celebrantium. Cap. VI. 398
De Evangelio, & Epistola Græce legendis, Papa solemniter celebrante. Cap. VII.
De genuflexionibus in Capella. Cap. VIII. 400
De Mitris, & Thiara cum triplici Corona, quibus Papa utitur. Cap. IX. 401
De Processibus generalibus. Cap. X. 402
Quibus diebus vocantur Cardinales ad Capellam Papæ, & quibus fit Sermo, vel non fit, & quando sunt Vesperæ, aut Processio. Cap. XI
Dies, in quibus nostro tempore Papa, aut Cardinales celebrant, & Sermones in Capella habentur. Cap. XII. 407
Quibus diebus Pontifices Romani consueverunt a Consistorio secreto cessare. Cap. XIII. 409

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

EN Lector ſtudioſe, ac benevole alterum Commentariorum Tomum, in quo Rituum Eccleſiaſticorum, ſive Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Liber ſecundus, ac tertius continetur, atque explicatur, ſi non ingenti eruditione, celeritate certe incredibili, diſtentus enim ſum aſſiduis, & multiplicibus curis, & Oratorii S. Hieronymi Charitatis, cui inſervio, & editionis aliorum Operum, Ritualis nempe Romani, quod & ipſum perpetuis Commentariis a me illuſtratur, Conciliorum Hiſpaniæ a Cardinale Aguirre editorum, quæ novis additionibus dito, & Annalium Italiæ Ludovici Antonii Muratorii, quibus Præfationes criticas quaſdam præfixi.

Quicquid autem de iis ſit, quod hunc alterum Tomum ſpectat, quo Tituli, & Capita ſecundi, ac tertii Libri Cæremonialis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quod Auguſtinus Patricius, ut dixi in Præfatione Tomi I. hujus Operis, ordinavit, & Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis publici juris fecit, Commentariis perpetuis enarrantur, ſequutus ſum quidem ordinem, ac methodum in Tomo I. obſervatam, ut nihil ſcilicet dicerem, quod firmiſſimis non ſit fundamentis innixum, nihilque in medium proferrem, quod certis Romanæ Eccleſiæ monumentis, & probatiſſimorum Auctorum aſſertionibus, veterum & recentiorum Ordinum Romanorum, atque Diariorum mſs. complurium Apoſtolicorum Cæremoniariorum teſtimoniis non ſit undique firmatum. Potiſſimum vero curavi, ut ea, quæ in hoc Opere dicenda ſuſciperem, Conciliorum, & Maximorum Romanorum Pontificum, ac præſertim ſanctæ memoriæ Benedicti XIII. & BENEDICTI XIV. feliciter Regnantis auctoritate ſtabilirentur; quorum alteri, ſi te Rituum Romanorum, Lector ſtudioſe, lectio recreabit, gratiam habe. Ab ejus enim aureis Operibus, ac omnigena eruditione refertis, multa quæ ad illuſtrandos antiquos Eccleſiæ Romanæ Ritus facere poterant, accepi, & hoc meum Opus ornavi.

Habes præterea in calce hujus Tomi præter copioſum rerum Indicem, quæ in toto Opere continentur, Appendicem, in qua varia Decreta recenſentur, quæ auctoritate Summorum Pontificum, & Cardinalium ab ipſis deputatorum edita fuerunt variis temporibus pro reformatione hujus Cæremonialis, quod nos ab innumeris fere erroribus expurgavimus, & Commentariis auximus, primumque ea deſcripſimus, quæ in ſuo ms. Diario retulit Vir doctiſſimus Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter Franciſcus Mucantius initio Pontificatus Gregorii XIII. quæque nos omnium primi publici juris facimus, una cum aliis a ſequioribus Pontificibus editis, ac deſcriptis non ita pridem a Viro Clariſsimo Tyri Archiepiſco Joanne Andrea Tria in ſuis Additionibus ad Tractatum, *De Cardinalis dignitate, & officio*, Auctore Hieronymo Plato Societatis Jeſu Presbytero.

Hinc plane intelliges, licet exiguæ ſint mei ingenii vires, tenuiſque eruditio, omnem me tamen diligentiam, ut tibi hoc Opus gratum, ac utile foret, adhibuiſſe. An publicis votis reſponſurus ſit noſter hic labor, incerti ſumus. Scimus profecto, inveniri non paucos, qui velut ex Cathedra, quam ſibi erexere, de omni Librorum genere, qui in dies eduntur in lucem, ſuo arbitrio decidunt, & ut phraſi S. Hieronymi utamur, *de Mundo ferunt ſententiam; hic bene dixit, ille male; iſte Scripturas novit, ille delirat; iſte loquax, ille infantiſſimus eſt*. Sed judicent hujuſmodi homines, ut volunt. Norunt jam ſapientes Viri, deprimi ab iis Auctores doctiſſimos, ſi infenſi ſibi putentur; ad ſidera vero uſque extolli parvi pretii Scriptores, ſi grati, amicique, vel amicorum ſaltem amici noſcantur. Quid itaque aliud ab animis tanta affectuum commotione agitatis, quam iniquum judicium, expectandum? Mirum autem videri illud potiſſimum debet, quod quum vix iſti ſint in aliqua facultate verſati, idoneos Cenſores omnium Auctorum, Operum omnium ſe putent. Forte de iis dici poſſet, quod olim de quodam ſimilis farinæ homine ſcripſit Juvenalis in ſua Satyra III.

Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo torrentior; ede quid illum
Eſſe putes; quemvis hominem ſecum attulit ad nos,
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus, omnia novit.

Cenſoribus hiſce omiſſis, nos certe illud ex animo dicimus. Primum, ſiquæ in

Digitized by Google

in noſtro hoc Opere, ac in aliis etiam, quæ hucuſque edidimus, non ſatis accurate, aut mature pro rei gravitate dicta nobis exciderint, hæc omnia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus gratia hic labor ſuſceptus eſt, ſupremo Judicio, ac Cenſuræ ex animo ſubjicere. Deinde illuſtrium Scriptorum exemplum ſequentes jam nec in aliis refugiemus admonitionem officioſi lectoris, a quo doceri, & benigne caſtigari, beneficii loco ducemus. Mereri autem veniam putamus, ſiquid minus caute ſcripſimus, cum primi fuerimus, qui hoc arduum Opus ſuſcepimus, quod alias pro ſua in homines Eccleſiaſticis ſtudiis addictos humanitate, omnium doctiſſimus Regnans feliciter Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. laudavit in Epiſtola ſua ad Capitulum & Canonicos inclytæ Metropolitanæ Eccleſiæ Bononienſis, quibus anno MDCCLI. Roſam auream a ſe more majorum Dominica IV. Quadrageſimæ benedictam miſit. Sed hoc obiter dicto, nequid demum in hoc Opere deſideretur, poſt hanc noſtram Præfationem ſubjungimus Auctoris hujus Cæremonialis Præfationem, quam ipſe Libro huic ſecundo præfixit, eſtque hujuſmodi.

Maxima mihi pars Operis abſoluta videri poterat, cum Romani Pontificis auguſtiſſimam nominationem, cum ritus, ac cæremonias tanta religione obſervari ſolitas priore Libro peregi: quia etiam Imperatoris, ac Principum excipiendi ratio addita: Divorum noſtrorum Apotheoſes: celebres illæ Eulogiæ: Sacroſanctorum Cardinalium Allectio: Conciliorum uſus: deducendi Pontificis ſolemnis, ac frequens pompa: juſta demum Cardinalibus, ac Pontifici perſolvenda, coronidem non ſolum uni Libro, ſed toti plane Operi imponebant. Quid enim amplius quiſque, aut majus optare poterat? Sed conſulendum etiam curioſis fuit, & quando multa adhuc nobis longo uſu probata ſupererant ſcitu haud indigna, non neglexímus hanc etiam partem, quæ Religionem ipſam præcipue tangeret, neque ſolum attingeret, ſed myſticas illas ſpecies in Sacris obſervatas omnino referet. Agetur a nobis igitur hoc altero, qui ſequitur, Libro, quo ritu, qua pietate in Sacris Pontifex utatur. Qui dies illi peculiares, quibus etiam Divis operetur, ut etiam, qui ea quotidie ſpectant, ac tractant, non ingrata futura ſint, dum legent. Erit & illud ex ipſa lectione emolumenti, ut ſiquis forte ſpectaverit, & quædam interim oblivioni mandaverit, habeat hac in parte unde ſubſidium petere poſsit, & omnia velut illuſtri monumento poſita ſtatim recognoſcat; nam his qui nunquam interfuere, tanto gratiora, ac jucunda fore arbitramur, quanto res ipſa major, ac tota Religionis, pietatiſque noſtræ ſit. Legant igitur libenter iſta omnes, & cum a ſuperioris Libri lectione fatigatus animus fuerit, ſecedat veluti in pratum hoc ſecundi Libri, quem nos, ut reliqua, ad uſum, voluptatemque omnium primi concinnavimus; neque enim invidimus, quod plerique omnes faciunt, utilitatem hanc publicam mortalibus, aut ſoli ſapere hac in re voluimus. Utinam occaſio nobis eſſet data iſta maturius edendi. Sed quando hoc potiſsimum tempore emiſimus, habeant ſaltem illam mihi gratiam, qui primi iſthæc legent, ut ornatum majorem a nobis non requirant res ipſas nuda ac ſimplici oratione prodentibus; alioquin cum multa nova, noſtrorumque temporum plane eſſent, verbis obſoletioribus, atque uſitatis, ut ab omnibus intelligi plenius poſſent, utendum fuit. Bene vale.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.
F. Maria de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolitanus Viceſgerens.

JUDICIUM CENSORUM

Qui iidem ſunt, ac illi, qui primum Tomum approbarunt.

QUum juſſu Rmi Patris Fr. Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Tomum hunc alterum Commentariorum, quos in Librum ſecundum, ac tertium Cæremonialis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ primus omnium incredibili labore, ac celeritate Joſephus Catalanus Oratorii S. Hieronymi Caritatis Presbyter multis aliis Operibus Clariſſimus concinnavit, inoffenſo pede legerimus, nihilque legentibus occurrerit Fidei Catholicæ, vel bonis moribus diſſonum, dignum illum cenſemus, qui publica luce donetur, futurumque judicamus omnibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ac Rituum præſertim Papalium ſtudioſis utiliſſimum.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

SA-

Digitized by Google

SACRARUM CÆREMONIARUM
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
LIBER II.
TITULUS I.
DE DOMINICIS ADVENTUS.

EX recepto Eccleſiæ more Adventus eſt tempus ante Natalis Chriſti Domini Feſtum deſignatum ut Fidelium animi per pietatis exercitationes præparentur ad rite celebrandum propitiumque ſibi reddendum Jeſu Chriſti adventum. Olim enim, uti notavit Grancolas in Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. IV. Adventus vox pro ipſa Natali die accipiebatur, quæ Adventus Domini appellari ſolebat, non pro tempore, quo ad hoc Feſtum præparatio inſtituitur. Ceterum Miſsale Mozarabicum, & Lanfranchus in ſuis Statutis, ubi de Dominicis ante Natale agitur, eas *Dominicas ante Adventum* vocant. In veteribus Libris tempus hoc appellatur quidem juxta Dominicas, I. vel II. aut III. ante Nativitatem Domini. Quatuor Dominicarum Adventus mentionem facit Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri apud Mabillonium Tom. II. Muſei Italici, pag. 119. ubi etiam divina Officia recenſet, quæ Romæ ex antiquo ritu a Summo Pontifice in memoratis Dominicis celebrabantur. Sed audienda hic ſunt, quæ ibidem, Num. IV. ubi agitur de Dominica I. Adventus, adnotantur: *Mane Statio ad S. Mariam Majorem, quo Dominus Papa cum omnibus Ordinibus venit; ibique honorifice, ſicut mos eſt, cantat Miſſam cum* Gloria in excelſis Deo, *ſicut in aliis Dominicis, uſque ad Natalem Domini, & coronatur &c.*

II. Hinc conſtat, quod alias notavimus Tom. I. hujus Operis in Commentariis ad Titulum II. Romanum Pontificem non ſolum poſt ſuam electionem, & conſecrationem, ſed etiam pluribus aliis diebus in anno coronari conſueviſſe; idque luculentius patet ex prædicto Ordine Romano XI. cujus Auctor ſub Innocentio II. qui electus fuit anno MCXXX. vixit. In eo enim Libello recenſet plures ſolemnitates, quibus coronari mos erat Romanum Pontificem, quas ſimul refert Petrus Manlius, ſeu Mallius S. Petri itidem Canonicus in Libro, quem Alexandro III. dicavit, cujus excerpta refert idem Mabillonius pag. 158. *Hæ ſunt Feſtivitates*, inquit, *in quibus Dominus Papa ſolebat coronari; in Feſto videlicet Sanctorum quatuor Coronatorum; in Feſtivitate S. Martini Papæ, qui dicitur Titulus Æquitii; in Feſto S. Clementis; in Dominica de Adventu ad S. Mariam in Præſepe; in Dominica de Jeruſalem*, ſeu ſecunda Adventus, *ad Sanctam Crucem; in Dominica de Gaudete*, ſeu tertia Adventus, *ad S. Petrum; in Nativitate Domini; in Feſto S. Stephani; in Epiphania Domini ad S. Petrum; in Dominica, Ego ſum Paſtor bonus*, ſeu ſecunda poſt Paſcha; *in Aſcenſione Domini; in Pentecoſte; in Feſtivitate S. Petri; in Feſtivitate S. Silveſtri; in Anniverſario ſuo*. Porro deſiderantur hoc loco aliquot dies, in recitato Romano XI. Ordine memorati, nempe Dominica, *Lætare Jeruſalem &c.*, ſeu quarta Quadrageſimæ, Dominica Reſurrectionis, ac Feria ſecunda Paſchatis, uti notat Pagius in Breviario geſtorum Romanorum Pontificum in Vita Alexandri Papæ III. Num. IV.

III. Quicquid autem ſit de hac Coronatione Romanorum Pontificum Dominicis Adventus, aliiſque in anno ſolemnitatibus: quod originem Adventus ſpectat, Durandus quidem Lib. VI.

Digitized by Google

Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. II. aliique nonnulli contendunt, Apostolorum Principem S. Petrum Adventus institutorem fuisse. Licet autem affirmare non possimus, quando primum celebrari cœperit tempus, atque Officium Adventus, nemo tamen inficiari poterit, quin a quinto usque Seculo populis commendatum fuerit, ut se ad Natalis Domini Festum pararent. Extant de hoc argumento Sermones duo S. Maximi Taurinensis Episcopi, atque inter Opera S. Ambrosii duo Sermones sub hujus Patris nomine, qui tamen S. Ambrosii non sunt, sed S. Maximi, vel S. Cæsarii, quibus tempus istud designatur pro disponendis animis ad Jesu Christi Natale: *Hoc tempus*, inquit, *non immerito Domini Adventus nominatur, nec sine causa Sancti Patres Adventum Domini celebrare cœperunt, & Sermones de iis diebus ad Populum habuerunt, ut se unusquisque Fidelis præpararet, & emundaret, quo digne Dei, ac Domini sui Nativitatem celebrare valeret*. Scriptor iste quicumque is demum sit, satis ostendit, tempus illud ante ætatem suam, scilicet ante V. Seculum, quo ipse claruit, institutum fuisse, atque singulis Adventus diebus solitum fuisse prædicari. Sed de hoc ritu inferius.

IV. Præter Conciones tempore Adventus haberi solitas, jam & alia pietatis opera peragebantur, visumque illud tempus fuit olim quædam Natalis Dominici Quadragesima. Cœpit modus præstitui pietati, ac ritui huic in Synodo Matisconensi I. anni DLXXXI. Can. IX. quo statutum fuit, indicenda esse jejunia post S. Martini solemnia ter quavis hebdomada, & Sacrum, ut in Quadragesima, peragendum: *Ut a feria S. Martini usque ad Natale Domini, secunda, & quarta, & sexta Sabbati jejunetur, & Sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari*. Canon hic nos admonet, ut scite observat Thomassinus Lib. II. *De dierum festorum celebratione*, Cap. IV. Num. II. nihil fere primum interfuisse inter Adventum & Quadragesimam Nativitatis. Quapropter ut Quadragesima usque ab exordio Ecclesiæ instituta fuit, ut præiret Paschati, ita postea Adventus, ut viam sterneret ad Natalem Servatoris diem. Ante Concilium Matisconense, jam Turonensis II. Synodus habita anno DLXVII. Can. XVII. Adventus fundamenta jecerat, Monachis enim jejunium indixerat ter singulis hebdomadis Septembris, Octobris, & Novembris, & toto mense Decembri usque ad Christi Natalem diem: *De decembri usque ad Natale Domini omni die jejunent*. Turonensis Canon Monachos, Matisconensis Laicos quoque spectabat. Affert S. Gregorius Turonensis Lib. X. *Historiæ*, Cap. III. jejunia in Ecclesia sua constituta a S. Perpetuo Archiepiscopo, qui quidem jusserat, ut ibi ter singulis hebdomadis a S. Martini celebritate ad Servatoris nostri Nativitatem jejunaretur.

V. Itaque non unum erat Adventus initium, quum a quibusdam duceretur a S. Martini Festo, a quibusdam vero a Calendis Decembris. In Capitularibus Caroli Magni, Libro VI. Capite CLXXXIV. totos quadraginta dies durat Adventus, vocatus iccirco Quadragesima: *Admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, idest* XL. *dies ante Nativitatem Domini, &* XL. *ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten* XL. *dies*. Repetitur hic a Christianorum moribus, & consuetudine origo Adventus, qui tamen dicitur, esse precibus, jejuniis, & criminum expiationibus dicatus: *Quamquam enim nonnulla ex his Canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis, parentum nostrorum morem hunc observare, ut superius comprehensum est, convenit. Et licet omnibus diebus orare, & abstinere conveniat, his tamen temporibus amplius jejuniis, & pœnitentiæ servire oportet*. Quum jejunia ipsa ad Natale referantur, ea absque dubio præparationis loco ad hoc Festum servabantur. Atque hinc videmus, quomodo Adventus in Gallia incœperit, duravitque sex hebdomadis a die Sancti Martini incipiendo, quæ res occasionem dedit hilaritati, quæ ea die etiam nunc servatur, eodem ferme pacto, ac Feria tertia ante Cinerum diem, quia illa postrema erat, qua carnes comedere liceret, quia sequenti die jejunium, sive abstinentia incipiebat. Sane inter alios Rabanus Lib. VI. *De institutione Clericorum*, Cap. XXII. Quadragesimam S. Martini ad Natalis Festum refert, quæ quadraginta diebus ante Christi Natale incipiebat, ut præparatio ad illud pie, sancteque celebrandum institueretur. Hinc in Missalibus Mozarabicis, Ambrosianis, & antiquis Gallicanis, sex Dominicæ ante Natalem numerabantur ordine retrogrado, ita ut sexta plerumque esset, quæ Festum S. Martini sequebatur. Ceterum morem illum in Gallia ultra Sæculum XIII. perduravisse addiscimus plane ex Vita S. Ludovici IX. Galliæ Regis, quem Bonifacius Papa VIII. qui illum Sanctorum Fastis adscripsit, ait, quadraginta hosce ipsum dies precibus, & jejuniis vacasse: *Quadraginta dies Festum Nativitatis Domini præcedentes in jejuniis, & Orationibus exigebat*.

VI. Romæ quoque antiquus mos fuit jejunandi in Adventu, testemque ejus rei habemus Nicolaum I. Pontificem Maximum, qui in celebri sua ad Bulgarorum Consulta Epistola, tradens eisdem recens in Ecclesiam cooptatis leges moresque Catholicæ Ecclesiæ, Cap. IV. quatuor Quadragesimarum meminit, quarum una Adventus fuit vetustissimus in Ecclesia Romana: *Necnon jejunia ante Natalis Domini solemnitatem, quæ jejunia Sancta Romana suscepit antiquitus, & tenet Ecclesia*. Eadem Nativitatis Quadragesima ex Amalario quadraginta dies celebrabatur. Nec ab his abhorret S. Petrus Damiani, qui claruit Sæculo XI. Lib. III. Epistola X. ubi ita scribit: *Initio illius Quadragesimæ, quæ Nativitatem Domini ex institutione Ecclesiastica præcedit*. Rursus eodem Lib. III. Epist. XXXVII. non obscure innuit, fuisse longius hujusmodi temporis spatium, adeoque istos quadraginta dies durasse. Radulpho Decano Tongrensi teste, qui labente Sæculo XIV. scripsit, Adventus sex hebdomadas Mediolani complectebatur, ducebaturque ejus initium Romæ a primo die Dominico post S. Catharinæ solemnia, & ibidem cum jejunio ejus ætate celebra-

Digitized by Google

brabatur. Sic enim inquit Propositione XVI. *Adventus Domini apud Romanos incipit prima Dominica post craſtinum Catharinæ. Ambroſianus Adventus habet ſex ſeptimanas, & incipit Dominica post Martini. Apud Romanos etiam in Adventu Domini jejunium agitur.*

VII. Juxta veterem Eccleſiæ Romanæ diſciplinam, quinque erant Dominicæ Adventus in cipiebatque Adventus ipſe a quinta primum Dominica ante Natale, ut in Sacramentario S. Gregorii Papæ I. atque in veteribus Lectionariis adnotatum eſt; quod & Amalarius ætate ſua obſervaverat, quippe qui Libro III. Cap. XL. ita ſcribit: *In antiquis Libris Miſſalium, & Lectionariorum reperitur ſcriptum, hebdomada quinta ante Natalem Domini; totidem enim Lectiones habentur, & totidem Evangelia.* Evangelia quinque harum Dominicarum ita fere diſpoſita erant. Quinta miraculum erat multiplicationis panum: *Cum ſublevaſſet Jeſus oculos.* Quarta erat ingreſſus Jeſu Chriſti Hieroſolymam: *Cum veniſſet Bethphage.* Tertia: *Erunt ſigna.* Secunda: *Cum audiſſet Joannes in vinculis.* Prima vero Dominica: *Miſerunt Judæi.* Eadem legere eſt apud Lanfranchum in ſuis Statutis, ubi prima Adventus Dominica illa eſt, qua Evangelium multiplicationis panum legitur.

VIII. At vero licet in nonnullis Eccleſiis ſex, & in aliquibus quinque celebrarentur Dominicæ Adventus, ut ex celebri ac pervetuſto Sacramentario Sancti Gregorii Papæ I. addiſcimus, in quo quinque tantum Dominicæ ante Natale reperiuntur: contractum jam fuit poſtea hoc tempus ad quatuor hebdomadas, uti docet Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. IV. probatque primum ex teſtimonio Nicolai Papæ I. in citata Epiſtola ad Bulgaros, ubi ait, illum ſcribere, *in Adventu Domini quatuor hebdomadibus a carne abſtinendum.* Sed hæc verba minime in eadem Epiſtola invenire potui. Quidquid ſit, non deſunt antiqui Scriptores, qui tantum quatuor Dominicarum Adventus meminere, eaſque recitatus ſuperius Romanus Ordo XI. memorat, cui & noſtrum Cæremoniale, atque etiam Libri Miſſales, & varii antiqui Auctores conſentiunt, inter quos Berno Augienſis, qui Seculo XI. vivebat, Adventus meminit, uti quatuor Dominicas continentis. Sed & in quadam etiam Collectione Homiliarum, quæ Bedæ tribuuntur, quatuor tantum Evangelia tempore Adventus reperiuntur. Legendus tandem Durandus, qui in citato ſuo Divinorum Officiorum Rationali Lib. VI. Cap. II. celebrari ait Adventum *per quatuor ſeptimanas.* Varios autem in Dominicis Adventus ſervatos ritus, docet eruditiſſimus Edmundus Martene in ſuo Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis.*

CAP. I.

De prima Dominica Adventus Domini.

§. I.

Qui in prima Dominica Adventus in Capella Papali celebret, & qui ibidem tunc Sermonem faciat.

Prima Dominica de Adventu conſuevit celebrare Camerarius Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, ſi non eſt Cardinalis. Si vero eſt Cardinalis, celebrat Vicecamerarius, ſi eſt Epiſcopus. Quod ſi non eſt Epiſcopus, aliquis ex primis Aſſiſtentibus Papæ celebrat; qui hora competenti præveniens ad Capellam accipit Pontificalia paramenta coloris violacei, & Mitram ſimplicem; Diacono, & Subdiacono Planetas plicatas ante pectus habentibus. Sermonem facit Procurator Ordinis Prædicatorum.

COMMENTARIUS.

I. SI veteres Romanos Ordines conſulamus, jam ipſi abunde, perſpicueque nos docent, Romanos Summos Pontifices, Eccleſiaſtica Officia ſolemni, & publico ritu, non quidem in Pontificio Palatio, in quo alias Oratoria, & Sacella extabant, ſed in Baſilicis Urbis ſolitos fuiſſe celebrare. Et ſane quod primam Adventus Dominicam ſpectat, de qua in præſenti agimus, ſic habet apud eruditum Mabillonium Tom. II. Muſei Italici Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, qui claruit ſeculo Chriſti XII. *Mane ſtatio ad Sanctam Mariam Majorem, quo Dominus Papa cum omnibus Ordinibus venit, ibique honorifice, ſicut mos eſt, cantat Miſſam cum* Gloria in excelſis Deo, *ſicut in aliis Dominicis uſque ad Natalem Domini, & coronatur.* Porro ſcitiſſime obſervat Sanctiſſimus, ac doctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in ſua Conſtitutione, *Inter arduas*, quam de Indultis Cardinalium teſtandi, & diſponendi de ſacra ſupellectile Sacellorum domeſticorum edidit die XXII. Aprilis anno MDCCXLIX. uſum celebrandi pleraſque ſolemnitates in Palatio Apoſtolico cœpiſſe primum, quum Romani Pontifices Avenione ſedem fixerunt. Non quod antea quoque in Apoſtolicis Ædibus Laterani, in quibus ipſi habitare ſolebant, Oratoria, & Sacella minime exiſterent, ſed quod in iis ſacri conventus non haberentur, qui publice fieri

Digitized by Google

soliti erant in Urbis Ecclesiis, & Basilicis, ad quas Stationes pro tempore indicebantur, ut ex S. Gregorii Homiliis in variis ipsius Urbis Ecclesiis habitis, & ex vetustis Ordinibus Romanis colligitur. Id autem cum in Avenionensi Civitate perfici minime potuisset, iccirco ibi in Apostolico Palatio Sacella ad Pontificalium solemnitatum usum erecta fuerunt; idque in causa fuit, ut Romæ quoque post Pontificum reversionem magnifica in Apostolicis Palatiis Sacella extruerentur, in quibus pleræque functiones peragerentur, quæ antequam Pontifices Avenione sedem figerent, ut supra dictum est, publice in Basilicis, aliisque Urbis Ecclesiis fieri consueverant.

II. Et sane, ut idem laudatus Pontifex sapientissime animadvertit, in Ordine Romano XIV. quem edidit Jacobus olim S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Gajetanus, qui Cardinalitiam dignitatem a Bonifacio Papa VIII. Patruo suo accepit, ne verbum quidem legitur de solemnitatibus in Pontificio Sacello celebrandis. Contra vero in alio Romano Ordine, qui XV. dicitur, quique a Petro Amelio scriptus fuit, postquam Pontifices Avenione Romam redierunt, variæ recensentur sacræ functiones in ipso Sacello Pontificio peragendæ. In Cæremoniali demum Augustini Patricii, quod nos omnium primi Commentariis illustramus, ubi de prima Dominica Adventus, aliisque per anni cursum Solemnitatibus agitur, sæpe quidem Ecclesiæ Urbis, ac sæpe etiam Sacellum, seu Capellæ memorantur. Et quamvis Sixtus Papa V. in sua Constitutione XXIII. quæ incipit, *Egregia Populi Romani*, antiquam consuetudinem, quoad functiones Pontificales in Basilicis, & Ecclesiis Urbis celebrandas, in pristinum restituere volens, statos dies, certasque Ecclesias pro uniuscujusque Solemnitatis celebritate designasset, nihilominus usus invaluit, ut pleræque ex ipsis in sacris Apostolicarum Ædium Sacellis peragantur.

III. Licet itaque in prima Dominica Adventus ex præscripto Romani Ordinis XI. Summus Pontifex solemni ritu divina Officia in Basilica S. Mariæ Majoris antiquitus celebrarit, mutata tamen deinde ceteri disciplina, ob rationem superius notatam, jam non in ipsa, vel alia Urbis Basilica, sed in Sacello Palatii Pontificii, solemnis Missa celebratur, non quidem per ipsum Romanum Pontificem, sed per alium Episcopali Charactere insignitum. Sed audiamus de hac re Petrum Amelium, qui in citato Romano Ordine XV. Capite I. hæc habet: *In prima Dominica Adventus Domini Sermo, & Missa mandantur. Hac die Camerarius Papæ consuevit celebrare magnam Missam, nisi aliquis Cardinalis, vel Prælatus faceret Sermonem, quia tunc talis debet celebrare totum Officium. In hac Missa Summus Pontifex indutus Alba, & Stola, & Pluviali rubeo simplici, & sine perlis, & cum Mitra alba venit ad Missam; & sic in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ; & antequam exeat Cameram, occurrunt ei ad osculum manus cum aurifrisio Pluvialis supra manum dexteram duo Diaconi minores Cardinales, qui ibidem sint, vel Presbyteri, si non sint Diaconi, & eum antecedunt usque ad Capellam. In ista Missa descendit de Cathedra sua, & vadit ad aliam ante Altare, dum dicitur*, Hanc igitur, *&* ad Lætatus sum, *tantummodo*. Psalmus *Lætatus sum*, qui est CXXI. dicebatur ante Communionem, ut notat Mabillonius in recitatum locum Ordinis XV. Romani, auctore Amelio.

IV. Ut multa omittam, quæ in recitato hactenus testimonio Amelii adnotari possent, quæque iis fere conformia sunt, quæ in Patricii Cæremoniali, quo Romana Ecclesia hodie utitur, statuuntur, illud plane constat, Missam solemnem in Dominica I. Adventus, non a Pontifice, ut olim in usu fuit, sed ab aliquo Episcopo celebrari, & quidem a Camerario Papæ, si non est Cardinalis, ut ajunt citati Romanus Ordo XV. & Liber Cæremonialis Augustini Patricii: *Prima Dominica de Adventu*, inquit, *consuevit celebrare Camerarius Sanctissimi Domini nostri Papæ, si non est Cardinalis. Si vero est Cardinalis, celebrat Vicecamerarius, si est Episcopus; quod si non est Episcopus, aliquis ex primis Assistentibus Papæ celebrat*. Camerarius Romæ dictus est, qui pecuniarum, & thesauri Ecclesiæ Romanæ curam gerit, idque Officii institutum tempore S. Gregorii VII. Seculo XI. extincto Archidiaconi nomine ob suam ipsius audaciam in Romanum Pontificem, jam supra notavimus Tomo I. hujus Operis. Videri autem de Camerario possunt Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Discursu XI. Cohellius in Notitia Cardinalatus, aliique de Romanæ Ecclesiæ Officiis tractantes.

V. Quod vero Assistentes Episcopos spectat, licet hi non semel in hoc nostro Cæremoniali occurrant, ac præsertim Lib. III. Cap. XVIII. quod inscriptum est, *De Officio Assistentium non Cardinalium Sanctissimi Domini nostri Papæ*, quodque a nobis citato loco fuse explicabitur, quandonam, & a quo Pontifice instituti fuerint, incertum est. Illud plane constat, Innocentium VIII. cui nostrum ipsum Cæremoniale dicavit Augustinius Patricius Apostolicarum Cæremoniarum Magister, atque Episcopus Pientinus, ante diem suæ Coronationis, quæ contigit anno MCDLXXXIV. ut olim mos erat, Assistentium Prælatorum catalogum firmasse, quemadmodum refert, eorumque nomina recenset Joannes Burchardus Apostolicarum & ipse Cæremoniarum Magister. Etiam ante Eugenii IV. tempora Prælatorum, sive Episcoporum Collegium viguisse, notabimus infra Lib. III. hujus Operis loco citato. Ut autem hic alia omittam, quod præsentem §. spectat, ipsi quidem Assistentes Episcopi in Dominicis tum Adventus, tum Quadragesimæ, exceptis tertia, & quarta respective, Missas celebrant in Capella Pontificia per turnum, ut ajunt, inter eos distribuendas. Missæ autem in prima Dominica per digniorem Assistentem, ac per alterum illi proxime sequentem cantandæ sunt, ut non obstantibus eorum Statutis, præscripsit Gregorius Papa XIII. die II. Decembris anno MDLXXVI. ut refert Franciscus Mucantius Apostolicus Cæremoniarius in suis mss. Diariis Tomo I. sub ipsa die II. Decembris anni prædicti MDLXXVI.

VI.

Digitized by Google

VI. Ex noſtri Cæremonialis præſcripto, qui & Rubricæ Romani Miſſalis concinunt, Epiſcopus celebraturus in prima Dominica Adventus *accipit Pontificalia paramenta coloris violacei, & Mitram ſimplicem, Diacono, & Subdiacono Planetas plicatas ante pectus habentibus*. Quod in Adventu *Sacrificia debeant quadrageſimali ordine celebrari*, jam olim ſtatuit Concilium Matiſconenſe II. Can. IX. Hinc omnia lætitiæ ſigna ſublata, veſtes ſacræ, quæ exultationem, & gaudium redolent, depoſitæ, color in iis, qui luctum & mœrorem repræſentet, aſſumtus. Teſte Martene, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. X. Num. XII. ad majorem etiam triſtitiæ demonſtrationem nonnullæ Eccleſiæ in Adventu colorem nigrum in ſacris veſtibus uſurparunt, inter quas cenſeri debet Eccleſia Cenomanenſis, quæ hunc ritum deſumſit ex Metropolitana Turonenſi, qui ritus etiam tempore Oderiſii Abbatis vigebat in Monaſterio Caſinenſi. Ob eandem triſtitiæ cauſam quidam quoque non ſecus ac in Quadrageſima Sacras Imagines in Adventu velabant, videturque fuiſſe peculiaris hic ritus Canonicorum Regularium, cum reperiatur præſcriptus in antiquis Conſuetudinibus S. Ruffi, in Carnotenſi S. Joannis Ordinario annorum circiter DL. & in Gaitinenſi Diœceſis Turonenſis annorum CDL. his verbis: *Feria ſecunda ante Primam cooperiantur tabulæ, & capſæ, & ſic uſque ad Nativitatem Domini permaneant*.

VII. Diaconum & Subdiaconum miniſtrantes in Miſsa uti in Adventu, & in Quadrageſima, non Dalmatica, ac Tunica, ſed Planetis ante pectus plicatis, ritus profecto antiquus eſt, cujus meminit Rupertus Abbas Tuitienſis, qui initio Seculi XII. claruit, Lib. III. Cap. II. ubi ita inquit: *Ex tunc etiam*, ſcilicet a Dominica I. Adventus, *ad Sacram Domini Natalis Noctem Diaconus, & Subdiaconus imminuti procedunt; nam neque Diaconus Dalmaticam, neque Subdiaconus induit Tunicam*. Hæc nihilominus conſuetudo, uti obſervat Martene citato loco, Num. X. haud videtur primum fuiſſe univerſalis, probatque ex teſtimonio Amalarii, qui Lib. III. Cap. XL. hæc habet: *Vidi priſco tempore*, Gloria in excelſis Deo, *prætermitti in diebus Adventus Domini, & in aliquibus locis Dalmaticas*. His concinit & Micrologus, Cap. XXX. ſic ſcribens: *Quidam infra Adventum Domini Caſulis pro Dalmaticis utuntur, quidam more ſolito veſtiuntur &c.* Ruperto tamen ſuffragatur communis uſus Eccleſiæ univerſalis, ac præſertim Romanæ omnium principis, uti conſtat ex Ordinibus antiquis Romanis, inter quos Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano Cap. LIV. fuſe diſſerit de uſu Planetarum plicatarum Diaconi, ac Subdiaconi in Miſſis Pontificalibus. Porro, quod Planeta totum olim involveret Sacrum Miniſtrum, hinc permanſit uſus, quem non pauci ignorant, ut in Adventu, & Quadrageſima, quibus Miniſtri utuntur Planetis, complicatæ ſint a parte anteriori, quod olim ob earum amplitudinem neceſsarium erat, ut expediti eſſent ad miniſtrandum; ſicque paulatim introductum eſt, ut Diaconus cujus in Miſsa potiſſimum eſt miniſterium, Planetam exuat, ejuſque loco Stolam latiorem accipiat, quod ævi recentioris eſt, ſervaturque in multis Eccleſiis; nam vetus Ordo Romanus apud Hitorpium, non exui Planetam, ſed elevari mandat: *Diaconi*, inquit, *levent Planetas in ſcapulas*.

VIII. Sed audiamus & de hac re laudatum Ordinem Romanum XIV. qui rem ipſam citato loco perſpicue declarat his plane verbis: *Diaconus*, quoque, *inſtante hora, quando pergere debet ad legendum Evangelium, deponit Planetam, & Acolythi decenter eam complicent, & imponant ſuper ſiniſtrum humerum ejus, ac ſub dextro brachio ligent eam, ut melius poterunt, ita quod ab humero ſiniſtro deſcendat ad latus dextrum, ſicut Diaconalis Stola deſcendit, & hoc modo Diaconus Planetam teneat, dum legit Evangelium, & uſquequo dicatur ultima Oratio poſt Communionem. Tunc adjuvante uno de Acolythis, amoveat Planetam deſuper humerum, & induat eam, ſicut fuerat in principio Miſſæ. Qua finita, tam ipſe, quam Subdiaconus venientes cum Pontifice ad locum, in quo exui debent, Planetas deponunt, & ſerviant Pontifici exuenti ſacras veſtes. Cætera omnia faciant Diaconus & Subdiaconus, quando utuntur Planetis, quæ facere debent, quando utuntur Dalmatica, & Tunicella*. Eadem fere legere eſt in Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Capite XXIX. quod inſcriptum eſt: *De Officio Diaconi Cardinalis, quando dicit Evangelium in die Cinerum*. Ceterum varias rationes myſticas, cur tempore ipſo Dominici Adventus Dalmaticæ, & Tunicellæ a Diaconis & Subdiaconis non adhibeantur, exponit Durandus Lib. III. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. XI. Num. IX. Quod veſtes ipſæ ſigna lætitiæ ſint, & tempore ipſo Adventus ea ſigna ex veteri Eccleſiæ diſciplina intermittantur, inde eſt, quod Dalmatica, & Tunicella a ſacris Miniſtris minime adhibentur, ut inter alios Scriptores notavit Gavantus.

IX. Quamquam vero juxta recentiorem Romanæ Eccleſiæ ritum Papa Miſſam ſolemnem non celebret in Dominicis Adventus, ut fuit antiquus mos, cujus ſupra meminimus, aſſiſtit tamen una cum Cardinalibus Miſſæ, quæ uti dictum fuit, per aliquem Epiſcopum Aſſiſtentem celebratur, teſtemque habemus Romanum Ordinem XV. Cap. I. quod eſt de Dominica prima Adventus Domini, ubi etiam mentio ſacrarum veſtium fit, quibus tum Pontifex indui ſolet: *In hac Miſſa*, inquit, *Summus Pontifex indutus Alba, Stola, & Pluviali rubeo, ſimplici, & ſine perlis, & cum Mitra Alba venit ad Miſſam, & ſic in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ*. Pontificem *cum Pluviali rubeo, & Mitra ſimplicibus, Cardinales cum Cappis pavonatiis* indui a prima Dominica Adventus, *uſque ad Vigiliam Natalitiam*, notavit etiam Paris Craſſus in ſuo Romano Ordine, quem inſcripſit Gulielmo Epiſcopo Albanenſi S. R. E. Cardinali Narbonenſi, legiturque ad calcem Operis Edmundi Martene, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis Officiis celebrandis*, pag 595. & ſeqq. editionis Lugdunenſis anni MDCCVI. Sed hæc eadem paſſim

Digitized by Google

sim occurrunt in mss. aliorum Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis.

X. Restat ut de Sermone agamus fieri solito Dominica I. Adventus in Pontificio Sacello, quem quidem, ut ait nostrum Cæremoniale, *facit Procurator Ordinis Prædicatorum*. Munus concionandi in Sacello Pontificio in prima, ac sequentibus Dominici Adventus Dominicis, nulli fuisse Religioso Ordini affixum, sed consuevisse mandari nunc uni, nunc alii sacro Oratori, testis est Ordo XV. Romanus Auctore Amelio, qui vivebat anno MCCCXCVIII. Cap. I. ubi ita ait: *In prima Dominica Adventus Domini Sermo, & Missa mandantur*: Id quod etiam repetit Cap. II. III. & IV. in quibus agit de secunda, tertia, & quarta Dominica ejusdem Adventus. Quamobrem dicendum est, nonnisi Seculo sequenti, idest Seculo XV. cœpisse ipsos Sermones committi Procuratoribus Generalibus Ordinum Regularium, & præsertim illum fieri solitum in prima Adventus Dominica, Procuratori Generali Fratrum Ordinis Prædicatorum, uti ex citato loco nostri Cæremonialis constat, & ex mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis passim, ubi enarrant ritus in prima Dominica Adventus servatos. Quod alios Sermones spectat fieri solitos in sequentibus Adventus Dominicis, juxta præscriptum nostri hujus Cæremonialis, in secunda Dominica Sermonem facit Procurator Generalis Ordinis Minorum, in tertia Procurator Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, & in quarta demum Procurator Generalis Ordinis Carmelitarum.

XI. At vero passa est hæc regula suas aliquando exceptiones. Nam primo licet in Dominica secunda Adventus solitus sit sermocinari Procurator Generalis Ordinis Minorum, & quidem Fratrum, quos Observantes vocant, inveni tamen in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, non semel in ea Dominica sermocinatos fuisse Procuratores Generales Minorum Conventualium. Rursus licet in tertia Dominica Adventus Sermonem habere soleat Procurator Ordinis Eremitarum S. Augustini, constat nihilominus, in ipsa Dominica Sermonem habitum fuisse a Procuratore Generali alius Ordinis; sicque ut testatur Franciscus Mucantius in mss. Diario Pontificatus Gregorii XIII. in Dominica tertia Adventus anni MDLXXV. *Procurator Servorum habuit Sermonem.* Afferri & alia exempla possunt, quæ supervacaneum est recensere. Sane ubi impediti essent, vel absentes Procuratores Generales memoratorum Ordinem, consuevisse ipsos Fratribus suorum Ordinum provinciam sermocinandi in Capella committere, docent nos passim antiqua ac recentiora mss. Diaria Cæremoniariorum Apostolicorum. Teste Burchardo in Dominica tertia Adventus anni MCDXCVII. *Sermonem fecit quidam Frater Ordinis Heremitarum S. Augustini pro Procuratore ejusdem Ordinis absente*. Eodem teste Auctore in Dominica quarta Adventus anni MCDXCIX. *non fuit Sermo, quia Procurator Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, ad quem hodie Sermonem facere pertinebat, aberat ab Urbe, nec cuique commisit vices suas, quod non omnibus displicuit*. Ceterum non posse Procuratores ipsos Generales aliis suorum Ordinum Fratribus Sermones hujusmodi in Capella habendos comittere sine speciali Summi Pontificis facultate, docent nos libelli supplices F. Jacobi Ricci Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, quibus obtinuit ab Innocentio XI. Alexandro VIII. & Innocentio XII. licentiam, ut posset Sermones ab eo fieri solitos prima Dominica Adventus, aliis ejusdem sui Ordinis Alumnis demandare. Extant libelli ipsi supplices Romæ in Archivo Cœnobii Minervitani, eosque propriis oculis legi.

XII. Erat autem antiquum ritum, ut tempore Adventus sacræ Conciones ab Episcopis haberentur ad Populos sibi subjectos, docent nos duæ S. Maximi Episcopi Taurinensis, vel S. Cæsarii Homiliæ in Adventu Domini habitæ, quibus rempus istud designatur pro disponendis animis ad Jesu Christi Natale celebrandum: *Hoc tempus non immerito Domini Adventus nominatur, nec sine causa Sancti Patres Adventum Domini celebrare cæperunt, & Sermones de iis diebus ad populum habuerunt, ut se unusquisque Fidelis præpararet, & emundaret, quo digne Dei, ac Domini sui Nativitatem celebrare valeret*. Scriptor iste quicumque is demum sit, satis ostendit tempus illud ante ætatem suam institutum fuisse, atque singulis Adventus diebus Orationem habitam fuisse. Videmus quoque ex Sermonibus de Tempore S. Augustino tributis, quique inter Opera S. Cæsarii locari solent, hortationes ad Fideles pro Concione habitas fuisse, ut se ad Synaxim Natali die rite suscipiendam pararent, atque ad id per pœnitentiam, eleemosynam, atque continentiam disponerent. Videbatur etiam tum Adventus, quemadmodum & Quadragesima tempus quoddam, quo Sedes ab Episcopis relinquendæ non erant, ut exhibito virtutum exemplo, & sanctissimis præceptionibus, studia tantis Mysteriis digna excitarent. Hinc ut legitur in Capitularibus apud Baluzium Tomo II. Galliæ Antistites anno DCCCXLVII. a Carolo Calvo Rege postularunt, ne eos avocaret ab Ecclesiis in Adventu, vel Quadragesima ob Regni negotia, vel ob bellicas expeditiones; consulendum enim tunc erat populo, Confirmatione plures initiandi, Verbum Dei promulgandum, & munera cetera implenda: *Ut Regia magnificentia liberiorem libertatem Episcopis ad suum peragendum in eorum Parochiis ministerium, quam hactenus propter varias perturbationes habuissent, maxime in sacratissimis temporibus, Quadragesimæ scilicet, & Adventus Domini tribuat; quatenus periculum Episcopi, & Regia dignitas salubrius pro ministerio sibi commisso neglecto, possint evadere &c.*

XIII. Vetus mos Adventus tempore concionandi servatus etiam fuit post annum Domini millesimum, habemusque apud S. Bernardum, Ivonem Carnotensem, alioque Episcopos, atque Scriptores sequioris ætatis Sermones *de Adventu Domini*. S. Bernardus in primo suorum Sermonum de tempore hoc tanquam celebri meminit: *Hodie Fratres*, inquit, *celebramus Adventus initium, cujus utique, sicut & ceterarum solemnitatum nomen quidem celebre*

Digitized by Google

bre fatis, votum mundo, ſed ratio nominis forte non ita. Scripſit S. Doctor ſeptem Sermones de Adventu, in quibus varia lectu digna explicat, quæ ad eam celebritatem ſpectant. Videri autem poteſt Martene in Tractatu, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in celebrandis Officiis*, Cap. x. Num. xxii. ubi de Sermonibus diſſerit, qui in prima Dominica Adventus ab Epiſcopis fieri ſolebant, citatque antiqua Eccleſiæ Senonenſis anno MCCLXVII. Statuta, in quibus edicitur, quod Archiepiſcopus *poſt Tertiam, facta Proceſſione, debet facere in Pulpito Sermonem ad populum*. Sermonem quoque ad populum indicit Ordinarium Turonenſe ante Miſſam, Laudunenſe poſt Proceſſionem ante Tertiam, & quidem ab Epiſcopo faciendum. Nunc vero jam non in Dominica tantum prima, ſed in aliis quoque Adventus Dominicis, & feſtis diebus publica haberi ſolet in præcipuis Eccleſiis Concio, nec ſine fructu; non tamen ab Epiſcopo, ſed ab eo, cui ille vices ſuas demandaverit.

XIV. Romæ olim ſolitos fuiſſe Pontifices concionari ad populum, haudquaquam dubito. Licet enim S. Leo Magnus primus ſit Pontifex, cujus Sermones ſuperſint, exiſtimandum tamen non eſt, ejus deceſſores nunquam Conciones habuiſſe, uti nonnulli male opinati ſunt ex Sozomeno Lib. vii. Cap. xix. ubi dicitur, in Eccleſia Romana neque Epiſcopum, neque alium ejus nomine ad populum verba facere. Quis enim mente aſſequi poterit, in celeberrima totius Orbis Eccleſia Epiſcopum, unum ex præcipuis muneribus ſuis, alimentum ſcilicet ſpirituale gregi ſuo præbendi obire neglexiſſe? Sanctus Leo nuſquam ſignificat, ſe rem novam concionando præſtitiſſe, imo ipſe profitetur non ſemel, ſe concionando munus ſuum implere, atque agens de Sixto Papa III. publicarum inſtructionum meminit, quas ille populo ſuo faciebat. Hæc ejus verba in Sermone de Natali ſeptem Fratrum Martyrum Machabæorum, & Dedicatione Eccleſiæ: *Magnificus quidem*, Sixtus nempe III. Pontifex, *ſtructor parietum, ſed magnificentior ædificator animarum, ultra ævi ſui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus inſtitutionum ejus, etiam in ipſo frueretur devota poſteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit*. Quæ verba de Eccleſia S. Petri ad Vincula in Urbe a Sixto Pontifice condita intelligenda eſſe, recte docet Eminentiſſimus, & Religioſiſſimus Cardinalis Thomaſius in Notis ad Capitulare Evangeliorum; contra ac ſenſit Editor Operum S. Leonis Magni Paſchaſius Queſnelius Tomo i. pag. 341. primæ editionis; nam & veterum Codicum auctoritas de die feſto Dedicationis memoratæ Eccleſiæ kalendis Auguſti, & vetuſta carmina in eadem inciſa, illius Conditorem, & Conſecratorem Sixtum III. teſtantur. Sed hiſce omiſſis, S. Ambroſius Sermonem memorat a Liberio Papa habitum pro Marcellinæ profeſſione in Baſilica S. Petri Natali ejuſdem die. Dicendum igitur, quod & ſcite notavit Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. ii. Capite v. Romanos Pontifices omni ævo concionatos fuiſſe non ſecus ac ceteri Epiſcopi in Eccleſiis ſuis, S. Leonem vero primum extitiſſe, cujus Sermones collecti fuerint.

XV. Extant præterea S. Gregorii Papæ Primi variæ Homiliæ, quas ipſe in variis Urbis Baſilicis ad populum habuit. Vetera quoque monumenta habemus, quæ perſpicue nos docent, ſequiores Pontifices Romæ concionatos eſſe. Sane in veteri Romano vi. Ordine, Num. vii. expreſſe edicitur, ut perlecto Evangelio in Miſſa ſolemni, Pontifex, *accepto odore incenſi, & Evangelio deoſculato, ad prædicationem per manus Presbyteri, & Archidiaconi perducendus ſit, & interim dum Sermonem facit ad populum, Subdiaconus circumeundo Fratribus Evangelium apportet, ab omnibus ordinatim deoſculandum*. Romanos Pontifices ſacra verba inter Miſſarum ſolemnia poſt Evangelium habuiſſe, docet nos exemplum Alexandri Papæ III. qui anno MCLXXVII. Venetiis Friderici Imperatoris rogatu Pontificalem Miſſam in celebri Eccleſia S. Marci die S. Jacobi Apoſtoli celebravit, ac poſt Evangelium Sermonem Latinum ex pulpito habuit, uti rem narrat Romualdus Salernitanus apud Baronium ad prædictum annum Num. lxix. his verbis: *Cumque dicto Evangelio, Papa aſcendiſſet pulpitum, aut alloqueretur populum, Imperator accedens propius, cœpit verba ejus attentius auſcultare, cujus devotionem Papa diligenter attendens, verba, quæ ipſe litterate proferebat, fecit per Patriarcham Aquileæ diligenter exponi*,

XVI Noſtro hoc ſæculo jam non modo Clemens XI. Pontifex Maximus e Pontificali Solio pluries Homilias poſt Evangelium inter Solemnia Miſſarum recitavit, ſed & noſtris quoque diebus Benedictus XIV. aureas habuit Allocutiones omnigena eruditione refertas in quibuſdam celebritatibus, præſertim vero in Canonizatione quinque Sanctorum, uti in Actis ejuſdem Canonizationis videre eſt. Sed neque omittendus Benedictus XIII. quem modo ex ſuggeſtu in Concilio Romano anni MDCCXXV. Sacro Pluviali indutum cum Mitra ad Synodi Patres, modo inter ipſa Miſſarum Solemnia ex ſuggeſtu, atque ex Altaris gradibus, cum Eccleſias, & Epiſcopos conſecraret, ac iterum e ſuggeſtu, cum Sacrarum Reliquiarum elevationes fierent, nos ipſi ſæpe concionantem populari ſermone, ſeu vernaculo idiomate vidimus, audivimuſque. Id quod etiam inter alios teſtatur eruditus Dominicus Georgius in ſuo præclariſſimo Opere, quod inſcripſit, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. iii. Cap. xix. Num. vii.

XVII. Moris etiam non ita pridem fuiſſe, ut S. R. E. Cardinales, Epiſcopi ſcilicet, Presbyterive, non autem Diaconi, coram Pontifice concionarentur, teſtem habemus Romanum Ordinem xiv. Cap. lxxxiii. quod eſt, *De Officio Feriæ V. in Cœna Domini*, ubi etiam expreſſe edicitur, coram Papa neque Doctores Decretorum, nec Abbates debere prædicare, ſed ſolummodo Prælatos, & Magiſtros in Theologia: *Notandum, quod in hac Miſſa non conſuevit eſſe Sermo, niſi Papa vellet facere Proceſſionem. Tunc ſi Papa illum Sermonem facere non vellet, Sacriſta committit de ejus mandato Sermonem alicui de Dominis Cardinalibus Epiſcopis, vel Presbyteris, quoniam Diaconi numquam coram Papa prædicant, aut alicui Prælato, vel Magiſtro in Theologia*.

Tum

Digitized by Google

Tum vero mox : *Notandum, quod Abbates numquam consueverunt prædicare, nec Doctores Decretorum, nec Legum, nisi dumtaxat Prælati, & Magistri in Theologia.* His adde quod ait Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. CXLVI. quod est de Missis, quæ per totam Novenam in Exequiis Papæ solent celebrari : *Sciendum tamen, quod omni die debet esse Missa, quæ debet dici per Cardinales juxta ordinem suum, & Sermo per eosdem, nisi committant Prælatis, vel Magistris in Theologia, aliis non.*

VIII. Unum adhuc est, quod præteriri hòc loco nullatenus debet, Sermones scilicet, qui in Saeello Pontificio in prima Dominica Adventus, aliisque diebus haberi solent, haud posse a Sacris Oratoribus recitari, nisi prius ipsi visi, lecti, probatique fuerint a Magistro Sacri Palatii Apostolici. Statuit id quidem Eugenius IV. Constitutione sua, quæ incipit, *Dudum*, data ad Fr. Joannem de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, ac Sacri Palatii Apostolici Magistrum III. kalen. Novembris anno MCDXXXVII. quam legere est in Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. I. Cap. XIII. una cum alia Callisti Papæ III. quæ incipit, *Licet ubilibet*, data Idibus Novembris anni MCDLVI. quamque legere est in citato Opere, Lib. I. Cap. IV. & Tom. II. Dominicani Bullarii.

CAPUT II.

Ordo servandus, quando cantatur Missa ordinaria coram Papa per Prælatum.

§. I.

De accessu Pontificis ad Capellam.

Hac die Summus Pontifex in camera paramenti, quæ Papagalli dicitur, induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali rubro simplici, & Mitra non auriphrygiata per seniores Diaconos duos Cardinales sibi assistentes, & duos Subdiaconos, qui debent stare quasi retro Pontificem, Acoluthis ministrantibus paramenta, & oram, sive extremitatem Albæ ad terram aptantibus. Diaconi Cardinales, postquam Mitram imposuerunt Pontifici, faciunt ei reverentiam, osculantes manum ejus dextram sub auriphrygio Pluvialis illis protensam, & mox fimbriæ Pluvialis anteriores dantur per Clericum Cæremoniarum deferendæ alicui Protonotario, qui procedit ad sinistram Pontificis aliquantulum ante. Cauda vero Pluvialis datur ferenda alicui magno Nobili, vel Oratori laico. Tum Pontifex hoc ordine ad Capellam, sive ad Ecclesiam procedit. Primo Familiares Cardinalium, & deinde Scutiferi Papæ præcedunt; tum Procuratores Principum, & Ordinum Religiosorum; inde Advocati, & Secretarii mixtim; deinde Cubicularii, Acolythi, Clerici Cameræ, Auditores cum Magistro Sacri Palatii. Post hos sequuntur Nobiles majores, Barones, Conservatores Urbis, Oratores non Prælati; Senator Urbis, & siqui alii Principes sunt, qui non sedeant inter Cardinales. Tum Subdiaconi Apostolici, quorum unus portat Crucem Papalem, & duo Magistri ostiarii junctim cum eis procedunt. Inde siquis adest Princeps, qui stet in Sede Cardinalium. Deinde Diaconi, Presbyteri, Episcopi Cardinales. Demum duo antiquiores Cardinales Diaconi assistentes (a) præcedentes, sive medium habentes Pontificem. Post quem sequuntur duo Cubicularii secreti cum Auditore, qui servit de Mitra, inter eos. Deinde Secretarius, si non est Prælatus, cum Medico. Demum Episcopi assistentes Papæ, Oratores Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, Generales Ordinum, & reliqui Togati. Et hic ordo semper servatur, quando Papa exit ad Capellam non processionaliter, sive ad Vesperas, sive ad Missam, cum Pluviali, & Mitra.

COMMENTARIUS.

I. Dictum a nobis nonnihil jam alias fuit de accessu Pontificis ad Capellam, sive ad Ecclesiam, longumque esset hoc loco vetera ejus rei monumenta describere ex mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis. Variant plane ipsi, uti eadem Diaria legenti patet. Quicquid sit de recentiori usu, de quo alias inferius, ne antiqua disciplina ignoretur accessus Pontificis ad Capellam, præsertim cum ipse esset Missarum solemnia celebraturus, operæ pretium ducimus, ea qua possumus brevitate, ritum ipsum hoc loco referre, quem fuse descripsit ex antiquis Romanis Ordinibus Doctissimus Dominicus Georgius in ce-

(1) Ita in editione Romana anni 1560. in Veneta vero 1. anni 1516. & in Colonienſi anni 1557. deest *præcedentes*.

Digitized by Google

celebri Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. III. Cap. I. & seqq. Ergo olim, sacris vestibus induto Pontifice, & Pallio, ut habet Ordo I. Romanus, illi per Diaconum, vel Subdiaconum, cui ipse jussisset, cum acubus in Planeta retro, & ante, & in humero sinistro infixo, salutato Pontifice, hæc idem Subdiaconus verba dicebat: *Jube Domne benedicere*. Respondebat Pontifex: *Salvet nos Dominus*. Ad quæ Subdiaconus respondebat, *Amen*. Post hæc Subdiaconus Regionarius tenens Manipulum Pontificis in sinistro brachio super Planetam revolutam, accedebat ad januam Secretarii, unde prodire solebat Pontifex, & dicebat: *Schola*, hoc est, Scholam Cantorum vocabat, quæ & respondebat: *Adsum* Subdiaconus interrogabat: *Quis psallet?* Respondebat Schola: *Ille, & ille*. Tum Subdiaconus ad Pontificem rediens, ei Manipulum porrigebat, & inclinans se ad illius genua, dicebat: *Servi Domini mei, talis Subdiaconus regionarius leget Apostolum*, hoc est Epistolam, *& talis de Schola cantabit*. His nunciatis Subdiaconus quartus Scholæ Cantorum sistebat se ante faciem Pontificis, quousque Pontifex annueret, ut Cantores psallerent. Quum ei annuisset Pontifex, statim egrediebatur ante fores Secretarii, & dicebat: *Accendite*.

II. Tum septem cerei candelabris infixi accendebantur, & Subdiaconus alius tenens thuribulum aureum in manibus, pro foribus ponebat incensum in thuribulum, ut pergeret ante Pontificem. Quartus ille Subdiaconus Scholæ Cantorum pergebat in Presbyterium, & ad Primicerium, seu Secundicerium, vel tertium ejusdem Scholæ inclinato capite dicebat, *Domne*, vel, *Domni jubete*. Tum Cantores ordinatim ibant ante Altare, & acies duas efficiebant, *Paraphonistæ quidem hinc inde a foris, infantes ab utroque latere infra per ordinem*. Tunc Primicerius Scholæ Cantorum incipiebat Antiphonam ad Introitum. Cantorum voce audita, Diaconi statim Secretarium ingrediebantur. Tunc Pontifex e Sede surgens, dexteram manum porrigebat Archidiacono, & sinistram secundo Diacono, vel qui proximus ei in ordine Diaconatus erat. Hi duo Diaconi, osculatis manibus ipsius Pontificis, procedebant cum eo, & ipsum sustentabant; iidemque Diaconi, ac ceteri Diaconi regionarii antequam ad Altare venirent, Planetas in Presbyterio exuebant, & Dalmaticas sumebant. Atque hic nota, quam vetustum sit, ut Romanus Pontifex Maximus in Secretario consideret, & sacra ibi ornamenta sumeret, antequam ad Altare procederet, sicut & Diaconi, qui soliti etiam fuere Secretarium ingredi, ut una cum Pontifice & ipsi ordinatim ad Altare pergerent.

III. Solemnis igitur e Secretario, non vero ex ædibus Pontificis, ut deinde factum est, ad Missarum Solemnia per ipsum Romanum Pontificem celebranda instruebatur Processio, quæ in Ordinibus antiquis Romanis, ac præsertim in primo omnium antiquissimo, Numero VIII. his verbis describitur, postquam scilicet narratum est, Pontificem, Archidiacono manum ejus dexteram tenente, & Diacono sinistram, e Secretario progredi: *Tunc Subdiaconus sequens cum thymiamaterio procedit ante ipsum, mittens incensum, & septem Acolythi illius Regionis, cujus dies fuerit, portantes septem cereostata accensa procedunt ante Pontificem usque ante Altare. Diaconi in Presbyterio exuuntur Planetis, & suscipit eas Subdiaconus Regionarius, & porrigit illas ad Acolythos Regionis, cujus fuerint Diaconi*. Reticetur hic Liber Evangeliorum, quia de eo paulo superius idem Ordo I. mentionem fecerat, Numero scilicet V. ubi de Pontificis ingressu in Secretarium egerat. Sed describenda hic verba censemus prædicti Romani I. Ordinis ex ms. Codice Vaticano, Num. MCLXXIV. longe castigatiora iis, quæ in editis apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici leguntur: *Quo facto*, inquit, ideſt, parato Evangelio ab eo, qui illud lecturus erat, *Acolythus defert Evangelium usque ante Altare in Presbyterium, præcedente eum Subdiacono sequente; desuper Planetam illius suscipiens, manibus suis honorifice super Altare ponet*.

IV. Ubi vero Pontifex e Secretario exibat, præsto erant duo Acolythi, qui Vas, in quo Eucharistia condita erat, manu tenebant, eamque Subdiaconus, operculum discooperiens, Pontifici, & Diacono, qui præibant, ostendebat. Pontifex inclinato capite Eucharistiam adorabat, & præcipiebat, ut in conditorio, seu vase ad hoc destinato reponeretur, uti addiscimus ex citato Romano I. Ordine, Numero VIII. *Et tunc*, inquit, *duo Acolythi tenentes Capsas cum Sanctis apertas, & Subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsæ, ostendit Sancta Pontifici, vel Diacono, qui præcesserit. Tunc inclinato capite Pontifex, vel Diaconus salutat Sancta, & contemplatur, ut si fuerit superabundans, præcipiat, ut ponatur in conditorio*. Hic vox *Sancta* Eucharistiam significat, ut ad hunc locum notat Mabillonius, & fuse ostendit laudatus Georgius in citato Opere, Lib. I. Cap. IV. Num. IX. & seq. Ceterum ritus ipse Eucharistiæ præferendæ Romano Pontifici cum ad Missarum Solemnia celebranda accedit, jam diu obsolevit; sed legendus nihilominus eruditus Martene Tomo V. anecdotorum pag. 95. in Notis, ubi recenset ritum Eucharistiæ delatæ ad Altare initio Missæ, & in Gallia post Evangelium.

V. At vero explicatus huc usque ritus Processionis in Missa Pontificali, ut nimirum septem Diaconi, & septem Subdiaconi Regionarii, ac item septem Regionarii Acolythi candelabra deferentes cum Sacro Evangelii Codice, Eucharistia, ac thuribulo thymiamate referto cum Pontifice e Secretario ad Altare procederent, obtinuit quidem Seculo IX. & deinceps usque ad XI. servatus fuisse videtur, licet interdum, ut fieri assolet, immutatio, aut additio aliqua intercederet. Per ea autem tempora neque Episcopi, neque Presbyteri Cardinales hujusmodi Processioni intererant, sed expectabant in Presbyterio Pontificem, & Episcopi ita ibi considebant, ut intrantibus Ecclesiam, teste Ordine III. Romano, Num. III. ad sinistram essent, Presbyteri ad dexteram, ut quando Pontifex sederet, & ad eos respexisset,

Digitized by Google

xisset, *Episcopos ad dexteram, & Presbyteros ad sinistram contueretur*. Porro Seculo XI. jam mos erat, ut Episcopi, & Presbyteri Cardinales una cum ceteris aliis ordinibus in Processione Missæ Pontificalis, Cruce præeunte, de qua alias silctur in vetustioribus Ordinibus Romanis, deinde Evangelii Codice, septem Candelabris, ac thuribulo cum incenso procederent. Id quod erui poterit ex Ordine Romano X. cujus locum ad eam rem recenset Georgius citato Lib. III. Cap. IV. Num. II.

VI. Ante medium Seculum XII. Ordo Romanus XI. Benedicti Canonici, Processionem ad Missam Papalem in die Natalis Domini ad S. Mariam Majorem ita describit Num. XVII. *Sed propter parvitatem diei, & difficultatem viæ, facit Stationem ad S. Mariam Majorem, & vadit in Secretarium. Cubicularii custodiunt Secretarium, Prior Episcopus servit de Libro, Archidiaconus de Evangelio, Subdiaconus Regionarius Prior de Mappula, Prior Basilicarius de Epistola, Primicerius, & Schola de cantu; & sic sustentatus a duobus Diaconis, Archidiaconus sine socio solus procedit ante Pontificem, & sic intrat in Processione, omnis ordo in suo loco, bini & bini procedunt; Acolythi cum candelabris, & Crux Domini Pontificis ante Processionem. In introitu Ecclesiæ Cubicularii alte portant Mappulam super caput Pontificis. Cum autem intrat Presbyterium, Mansionarius Ecclesiæ porrigit ei arundinem cum cereo accenso. Tunc Pontifex accipit eam, & ponit ignem in stupa posita super capita columnarum ad figuram finis Mundi per ignem. In medio Presbyterii progredicns sistit iter, Primicerius deponit Mitram de capite suo, & osculatur dextram scapulam Pontificis, & Pontifex benedicit eum. Cumque venerit ante Altare, Cubicularii offerunt Mappulam super caput Pontificis; ipse vero Pontifex dat pacem Priori Episcoporum, qui ei serviturus est, deinde duobus Cardinalibus priori, & secundo.* Hic multa habentur, quæ a vetustioribus absunt, ut ex his, quæ superius attulimus, perspici potest.

VII. Inter cetera est Mappula, quam nunc vulgo dicimus *Baldachinum*, quæ die Natalis Domini a Cubiculariis Pontificis gestabatur. Hæc Mappula in citato Romano XI. Ordine, Num. XL. *Linteum extensum* dicitur, & Num. XLVII. *mappula extensa*, quæ quidem super caput Pontificis ab ingressu Ecclesiæ usque ante Altare a Cubiculariis defertur, qui a Mappula ipsa, quam super caput Pontificis deferebant, dicti sunt etiam *Mappularii*. Sic autem eam portabant, ut Ordinis Romani XII. Auctore Cencio Camerario, verbis utar, Num. XLV. *duo ab anteriori parte, duoque a posteriori ligatam in summitate quatuor baculorum, & extensam usque ad Altare*. Præterea Innocentii Papæ III. ætate, hoc est labente Seculo XII. & ineunte XIII. mos erat, testante eodemmet Innocentio, Libro I. *Misteriorum Missæ*, Cap. V. & VI. ut duo Diaconi e Secretario ad Altare Pontificem ducerent. Discimus etiam ex ipso Innocentio, Romanum Pontificem, quoties Sacrum Solemne faceret, senarium Ministrorum ordinem, hoc est, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, & Cantores habuisse, nimirum cum tota Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Hierarchia procedere consueviſſe, de qua fuse agit laudatus Georgius peculiari Dissertatione Tom. II. *De Liturgia Romani Pontificis*, præfixa.

VIII. Postquam vero Summi Romani Pontifices ob temporum acerbitatem, ac intestina bella huc, & illuc vagari coacti sunt, neque ad Stationes Urbis ad Missarum Solemnia peragenda proficisci præstitutis diebus potuerunt, ac Avenione per annos plurimos constiterunt, nonnulla sunt prætermissa, quæ veterrimum morem redolebant, nonnulla item addita. Ea tamen diligenter in Sacrarum Cæremoniarum Libros ita sunt relata, ut facile ritus omnes Missæ Pontificalis perspicere in iis possimus. Itaque ex prescripto Ordinis XIV. Auctore Jacobo Gajetano, qui claruit initio Seculo XIV. Cap. XXVI. primo procedebat Subdiaconus cum Cruce indutus Tunicella, & post eum Abbates, Episcopi, Archiepiscopi induti Pluvialibus, & Mitris simplicibus. Deinde Presbyteri Cardinales Planetis induti cum simplicibus pariter Mitris. Post hos Episcopi Cardinales induti Pluvialibus cum Mitris simplicibus, & quilibet ordine suo. Postmodum sequuntur duo Acolythi ceroferarii, & alius cum navicula, thuribulo, & incenso, induti Superpelliceis. Post Acolythos Subdiaconi septem cum Tunicellis portantes septem candelabra, & in eorum medio Subdiaconus dicturus Epistolam, gestans Librum Evangeliorum ante pectus. Prope hunc Subdicanonum ibat alius Subdiaconus dicturus Epistolam Græcam. Post Subdiaconos subsequebatur Diaconus lecturus Evangelium Græcum; & post ipsum Diaconi Cardinales ordine suo induti Dalmaticis, inter quos ultimus incedebat Diaconus Evangelium Latinum lecturus. Deinde duo Diaconi Cardinales, unus a dextris, alius a sinistris Pontificis, & ultimo loco Subdiaconus de Mitra cum tobalea procedens ante. Atque hic erat Processionis ritus initio Seculi XIV. eoque ritu usos fuisse nonnullos Pontifices, qui Avenione consederunt, ex additamentis huic Ordini assutis conspicitur.

IX. Explicandus nunc esset ritus, qui Seculo XV. obtinuit, sed cum hic fuse describendus sit infra, ubi juxta ordinem hujus Cæremonialis agendum est de Missa majori, Papa personaliter celebrante in die Natalis Domini, ab eo recensendo in hoc Commentario abstineo, notatuque illud dignum est, quod in §. præsenti dicitur de cauda Pluvialis Pontificis deferenda a Viro nobili, ubi ille ad Capellam procedit. Etiam Reges, ac Summos Principes non fuisse dedignatos id genus obsequii exhibere Summo Pontifici, tradit Paris de Grassis Cæremoniarius Apostolicus, & testis oculatus in suo mss. Diario ad annum 1516. ubi de Papa Leone X. celebraturo Missam, præsente Galliæ Rege Francisco I. hæc habet: *Quæsivi a Rege, an vellet caudam Pluvialis Papæ per quatuor passus sublevare, sicuti est de more Imperatoris, & quorumlibet Regum; & respondit, quod libentissime faceret, prout fecit; quin etiam interrogavi, an vellet aquam manibus ministrare in lotione post Communionem, & simi-*

Digitized by Google

similiter respondit benigne, se facturum, prout fecit. Summa sane fuit Francisci I. pietas erga Ecclesiam, & Romanum Pontificem Leonem X. cum quo Bononiam convenerat, ubi inter utrumque pacta conventa fuerunt, abrogata Pragmatica Sanctione, uti videre est apud Spondanum, & Raynaldum ad annum Christi MDXV. Sed audiamus iterum Grassum, qui & hæc subjicit de eximia memorati Regis religione: *Eunte Pontifice, Rex sustulit caudam Papæ, me eidem porrigente; de quo illico advertentem feci Pontificem, & Papa se ad Regem conversus oravit, ut dimitteret, sed Rex benigne perseveravit, asserens, se Vicari Domini nostri Jesu Christi libenter servire etiam in minoribus, & sic usque ad Sedem sustulit, cui in fine Papa benedixit*. Sed hujusmodi exemplis pleni sunt Annales Ecclesiastici.

§. II.

De ritibus in adventu Pontificis ad Capellam servandis, & de Confessione in Missa, quæ coram Papa cantatur.

Papa igitur cum Cruce, & Cardinalibus venit ad Capellam, & ante Altare procumbit super faldistorium, ubi detracta Mitra per Diaconum sibi a sinistris assistentem, orat. Prælatus autem celebraturus, ut primum videt Pontificem venientem, deposita Mitra, surgit, & Pontifici procumbenti apud faldistorium facit profundam reverentiam, caput inclinando. Deinde, dum Pontifex orat, vadit detecto capite retro ad sinistram Pontificis, sequentibus Diacono, & Subdiacono. Quo surgente ab oratione, removetur faldistorium, & scabellum per Clericos Capellæ, vel, si absunt, per Cæremoniarios. Prælatus autem accedens facit cum eo Confessionem, Pontifice inchoante.

COMMENTARIUS.

I. VEtus profecto est mos, quem præscribit Ordo I. antiquus Romanus, ut simul ac Pontifex ante Altare in aditu ipso septorum ejus, seu, ut apte explicat Georgius Lib. III. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. VI. Num. III. ad cancellos Sanctuarii pervenerat, inclinaret caput ad Altare, surgeret, & oraret. Apertius Ordo II. ut in *gradu superiore* inclinaret caput ad Altare, adoraret *Sancta*, idest Eucharistiam super Altari collocatam, & inclinatus esset usque ad repetitionem Versus ad Introitum. Ordo V. innuere videtur, hujusmodi orationem peragi consuevisse ante Altare infra cancellos. Plura de hac oratione, quæ fieri olim solita erat a Papa ad Altare, notat citato loco laudatus Auctor; sed notandum hic tamen illud est, quod ex præscripto nostri hujus §. *Prælatus celebraturus, ut primum videt Pontificem venientem, deposita Mitra, surgit, & Pontifici procumbenti apud faldistorium facit profundam reverentiam, caput inclinando*. Atque hic ritus etiam servatur, ubi celebrante Divina Officia Episcopo in aliqua Ecclesia, & sedente, ad eam veniret Cardinalis; surgere tunc enim solet Episcopus, & stans, cum Mitra tamen, Cardinalem salutat. Ceterum in Pontificia Capella ritus iste invaluit, ut Celebrans statim ac Crux Papalis Capellam ingreditur, e Faldistorio surgat, Cardinalesque advenientes salutet, comparente autem Pontifice, non modo Mitram, sed & pileolum etiam deponat.

II. Ad Confessionem quod attinet, in Missa quidem, quæ coram Papa cantatur, Episcopus celebrans, detecto capite, ut ait noster §. accedit ad sinistram Pontificis, sequentibus Diacono & Subdiacono, *cum eo facit Confessionem, Pontifice inchoante*. Estque hic plane Ritus, cujus inter alios mentionem non semel faciunt Romani antiqui Ordines, XIV. & XV. quorum primus Cap. LX. quod est de Episcopo Cardinali celebrante in præsentia Papæ, non nihil variat, ita inquiens: *Præterea si Episcopus Cardinalis celebret in præsentia Papæ, hoc principaliter convenit observari. In primis Pontifex sacris vestibus indutus, postquam cum suis Ministris pervenerit ad Altare, spectet Dominum Papam, qui veniens, stare debet in medio contra Altare; & Pontifex celebraturus stans ad sinistram Papæ, incipiat Introitum &c. & prosequatur more solito Psalmum*, Judica me. *Quo dicto, Dominus Papa dicit*: Adjutorium &c. *Et ipse facit Confessionem, & dat Absolutionem &c.* Ex citato hactenus loco jam liquet, Psalmum, *Judica me Deus*, dici solitum initio Missæ, inchoari olim consuevisse non a Papa, sed a celebrante Episcopo, Confessionem vero, & Absolutionem, factam, & datam fuisse non ab ipso Celebrante, sed a Papa. Porro ex Ordine XV. Romano habemus, & memoratum Psalmum, *Judica me Deus*, & Confessionem inchoari a Papa debere, ubi coram ipso quis Missarum Solemnia celebraret. Ut enim alia laudati Ordinis loca omittam, Cap. XXXIV. id expresse edicitur: *Papa incipit*: Introibo ad altare Dei &c.

III. Quod Missam generalis Confessio antecedat, ritus antiquissimus est, sed diversæ in diversis Ecclesiis ejus formulæ sunt, uti ostendit eruditissimus Bona, Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. II. Num. III. Præmittitur signum Crucis, a quo omnia auspicari semper Christianis solemne fuit, teste Tertulliano, qui Lib. *De corona Militis*, Cap. III. inter ea, quæ ex traditione sine ullius Scripturæ testimonio usurpantur, hoc etiam recenset. Sequitur

Digitized by Google

Psalmus, *Judica me Deus*, cum Antiphona, *Introibo ad altare Dei*, cujus mentio fit in Ordine Romano XIV. Cap. LXXI. his verbis: *Indutus Dominus Papa omnibus pontificalibus dicit ante Altare Versiculum*: Introibo ad altare Dei. *Respondetur*: Ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Deinde Papa incipit Psalmum*: Judica me Deus; *& completur tam per eum, quam per adstantes. Demum repetit*: Introibo ad Altare Dei. *Respondetur*: Ad Deum &c. *Demum Papa dicit*: Confiteor &c.

IV. Sunt qui ajunt consuevisse dici eum Psalmum tempore S. Ambrosii, qui tamen egregie a laudato Bona Cardinale confutantur loco citato, ubi etiam notat, in Missa quidem ab Illyrico edita poni eum Psalmum, sed tamen peracta Confessione ab Episcopo recitandum postquam osculum pacis præbuit Ministris. In alia veteri Missa Codicis Chisii, uti & idem Auctor subjicit, Psalmus ipse cum Antiphona, *Introibo* a Sacerdote, & Ministris alternatim dici ante Confessionem statutus est, ut hodie fit. Micrologus quoque Cap. XXIII. ejusdem ritus meminit, ubi ita inquit: *Paratus Sacerdos venit ad Altare, dicens Antiphonam*, Introibo ad Altare Dei, *& Psalmum*, Judica me Deus, *post quem sequitur Confessio*. Plura de memoratis Antiphona & Psalmo dicendis initio Missæ, docet idem laudatus Georgius in prædicto celebri Opere Lib. III. Cap. IX. Num. III. & seqq. ubi etiam varias Confessionis formulas recenset, præsertim vero istam, quæ & legitur in Romano Ordine XIV. Num. LXXI. *Confiteor Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Frater, quia peccavi nimis cogitatione, consensu, delectatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam; SS. Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & te Frater orare pro me ad Deum Nostrum. Amen.*

V. Facta Confessione a Pontifice, ex eodem Ordine cautum est, ut adstantes dicant, *Misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam* factaque ab eisdem Confessione, dicat demum Papa: *Precibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, B. Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptistæ, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam*; tum vero mox: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis Omnipotens, & misericors Deus*. Sed ut proprie eum ritum explicemus servandum in Missa, quam Episcopus coram Papa celebrat, ex præscripto quidem ejusdem Ordinis Romani Capite LX. dicto Psalmo, *Judica me Deus*, uti supra, *Papa dicit*, Adjutorium &c. & ipse facit Confessionem, & dat absolutionem &c.

§. III.

De usu thuris, ejusque benedictione initio Missæ solemnis, quæ celebrabatur coram Papa, ac de incensatione.

Dicto per Pontificem, *Indulgentiam &c.* Prælatus retrahit se, & a Subdiacono Manipulus illi imponitur, cum quo, & Diacono dicit, *Deus tu conversus &c.* usque ad finem, & ibi remanet, quousque Pontifex discedat. Tunc ascendit ad Altare dicens: *Aufer &c.* & apud Altare dicit: *Oramus te Domine &c.* & cum dicit: *Quorum Reliquiæ hic sunt*, osculatur Altare in medio, deinde Librum Missalem in cornu Evangelii per Subdiaconum sibi porrectum, & ibidem in medio Altaris expectat, quousque thuribulum per Diaconum sibi ministretur. Pontifex vero cum duobus Cardinalibus sibi assistentibus Confessionem perficit. Deinde, accepta Mitra, ascendit ad Solium, sedet, & fit ei reverentia per omnes Cardinales, primo per Episcopos, deinde per Presbyteros, & Diaconos. Cum autem Prior Presbyterorum Cardinalium venit ad reverentiam, accedit ad Pontificem Clericus Cæremoniarum cum thuribulo, & navicella, qui, facta per Presbyterum Cardinalem reverentia, porrigit illi naviculam, & ille Pontifici, dicens: *Benedicite Pater Sancte*, manum Pontifici deosculatus; & Papa imponit incensum more solito dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Cæremoniarius, accepta navicula, reportat thuribulum ad Altare, quod Diaconus ministrat Celebranti, qui incensat Altare more consueto. Deinde incensatur ipse a Diacono in cornu Epistolæ. Tum Papa cum Mitra sedens, postquam Domini Cardinales fecerunt reverentiam, a Priore Presbyterorum Cardinalium in infimo gradu Solii ante ipsum genuflexo incensatur.

COMMENTARIUS.

I. FActa Confessione a Celebrante cum Pontifice, dictoque per Pontificem, *Indulgentiam &c.* Celebrans retrahit se, & imposito sibi per Subdiaconum Manipulo, una cum eo, & Diacono dicit, *Deus tu conversus &c.* aliosque Versiculos, quibus finitis, ascendit ad Altare, ubi ritus illos observat a Missali præscriptos, dum interim Pontifex, *cum*

Digitized by Google

cum duobus Cardinalibus sibi assistentibus Confessionem perficit, qua finita, accepta Mitra, ascendit ad Solium, ubi sedet, & fit ei reverentia per omnes Cardinales, primo scilicet per Episcopos, ac deinde per Presbyteros, atque Diaconos, ut habet noster §. ex cujus etiam præscripto, *cum Prior Presbyterorum Cardinalium venit ad reverentiam, accedit ad Pontificem Clericus Cæremoniarum cum thuribulo, & navicella, qui, facta per Presbyterum Cardinalem reverentia*, Papæ scilicet, *porrigit illi naviculam, & ille Pontifici, dicens, &c.* Atque hæc plane concinunt Romano antiquo Ordini XIV. Cap. LX. ubi enarrantur ritus servandi, quum Episcopus celebrat in præsentia Papæ: *Dicto Psalmo*, Judica me, *Dominus Papa dicit*, Adjutorium &c. *& ipse facit Confessionem, & dat absolutionem, qua data, vadit ad Sedem suam; & Pontifex*, Episcopus nempe Celebrans, *dicens*, Deus tu conversus, &c. *ascendit ad Altare; ipse autem Dominus Papa ponit thus in thuribulo, quotiescumque ponendum est, videlicet post Confessionem, & ante Evangelium, & post Offertorium, Thuriferario deferente ad ipsum Dominum Papam thuribulum cum navicula, quam tradere debet Presbytero Cardinali assistenti Domino Papæ, & thure per ipsum Dominum Papam posito, eandem naviculam reddat Thuriferario.*

II. Thuris usus in Missa commendatur in Liturgiis omnibus antiquissimis Latinis, & Græcis, eumque ritum variis veterum Patrum testimoniis comprobant passim Scriptores, qui Missæ solemnis ritus enarrant. Proditur etiam in Actis Concilii Chalcedonensis anni CDLI. Hischirionem Diaconum Alexandrinæ Ecclesiæ conquestum fuisse de Dioscoro Patriarcha Alexandrino, quod male dissipasset legatam pecuniam a pientissima Femina Peristeria, *ut neque incensum ex oblatione illius clarissimæ memoriæ Peristeriæ, quantum ad eum pertinuit, Deo offerretur*. Occurrit ejus ritus mentio in Sacramentario S. Gregorii, extatque in Missa ab Illyrico edita oratio ad incensum imponendum, quod immittendum dicitur antequam Episcopus egrediatur e Secretario. Varias precationum formulas recenset Georgius in laudato Opere. *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. III. Capit. XI. Num. II. Porro notandum illud potissimum est, quod licet ex nostro Cæremoniali absoluta omnino Confessione, atque ascenso Celebrante ad Altare, benedici thus, & immitti solet a Pontifice in thuribulum, olim tamen, ut liquet ex citato superius testimonio Romani antiqui Ordinis XIV. facta Confessione a Pontifice, & data Absolutione, ascendente Celebrante ad Altare, & dicente, *Deus tu conversus, &c.* Pontifex, qui solemni ejus Missæ assistebat, ibat ad Sedem suam, ponebatque thus in thuribulum a Thuriferario sibi delatum.

III. Post Confessionem positum fuisse incensum, non obscure innuit Innocentius III. Lib. II. Mysteriorum Missæ, Cap. XIII. & seq. ejusdemque ritus meminit Durandus in suo Rationali, Lib. IV. Cap. VIII. Num. I. sic inquiens: *Post factam Confessionem, & datam absolutionem, Pontifex, vel Sacerdos, priusquam dicat* Deus tu conversus &c. *incensum cum benedictione in thuribulo apponit*. Id quod etiam confirmat Cap. IX. ubi sic habet Num. I. *Post immissum in thuribulo incensum, Sacerdos, seu Episcopus, dicto*, Deus tu conversus &c. *Sacrum osculatur Altare &c.* Sed de hoc ritu videri inferius opportuniori loco possunt, quæ nos dicemus, cum explicabimus ritus Missæ Pontificalis, quam Summus Pontifex præcipuis anni Solemnitatibus per semetipsum juxta recentiorem disciplinam celebrat.

§. IV.

De Circulis Cardinalium, quæ fiunt ante Pontificem, cum solemnis Missa coram eo celebratur, & de Missæ Introitu usque ad Kyrie eleison.

Interim veniunt ad Circulum omnes Cardinales, & incensato Pontifice, duo priores Prælati Assistentes, videlicet primus cum Libro Missali, alius cum candela accensa, accedunt ad Pontificem, qui, deposita Mitra, surgit, & dicit Introitum, & *Kyrie eleison*, cum Cardinalibus, qui mox discedunt, & vadunt ad loca sua, & Pontifex sedet, si tempus dabitur, quousque incipiunt Orationes. Celebrans vero, cum primum incensatus fuerit, accedit ad Faldistorium cum Mitra; qua deposita, stans Altare versus, dicit Introitum, & *Kyrie eleison*, uno ex Capellanis suis Librum coram eo tenente.

COMMENTARIUS.

I. DE Cardinalium Circulis, qui ante Pontificem fiunt, cum solemnis Missa coram eo celebratur, dicemus infra opportunius Lib. III. Titulo III. Cap. IX. quod inscriptum est, *De Circulis Cardinalium, quæ fiunt ante Papam*. Denotant autem Circuli ipsi Cardinalium, membrorum unionem cum suo Capite, cum Summo nempe Romano Pontifice, sicut Canonicorum Circuli unionem membrorum significant cum suo Capite, ideſt, Episcopo, uti diximus Tomo I. Cæremonialis Episcoporum, in Commentariis ad Caput XXI. Recentioris profecto videntur esse instituti hujusmodi Circuli, cum nullam prorsus de iis factam mentionem invenerim in antiquis Romanis Ordinibus, aliisve Cæremonialibus Libris, Auctoribusve.

II. Antiquissima profecto est institutio canendi

Digitized by Google

nendi Antiphonam ad Introitum Missæ, tribuiturque ipsa institutio a vetustioribus fere omnibus, qui de rebus Liturgicis scripsere, S. Cælestino Papæ I. ut pluribus probat Georgius, Libro III. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. VII. Sane Cardinalis Bona, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. III. Num. I. Honorium Augustodunensem sequutus, institutum quidem a Cælestino I. Pontifice Introitum Missæ fuisse affirmat, sed ait tamen, a S. Gregorio I, Papa Antiphonas ad Introitum cum modulatione compositas, atque adeo censet, non nisi sub S. Gregorio invaluisse, ut Introitus antiphonatim, idest, alternis choris cancretur. Ante Honorium Augustodunensem Bonizo Episcopus Sutrinus, qui Seculo XI. claruit, in eandem sententiam ivit, in Libello, *De Sacramentis*, qui extat apud eruditissimum Muratorium Tom. III. Antiquitatum Italiæ medii ævi pagina 604. *Beatus vero Gregorius primus*, inquit, *in Romana Ecclesia instituit, ut Antiphona, quæ vocatur Introitus, ad mulcendum audientium animos decantaretur, & hoc a Mediolanensi habuit Ecclesia. Deinde* kyrie eleison *a Clero novies decantari, & post Apostolum Graduale, &* Alleluja, *excepto a Septuagesima usque ad Pascha, in quo tempore Tractus cantari instituit.*

III. Dudum Romæ, & per Italiam receptum fuisse, & quidem anno DXXIX. ut *Kyrie eleison* in Missa, aliisque sacris precationibus diceretur, constat ex Canone III. Concilii II. Vasensis, quod prædicto anno DXXIX. celebratum fuit in Gallia: *Et quia tam in Sede Apostolica*, inquit, *quam etiam per Orientales, atque Italiæ Provincias, dulcis, & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut* kirie eleison *frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo, & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperam, Deo propitio, admittatur.* In Galliis igitur accepta est anno Christi DXXIX. consuetudo dicendi in Missis *Kyrie eleison*. Romæ cantari olim consuevisse, *Kyrie eleison*, in Missa a Schola Cantorum post cantatam Antiphonam ad Introitum, si nul ac Pontifex, facta oratione apud Altare, ad Sedem accessisset, tentantur quidem pervetusti Romani Ordines, quorum primus Num. IX. sic habet: *Schola vero, finita Antiphona, imponit* kyrie eleison. *Prior vero Scholæ accedit ad Pontificem, ut ei annuat, si vult mutare numerum Letaniæ, & inclinat se Pontifici.*

IV. Olim itaque numerus dicendi *Kyrie eleison*, non erat præfinitus, sed tandiu protrahebatur a Cantoribus, quoad Pontifex juberet, ut in formulam *Christe eleison* immutaretur, ut scite animadvertit doctissimus, ac Religiosissimus Cardinalis Thomasius in disquisitione antiquorum Rituum Cantuum Missæ ex antiquis Romanis Ordinibus, I. Num. IX. & V. Num. VI. atque ex Alcuino in Libro, *De Divinis officiis*, Cap. XL. Verum eodem notante Thomasio sub Amalarii tempora, *Kyrie eleison* certo numero decantatum fuit, ut hodie fit. S. Gregorium Papam instituisse, ut *Kyrie eleison* novies a Clero in Missa decantaretur, testis est Bonizo Sutrinus Episcopus scriptor Seculi XI. cujus verba supra attulimus. Seculo XII. & XIII. invaluisse hunc usum, ut *Kyrie eleison* ter, *Christe eleison* ter decantaretur, itemque ter responderetur, *Kyrie eleison*, testes habemus Honorium Augustodunensem Lib. I. Cap. XCII. Innocentium III. Lib. II. *Mysteriorum Missæ*, Cap. XX. & Durandum in Rationali Divinorum Officiorum Lib. IV. Cap. XII. Atque hic ritus adhuc perseverat, tametsi, ut ait Paris de Grassis apud Mabillonium in Nota ad Romanum I. Ordinem pag. 9. in Missa Romani Pontificis *Kyrie eleison* tandiu diceretur, quandiu reverentia a Cardinalibus Pontifici fieret. Cur novies dicatur, nempe sexies, *Kyrie eleison*, & ter *Christe eleison*, varias mysticas rationes affert Durandus loco citato; arguendique iccirco sunt Musici, qui in solemnibus Missis, quas canunt tumultu vocum, atque instrumentorum, jam non novies, sed pene centies *Kyrie* repetunt.

V. Nequid vero ex nostro hoc §. omittamus, mandat hic plane, ut, *incensato Pontifice, duo priores Prælati Assistentes, primus videlicet cum Libro Missali, alius cum candela accensa, accedant ad Pontificem, qui, deposita Mitra, surgit, & dicit Introitum,* & kyrie eleison, *cum Cardinalibus &c.* Solent quidem Episcopi in celebratione divinorum officiorum, ut commode legere possint, uti *bugia*, quæ est argenteum instrumentum, in quo ponitur candela accensa ad præbendum eisdem lumen dum legunt, quia ipsis significari, eo instrumento Prælatum non debere tantum lumini suæ cognitionis fidem præstare, sed alterius testimonio uti, notavit jam in suo Hierolexico Macrius, verbo *bugia*; ubi etiam mox subdit, Papam uti quidem candela, sed absque hujusmodi instrumento, *fortasse*, ut ait, *quia ipsius cognitionis lumen alio terreno fulcimento non indiget.* Sed de eo instrumento iterum infra.

§. V.

De salutatione, Dominus vobiscum, *& Orationibus in Missis Adventus dici solitis.*

Finito a Cantoribus *Kyrie eleison*, Celebrans versus populum, omnibus consurgentibus, dicit: *Dominus vobiscum*. Tum versus ad dexteram Altaris dicit: *Oremus*, & Orationes consuetas quatuor; primam dicit sub sua conclusione; secundam: *Deus, qui de Beatæ Virginis utero*; tertiam: *Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnes potestates*; quartam: *Deus omnium Fidelium*

Digitized by Google

lumi Paſtor, & Rector, ſub ſua concluſione. Ad quas Pontifex, depoſita Mitra, cum *Dominus vobiſcum* dicitur, ſurgit.

COMMENTARIUS.

I. FInitis *Kyrie eleiſon*, in Miſſis quibus non dicitur *Gloria in excelſis*, ut tempore Adventus, & Quadrageſimæ, Celebrans ſalutat populum, dicens: *Dominus vobiſcum*. De qua ſalutatione extat hoc Concilii Bracharenſis Decretum, Can. XXI. *Placuit, ut non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent dicentes*, Dominus vobiſcum, *ſicut in Libro Ruth legitur, & ut reſpondeatur a populo*, Et cum ſpiritu tuo, *ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Occidens* (non enim Oriens, ut in editis legendum eſt) *& non ſicut Priſcilliana pravitas immutavit*. Sed audiendus Leo Papa VIII. in Epiſtola II. ad Gallos, & Germanos data anno CMXXXVI. ubi ad rem noſtram ſic ſcribit: *Conſultum eſt etiam, utrum Epiſcopi* Pax vobis, *an* Dominus vobiſcum, *pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem veſtram Provinciam tenendum eſt, quam in Sancta Romana Eccleſia. In Dominicis enim diebus, & in præcipuis Feſtivitatibus, atque Sanctorum Natalitiis*, Gloria in excelſis Deo, & Pax vobis, *pronunciamus. In diebus vero Quadrageſimæ, & in quatuor Temporibus, ſive in Vigiliis Sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus*, Dominus vobiſcum, *tantummodo dicimus*. Atque huc facit, quod ait Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. XLI. in fine, his verbis: *Notandum etiam, quod dum Celebrans incipit primam Orationem in Quadrageſima, & in Adventu, ſemper debet dicere*, Dominus vobiſcum, *& non*, Pax vobis, *exceptis Dominicis, de* Gaudete, & Lætare, *quibus dicitur*, Pax vobis, *dato etiam quod Papa celebraret*. Sed & ante hunc Ordinem Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Capite LXXIX. quod inſcriptum eſt, *De Officio Cinerum quarta Feria &c.* idipſum edixerat: *Ante Orationem non dicit*, Pax vobis, *ſed tantum*, Dominus vobiſcum, *& ſic in omnibus Feriis, & Dominicis, tam Quadrageſimæ, quam & Adventus, exceptis Dominica*, Gaudete, & Lætare.

II. Ergo, ut docet etiam Durandus in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. XIV. Num. VII. *tunc demum*, Pax vobis, *dicitur, quando*, Gloria in excelſis, *cantatur, & hoc ideo, ut cor reſpondeat ei, quod ibi dicitur*, Et in terra pax hominibus &c. *Præterea hæc ſalutatio*, ut idem Auctor mox ſubjicit, *a Chriſto tempore gaudii, & lætitiæ, ſcilicet Reſurrectionis, ad Diſcipulos facta, illi Cantico lætitiæ correſpondere debet*. Addit & alia, quibus tamen omiſſis, ſilendum illud non eſt, juxta ritum in Ordine Romano XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri uſurpatum, in Dominica I. Adventus, & in ſequentibus, uſque ad Feſtum Natalis Domini cantabatur, *Gloria in excelſis*, & ex antiquo Romanæ Eccleſiæ inſtituto. Sic enim inquit, ubi de ipſa Dominica I. Adventus diſſerit: *Mane Statio ad S. Mariam Majorem, quo Dominus Papa cum omnibus Ordinibus venit, ibique honorifice, ſicut mos eſt, cantat Miſſam cum* Gloria in excelſis Deo, *ſicut in aliis Dominicis uſque ad Natalem Domini*. Ceterum Seculo XIII. atque ætate Alexandri Alenſis, qui obiit anno MCCXLV. *ſecundum Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem* uſus invaluerat, *ut quandocumque*, Te Deum laudamus, *dicitur in Matutinis*, Gloria in excelſis Deo, *diceretur in Miſſa*. Teſte Romano XIV. Ordine Cap. LXV. *a Dominica de Adventu uſque ad Nativitatem Domini non cantatur* Gloria in excelſis Deo, *niſi in Feſto novem lectionum &c.*

III. Secundum itaque hanc diſciplinam, finito a cantoribus, *Kyrie eleiſon*, ut ait noſter §. *Celebrans verſus populum, omnibus conſurgentibus, dicit*, Dominus vobiſcum; *tum verſus ad dexteram Altaris, dicit*, Oremus, & *Orationes conſuetas quatuor &c.* Orationes in Miſſa a vetuſtiſſimis temporibus in uſu fuiſſe, atque ab Apoſtolica traditione derivare, notant Scriptores, qui de divinis Officiis tractant, probantque ex teſtimonio Libri II. Apoſtolicarum Conſtitutionum Cap. LVII. & Concilii Laodiceni Canone XIX. a quo etiam tres in Miſſa ſtatuuntur Orationes, una pro Catechumenis, alia pro Pœnitentibus, tertia pro Fidelibus. Ne forte vero contingeret, ut in Eccleſiis Orationes privato ſtudio elaboratæ legerentur, aliquid contra Fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium eſſet compoſitum, decrevit Concilium Milevitanum II. anno CDXVI. Can. XII. *ut preces, vel Orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive Præfationes, ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint*.

IV. Orationes autem, quæ per totam ferme Catholicam Eccleſiam nunc in Miſſis dicuntur, ab Eccleſia Romana ortum habuere, atque, ut eximius Cardinalis Thomaſius in ſua ad Codices antiquos Sacramentorum Præfatione notavit, Conſtantini Magni ætatem nonnullæ præſeferre videntur, multæ præterea eleganti ſtilo S. Leonis Magni ſunt elaboratæ, auctæ dein, & reſtitutæ identidem a S. Gelaſio, & a S. Gregorio Magno, quorum uterque eas peculiari Libro collegit, & ex horum nominibus Sacramentarium Leoninum, Gelaſianum, & Gregorianum ea collectio eſt appellata. Ceterum adſtruunt priſci Ordines Romani morem dicendæ orationis ante Epiſtolam, uti poſt alios pluribus veterum Auctorum teſtimoniis fuſe, eruditeque oſtendit Georgius, Lib. III. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. XV. Num. III. Quod vero orationum numerum ſpectat, legendi Gavantus in Rubricas Miſſalis, & illius illuſtrator Meratus in ſuis ad ipſum Auctorem, Additionibus.

V. Prætereundum autem a nobis hic illud non eſt, quod licet ex præſcripto noſtri §. quatuor dicendæ eſſent in prima Adventus Dominica

Digitized by Google

nica Orationes, docet nihilominus Franciscus Mucantius Cæremoniarius Apostolicus in ms. Diario Pontificatus Gregorii XIII. ad annum MDLXXVI. ubi agit de prima Dominica Adventus, quæ eo anno incidit in diem 11. Decembris, *resolutum fuisse coram Sanctissimo, ut dicerentur in Missa tantummodo tres Orationes, videlicet de Dominica, de Beatissima Virgine, & pro Papa..... licet Sanctitas sua jam statuisset, ut dicerentur Orationes quinque, additis videlicet supradictis tribus, duabus, altera pro commemoratione S. Bibianæ, altera contra pestilentiam.* Teste Gavanto in Rubricas Breviarii Romani, Sectione VII. Cap. II. quod est de Festis Sanctorum mense Decembri, simplex fuit Officium S. Bibianæ usque ad annum MDCXXVIII. quo ab Urbano VIII. semiduplex factum fuit cum oratione propria, & Lectionibus, transferturque iccirco in aliam diem, si in Dominicam incidat.

§. VI.

De Epistola, & ritibus in ejus lectione servandis.

Celebrante dicente ultimam Orationem, Sudiaconus, deposita Planeta, accipit Librum Epistolarum, & facta reverentia, primo Sacerdoti, deinde Altari, & Papæ, comitante Cæremoniario, ipse sibi Librum tenens, dicit Epistolam, omnibus sedentibus. Ea dicta, præcedente Cæremoniario, accedit cum Libro ad osculandum pedem Pontificis, & reversus ad Celebrantem, reassumit Planetam, & accipiens Missale, tenet illud ante Celebrantem; qui sedens, in eo legit Epistolam, Graduale &c. & Evangelium. Deinde sedet Subdiaconus in loco suo. Similiter Assistentes Papæ offerunt ei Librum, & legit, ut fecit Celebrans.

COMMENTARIUS.

I. DE Epistola in Missa solemni legenda a Subdiacono, jam non uno in loco Operum nostrorum diximus, sed potissimum tamen in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum. Tempore Adventus, & Quadragesimæ indui a Subdiacono, & Diacono, loco Tunicellæ, & Dalmaticæ, Planetas plicatas, superius jam dictum fuit. Notandum autem potissimum, quod in præsenti §. edicitur, ut nimirum Subdiaconus in solemni Missa, quæ coram Papa celebratur, dicta Epistola, *præcedente Cæremoniario, accedat cum Libro ad osculandum pedem Pontificis*. Si veterem Romanæ Ecclesiæ disciplinam spectemus, lecta Epistola, Subdiaconus, non pedem, sed genu Pontificis osculabatur, teste Romano V. Ordine, Num. VII. his verbis: *Subdiaconus, lectione perlecta, genu osculetur Episcopi*. In aliis vetustioribus Romanis Ordinibus nihil de hujusmodi osculo habetur. Innocentius quidem III. Lib. II. *Mysteriorum Missæ*, Cap. XXX. calceos Papæ, ideſt, pedes Subdiaconum deosculari memorat: *Pronus*, Subdiaconus, *ad pedes, calceamentum Romani Pontificis osculetur*. Ejusdem ritus meminit Durandus in suo Rationali Lib. IV. Cap. XVII. Num. I. ubi eadem Innocentii verba legere est. Audiendus Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. LX. sic inquiens: *Subdiaconus, lecta Epistola, non debet reverentiam facere Pontifici celebranti, sed ire debet ad osculum pedis Domini Papæ*. Sed nec omittendus Alexander de Ales, qui de Sacramento Eucharistiæ, Quæstione X. agens, expresse tradit, *neque Diaconum manum Summi Pontificis osculari, sed pedem, in signum, quod Summo Pontifici debet exhiberi reverentia*.

II. Locus legendæ Epistolæ, ut aliquid de antiquo ritu dicamus, erat Ambon ad id destinatus, extabatque in cancellis dextris Chori versus Altare. In vetustissima S. Clementis in Urbe Ecclesia, quæ hodie est Fratrum Ordinis Prædicatorum, duo a dextra parte Chori Ambones visuntur, alter versus Altare pro Epistola legenda, alter pro legendis Prophetis versus populum; tertius vero a sinistris tantisper altior, & ornatior pro Evangelio. Teste Romano Ordine II. Num. VII. Subdiaconus Epistolam lecturus, ibat ad eam legendam *in Ambone, non tamen in superiorem gradum, quem solus solet ascendere, qui Evangelium lecturus est*. Hinc in gradum, & pulpitum ascendere dicitur ab Amalario, Lib. III. Cap. XVII. qui etiam in Eclogis, Cap. XIII. innuit, eum, qui legit Epistolam, non ascendere ad superiorem gradum, quem solus ascendit, qui Evangelium lecturus est. Teste Micrologo Cap. VIII. *solis Subdiaconis inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti, Epistolam legant ad Missam*. Vestes, quibus indutus Subdiaconus Epistolam in Missa solemni legit, sunt quidem Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, & Tunicella, cujus tamen loco, tempore Adventus, & Quadragesimæ, ex antiquo ritu, cujus nonnulli Romani Ordines, atque Scriptores mentionem faciunt, Planetam plicatam sumit. Atque hinc est, quod & ex præscripto nostri hujus §. ubi agitur de Dominicis Adventus, *Celebrante dicente ultimam Orationem, Subdiaconus, deposita Planeta, accipit Librum Epistolarum, & facta reverentia, primo Sacerdoti, deinde Altari, & Papæ, sibi Librum tenens, dicit Epistolam, omnibus sedentibus*. Atque hæc antiqua est consuetudo, cujus meminit Honorius Augustodunensis Lib. I. Cap. XIV. ubi sedendum scribit, dum Subdiaconus Epistolam legit; quod affirmant etiam Rupertus Abbas Tuitiensis, Libro

Digitized by Google

bro I. Cap. XXXII. Hugo Victorinus Libro II. *De Ecclesiasticis Officii*, Cap. XVII. & alii.

III. Priscis temporibus Lectoris partes fuisse Epistolam non modo, sed & Evangelium legere, notum est ex Epistolis XXXIII. & XXXIV. S. Cypriani jam alias a nobis relatis, & ex Concilio Toletano I. anno CDI. celebrato, Can. IV. quo statuitur, ut *Subdiaconus, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab Officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios, & Lectores, ita ut Evangelium, vel Apostolum* (alibi Epistolam) *non legat*. Quod frustra prohibitum esset, nisi ad Lectoris Officium id tunc spectasset. Quo tempore cœperint Subdiaconi legere Epistolam, dubium est. Suspicatur autem doctissimus Bona Cardinalis, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. VI. Num. III. Seculo VIII. id contigisse, quia scilicet Amalarius, qui initio seculi IX. claruit, Lib. II. Cap. XI. ita scribit: *Miror, qua de re sumptus sit usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime* (non ergo semper) *legat Lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in Consecratione commissum, neque ex Litteris Canonicis, neque ex nomine suo*. Et in fine Capitis subdit: *Sed postquam statutum est a Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut & Subdiconus legeret Epistolam, sive Lectionem*. Quando id statutum fuerit, jam non dicit Amalarius, existimat autem laudatus Bona, ante cœpisse Diaconos legere Evangelium, quam Subdiaconos Epistolam. Quicquid sit, post Seculum XI. Lectoribus, aliisque Clericis inferioribus minime licebat in solemni Missa Epistolam legere. Durandus enim Lib. IV. sui Rationalis, Cap. XVI. monet, ut, si forte desit Subdiaconus, dicatur Epistola a Diacono, vel etiam a Sacerdote: *Melius est enim*, ait, *ut Sacerdos etiam Missam cantans, illam legat, quam si ab Acolytho, vel alio inferioris ordinis legatur*. Subdiaconum ad Epistolam legendam procedentem, teste eodem Durando, Acolythus comitabatur, qui non vertebat faciem ad Subdiaconum; ipse vero Subdiaconus facie Altare respicere debebat.

§. VII.

De Evangelio, & ritibus servandis in ejus lectione.

Cum incipitur *Alleluja*, surgit Diaconus, & illi Planeta extrahitur, & plicatur, si non est alia plicata, & sic plicata imponitur (1) ei in humero sinistro super Stolam, & fortiter cum Cingulo ad hoc dato ligatur; & tenens Librum Evangeliorum ambabus manibus ante pectus, facit reverentiam primo Celebranti, deinde Altari, demum Papæ, & solus accedens ad Altare, ipsum Librum ponit super illud in medio, & genuflectit. Tum surgens, præcedente Cæremoniario, vadit ad Papam, & osculatur pedem ejus, Cæremoniario pedem Papæ discooperiente; deinde revertitur ad Altare, & genuflexus dicit: *Munda cor meum &c.* Quo finito, accipit Librum ex Altari, ambabus manibus ante pectus tenens, vadit ad Celebrantem, si supereſt ei tempus. Interim vero alius Cæremoniarum Clericus cum thuribulo, & navicula accedit ad Pontificem, & assistens Presbyter Cardinalis simul; & imponitur incensum per Pontificem, ut supra in principio Missæ dictum est. Deinde Cæremoniarius cum thuribulo, & navicula redit ad Celebrantem, datque uni ex Ministris thuribulum ad dextram, naviculam ad sinistram; tum accipit duo candelabra cum candelis ardentibus de Altari, vel credentia, & consignat duobus (2) ex Ministris Celebrantis. Deinde, cum tempus fuerit, itur ad Evangelium hoc ordine. Primo præcedit Cæremoniarius alios dirigens, & instruens; tum Thuriferarius cum thuribulo, & navicula; inde duo cum candelabris, deinde Subdiaconus, demum Diaconus cum Libro ante pectus, ut supra; & factis reverentiis Celebranti, Altari, & Papæ, vadunt ad gradus ante Papam, ubi Diaconus genuflexus petit a Pontifice benedictionem; deinde Subdiaconus stans medius inter duos Ceroferarios tenet Librum Evangeliorum, & Diaconus incipit: *Dominus vobiscum*. Et nota, quod non est necessarium, neque ex antiquis Cæremoniis, quod cum Diaconus petit benedictionem, assistant ei Ceroferarii. Diaconus vero cum dicit Evangelium, non debet vertere faciem ad Altare, sed ad Altaris cornu dextrum, quod in Capella Papæ Romæ non servatur, quia verteret faciem ad ipsum Pontificem. In Sancto Petro autem, & alibi semper servatur. Cum autem dicit: *Sequentia Sancti Evangelii &c.* signat cum pollice dextro Librum, deinde frontem, os, & pectus. Cum respondetur: *Gloria tibi Domine*, incensat ter Librum, videlicet in medio, a dextris, & sinistris. Finito Evangelio, fit reverentia Altari, & Papæ. Diaconus, & Ceroferarii revertuntur ad Celebrantem. Subdiaconus portat Librum apertum osculandum Papæ, & dein-

(1) Ita in editione Romana anni 1560. in Veneta vero I. anni 1516. & Colonienſi 1557. deest *ei*, & legitur, &

(2) Ita quoque in ipsa Romana editione, in aliis vero citatis legitur, *duobus Ministris junioribus &c.*

Digitized by Google

de revertitur ad Celebrantem. Cæremoniarius facit signum Presbytero Cardinali assistenti, & accipiens thuribulum de manu Thuriferarii, offert illud ipsi Assistenti, qui stans ante gradus, incensat Pontificem sine Mitra stantem, & revertitur ad locum suum inter alios Cardinales. Papa vero sedet, & capit Mitram.

COMMENTARIUS.

I. PEculiare jam nos edidimus Opus, quod inscriptum est, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, in ejusque Libro II. per totum explicuimus ritus, atque originem legendi Evangelium in Missa non modo privata, sed & in solemni. Fuse etiam de iisdem ritibus egimus in nostris Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, in quibus Sacræ ac Pontificalis Liturgiæ studiosus multa inveniet, quibus & hic §. Cæremonialis Capellæ Papalis non parum illustratur. Sed & dicendum quoque inferius erit, ubi enucleabimus ritus solitos servari in Missa, quam Papa celebrat; tunc enim Evangelium cantatur non modo Latine a Latino Diacono, sed & Græce a Diacono Græco.

II. Sed ut hoc loco aliquid etiam dicamus, priscum morem legendi in Missa Pontificali Romæ Evangelium describit Ordo II. Romanus apud Mabillonium Tomo II. sui Musæi Italici, pag. 45. his verbis: *Diaconus osculans pedes Pontificis, venit ante Altare, & osculans Evangelium, levat in manus suas Codicem, in quo lecturus est, & partem ejus in dextero humero ponens, vadit ad Ambonem, & procedunt ante ipsum duo Subdiaconi cum duobus thuribulis, sive uno, levantes thymiamaterium de manu Subdiaconi sequentis, mittentes incensum; & duo Acolythi portantes duo cereostata, venientes ante Ambonem, dividuntur a se, & transeunt Subdiaconi, & Diaconi cum Evangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante Evangelium in Ambonem ex una parte ascendentes, & ex altera parte statim descendentes, redeunt stare ante gradum descensionis Ambonis. Ille autem absque thymiamaterio vertens se ad Diaconum, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu Subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit; inventoque loco lectionis, ascendit in Ambonem in superiorem gradum, & dicit*, Dominus vobiscum. *Respondent omnes*, Et cum spiritu tuo. *Quo audito, vertit se Pontifex, & omnis Sacerdotalis gradus, sive omnis populus fidelis ad Orientem, & postquam dixerit*, Sequentia Sancti Evangeiii secundum Lucam, *sive* Marcum, *& reliqua, facit Crucis signum in fronte sua idem Diaconus, & in pectore, similiterque Episcopus, & omnis populus, & revertuntur ad Evangelium. Sed & baculi omnium deponuntur de manibus, & in ipsa hora, neque corona, neque aliud operimentum supra capita eorum habetur. Ipse vero Diaconus stat versus ad meridiem, ad quam partem viri solent confluere, alias autem ad septentrionem. Sed & candelæ in pavimento, prædicante eo Evangelium, de manibus Acolythorum juxta Ambonem deponuntur usque finitum tẽpus Evangelii. Perlecto Evangelio, iterum se signo Sanctæ Crucis populus munire festinat, & descendente Diacono de Ambone, Subdiaconus, qui in filo stat, recipit Evangelium; quod tenens ante pectus suum super Planetam, porrigit osculandum primum Episcopo, deinde omnibus per ordinem graduum, qui steterint, & universo Clero, necnon & populo, deinde conditur in loco suo*,

III. Hæc fusius ex laudato antiquo Ordine II. Romano transcribere licuit, quo plura veteris ritus monumenta uno aspectu conspicerentur, quæque alias nos peculiaribus Capitibus fuse explicuimus Libro II. nostri Operis, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*. Occurrunt autem hic multa notatu digna, nam primo Diaconus, priusquam Evangelium legat in Missa, petit a Celebrante benedictionem, licentiam scilicet legendi, quia, ut ait Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. I. *De Divinis Officiis*, Capite XII. nemo, nisi missus, aut permissus officium prædicandi usurpare debet, quia scilicet scribit Apostolus in Epistola ad Romanos, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Porro ex præscripto nostri §. Evangelium lecturus Diaconus tenens Librum Evangeliorum ambabus manibus ante pectus facit reverentiam primo Celebranti, deinde Altari, demum Papæ, & solus accedens ad Altare, ipsum Librum ponit super illud in medio, & genuflectit; tum surgens, præcedente Cæremoniario, vadit ad Papam, & osculatur pedem ejus, Cæremoniario pedem Papæ discooperiente; deinde revertitur ad Altare. & genuflexus dicit: *Munda cor meum &c.* quæ oratio similibus fere verbis habetur in Liturgia S. Jacobi ante thurificationem, uti observat eruditissimus Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap VII. Num. II. Sumendum vero esse de Altari Evangelium a Diacono illud dicturo, ritus est pervetustus, cujus etiam varias mysticas rationes explicat inter alios Durandus Lib. IV. sui Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. 24.

IV. Dicta ad Altare Oratione, *Munda cor meum &c.* ex præscripto nostri §. accipit Diaconus Librum ex Altari, illumque ambabus manibus ante pectus tenens, vadit ad Celebrantem, si supereſt ei tempus, interimque alius Cæremoniarius cum thuribulo & navicula una cum assistente Presbytero Cardinali accedit ad Pontificem Missæ præsentem, qui incensum imponit. Deinde Cæremoniarius cum thuribulo, & navicula redit ad Celebrantem, datque uni ex Ministris thuribulum ad dexteram, naviculam ad sinistram, tum accipit duo candelabra cum candelis ardentibus de Altari, vel credentia, & consignat duobus ex Ministris Celebrantis, & cum tempus fuerit, itur ad Evangelium cantandum, hoc ordine. Primo præcedit Cæremoniarius alios dirigens, & instruens, tum Thurifer arius cum thuribulo, & navicula; inde duo cum candelabris, deinde Subdiaconus, demum Dia-

Digitized by Google

Diaconus cum Libro ante pectus, ut supra, & factis reverentiis Celebranti, Altari, & Papæ, vadunt ad gradus Solii ante Papam, ubi Diaconus genuflexus petit a Pontifice benedictionem. Ita quidem hic noster §. antiquissimis Catholicæ Ecclesiæ ritibus concinens, qui mandant, ut & incensum, & lumina ad solemnem Evangelii lectionem adhibeantur, uti fuse ostendimus in laudato Opere nostro, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. Cap. XIII.

V. Antequam hos ritus explicemus, notandum hoc loco quod de ipsa Evangelii lectione docet Ordo I. Romanus a Blanchino editus; mandat enim Numero II. ut dum Diaconus ad Evangelium legendum procedit, ante Episcopos, & Presbyteros transeat, & ad illos se inclinans fausta verba benedictionis recipiat: *Subdiaconi*, procedunt, *& Diaconus cum Evangelio per medium eorum, & dum transierit eum Evangelio ante Episcopos, inclinans se ad eos, ac illi eum benedicunt ita*: Dominus tecum. *Post hæc inclinat se ad Presbyteros, & illi dicunt*: Spiritus Domini super te. Similia Ordini Romano I. leguntur & in aliis posterioribus. In Ordine Romano II. jam duo Subdiaconi thuribula gestant, ut ex loco superius recitato constat. In Ordine vero V. Num. VII. loco duorum Subdiaconorum, sunt duo Acolythi, *cum incensoriis*. In Ordine VI. Num. VI. describitur ritus imponendi incensum in thuribulo his verbis: *Cum autem omnia usque ad Evangelium impleta fuerint, accedat Princeps Ecclesiæ*, idest Episcopus assistens, *ad Episcopum, pyxidem, in qua thus habetur, manu ferens, sequente Acolytho, qui thuribulum portat, & imposito in illud incenso ab Episcopo, & Subdiacono in dextra parte Altaris Diaconum præstolante, accedat Diaconus ad Altare, Dominum his verbis adoraturus*: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam; *& adorato Altari, genua flectens ante Episcopum, accipiat ab eo benedictionem, & præbens se ad pedes ejus, adhibente manum Episcopo, osculetur eam, & protinus ad Altare progrediens, sumat Evangelium, continuo lecturus. Candelabra autem ferentes infra pulpitum contra Diaconum stare debent. Sed ille qui thuribulum tenet, juxtæ eum stet in sinistra parte usquequo Evangelium perlegatur.*

VI. Extant in pervetusta Illiyrici Missa apud Martene Parte I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Libro I. Articulo IV. Capite XII. pag. 498. preces ad immissionem incensi in thuribulum, ad benedictionem ejusdem, ad benedictionem Diaconi, & ad sumendum ex Altari Evangelium per ipsum Diaconum, quas una cum aliis descripsit & eruditus Georgius in suo Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. III. Cap. XVIII. Num. III. & seqq. Sed his omissis, describendas duxi precationum formulas, quæ in antiquo Sacramentario Gregoriano leguntur: *Cum autem Diaconus*, inquit, *petierit benedictionem, Sacerdos dicat*: Dominus Deus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut competenter nunties Evangelium pacis. Sequitur alia, quæ est hujusmodi: *Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super te, & aperiat Christus Dominus os tuum, ad digne, idoneeque pronunciandum Sanctum suum Evangelium*. Ritus antiqui legendi Evangelium per Diaconum in solemni Missa testem etiam habemus Ordinem Romanum XII. Auctore Cencio, qui multa quoque ad rem explicat. Ex dictis autem hucusque, & ex aliis quæ afferri possent vetustiorum Ordinum Romanorum, & Auctorum veterum locis, profecto intelligimus, I. scilicet in sublimiori loco a Diacono Evangelium legi consueviſse. II. Evangelii codicem accepiſſe ab Altari. III. Diaconum antequam ad Evangelium legendum accederet, benedictionem petiiſſe ab Episcopo. IV. Duo candelabra, ac duo thuribula, vel unum, prælata. V. Diaconum meridiem versus se convertiſſe. VI. demum tum Diaconum, tum adstantes stetiſſe nudo capite ad Evangelii lectionem, Crucis signaculo in fronte, ore, & pectore se muniiſse, ac tandem baculos deposuiſſe. Sed hos, alioſque ritus jam nos, ut superius diximus, fuse explicuimus in nostro citato Opere, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II.

§. VIII.

De Sermone post Evangelium, & Indulgentiarum pronunciatione.

Deinde ducitur per Cæremoniarium ad pedes Pontificis, qui Sermonem est habiturus, qui (1) illis genuflexus exosculatis, petit benedictionem, dicendo: *Jube Domine benedicere*. Tunc Papa benedicit, dicens: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & fructuose annuncies verba sua sancta. In nomine Patris &c.* Et benedictione accepta, ille dicit: *Indulgentias, Pater Sancte*. Papa concedit quinque annos, & totidem quadragenas. Et ille recedens, factis reverentiis, vadit ad pulpitum, ubi facit suum Sermonem. Quo finito, expectat in pulpito, & Diaconus per Cæremoniarium ante gradus Sedis Papæ ducitur, & stans alta voce dicit: *Confiteor &c.* Ante cujus inchoationem surgunt omnes; sed Papa, & Celebrans sunt cum Mitra. Cum vero Diaconus dicit, *& tibi Pater*; similiter, *& te Pater*, debet genuflectere; & cum dicit, *mea culpa*, singulis vicibus manu dextra pectus percutiat. Finito *Confiteor*, Orator pronunciat Indulgentias per Pontificem concessas, & descendit quo vult. Interim Subdiaconus Apostolicus portat Crucem ante Papam, & Papa surgens sine Mitra, ex Libro cantat: *Precibus, & meritis &c. Misereatur.*

(1) Ita in editione Romana, & Veneta vero I. legitur; *qui genuflexus, & illos deosculatus &c.*

Digitized by Google

Indulgentiam &c. & dat benedictionem, ut in Libro; & cum deponitur Mitra Pontifici, deponitur Mitra Celebranti; & unus Protonotarius accedit ad Papam, cum dicit: *Et benedictio Dei &c.* qui, discedentibus Assistentibus, capit fimbriam Pluvialis, & tenet ante corpus Papæ. Et nota, quod quotiescunque Papa cantat, vel legit aliquid ex Libro, si tunc non celebrat, primus Episcopus Asisiens tenet ante eum Librum supra caput, & secundus Episcopus tenet candelam accensam. Diaconi vero, si asisiunt, hinc inde teneant manus. Si vero Papa celebrat Missam, sive Vesperas solemnes, asisiens Cardinalis, sive Episcopus sit, sive Presbyter, tenet Librum supra caput, & primus Episcopus non Cardinalis adjuvat eum. Alii, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. DE Sermonibus in Capella habendis Dominicis Adventus a Procuratoribus Generalibus quatuor Ordinum Mendicantium, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, jam fuse diximus supra in Commentario ad Cap. I. Quod ritus spectat in Concione servandos, explicati & hi a nobis fuere in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum Lib. I. Cap. XXII. Morem fuisse, ut Concionaturi benedictionem ab Antistite postularent, addiscere licet ex Vita Sancti Amandi Trajectensis Episcopi, cujus Auctor Beda tradit, solitum eum fuisse benedictionem a Prælato accipere, cum mox esset Concionem inchoaturus. Sane in Ordine Romano XIV. Cap. LIII. expresse cautum est, *ut post Evangelium accedat is, qui prædicare debet, ad Pontificem, & flexis genibus benedictionem petat, dicens*, Jube Domne benedicere; *& Pontifex faciat super eum signum Crucis, dicens*: Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ad annunciandum digne, & fructuose verba sua sancta. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Tunc is qui prædicaturus est, pergat ad locum, in quo prædicare debet, & prædicationem prosequatur &c.* Quid autem causæ sit, quam obrem Concionum initio peti, & dari soleret hujusmodi benedictio, eruditissimus Ferrarius Lib. I. *De ritu Sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum*, Cap. IX. eam putat commode proferri posse rationem, quam Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. I. *De Divinis Officiis*, Cap. XII. reddidit, cur nempe lecturus in Ecclesia benedictionem petat, sic inquiens: *Lecturus vero, benedictionem petens, hoc significat, quod nemo, nisi missus, aut permissus officium prædicandi usupare debeat*, quomodo enim prædicabunt, *inquit Apostolus*, nisi mittantur?

II. Ritum de ea re servari solitum Seculo Christi XIV. profecto habemus ex mss. Codice celebris Vaticanæ Bibliothecæ Numero 4727. eo tempore exarato, in quo edicitur, ut, *si sit prædicandum, accedat immediate post osculum Evangelii ad Papam, qui prædicaturus est, & osculetur ei pedem, ipsum cooperiente, & discooperiente altero Clericorum Cæremoniarum; & p stea petat benedictionem, dicendo*, Jube Domne benedicere, *genibus flexis, & capite inclinato; qua habita, petat ab eo quas dabit Indulgentias post Sermonem; & hoc facto, immediate vadat ad locum, in quo prædicaturus est, & faciat Sermonem suum; quo completo, antequam pronunciet Indulgentias, Diaconus Cardinalis a sinistris Papæ assistens dicit*, Confiteor, *alta voce, & ipso dicto, ille, qui prædicavit, debet immediate pronunciare Indulgentias populo, & deinde Papa dat Absolutionem, dicendo, Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c.* Benedictionis petendæ, & Indulgentiarum concessionis per concionaturum a Summo Pontifice meminit quidem Ordo Romanus XIV. Cap. XLVII. ubi etiam habetur, consuevisse illum, qui prædicaverat, annuntiare Indulgentiam talibus, vel similibus verbis: *Dominus Summus Pontifex, auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & sua omnibus vere pœnitentibus, & confessis concedit Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum*; vel plus, sicut Pontifici placuerat, ut laudatus Ordo Romanus subjicit.

III. Sequioribus Seculis profusiores fuisse Summos Pontifices in largitione Indulgentiarum, non uno in loco nostrum Operum notavimus, viderique possunt quæ scripsimus supra Lib. I. in Commentariis ad Titulum VI. qui inscriptus est, *De Canonizatione unius Sancti*. Porro ex mss. Diariis Cæremoniariorum Apostolicorum constat, præsertim vero ubi ritus enarrant Dominicis Adventus servatos, variasse frequenter Pontifices in ea Indulgentiarum concessione, aliquando enim quinque, aliquando septem, aliquando decem, interdum etiam quindecim annorum Indulgentiam Concionatores publicasse invenimus, Procuratores scilicet quatuor memoratorum Ordinum Mendicantium, quibus Seculo nonnisi XV. quo Cæremoniale hoc ab Augustino Patricio concinnatum fuit, ea provincia demandata est, ut in Capella Pontificis Dominicis Adventus, & Quadragesimæ concionentur. Post promulgatam a Concionatore Indulgentiam, dari consuevisse a Pontifice benedictionem, constat ex laudato ms. Codice Vaticano, in quo tamen ea orationis formula, *Precibus, & meritis &c.* in nostro Cæremoniali descripta, desideratur, quam alias legere est in Ordine Romano XIV. Cap. LIII. pag. 300. ubi postquam edixit, *ut finita prædicatione, faciat Confessionem Diaconus, & ipse Pontifex concedat, sive annunciet Indulgentiam*, ubi scilicet ipse prædicavit, ita mox subjicit: *Deinde amota ei Mitra per Diaconum, faciat absolutionem, clara voce dicendo cum nota*. Precibus, & meritis &c. Indulgentiam &c. *ultimo det benedictionem, dicendo*: Et benedictio Dei Omnipotentis &c. *signando populum circumcirca*, signum Crucis ter faciendo, juxta ritum præscriptum in Cæremonialibus passim, & præsertim in Cæremoniali Episcoporum

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

De Symbolo.

Facta benedictione, vel si Sermo non fit, osculato Libro, & incensato Pontifice, ut supra diximus, Celebrans incipit, *Credo*, & Cardinales venientes ad Circulum, circumstant Pontificem, & cum eo, *Credo* perficiunt (1). Cum dicitur, *Et incarnatus est*, omnes genuflectunt; Papa autem, & Celebrans cum Mitra sedendo, profunde se inclinant, non tamen omnino genuflectere consueverunt. Dicto *Credo* per Pontificem, & Cardinales, Presbyter assistens revertitur ad scabellum.

COMMENTARIUS.

I. MOs cantandi Symboli in Missa suam, ut multi Scriptores ajunt, ab Ecclesia Orientali originem trahit, uti post Cardinalem Bonam pluribus probat Georgius Lib. III. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. XX. Sunt qui Damasum Papam id sanxisse ferunt, quos tamen Cardinalis Baronius anno Christi CCCLXXXI. refellit, ac docet, non Damasi Decreto, sed recentiori usu introductum, ut in Occidente intra Missarum solemnia, & quidem post Evangelium Symbolum caneretur, & Concilium III. Toletanum anno DLXXXIX. celebratum laudabilem hunc usum ex Orientali Ecclesia accepisse. Sic enim de Symbolo ipso decantando Can. II. statuit: *Ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galliciæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clara a Populo decantetur, &c.* Plura de origine hujus ritus jam diximus nos in nostris perpetuis ad Oecumenica Concilia, & ad Cæremoniale Episcoporum Commentariis

II. In Romana Ecclesia consuetudinem cantandi Symbolum in Missa post Evangelium, longe ante Sæculum VIII. invaluisse, docent pervetusti Romani Ordines, quorum secundus, Num. IX. sic habet: *Post lectum Evangelium, candelæ in loco suo extinguuntur, & ab Episcopo*, Credo in unum Deum, *cantatur &c.* Ex Ordine VI. Romano, Num. VII. cautum est, ut Episcopus, ubi post Evangelium prædicatio non habeatur, *alta voce incipiat canere*, Credo in unum Deum; *& ita omnis Chorus incipiens*, Patrem Omnipotentem, *ad finem usque perducat*. Præterea Amalarius in Eclogis, sed excerptis ex Ordine Romano, Cap. XVI. aperte Symbolum, idest, *Credo*, post Evangelium commemorat, ac per illud *dulcius*, & *intentius*, & *præclaro ore* Fidem suam populum profiteri scribit. Ex quibus elicitur, modulatione canora fuisse etiam tunc Symbolum decantatum. Verum Leo III. non cantatum, sed lectum Symbolum Romæ in Missa, tradit in collatione habita cum Missis Caroli Magni anno DCCCIX. *Quod vero asseritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse; quid ad Nos. Nos enim idipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo, addere quippiam eidem Symbolo præsumimus*. Hortatur autem Pontifex ipsos Missos, ut in Capella Regii Palatii Symbolum cantari intermittatur. Iterum ibi Leo refert, cantatum haud fuisse ipsum in Romana Ecclesia: *At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur, posse utrumque fieri, ut paulatim in Palatio, quia in nostra Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur*.

III. Hinc errant, qui autumant, cœpisse primum Romæ cantari in Missa Symbolum anno Christi MXIV. quod Berno Augiensis in Libro, *De rebus ad Missam pertinentibus*, Cap. II. prodat, Henricum II. Imperatorem, dum prædicto anno Romæ ageret, Presbyteros Romanos interrogasse, cur post Evangelium Symbolum non canerent, ut in alii Ecclesiis, eique illos respondisse, ideo in S. Romana Ecclesia non cantari, *quod ea non fuisset aliquando ulla hæreseos face infecta*. Addit Berno ibidem, Benedictum Papam VIII. rogatu Henrici jussisse, ut *Romæ ad publicam Missam cantaretur*. Narrat & hæc Baronius, qui etiam ita mox subjicit: *Placent ista, sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam novitati*. Sed nulla plane novitas fuit, cum ex superius dictis constet, jam longe ante Benedictum VIII. cantatum fuisse Symbolum Romæ in Missa. Porro Edmundus Martene, Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo V. Num. XI. ita Bernonis verba interpretatur, ut id verum sit de cantu, non vero de illius recitatione, quæ jamdiu ante in Romana Ecclesia fiebat. Legendus hac de re memoratus Georgius loco citato, ubi & alia multa adnotavit, quæ ritum cantandi Symboli in Missa Romani Pontificis spectant. Cæterum quod nostrum §. attinet, ex quo cautum est, ut in Missa solemni, quæ, præsente Papa, cantatur, ubi Celebrans incipit *Credo*, Cardinales venientes ad Circulum, Circumstent Pontificem, & cum eo *Credo* perficiant, legi possunt, quæ scripsimus nos in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum.

IV. Tandem ut docet hic noster §. *cum dicitur*, & incarnatus est, *omnes genuflectunt, Papa autem, & Celebrans cum Mitra sedendo, profunde se inclinant, non tamen omnino genuflectere consueverunt*. Atque hæc quidem verba legun-

(1) Verba, *cum dicitur*, & incarnatus est, *omnes genuflectunt &c.* usque in finem §. leguntur in editione Romana anni 1560. desiderantur vero in Veneta 1. editione anni 1516. & Colonienſi anni 1557.

Digitized by Google

leguntur in editione Romana anni MDLX. nam alias in 1. Veneta editione anni MDXVI. desiderantur. Quicquid sit de hoc additamento, teste Mucantio in ms. Diario Pontificatus Gregorii XIII. ad annum MDLXXIII. ubi enarrat Capita reformationis Capellæ jussu ipsius Pontificis resoluta, in prima Cardinalium deputatorum Congregatione statutum fuit, *quod in die Nativitatis Domini Nostri in Missa majori, Papa celebrante, dum Cantores dicunt versiculum.* Et incarnatus est de Spiritu Sancto, & Homo factus est, *Sanctissimus Dominus noster profundius solito se inclinet, & Reverendissimi Domini Cardinales genuflectant, prout in Cæremoniali dicitur.* Cautum quoque & illud fuit, *quod in Missa, cum dicitur per Cantores versus ille*, & in Spiritum Sanctum &c. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, *Sanctissimus Dominus noster, Reverendissimi Domini Cardinales, & alii caput inclinent.*

§. X.

De Offertorio, & secunda thurificatione.

Cantato, *& Homo factus est*, Cæremoniarius capit ex credentia bursam cum Corporalibus, & eam dat Diacono, qui ambabus manibus eam accipiens, usque ad oculos elevat, & portat ad Altare cum reverentiis solitis, ubi extractis hinc inde Corporalibus, explicat super Altare, bursam vero ad locum minus impeditum ponit, deinde revertitur ad locum suum. Finito *Credo*, surgit Celebrans sine Mitra, & versus ad populum dicit, *Dominus vobiscum*; deinde versus Altare, *Oremus*, & legit Offertorium; tum sedet, imponitur ei Mitra, extrahunturque chirothecæ a Ministris, & unus ex Scutiferis portat aquam, qui primo facit reverentiam Papæ, deinde Altari, tum Celebranti, cui dat aquam manibus, Ministri tenent mappam. Interim assistens Celebrantis ducitur per Cæremoniarium cum Missali, & cussino ante pectus ad Altare cum reverentiis solitis, ubi ponit Librum in loco Evangelii super cussinum, & invenit quæ sunt dicenda; deinde ad partem in cornu dextro expectat Celebrantem. Interim vero paratus Subdiaconus ante credentiam cum velo circa collum, inde accipit Calicem cum Patena, Hostia, & Palla, & cooperitur cum velo, & accedit ad cornu sinistrum Altaris, videlicet Epistolæ; & post eum unus ex Capellanis Celebrantis, ampullas vini, & aquæ manibus portans. Celebrans autem, lotis, & extersis manibus, accedit ad Altare, deducente Diacono, & cum vertit se, vel transit ante Papam, extrahitur ei Mitra, & facit reverentiam Pontifici. Deinde vadit ad medium Altaris, & Diaconus stans a dextris ejus, accipit Calicem de manu Subdiaconi, & ponit ipsum super Altare. Deinde accipit Patenam cum Hostia, & illam dat Celebranti, qui eam offert cum Orationibus consuetis, assistente Capellano suo in Libro omnia demonstrante. Interim Diaconus erigit Calicem, & accipit ampullam vini de manu Subdiaconi, & ponit vinum in Calice. Nam Subdiaconus, postquam deposuit Calicem, vertit se ad illum, qui portavit post eum ampullas, & ex ejus manibus primo accipit ampullam vini, & eam, ut dixi, dat Diacono. Deinde accipit ampullam aquæ, & versus ad Pontificem, genuflexus porrigit aquam benedicendam, quæ postquam fuerit per Pontificem benedicta, ipse Subdiaconus infundit in Calicem, deinde reddit illi, a quo eam acceperat, & Diaconus dat Calicem Celebranti; offerunt simul cum orationibus &c. Subdiacono vero imponitur in dextra manu Patena, quam velo cooperit, & vadit ante medium Altaris in loco convenienti. Interim vero Cæremoniarius cum thuribulo, & navicula vadit ad Pontificem, & assistente Presbytero Cardinali ministrante, imponitur incensum, ut supra. Deinde revertitur ad Altare, & dat thuribulum Diacono, & ille Celebranti, qui suo tempore incensat Oblata primum, deinde Altare; postea, accepta Mitra in cornu Epistolæ, incensatur ipse a Diacono. Tum levat manus, & deposita Mitra, reversus ad medium Altaris, prosequitur Missam, prout in Ordinario. Diaconus vero, Celebrante incensato, cum thuribulo accedit ante Pontificem, quem incensat Cardinalis assistens; tum per Diaconum incensatur ipse Cardinalis, deinde alii duo Cardinales assistentes, postea alii more consueto. Interim Celebrans procedit in Missa suo ordine.

COMMENTARIUS.

I. CAntato, *& Homo factus*, ut ait hic noiter §. *Cæremoniarius capit ex credentia bursam cum Corporalibus, & eam dat Diacono, qui ambabus manibus eam accipiens, usque ad oculos elevat, & portat ad Altare, cum reverentiis solitis, ubi extractis*

Digitized by Google

Eis hinc inde Corporalibus, explicat ſuper Altare &c. Docent plane Romani antiqui Ordines, Corporale ſuper Altare fuſſe extenſum per Diaconum, qui Miſſæ miniſtrabat. Sic enim Ordo I. Romanus, Num. XII. inquit: *Deinde pergente Diacono ad Altare, ſtante Acolytho cum Calice, & Corporali ſuper eum, levat Calicem in brachio ſuo ſiniſtro, & porrigit Diacono Corporalem, ut accipiant de ſuper Calice, & ponit eum ſuper Altare a dextris, projecto capite altero ad Diaconum ſecundum, ut expandant.* Calicem & Patenam cum Corporali Diacono porrigi per Subdiaconum, memorat Ordo II. Romanus, Numero IX. ſic inquiens: *Tunc venit Subdiaconus ferens in brachio dextro Patenam, & in ſiniſtro Calicem, in quo recipiuntur amulæ populorum, & ſuper Calicem Corporale, ideſt ſindonem, quod accipiens Diaconus ponit ſuper Altare a dextris, projecto capite altero ad Diaconum ſecundum, ut expandant.* Ordo III. Num. XI. ab Acolytho Calicem, & Corporale Diacono exhiberi tradit: *Sed Acolythus tenens Calicem in brachio ſiniſtro, porrigit Corporale ſuperpoſitum Diacono, ut ipſe deſuper Calicem accipiens, illud expandat ſuper Altare, projecto ad ſequentem Diaconum capite altero.*

II. Similia leguntur in aliis Ordinibus, paucis immutatis, ſed notatu dignum eſt, quod in Ordine VI. legitur, Num. 7. de forma ipſa Corporalis, *quod utique linteum*, inquit, *ex puro lino contextum eſſe debet, quia ſindone munda Corpus Domini legitur involutum in Sepulchro, & tantæ quantitatis eſſe debet, ut totam Altaris ſuperficiem capiat.* Eadem ferme ſcripſerat jam inde a Seculo Chriſti V. quo claruit, Iſidorus Peluſiota ſic dicens Lib. I. Epiſtola CXXIII. *Pura illa ſindon, quæ ſub Divinorum miniſterio expanſa eſt, Joſephi Arimatenſis eſt miniſterium. Ut enim ille Domini Corpus ſindone involutum ſepulturæ mandavit, per quod univerſum mortalium genus reſurrectionem percepit, eodem modo nos propoſitionis panem in ſindone ſanctificantes, Chriſti Corpus ſine dubitatione reperimus.* Conſonat Romanis Ordinibus creditus Alcuinus in Libro, *De Divinis Officiis*, Cap. XL. & Rabanus in Libro, *De inſtitutione Clericorum*, Capite XXXIII. itemque Amalarius Lib. Cap. XIX. mentionem facit de expanſione Corporalis ſuper Altare, quod linteum appellat; refertque in Eclogis, Cap. XVII. poſt lectum Evangelium, Subdiaconum deferre in brachio ſiniſtro Calicem, in quem infundi debent *amulæ populorum*, ideſt oblationes vini, ac ſuper Calicem *Corporale, quod accipiens Diaconus, ponit*, ideſt extendit, *ſuper Altare*; additque mox, *non licere fieri de altero panno Corporale, niſi de linteo.*

III. Notat hæc, & alia plura eruditus Georgius Lib. III. *De Liturgia Romani Pontificis* Cap. XXI. ſciteque obſervat, quod & inter alios, notavit Joannes Bona Cardinalis Lib. I. *Rerum liturgicarum*, Cap. XXV. Num. XI. Corporale olim latius, & grandius fuiſſe, quam nunc eſt, nam ſuperiorem Altaris menſam contegebat, ideoque Diaconus in eo expandendo, ab alio Diacono adjuvabatur. Itaque ſecundum antiquiorem ritum Diaconus poſtquam Evangelium legerat, accedebat ad Altare, & ſuper eo Corporale extendebat, quouſque Symbolum dicebatur, aut poſt *Dominus vobiſcum*. Ideo autem totum Altare tegebat, ut tot ſcilicet in eo panes collocari commode poſſent, quot neceſſarii eſſent pro multitudine communicantium, qua ceſſante, & ipſum Corporale ſtrictius factum eſt. Unicum quoque fuit olim Corporale, quo & Calix cooperiebatur, nec enim olim aderat parva illa palla, cum qua nunc Calicem operimus. Manet hodie antiquus ritus apud Carthuſianos, ut laudatus Cardinalis Bona teſtatur loco citato Num. XI. ubi etiam obſervat, Eccleſiam Romanam jam Seculo XII. ad tegendum Calicem parvam adhibuiſſe pallam, de qua loquitur Innocentius III. Lib. II. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. LVI. ſic dicens: *Duplex eſt palla, quæ dicitur Corporale, una, quam Diaconus ſuper Altare totam extendit, altera, quam ſuper Calicem plicatam imponit.* Atque hunc uſum Romanæ Eccleſiæ ſequutos fuiſſe ævo ſuo Italos omnes, & Alemannos, Gallos vero uno tantum Corporali uſos, teſtatur Radulphus Tungrenſis in Libro, *De Canonum obſervantia*, Propoſitione ultima. Locus, ubi Corporale ponitur, qui hodie *burſa* dicitur, appellatus eſt olim theca, ſeu pera, ejuſque meminit Conradus Epiſcopus in Chronico Moguntino.

IV. Delata burſa cum Corporali per Diaconum ad Altare, eoque ſuper ipſum extenſo, revertitur mox ille ad locum ſuum, & finito, *Credo*, ut ait noſter §. *ſurgit Celebrans ſine Mitra, & verſus ad populum, dicit*, Dominus vobiſcum, *deinde verſus Altare*, Oremus, *& legit Offertorium.* Sunt & hi antiqui ritus, quorum inter alios meminit Ordo II. Romanus, Num. IX. ex cujus tamen præſcripto primum adhibebatur thurificatio, de qua nos poſtea dicemus. Sic enim inquit: *Credo in unum Deum cantatur, & thuribula per Altaria portantur, & poſtea ad nares hominum feruntur, & per manum fumus ad os trahitur. Deinde ſalutat Epiſcopus populum, dicens*, Dominus vobiſcum; *poſtea dicit*, Oremus. *Tunc canitur Offertorium cum verſibus.* Offertorium eſt cantus ex aliquo Pſalmo fere ſemper ſumptus, dum Fideles ſuas oblationes offerebant. Extant in Antiphonario S. Gregorii verſiculi ex Pſalmis deſumti, qui in Antiphona *ad offerenda*, ideſt, ad Offertorium dicebantur, ſtatuiturque in ipſo S. Gregorii Sacramentarii limine Offertorium poſt Evangelium. Protrahebatur autem cantus uſquequo omnium oblationes Pontifex accepiſſet, & uſque ad Orationem, quam ex veteri inſtituto hodieque ſecretam dicimus. Hinc citatus Ordo II. nonnullis interjectis, hæc habet: *Deinde tranſit Sacerdos ad ſuſcipiendas oblationes. Interim Cantores cantant Offertorium cum verſibus, & populus dat oblationes ſuas, ideſt, panem, & vinum &c.*

V. Dum legitur Offertorium, ait noſter §. *paratus Subdiaconus ante credentiam, cum velo circa collum, inde accipit Calicem cum Patena, Hoſtia, & Palla, & cooperitur cum velo, & accedit ad cornu ſiniſtrum, videlicet Epiſtolæ &c.* Extat veſtigium hujus ritus in antiquis Romanis Ordinibus, in quorum altero, Num. IX. dicitur, quod ubi canitur Offertorium, *tunc venit Subdiaconus ferens in brachio dextro Patenam, & in ſiniſtro Calicem &c.*

Porro

Digitized by Google

Porro ut habet noſter §. *Diaconus ſtans a dextris* Celebrantis, *accipit Calicem de manu Subdiaconi, & ponit ipſum ſuper Altare; deinde accipit Patenam cum Hoſtia, & illam dat Celebranti, qui eam offert cum orationibus conſueti; &c.* De oblatione in Miſſa ſolemni jam-ſuſe diſſeruimus nos in citatis toties Commentariis ad Cæremoniale Epiſcoporum, ubi vetera monumenta de ejus ritu attulimus, multaque ſcitu digna explicuimus, quæ eam rem quam-maxime ſpectant, quæque hoc loco repetere ſupervacaneum cenſemus. Eandem ob cauſam & alia omittimus, quæ in hoc continentur §. citato loco enarrata, iterumque inferius loco opportuniori enarranda. Unum eſt, quod hic præteriri nullatenus debet, quod nempe de ſecunda thuriſicatione edicitur, quæ fieri vel olim-ſolita fuit in ſolemni Miſſa, quæ coram Summo Pontifice celebrabatur. Sic enim præſcribit Romanus Ordo XIV. Cap. LX. ubi de ſecunda ipſa-thuriſicatione agit: *Quando Dominus Papa ponit thus in thuribulo poſt Offertorium, Pontifex celebrans debet omittere illam Orationem*, Per interceſſionem &c. *Item poſtquam Pontifex*, Celebrans nempe, *thuriſicaverit oblata poſt Offertorium, Diaconus accepto thuribulo thuriſicare debet ipſum Pontificem, Celebrantem, poſtea Altare, deinde ipſum thuribulum tradere Acolytho, qui portet ipſum Cardinali aſſiſtenti Domino Papæ, ut ipſe thuriſicet Dominum Papam, qui ſolus thuriſicandus erit, ſi Miſſa ſit pro defunctis; in aliis vero Miſſis, thuriſicato Domino Papa, thuriſicentur & alii hoc modo. Poſtquam Cardinalis thuriſicaverit Dominum Papam, tradat thuribulum Thuriferario, qui thuriſicare debet primo eundem Cardinalem, deinde Diaconum Cardinalem aſſiſtentem Domino Papæ a dextris, & ſubſequenter Diaconum aſſiſtentem a ſiniſtris; poſtea Cardinales alios, qui ſunt a dextris Domini Papæ, demum Cardinales, qui ſunt a ſiniſtris, deinde alios Prælatos, & reliquos adſtantes, prout viderit expedire*. Sed de his iterum alias.

§. XI.

De Præfatione, elevatione, & aliis uſque ad Orationem Dominicam.

Cum perventum eſt ad Præfationem, & incipit, *Per omnia ſecula ſeculorum*, ponit manus ſuper Altare, & Papa ſurgit cum Mitra, & alii omnes ſurgunt, & Presbyter Cardinalis aſsiſtens Papæ recedit a ſcabello, e vadit ad locum-ſuum, & removetur ſcabellum, quia amplius illuc ad ſedendum non revertitur. Celebrans cum dicit, *Surſum corda*, elevat manus aliquantulum de Altari; cum dicit, *Gratias agamus*, ſuper verbo *Domino*, elevat altius manus, & jungit ante oculos; deinde extenſas eas tenet uſque in finem. Cum eſt circa medium Præfationis, Cardinales incipiunt venire ad Circulum ante Pontificem, & finita Præfatione, dicunt, *Sanctus*, cum Papa ſtante ſine Mitra; deinde diſcedunt, ſuo ordine ad loca ſua, & Papa reaſſumit Mitram. Dum dicitur, *Sanctus*, Clerici Capellæ incendunt quatuor intorticia, & per Cæremoniarium dantur quatuor Capellanis Celebrantis, & ducuntur inferius ante Altare, ita ut medium inter ſe habeant Subdiaconum Patenam tenentem, ſitque inter eos, & Altare, competens diſtantia, ut ibi poſsit ſtare Papa cum ſuis Aſsiſtentibus, & Miniſtris. Papa autem, cum Celebrans dicit, *Hanc igitur oblationem*, deſcendit ad Faldiſtorium ante Altare, ubi deponitur illi Mitra. Cæremoniarius vero incenſat Sacramentum, dum elevatur, genuflexus ad Celebrantis dextram. Et facta elevatione, reponitur Papæ Mitra, qui ad Sedem ſuan. revertitur; ubi iterum ſibi Mitra reponitur, & ſine ea ſtat uſque poſt factam Communionem-Corporis & Sanguinis Domini; tunc ei reponitur.

COMMENTARIUS.

I. FInita Oratione ſecreta, ſive ultima, ſi plures ſint, *cum perventum eſt ad Præfationem, & incipit*, Per omnia ſecula ſeculorum, *ponit*, Celebrans ſcilicet, *manus ſuper Altare &c.* Secretam orationem concludit quidem Celebrans ea formula, *Per omnia ſecula ſeculorum*, alta voce, & cum cantu; progrediturque poſt eam formulam ad Præfationem, cujus nomine, ut ſcribit Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii, venit oratio, ſeu gratiarum actio, quæ Canoni præmittitur, qua diſponitur Celebrans, & populus ad tremendorum myſteriorum confeſſionem. Dubitari quidem poteſt, num Præfationum initium ab ipſa memorata formula, *Per omnia ſecula ſeculorum*, prout in hodiernis Miſſalibus legitur, ducatur, an vero a verbis, *Vere dignum &c.* quibus in Sacramentariis Gelaſiano, & Gregoriano, eæ, præmiſſa ante eadem verba Præfationis Epigraphe, ſolent deſignari. Sane autumat Georgius Lib. IV. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. I. Num. I. a ſalutatione ſaltem, *Dominus vobiſcum*, quæ concluſionem-ſecretæ orationis, *Per omnia ſecula &c.* conſequitur, exordium ſumere Præfationes, ſuamque opinionem multis nititur teſtimoniis veterum Scriptorum probare.

II. Quicquid autem de ea re ſit, commendamus illorum ſententiam, qui docent, Præfationis in Miſſa dicendæ initium duci ab Apoſtolis,

Digitized by Google

lis, cum ejus antiquiſſimum uſum confirmet S. Cyprianus in Libro, *De Oratione Dominica*, Cap. XIII. his verbis: *Ideo & Sacerdos ante Orationem, Præfatione præmiſſa, parat Fratrum mentes, dicendo*, Surſum corda; *ut dum reſpondet plebs*, Habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil aliud ſe, quam Dominum cogitare*. Mentionem ejuſdem ritus faciunt Conſtitutiones Apoſtolis tributæ Lib. VIII. Cap. XII. ſic ajentes: *Tum Pontifex*, ſurſum mentem; *& omnes*. Habemus ad Dominum; *& Pontifex*. Gratias agamus Domino; *& cuncti*, Dignum, & juſtum eſt *&c.* Paſſim vero de more dicendi Præfationem meminit S. Auguſtinus, cujus loca poſt alios deſcripſit laudatus Georgius citato loco, Num. III. Porro licet ex S. Auguſtino, & ex laudatis ſuperius Auctoribus, S. Cypriano, & Scriptore Apoſtolicarum Conſtitutionum, Populus ad ea verba reſponderet olim, quæ vel Epiſcopus, vel Sacerdos alius in Præfatione proferebat, in Miſsa tamen Romani Pontificis non Populus, ſed *Subdiaconi Regionarii*, ſtantes retro Altare reſpondebant, quando Celebrans dicebat, *Per omnia ſecula ſeculorum*; aut, *Dominus vobiſcum*; aut, *Surſum corda*; aut, *Gratias agamus &c.* quod apertis verbis pervetuſti Romani Ordines affirmant, Primus, Secundus, Tertius & alii; viguitque mos iſte, ut Subdiaconi ſcilicet Romanæ Eccleſiæ Præfationi in Miſsa ſolemni Romani Pontificis reſponderent, Seculo XIII. ut teſtatur Alexander de Ales ejuſdem Seculi Auctor, *De Sacramento Euchariſtiæ*, Quæſtione X. his verbis: *Romano Pontifice ſolemniter celebrante, Symbolum Fidei, non Cantores in Choro, ſed Subdiaconi ad Altare decantant, & ipſi generaliter in Miſſa reſpondent, donec Pontifex dixerit*: Pax Domini ſit ſempet vobiſcum.

III. Quod Præfationum numerum ſpectat, ſi veterem diſciplinam ſpectemus, mos olim Latinæ Eccleſiæ fuit, ut propria in ſingulis Miſſis Præfatio diceretur. Id enim aperte conſtat ex pervetuſto Sacramentorum Libro, quem ex vetuſtiſſimo Codice Veronenſi ante annos mille ſcripto Clariſſimus Joſephus Blanchinus Vallicellani Romæ Oratorii Presbyter in lucem edidit, legiturque in ejus Prolegomenis ad Anaſtaſium Tom. IV. pag. 12. cui præfixus ab eo eſt hîc Titulus: *Codex Sacramentorum vetus Romanæ Eccleſiæ, a S. Leone Papa I. confectus*. Codex Titulo caret, quia multa initio temporum injuria deſunt, & quæ ſuperſunt, incipiunt a menſe Aprilis. Gelaſianum eſſe hunc Codicem noviſſimus Gavanti illuſtrator Cajetanus Merati, Parte I. in Rubricas generales §. III. aliique viri docti adnotarunt. Quicquid autem ſit, in eo Codice ſingulis fere diebus non una, ſed plures ſæpe Præfationes leguntur, ita ut earum numerus ad ducentas ſexaginta ſeptem pertingat; ac multo plures fuiſſe oportet, quum deſint eæ, quæ a menſe Januario ad menſem Aprilis legebantur. Pauciores vero ſunt, quæ in Gelaſiano Sacramentorum Codice, a doctiſſimo S. R. E. Cardinale Thomaſio vulgato continentur, quinquaginta ſex enim numero ſunt. Porro longe plures ſunt Præfationes in Sacramentariis Angeli Rocchæ, & Hugonis Menardi Seculo IX. & X. ſcriptis, in quibus fere eædem Præfationes, ac iiſdem ſæpe diebus occurrunt, harumque numerus eſt centum ac nonaginta novem, præter Præfationes in Conſecratione Epiſcoporum, & in Miſſis votivis.

IV. Sed tandem Concilium Vveſtmonaſterienſe anno MCLXXV. in Anglia celebratum, Can. XV. ſtatuit, ut Præfationes nonniſi decem in poſterum canerentur: *Invenimus, decem tantum Præfationes in Sacro Catalogo recipiendas. Unam in Albis Paſchalibus*. Et te quidem omni tempore. *Secundam in die Aſcenſionis*: Qui poſt reſurrectionem. *Tertiam in Pentecoſte*: Qui aſcendens ſuper omnes Cælos. *Quartam die Natali*: Quia per incarnati. *Quintam de apparitione Domini*: Quia cum Unigenitus tuus. *Sextam de Apoſtolis*: Et te Domine ſuppliciter exorare. *Septimam de Sancta Trinitate*: Qui cum Unigenito tuo. *Octavam de Cruce*: Qui Salutem humani generis. *Nonam de jejunio quadrageſimali tantummodo dicendam*: Qui corporali jejunio. *Decimam de Beata Virgine*. Et te in veneratione. *Hujus igitur Decreti, & Domini Papæ Alexandri*, ſcilicet III. *auctoritate diſtricte præcipimus, nequis præfatis Præfationibus aliquam omnino præſumat adjicere*. Eadem de his Præfationibus, earumque numero confirmantur in Conciliis Copriniacenſi ſub Alexandro IV. Can. XXII. & Bajocenſi anni MCCC. Can. XVIII. Porro memoratis decem Præfationibus addenda eſt una communis antiquiſſima, quæ S. Gelaſii Papæ, ſive S. Gregorii eſſe creditur, ideoque undecim ſunt Præfationes, quibus omnes Eccleſiæ ritui Romano adhærentes hodie utuntur; tametſi Fratres Eremitæ Auguſtiniani, & Fratres Minores Franciſcani peculiares habeant Præfationes, quas dicunt in Feſtis S. Auguſtini, & S. Franciſci. Porro ſingula verba, quæ in ipſa Præfatione communi occurrunt, late explicant, & interpretantur vulgatus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. XL. Amalarius, Lib. III. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XXI. Florus Diaconus Lugdunenſis in Libro, *De actione Miſſarum*, Hildebertus Cenomanenſis, *De expoſitione Miſſæ*, Hugo Victorinus, Innocentius III. Joannes Belethus, Gulielmus Durandus, & alii plures, veteres æque, ac recentiores, qui & ritus etiam explicant in Præfatione dicenda ſervandos, de quibus nonnihil diximus etiam nos in Commentariis ad Cæremoniale Epiſcoporum Libro II. Cap. VIII. §. LXVII.

V. At vero quod hunc noſtrum ſpectat §. ex ejuſdem præſcripto, *cum eſt circa medium Præfationis, Cardinales incipiunt venire ad Circulum ante Pontificem, & finita Præfatione, dicunt*, Sanctus, *cum Papa ſtante, ſine Mitra &c.* Quid ſint hi Circuli, jam ſupra explicuimus. Quantum vero ad Hymnum, *Sanctus, Sanctus &c.* qui Præfationi jungitur, occurrit jam ille in omnibus Liturgiis vetuſtioribus tum Latinæ Eccleſiæ, tum Græcæ, ut videre eſt in Liturgiis SS. Jacobi, Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, itemque apud antiquiſſimum Auctorem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & apud S. Cyrillum Hieroſolymitanum, quorum primus Lib. VIII. Cap. XVI. ita Hymnum ipſum deſcribit: *Te adorant innumerabiles Angelorum copiæ, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Poteſtatum, Virtutum, æternorum exercituum, Cherubim, & ſenis alis*

Digitized by Google

præditi Seraphim, binis quidem tegentes pedes, binis vero capita, binis item volantes, & dicentes una cum mille millibus Archangelorum, & centum millibus Angelorum, nullo puncto temporis intermisso, & sine intercapedine vocis clamantium, & omnis populus dicat, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt Cæli & Terra gloria ejus, Benedictus in secula &c. Eodem fere modo, ac ordine meminit hujus Hymni laudatus S. Cyrillus in Catechesi XXIII. Mystagogica V. Num. VI. quibus addi etiam potest S. Dionysius, vel alius antiquus Auctor Libri, *De Ecclesiastica Hierarchia*, Cap. III.

VI. Decantari consuevisse a populo hunc Hymnum, testatus est memoratus Auctor Apostolicarum Constitutionum, iis verbis: *Et omnis populus dicat, Sanctus, Sanctus &c.* Jam nec obscure ejus moris meminit S. Cæsarius Arelatensis, ubi in Homilia XII. de iis conqueritur, qui ab Ecclesia ante Præfationem, & ante hunc Hymnum discedebant: *Qualiter*, inquit, *cum timore simul, & gaudio clamabunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum. Benedictus qui venit in Nomine Domini.* Diversus autem fuit Romanæ Ecclesiæ ritus, in qua scilicet Hymnus ipse Angelicus a Subdiaconis regionariis inclinatis retro Altare dicebatur, ut tradit Ordo I. Romanus, Num. XVI. sic inquiens: *Stantes erecti*, idest Subdiaconi, *usquedum incipiunt dicere Hymnum Angelicum, idest, Sanctus*. Huic concinit Ordo Romanus II. Num. X. ubi hæc habet: *Stantes erecti usquedum dicta oratione super Oblationes secreta, & Episcopo alta voce incipiente*, Per omnia secula seculorum, *post salutationem, & exhortationem, finita Præfatione, incipiant dicere Hymnum Angelicum, idest*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *in quo bis repetitur Hosanna*. Eadem summatim habet Ordo III. Num. XV. Sed Ordo tamen V. Num. IX. locum quoque designat, ubi permanere debeant Subdiaconi ipsi post Hymnum, quia usu obtinere cœperat, ut Subdiaconi retro Altare non pergerent, nisi ad *Sanctus*. Hæc ejus verba: *Subdiaconi itaque, dum canitur*, Sanctus, *post Altare pergant stare, versi videlicet contra Diaconos post Episcopum stantes*. Teste Romano Ordine VI. Num. X. *apud quosdam usus obtinuit, Subdiaconos in Choro stare usque dum*, Sanctus, *cantatur*; *& hoc finito, eos coram Altari retro Diaconos aliquot gradibus infra consistere*. Sane ex præscripto Romani Ordinis XI. Auctore Benedicto Canonico, Numero XX. finita Præfatione, Basilicarii cantabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Basilicarii dicebantur Clerici selecti Basilicæ, quorum caput vocabatur Prior Basilicarius, ut notavit doctissimus Morettus in suo insigni Opere, *De Presbyterio*, pag. 60. Videri & de iisdem potest eruditissimus Georgius in Dissertatione, *De Hierarchia S. R. E.* Cap. IV. prævia suo Operi inscripto, *De Liturgia Romani Pontificis*.

VII. Additum primo apud Latinos fuisse ipsum Hymnum Sacrificio Missæ a S. Sixto Papa I. plerique scribunt; sed Liber Pontificalis in ejus Vita hoc solum a Sixto constitutum ait, ut Sacerdote ipsum incipiente, etiam populus eundem cantaret; qui ritus etiam in usu fuit apud Græcos, ut liquet ex recitato superius testimonio Apostolicarum Constitutionum. Quia vero progressu temporis quidam abusus irrepserat, ut nonnisi in solemnibus Missis diceretur, eidem occurrens Vasensis Synodus celebrata anno Domini DXXIX. Can. III. statuit, *ut in omnibus Missis, sive Matutinis, sive quadragesimalibus, vel quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine quoad Missas publicas dici debeat, quia tam dulcis, & desiderabilis vox, etiamsi diu, noctuque posset dici, fastidium non potest generare*. Merito autem magni habitus fuit hic Hymnus in Ecclesia tum Latina, tum Græca, quippe qui suam ducit originem a Spiritibus Seraphicis, teste Isaia Propheta, qui, ut ait Cap. VI. vidit Dominum sedentem super Solium excelsum, & audivit Seraphicos Spiritus alterna modulatione psallentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria ejus*. Altera pars Hymni, nempe, *Benedictus, qui venit in Nomine Domini, Osanna in excelsis*, Christo Domino a turbis in solemni ejus Hierosolymam ingressu decantata fuit.

VIII. Fuse de ipso Hymno, sicut & de Canone Missæ diximus jam nos citato Tomo II. Cæremonialis Episcoporum, Cap. VIII. in Commentario ad §. LXVII. Quod autem præsentem spectat §. mandat hic quidem, ut dum, *Sanctus &c.* dicitur, *Clerici Capellæ incendant quatuor intorticia, & per Cæremoniarium dentur quatuor Capellanis Celebrantis &c.* Agitur hic de Missa, quæ per alium celebratur, Papa præsente, nam alias ubi ipse Pontifex celebrat, Clerici ipsi Capellæ in tempore accendunt, non quatuor, *sed octo intorticia, quæ per Cæremoniarium dantur Acolythis Apostolicis, & ipsis deficientibus, Auditoribus, quæ ipsi post Episcopos Assistentes per ordinem stantes accensa tenent &c.* uti expresse edicitur in hoc nostro Cæremoniali infra, Capite XIII. ubi agitur de Missa majori Natalis Domini, Papa personaliter celebrante. Mandat præterea & hic præsens noster §. ut *Cæremoniarius incenset Sacramentum, dum elevatur, genuflexus ad Celebrantis dextram*. Quem ritum expressum habes in Rubricis Missalis, & explicatum etiam a nobis citato loco Cæremonialis Episcoporum in Commentario ad §. LXX.

IX. Ex præscripto demum hujus nostri præsentis §. *Papa, cum Celebrans dicit*, Hanc igitur oblationem, *descendit ad Faldistorium ante Altare, ubi deponitur illi Mitra*, nudo enim capite, ac genibus etiam flexis debet & ipse manere, ac venerari Corpus, & Sanguinem Christi, cum elevatur; facta autem elevatione, ut habet idem noster §. *reponitur Papæ Mitra, qui ad Sedem suam revertitur, ubi iterum sibi Mitra deponitur, & sine ea stat usque post factam Communionem Corporis, & Sanguinis Domin.; tunc ei reponitur*. Atque hæc sunt, quæ noster §. præscribit & quidem juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, quæ merito jubet, ut omne humilitatis, & reverentiæ obsequium Sanctissimo Sacramento adhuc in Altari manenti exhibeamus, uti recte adnotarunt qui de antiquis ritibus Missæ scripsere, ejusdemque Cæremonias etiam quoad praxim explicaverunt.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

De Oratione Dominica, pacis oſculo, & aliis uſque ad finem.

Cum autem dicitur, *Pater noſter*, circa finem Subdiaconus revertitur ad Altare, & dat Patenam Diacono, qui eam dat Celebranti. Eodem tempore veniunt Cardinales ad Circulum ad dicendum, *Agnus Dei*, cum Papa. Quo dicto, diſcedunt, & Presbyter Cardinalis aſſiſtens, de Circulo accedit ad Altare, & pacem a Celebrante accipit. Aſſiſtens vero Celebrantis, dicto *Agnus* cum Celebrante, dimittit Librum in manu Diaconi miniſtrantis, & factis reverentiis Altari, & Papæ, venit ad cornu ſiniſtrum Altaris, & ibi expectat. Subdiaconus vero miniſtrans vadit ad dextrum latus Celebrantis. Presbyter vero Cardinalis aſſiſtens vadit ad Pontificem, & ei dat oſculum pacis, dicens: *Pax tecum*, deinde revertitur ad locum ſuum. Et Diaconi Cardinales aſſiſtentes, primo a dextris, deinde alter a ſiniſtris Papæ cum debitis reverentiis accipiunt pacem a Papa, qui dicit: *Pax tecum*; & illi reſpondent: *Et cum ſpiritu tuo*. Interim aſſiſtens Celebrantis ductus ad priorem Presbyterorum aſſiſtentium, ab eo accipit pacem, quam primo dat aliis Cardinalibus; & deinde datur pax omnibus in Capella more conſueto. Celebrans autem, ut ſumſit Sacramentum, purificatur, Subdiacono ampullas vini, & aquæ miniſtrante. Diaconus Librum reportat ad cornu Epiſtolæ, Subdiaconus vero accipit Calicem, mundat, & aptat cum Patena, & purificatorio; plicat Corporalia, ponit in burſa, imponit ſupra Calicem, & omnia ſimul portat ad credentiam; poſtmodum revertitur ad Celebrantem. Celebrans, facta purificatione, accipit Mitram, lavat manus, & intergit; deponitur Mitra, & ea amplius, ſi Papa eſt præſens, non utitur. Legit Communionem; tum in medio Altaris vertit ſe ad populum, & dicit, *Dominus vobiſcum*; deinde ad Altare in cornu Epiſtolæ, *Oremus*, & Orationes, quibus finitis, in medio Altaris vertit ſe ad populum, & replicat, *Dominus vobiſcum*; & ad Altare rurſum revertitur. Quo dicto, Diaconus verſus ad Altare dicit, *Benedicamus Domino*. Cantores reſpondent, *Deo gratias*. Celebrans inclinato capite ante Crucem, *Placeat tibi &c.* Quo finito, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, & faciem vertit ad Pontificem. Interim Subdiaconus Apoſtolicus portat Crucem ante Papam, qui ſtans ſine Mitra dat beneditionem, dicens: *Sit Nouen Domini &c.* more conſueto, uno ex Protonotariis auriphrigium ad ſiniſtram tenente. Data benedictione per Pontificem, Celebrans vertit ſe ad Altare, dicens: *Dominus vobiſcum. Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem: In principio erat Verbum &c.* Revertitur ad Faldiſtorium, deponit omnia paramenta, dicit Orationes, *Trium puerorum &c.* & redit in pace.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam varios explicemus ritus in hoc præſenti §. contentos, operæ ducimus pretium de uſu Orationis Dominicæ in Miſſa aliquid hic adnotare, tum præſertim quod ejuſdem Orationis mentio initio §. hujus fiat. Et quidem nulli dubium eſt, quin Oratio Dominica ab Apoſtolis uſurpata fuerit in Miſſa; id enim præter alios priſcos Auctores teſtatur S. Gregorius Lib. VII. Epiſtola LXIV. dicens: *Orationem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo Orationem, Oblationis Hoſtiam conſecrarent*. Quæ verba qua ratione intelligenda ſint, ſcite explicat Joannes Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. V. Num. III. additque Lib. II. Cap. XV. Num. I. dictionem illam exceptivam, *ſolummodo*, aut irrepſiſse in Textum Gregorii, aut ad alias Orationes reſtringendam eſse, quæ Conſecrationem antecedunt, & ſubſequuntur. Nam verba, quibus hoc Sacrificium Chriſtus inſtituit, Apoſtoli haud dubie recitabant juxta præceptum iiſdem ab eodem Domino Noſtro Jeſu Chriſto factum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed jam ante S. Gregorium S. Hieronymus Lib. III. adverſus Pelagianos ſcripſit, Apoſtolos eam Orationem quotidie dicere ſolitos fuiſſe in Sacrificio, ſed non addit, *ſolam*.

II. Mirum ſane eſt, quam varie Epiſtolam ipſam S. Gregorii detorſerint hæretici, & inter alios Chemnitius in Examine Concilii Tridentini, quos tamen omnes egregie confutarunt duo de Catholica Religione optime meriti S. R. E. Cardinales, Baronius ad annum DXCIX. Num. XXI. & Ballarminus Lib. II. *De Miſſa*, Cap. XIX. Ex eadem Epiſtola colligit etiam Mabillonius in ſuo Commentario ad Ordinem Romanum, Cap. VII. S. Gregorii juſſu apud Romanos reſtitutum fuiſſe, ut Oratio ipſa Dominica diceretur, aut reſtitueretur. At vero quis credat, a Romana Eccleſia, quæ Apoſtolicam traditionem ſecuta præ aliis eſt, eam fuiſſe prætermiſſam. Scitiſſime

Digitized by Google

sime autem docet Georgius, *De Liturgiâ Romani Pontificis*, Lib. IV. Cap. XII. Num. IV. nihil aliud in citata Epistola statutum fuisse a S. Gregorio, nisi ut Dominica Oratio statim post Canonem diceretur, de quo Siculi erant conquesti, quasi Græeorum exemplum Gregorius esset imitatus. His vero ille respondet, se non imitari Græcam consuetudinem, nam apud eos ab omni populo Oratio Dominica dicebatur, in Romana autem Ecclesia a solo Sacerdote. Alta voce ipsam Orationem pronunciari in Missa, ut nempe, *vel eo pacto adhortentur qui in fraterno sunt odio, & ad concordiam discordes excitentur, antequam communicent*, docet Bekethus in sua Divinorum Officiorum explicatione, Capite CXX. in fine.

III. Adnotandus nunc ille est ritus, qui Sæculo Christi XII. invaluit, ut nimirum post Orationem istam Dominicam Psalmus aliquis pro rei necessitate decantaretur. Hujusmodi institutio Clementi III. Romano Pontifici tribuitur ab Andrea Ratisponensi Presbytero in Chronico ad annum MCLXXXVIII. apud Pezium in Thesauro Anecdotorum Tomo IV. Parte III. pagina 520. *Clemens Tertius*, inquit, *natione Romanus instituit inter Missam post Orationem Dominicam Psalmum*, Deus venerunt &c. *decantari, & Quadragesimale jejunium ante Nativitatem Domini, quousque liberarentur Christiani a paganis*. Innocentius vero III. qui annis paucis post Clementem Romanus Pontifex fuit, statuit, ut post pacis osculum in Missa Psalmus ipse, *Deus venerunt &c.* una cum aliquibus aliis precibus decantaretur, uti constat ex encyclica ejusdem Pontificis Epistola XXVIII. Libri XVI. quam anno MCCXIII. pro bello sacro scripsit, ubi sic inter alia statuit: *Singulis quoque diebus intra Missarum Solemnia post pacis osculum, cum jam pro peccatis mundi offerenda, vel sumenda est Hostia salutaris, omnes tam viri, quam mulieres humiliter prosternantur in terram, & a Clericis Psalmus iste*, Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, *alta voce cantetur; quo cum hoc versu devotè finito*, Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant a facie ejus, qui oderunt eum, *Sacerdos, qui celebrat, Orationem istam super Altare decantet*, Deus qui admirabili, *usque*, salutis æternæ. Per. Nicolaum etiam III. ad pacem inter Christianos Principes impetrandam, jussisse, ut, postquam Sacerdos dixisset, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ante *Agnus Dei*, cantaretur Psalmus, *Lætatus sum*, cum aliquot Versiculis, & Collecta pro pace, notavit Joannes Cardinalis Bona Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XVI. Num. IV.

IV. Hosce sequutus Pontifices Joannes Papa XXII. anno MCCCXXVII. ad pacem Ecclesiæ a Deo impetrandam, & ad sedandos motus, ac perturbationes ab Hæreticis, & Schismaticis conflatas, edita Sanctione, quæ legitur Libro III. Extravagantium communium ad Titulum, *De celebratione Missarum*, statuit, ut in singulis Missis post dictum a Celebrante, *Pater noster*, responsioneque secuta, memoratus Psalmus, *Lætatus sum*, cum nonnullis versiculis, & Orationibus, *Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine preces placatus admitte &c.* & *Hostium nostrorum &c.* diceretur. Haberi has preces in nonnullis Missalibus sub ejusdem Joannis Pontificatu exaratis, notat Georgius in suo Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. IV. Cap. XII. Num. VII. ubi etiam observat, ipsum quoque Joannem Papam XXII. statuisse in memorata Constitutione, ut post eas preces Celebrans adstantes benediceret, atque ut Fideles ad easdem preces dicendas, & audiendas excitaret, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, illas in Missa audientibus, aut recitantibus, XX. dies de injunctis pœnitentiis concessisse. Alias id genus Sanctiones a Clemente Papa VI. editas recenset Edmundus Martene, Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo IX. Num. V. Eo enim seculo in Missa etiam Pontificali, quæ coram Pontifice celebrabatur, mos erat, ut prædictus Psalmus, *Lætatus sum*, flexis genibus post Orationem Dominicam diceretur, ejusque ritus meminit Ordo Romanus XV. non uno in loco, sed præsertim Cap. I. & XLIV. De eodem quoque ritu, dicendi scilicet Psalmi *Lætatus sum*, post Orationem Dominicam mentionem facit Libellus Missæ Pontificalis coram Romano Pontifice, Seculo XIV. inclinante exaratus, cujus hæc sunt verba: *Deinde vero finito*, Pater noster, *Prælatus, qui dicit Missam, debet flectere genua in medio Altaris, & debet incipere Psalmum*, Lætatus sum, *& Diaconus debet ipsum juvare, & perficere cum Orationibus sequentibus*.

V. Explicandi nunc essent varii ritus, qui in nostro hoc §. recensentur, sed cum ii omnes enarrandi inferius sint, consulto illos hoc loco omittimus, tum præsertim quod iidem ritus communes sunt omnibus fere Pontificalibus, ac solemnibus Missis, a nobis jam late explicati in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum. Videri interim possunt Auctores, qui de Divinis Officiis, & ritibus Missæ peculiares tractatus insigni eruditione refertos ediderunt, quales inter alios sunt laudatus Cardinalis Bona, Martene, Georgius, & præ ceteris eruditissimus le Brun Gallicani Oratorii Domini Jesu Presbyter, & Cajetanus Meratus Ordinis Clericorum Regularium in suis Additionibus ad Gavantum.

CAPUT III.

De prima Dominica Adventus, Papa absente.

Cum autem in absentia Pontificis Cardinales hujus diei Officio intererunt, celebraturus Prælatus, de quo supra diximus, accipit omnia paramenta, & sic paratus Cardinales expectat, post quorum adventum Cæremoniarius accedit ad ipsos Cardinales, petens ab eis licentiam pro Officio inchoando nomine Celebrantis. Qua habita, celebraturus cum Mitra accedit ante superioris gradus Altaris,

Digitized by Google

taris, facta prius Cardinalibus reverentia, caput profunde inclinando, & tunc Cardinales ei assurgere debent; ille vero, deposita Mitra, facit Altari similiter reverentiam, & cum Diacono, ac Subdiacono genuflexus dicit Confessionem more consueto. Cantores interim dicunt Introitum, & *Kyrie eleison*. Finita Confessione, Celebrans ascendit ad medium Altaris, osculatur illud, deinde Librum Evangeliorum. Tum ministrante Diacono naviculam, & Cæremoniario thuribulum, imponit incensum, incensat Altare, deinde incensatur ipse cum Mitra; tum revertitur ad Faldistorium, ubi deposita Mitra, dicit Introitum, & *Kyrie eleison*; quo finito, deposita Mitra, surgit, & conversus ad populum dicit, *Dominus vobiscum*; deinde ad Altare, *Oremus*, & Orationes, & alia, ut supra, per totum usque ad finem Epistolæ. Qua finita, Subdiaconus Librum clausum ante pectus tenens vadit ad Celebrantem, coram quo genuflexus ponit Librum in ejus (1) gremio, & manum illius osculatur, quem Librum Cæremoniarius ab eo recipiens, ponit ad locum suum. Deinde surgit Subdiaconus, & tenet Missale Celebranti, ut supra. Cum dicitur, *Alleluja*, & Diaconus Librum Evangeliorum super Altari posuerit, Cæremoniarius cum thuribulo, & navicula vadit ad Celebrantem in Faldistorio sedentem, ubi ministrante Diacono, Celebrans imponit incensum, ac signat, ut supra. Cæremoniarius tunc dat uni ex Ministris thuribulum in dextra, & naviculam in sinistra manu præferat, & duo candelabra cum luminaribus aliis duobus. Diaconus vero interim ad Altare accedens, genuflexus dicit, *Munda cor meum*. Tum capiens Librum Evangeliorum, & ante pectus illum tenens, ad Celebrantem in Faldistorio sedentem revertitur, & genuflexus coram eo dicit: *Jube Domne benedicere*; & benedictione recepta, procedit ad lectionem Evangelii ordine supradicto. Finito Evangelio, factis reverentiis, revertuntur omnes ad Celebrantem, & Subdiaconus portat ad osculandum Librum Evangeliorum apertum Celebranti, qui mox per Diaconum incensatur; quo facto, Oraturus adducitur ad Celebrantem; etsi Episcopus, vel Abbas sit, capite tantum inclinatus; si vero inferior, genuflexus coram Celebrante dicit: *Jube Domne benedicere*; & benedictione accepta, petit Indulgentias populo publicandas, & Celebrans committit ei publicationem Indulgentiarum a Papa concessarum. Vadit deinde Oraturus ad locum consuetum, & facit Sermonem, ut supra. Finito Sermone, statim pronunciat Indulgentias nomine consueto. Tunc Celebrans, deposita Mitra, versa facie ad Altare, dicit, *Credo*, & alia, ut supra dictum est. Finito Offertorio, sedet Celebrans, deponuntur ei annuli, & chirothecæ, lavat manus; surgit deinde, & cum Mitra adscendit gradus Altaris; unde facta reverentia Cardinalibus, procedit ad medium Altaris, ubi deponitur ei Mitra, & alia facit, ut supra. Cæremoniarius thuribulum, & navicellam suo tempore affert, & ministrante Diacono Celebranti, imponit incensum, benedicens, & incensans, ut supra. Deinde incensatur ipse Celebrans, & successive Cardinales, & alii ordine suo Continuatur Missa, ut supra. Dicto, *Agnus Dei*, Assistens Celebrantis cum suo Libro in manibus Diaconi, venit ad manum dextram Celebrantis, & ibi ante Altare genuflectit, surgit, osculatur Altare, & pacem a Celebrante accipit, quam dat postmodum primo Episcopo, primo Presbytero, & primo Diacono Cardinalibus, & successive aliis; & cum viderit Celebrantem purificationem sumpsisse, dat pacem Cæremoniario, qui perficit cursum suum, & alia fiunt, ut supra. Dicto, *Benedicamus &c.* Celebrans complet, *Placeat &c.* & imponitur ei Mitra. Stans in medio Altaris, & versa facie ad ipsum Altare, & manus ante pectus junctas habens, dicit: *Sit Nomen Domini Benedictum*; & cum dicit, *Sit Nomen Domini*, cum pollice, & indice simul junctis dextræ manus, facit signum Crucis in pectore, sinistram vero tenet supra stomachum suum. Cum dicit, *benedictum*, jungit manus ante pectus. Deinde cum dicit, *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, cum manu aperta signat se signo Crucis, incipiens a capite, deinde sub umbilico, tum a sinistro, deinde a dextro humero se tangens, manum sinistram, ut supra, tenens. Postea dicit, *Benedicat vos Omnipotens Deus*, & cum dicit, *Deus*, jungit manus; & cum dicit, *Pater*, vertit se ad manum dextram, signum Sanctæ Crucis faciens. Deinde versus ad medium dicit: *& Filius*; & iterum signat. Tandem in fine, sic nihilominus signans, tertio dicit: *& Spiritus Sanctus*; & circulum perficiens, ad Altare se vertens, dicit: *Dominus vobiscum. Initium Sancti Evangelii &c.* & facta reve-

(1) Ita in Veneta 1. editione, & Colonienſi, in Romana legitur, *in eius genua*.

Digitized by Google

reverentia Cruci, deinde Cardinalibus, cum Mitra ad Faldistorium revertitur dicendo Evangelium Sancti Joannis, & alia, quæ sunt dicenda, ibique exuitur &c. ut supra.

COMMENTARIUS.

I. CUm non semel contingat, Summum Pontificem abesse a Capella, merito in hoc Capite, & in aliis sequentibus, adnotantur cæremoniæ, ac ritus servandi, ubi absente Pontifice, in ipsa Capella sunt celebranda Divina Officia. Ritus iidem fere sunt, ac illi, qui descripti sunt in Cæremoniali Episcoporum, ubi agitur de Missis Pontificalibus, quas nos in nostris ad ipsum Cæremoniale Commentariis fuse explicuimus. In mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis sæpe occurrunt Missæ in Capella celebratæ, præsentibus Cardinalibus, & absente Papa. Joannes Burchardus in suo Diario ad annum MCDLXXXVIII. ubi agit de prima Dominica Adventus, postquam dixit, Joannem de Nicolinis Archiepiscopum Atheniensem, & Episcopum Verdunensem celebrasse *Missam solemnem de Dominica ipsa in Capella majore Palatii Apostolici, xvii. Cardinalibus præsentibus*, quod plures non essent in Urbe, *& Papa absente*, addit mox, advenientibus post inceptum Sermonem ad ipsam Capellam duobus aliis Cardinalibus, facientem Sermonem, qui erat Frater quidam Ordinis Prædicatorum, ad quem Sermonem in prima Dominica Adventus habere spectat, quievisse, *quousque illi orationem consuetam feciſſent, & in locis ſuis ſedisſent*; tunc, ut idem Burchardus mox subdit, *continuavit Sermonem ſuum*. Tradit & illud præterea hic Author, qui tunc erat Apostolicarum Cæremoniarum Magister, facta Confessione per Celebrantem, ivisse se ad petendam Indulgentiam a Pontifice, qui tunc erat Innocentius VIII. *pro intereſſentibus Miſſæ prædictæ per medium olim Bernardini Cubicularii ſecreti*, quem in horto secreto se reperisse ait, sibique illum respondisse, *Indulgentiam conſuetam, videlicet quinque annorum, & totidem, quadragenarum Sanctiſſimum Dominum Noſtrum conceſſiſſe*. Sed constat tamen, ex aliis Diariis variatum fuisse circa ipsam Indulgentiarum concessionem, pro arbitrio scilicet Summorum Pontificum qui aliquando annorum quinque, aliquando septem, & aliquando etiam plurium Indulgentiam sunt elargiti. Atque, ut alia exempla omittam, teste Mucantio in suo ms. Diario ad annum Christi MDLXXII. in prima Dominica Adventus concessa fuit Indulgentia annorum septem, in tertia annorum decem, in quarta septem. Habemus præterea ex eodem Auctore, in prima Dominica Adventus anni MDLXXIV. Indulgentiam fuisse annorum quinque, in tertia vero annorum VII.

CAPUT IV.

De Miſſa Papali in Dominicis Adventus.

Si autem Summus Pontifex hac, vel aliis Dominicis diebus in Adventu voluerit solemniter celebrare, parabitur in Camera paramenti, ut supra diximus, & descendet ad Ecclesiam, sive Capellam. Cardinales autem, & alii Prælati erunt cum suis Cappis laneis, & facta oratione more solito ante Altare, accedet ad Sedem, ubi consuevit accipere paramenta. Sedet, & fit reverentia a Cardinalibus tantum cum suis Cappis laneis. Interim Subdiaconus Epistolam dicturus (1) capit paramenta sibi convenientia, præter Manipulum, & Planetam, quæ capit postea cum Papa intrat ad Altare, & Acolythi, atque alii Officiales, qui utuntur Superpelliceis supra Rochetum, dimittunt Cappas, & capiunt Superpellicea. Deinde Pontifex incipit, *Deus in adjutorium meum intende*, pro Tertia, stans sine Mitra; & sedet, cum incipitur Psalmus, & accipit Sandalia, & legit Psalmos, & Orationes consuetas, & in fine cantat Orationem pro Tertia, Presbytero Cardinali, qui ei assistere debet, Librum supra caput cum sua Cappa lanea tenente. Paulo ante duo Diaconi assistentes, & Diaconus cantaturus Evangelium vadunt ad capiendum ornamenta, videlicet Planetas ante pectus plicatas violacei coloris, & alia consueta. Diaconus tamen cantaturus Evangelium accipit Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam, & ita vadit ad parandum Pontificem. Quo sacris vestibus induto, ipse, & Subdiaconus Epistolæ capiunt Planetas, & Manipulos, & interim duo alii Diaconi, vel in defectu eorum, duo ultimi Presbyteri assistunt Pontifici cum suis Cappis. Finita Tertia, tres Diaconi parati revertuntur ad Pontificem, qui lavat manus, ministrante Presbytero Cardinali adhuc cum Cappa lanea; deponit Mitram, Pluviale, & Stolam, & accipit paramenta more consueto, & tunc omnes Cardinales, Prælati, & Officiales capiunt paramenta sibi competentia, & in omnibus, ac per omnia servantur consuetæ cæremoniæ, ut plenius dicemus infra in Nativitate Domini Nostri; excepto quod illi assistit pro Capellano Prior Presbyterorum Car-

(1) Ly *capit*, legitur quidem in Editione Romana, desideraturque in Editionibus Venetâ I. & Colonienſi.

Digitized by Google

Cardinalium, & non prior Epiſcoporum; qui prior Presbyterorum, & nunc, & quotiens ſervit pro Aſsiſtente, tam in Veſperis, quam in Miſſa induitur Pluviali, & non Planeta, & ſedet in loco aſſiſtentis, & in Veſperis cantat tertiam Antiphonam, ut aſsiſtens. Subprior vero Presbyterorum miniſtrat vinum ad purificationem manus poſt Communionem, & cantat quartam Antiphonam in Veſperis; alia omnia, ut in Nativitate.

COMMENTARIUS.

I. JAm iterum iterumque dictum eſt, dicetur-que rurſum inferius, morem fuiſſe antiquum, ut in omnibus Celebritatibus, quæ per annum occurrunt, conſueviſſe ipſos Romanos Pontifices celebrare. Quantum ex veteribus Romanæ Eccleſiæ monumentis conjicere licet, videtur duraſse hæc diſciplina uſque ad Pontificiam Sedem Avenione fixam. Sed negari tamen nequit, quin tum ante, tum poſt editionem hujus Cæremonialis, ac noſtro hoc etiam Sæculo ſoliti aliquando fuerint Summi Pontifices, ac præſertim Benedictus XIII. celebrare. Sane ſive ipſe Papa ſolemniter in Dominicis Adventus celebret, ſive alius, eo præſente, *relinquitur ejus arbitrio*, ſi venire ad Capellam velit Sede vectus, vel ſuis pedibus, ut docet Franciſcus Mucantius in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXIII. ubi recenſet ritus in Dominica I. Adventus ſervatos. Non ergo mirum, ſi in Dominicis Adventus hujus anni Gregorius XIII. Sede geſtatus ad Capellam venerit, ut idem Auctor affirmat loco citato. Sed nec deſunt exempla in iiſdem Diariis, quibus docemur, pedibus ſuis Pontifices proceſſiſse ad Capellam. Cæterum quod hunc noſtrum §. ſpectat, enarrat hic ritus, qui in Miſsa Papali ſolemni peragi debent, ſed cum de iis opportunius agendum ſit infra, Capite XIV. quod inſcriptum eſt, *De Miſſa majori, Papa perſonaliter celebrante*, in Feſto ſcilicet Nativitatis Chriſti, ideo illis omiſſis, non nihil dicam de eo ritu, cujus & hic noſter §. meminit, canendæ ſcilicet Horæ Tertiæ ante ipſam Miſsam Pontificalem.

II. Scribit Anaſtaſius in Vita S. Teleſphori Papæ, ipſum conſtituiſse, ne quis præſumeret ante curſum horæ tertiæ Miſsas celebrare, quod Decretum etiam referunt Amalarius, Lib. III. Cap. XLII. & Strabo Cap. XXIII. ſed uti obſervat Cardinalis Bona, Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXI. Num. V. illos decepit pſeudo Iſidorus, qui primorum Pontificum epiſtolas temerario auſu finxit, totique Eccleſiæ tanquam legitimas merces obtruſit. Quid enim magis alienum a conditione illius Seculi, quo Chriſtiani furentium Imperatorum declinantes gladios, ſummo ſtudio latitabant, quam hujus legis editio, quæ nullo modo poterat obſervari? Noctu, in occultiſſimis locis conveniſse Fideles ad Synaxim, inter alios Tertullianus nos docet, qui aliquot annis poſt Teleſphorum florere cœpit, imperante Severo: *Si colligere interdiu non potes, habes noctem*. Verba ſunt laudati Tertulliani in Libro, *De fuga in perſecutione*; & in Libro ad Uxorem, ita ejuſdem diſciplinæ meminit: *Quis nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, a latere ſuo adimi libenter feret?* Eidem ut alios Scriptores Eccleſiaſticos omittam, ſuffragatur antiquus Scriptor Prudentius in Hymno de S. Laurentio, ubi ita ſcribit.

Hunc eſſe veſtris Orgiis
Moremque, & artem proditum eſt.
Libent ut auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum Sanguinem,
Auroque nocturnis Sacris
Adſtare fixos cereos.

Huc pertinent cœtus antelucani, ob quos Chriſtiano rumnatio latebroſa & lucifugax dicebatur, de quibus Plinius Lib. X. Epiſtola XCVII. ad Trajanum ſcribit, *quod ſoliti eſſent ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem*. In his autem Conventibus Sacramentorum celebrationem nen defuiſse, ex moribus illius Seculi manifeſtum eſt.

III. Ergo probabilis ſententia eſt, magiſque congrua, quam refert Baronius ad annum Domini CCCLXXXII. eam tertiæ horæ præfixionem rei Divinæ celebrationi a S. Damaſo ſancitam fuiſſe, ex præſcripto, ut ajunt, Canonis Niceni, qui tamen non extat. Hanc autem horam quolibet die feſto ſervatam ſemper fuiſſe, veterum Patrum, quos recenſet laudatus Bona loco citato, pervincit auctoritas, quamvis Concilium Aurelianenſe III. anni DXXXVIII. Can. XIV. refragari videatur, id ſervari præcipiens in præcipuis duntaxat ſolemnitatibus, ob aliquam fortaſſis illarum partium ſpecialem rationem, vel conſuetudinem, quæ tunc temporis vigebat. Sidonius Apollinaris Lib. V. Epiſtola XVII. ad eum ritum alludens, ſic ſcribit: *Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine Monachi, Clericique Pſalmicines concelebraverant, quiſque in diverſa ſeceſſimus, non procul tamen, utpote ad Tertiam præſtofuturi, cum Sacerdotibus res Divina facienda*. Gregorius Turonenſis in Vita S. Nicetii: *Hora tertia*, inquit, *cum Populus ad Miſſarum ſolemnia conveniret*. Sanctus Gregorius Magnus Homilia XVII. in Evangelia de Caſſio Narnienſi Epiſcopo ſcribit, quod *oblaturus Sacrificium ad horam tertiam venerat*. Hæc, & alia exempla ad eam diſciplinam confirmandam recenſet memoratus Bona, ſed longe plura videri poſſunt apud Edmundum Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. III. Artieulo IV. Num. III.

IV. Morem autem fuiſſe antiquum, ut ante Miſſam ſolemnem Pontificalem Tertia ſolemni ritu in Secretario decantaretur, docent varii antiqui Codices Rituales, atque Romani Ordines a Mabillonio editi Tomo II. Muſei Italici, præſertim vero Ordo XII. Capite I. Num. II. Hora quippe Tertia, quæ vulgo apud Italos, ut notat Durantus Lib. III. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. VIII. *aurea hora* appellatur, in Jure vero Canonico *hora ſacra*, Can. ultimo, Diſtinctione XCV. quia ſcilicet, ut laudatus Auctor conjicit, *Sacris Miſſarum ſolemniis dicata eſt*. Inde opportune dictam inquit Rupertus Abbas

Digitized by Google

Abbas Tuitiensis Lib. x. *De Divinis Officiis*, Cap. XVIII. quia Spiritus Sanctus hora tertia super Apostolos adveniens, vivificis eandem horam dedicavit Mysteriis. Varias rationes, cur hora tertia, Missa scilicet solemnis celebrari debeat, antiqui plane liturgicarum rerum Scriptores tradidere apud Durantum ipsum, Libro II. Cap. VII. Num. I. Multa alia quæ ad hunc §. spectant de ipsa Hora tertia ante Missam Pontificalem canenda, explicuimus jam Tomo II. Commentariorum in Librum II. Cæremonialis Episcoporum, Cap. VIII. in Commentario ad §. v. & VI. in quibus plura scitu digna curiosus Lector inveniet.

CAPUT V.

De secunda Dominica Adventus.

Secunda Dominica Adventus consuevit celebrare unus ex Episcopis Assistentibus Papæ eo ordine, ut supra (1) in prima Dominica dictum est, & similiter dicuntur quatuor Orationes ut supra. Sermonem facit Procurator Ordinis Minorum.

COMMENTARIUS.

I. REcentioris quidem est instituti, ut in *secunda Dominica Adventus, soleret celebrare unus ex Episcopis Assistentibus Papæ*, ut ait hic noster §. Juxta ritum autem antiquiorem jam longe ante XII. Seculum Romæ servatum debebat Pontifex ipse solemniter celebrare, & quidem in Basilica S. Crucis in Jerusalem, ubi etiam Statio fiebat, ut docet nos Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. VI. *Mane*, inquit, *ad Missam fit Statio ad Jerusalem in Palatio Susurriano, ubi Dominus Pontifex cum tota Curia debet cantare Missam, & accipere Coronam, & eam celebrare, sicut, mos est.* Est hæc antiqua Basilica a S. Helena Constantini matre, seu, ut alii volunt, a Constantino Magno Imperatore matris precibus ædificata, & dotata eo in loco, ubi fuit Palatium Sessorii Civis Romani, dictaque iccirco Sessoriana, & corrupto vocabulo in Susurrio ab aliquibus appellata, uti notat eruditus Martinellus in sua Roma ex ethnica sacra, pag. 94. & seq. Quicquid autem de hac re sit, teste Amelio in Ordine Romano XV. ubi recenset ritus servari solitos Romæ post reditum Romanorum Pontificum a Gallia, in quam Clemens Papa V. Romanam Sedem transtulerat, Cap. II. in secunda Dominica Adventus Sermo & Missa ætate sua mandabantur. Additque mox etiam rem notatu dignam, Curiam nempe Romanam *in Dominicis Adventus, & necnon in Quadragesima, quantumcumque sit Festum duplex, & in ipsis cadat, nunquam consuevisse de Festo die illa facere, sed transferre in sequentem Feriam, nec Commemorationem, quoniam istæ Dominicæ habent historias proprias.* Ad quæ verba eruditus Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum Cap. VII. hæc habet: *Est ergo postremorum seculorum de Dominicis Rubrica, ut cum Responsoria, & Antiphonæ propriæ haberentur, veluti in Dominicis Adventus, atque a Septuagesima usque ad Pascha, nullius Festi Officium fieri deberet.*

II. Hinc teste Grailo in suo ms. Diario ad annum MDIV. ubi agit de Dominica II. Adventus, *in Capella non fuit facta aliqua mentio, nec commemoratio de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, quæ fuit illa die, quoniam in Capella non fit Missa pro Festo Conceptionis, sed de Dominica Adventus.* Idipsum testatur Joannes Paulus Mucantius in ms. Diario, ad annum MDXCI. ubi enarrat Pontificatum Innocentii Papæ IX. sic ad rem inquiens: *Dominica II. Adventus, licet esset Festum Conceptionis Beatæ Mariæ, tamen celebravit in Capella Missam de Dominica R P. D. Hieronymus Ragazzonus Episcopus Bergomensis cum paramentis violaceis.* Sed hoc Festum insignibus tandem privilegiis auctum est a Romanis Pontificibus Maximis, inter quos Clemens Papa XI. Constitutione sua, quæ incipit, *Commissi nobis Divinitus*, Festum ipsum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ ubique terrarum ab omnibus Christifidelibus de præcepto servari & celebrari mandavit. BENEDICTUS vero XIV. feliciter regnans inter alia eximiæ suæ pietatis erga Deiparam argumenta, statuit, ut in eodem Festo Capella, ut ajunt, Papalis in Basilica S. Mariæ Majoris perageretur, etsi in Dominicam Adventus incideret, & Missa non de ipsa Dominica, sed de Conceptione immaculatæ Virginis celebraretur. Quod tamen olim nunquam fieri consuevit, uti non semel mss. variorum Apostolicorum veterum æque ac recentiorum Cæremoniariorum Diaria admonuere.

CAPUT VI.

De tertia Dominica Adventus.

Tertia Dominica Adventus Domini, quia cantatur Introitus, *Gaudete in Domino semper*, celebrare consuevit Presbyter Cardinalis cum paramentis violaceis, & Mitra auriphrigiata. Diaconus & Subdiaconus utuntur Dalmatica & Tunicella. Dicuntur quatuor orationes, prout in prima Dominica, & *Dominus vobiscum*, non

(1) Ly *in prima* deest in Veneta I. & Colonienſi editionibus, in Romana male legitur, *in propria*.

Digitized by Google

non *Pax vobis*, ante primam Orationem. Omnia alia dicuntur, & fiunt, prout ſupra in prima Dominica dictum eſt. Sermonem facit Procurator Ordinis Eremitarum (1) Sancti Auguſtini. In hac die conſueverunt antiqui Pontifices celebrare. Erant Veſperæ Papales præcedentes, & potus in Aula.

COMMENTARIUS.

I. DOminica iſta plerumque Dominica de *Gaudete* dicitur, quia Miſſæ introitus a *Gaudete* incipit. Statio in hac Dominica, ut habet Ordo Romanus XI. Num. VII. fiebat ad S. Petrum. Idipſum tradit Romanus Ordo XIII. ſeu Cæremoniale juſſu Gregorii Papæ X. editum Num. XII. & XIII. ubi etiam hunc ritum recenſet: *Mane ipſius tertiæ Dominicæ Papa equitat ad S. Petrum, & portat Mitram aurifriſiatam in eundo, & redeundo, & in Miſſa utitur pannis ſerici coloris, & violaceis anaglypho opere contextis, & Caſula eſt ornata perlis; & ſolum hac Dominica, & in Quadrageſima utitur eis; aliis vero Dominicis, & Feriis diebus utitur pannis coloris violacei in Miſſa, & Diaconus, & Subdiaconus ſimiliter, niſi ſit Feſtum, in quo utuntur pannis illius coloris, quod Feſtum requirit.* Quamvis olim Summus Pontifex in hac Dominica Miſſarum Solemnia celebrare ſolitus eſſet, invaluit tamen deinde mos, ut non ipſe, imo nec Cardinalis, ſed aliquis Prælatus celebraret, uti addiſcere licet ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. III. ubi ita inquit: *In tertia Dominica Adventus, & Miſſa, & Sermo mandantur. Si Camerarius non dicit Miſsam in prima Dominica, iſtam debet celebrare, niſi Cardinalis, aut aliquis Prælatus faceret Sermonem, quoniam tunc talis faciet Officium totum.* Additque hæc etiam mox: *In hac die Prælatus utitur Mitra cum perlis, & paramentis pretioſis violaceis.* Tum vero demum: *Portat Dominus Papa etiam Pluviale de ſindone, ſeu ſamito cum anrifrigiis de perlis, & Mitra aurifrigiata cum perlis utitur.*

II. Seculo XV. morem alium invaluiſſe, ut ſcilicet Cardinalis Presbyter in hac III. Adventus Dominica celebraret, docet hic noſter §. *Tertia Dominica Adventus Domini*, inquit, *quia cantatur Introitus*, Gaudete in Domino ſemper, *celebrare conſuevit Presbyter Cardinalis cum paramentis violaceis, & Mitra auripbrigiata.* Hujus moris teſtes ſunt Cæremoniarii Apoſtolici paſſim, illi nempe, qui poſt Auguſtinum Patricium Auctorem noſtri hujus Cæremonialis, Apoſtolicis Cæremoniis præfecti fuere, quales ſunt Burchardus, Graſſus, aliique uſque ad hæc noſtra tempora. Conſueviſſe in hac Dominica III. Adventus, ſicut & in Dominica IV. Quadrageſimæ cum majori ſolemnitate celebrari, teſtatur Graſsus in ms. Diario ad annum MDIV. ita ſcribens in ipſa Dominica III. Adventus: *Hanc Miſsam cantavit Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Grimanus, prout in Ordinario. In Altari fuerunt ſex Imagines Apoſtolorum, quia Cardinalis habuit Mitram auriphrigiatam. Paramenta fuerunt cum armis Cardinalis Andegavenſis, & notavi, quod ſub pedibus Cardinalis fuit præparatum tappete, quod in Prælatorum Miſſis non proſternitur. Sed Diaconus, & Subdiaconus fuerunt in Tunicella, & Dalmatica.* Rurſus idem Auctor ad annum MDXIV. de eadem Dominica loquens, hæc habet: *In tertia Dominica, quæ dicitur*, Gaudete, *fuit Miſsa ſolita in Capella, ad quam venit Pontifex pretioſo apparatu veſtitus, & Mitra pretioſa, ac alia alba florida. Miſsam cantavit Reverendiſſimus Dominus Cardinalis de Graſſis frater meus cum unica Oratione, ſic volente Pontifice, tum quia ipſe Cardinalis petiverat de gratia a Papa, ne cogeretur nimis longo tempore eſse cum nudo capite, tum etiam quia, ex quo in aliis Dominicis non cantantur, niſi tres, in iſta, quia gaudialis dicitur, cantetur unica; quod quidem omnes Cardinales approbaverunt.*

III. Celebrari conſueviſse Romæ tertiam Adventus Dominicam externis lætitiæ ſignis, jam paſſim docent ſequiores Cæremoniarii Apoſtolici in mſs. Diariis, inter quos Joannes Paulus Mucantius in ſuo ms. Diario Pontificatus Innocentii IX. ad annum MDXCI. ſic inquit: *Dominica tertia Adventus, quæ ab Introitu Miſſæ Dominica*, Gaudete, *appellari ſolet, ſicut Dominica quarta Quadrageſimæ*, Lætare, *& majori cum ſolemnitate celebratur, cum paramenta Altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum licet violacea, clariora tamen, & precioſiora adhibeantur, & Miniſtri non utantur Planetis plicatis, ſed Dalmatica, & Tunicella, & Cardinales ſubtanas, non violaceas, ſed roſinas, hoc eſt, coloris roſæ ſiccæ deferant.* Idipſum teſtatus jam fuerat inter alios Cæremoniarios Apoſtolicos celebris Franciſcus Mucantius in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXVII. ubi etiam notat, quoſdam Cardinales eo anno geſtaſse veſtes coloris violacei: *Dominica tertia Adventus adfuerunt Cardinales 32. cum veſtibus roſæ ſiccæ, exceptis aliquibus, qui ex luctu geſtabant violaceas.* Porro quod Officium hujus DominicæFideles invitat ad gaudium ſpirituale, unde dicitur in Introitu Miſsæ, *Gaudete in Domini ſemper, iterum dico gaudete &c.* expectamus enim gaudia adventus Chriſti, ideo Cardinales mutant veſtes coloris violacei, in roſaceum, & Subdiaconus, ac Diaconus utuntur Tunicella, & Dalmatica, quæ diebus tantum ſolemnibus in ſignum lætitiæ adhibentur, ut docet nos Canon, *De jejunio*, Diſtinctione LXXVI. Quod eandem ob cauſam Dominica III. Adventus, *Pontifex non pedes, ſed in Sede ad banc Capellam venire conſueverit*, notavit jam Joannes Paulus Mucantius in ms. Diario Pontificatus Innocentii IX. ad annum MDXCI. Certe, ut alios omittam, teſtatus jam antea fuit Franciſcus Mucantius ad annum MDLXXIV. Gregorium XIII. veniſſe eo anno ad Capellam *in Sede, & cum Mitra precioſa.* Olim quoque conſueviſſe in hac die antiquos Pontifices celebrare, affirmat noſter §. teſteſque ejus moris

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero 1. & Colonienſi deeſt, *S. Auguſtini*.

Digitized by Google

unt Romani Ordines antiquiores, præsertim vero Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, ex quo etiam habemus, quod & in hoc nostro §. notatur, fuisse olim Vesperas Papales præcedentes, & potum in Aula.

IV. Hujusmodi Vesperarum mentionem facit Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. I. Num. III. in fine, ubi docet Vesperas ipsas Sabbati Dominicæ III. Adventus liberalem exhibuisse Pontificem Stationem habentem ad S. Petrum, qui de sua, sive de reditibus Cameræ aureum Primicerio Cantorum Antiphonam præintonanti tradebat, & potum in Aula Palatii: *In Sabbato de* Gaudete *pergit ad Vesperas ad S. Petrum, ubi Dominus Papa eidem Primicerio annunciando Antiphonam*, Juste, & pie vivamus, *dat unum marabotinum vice* (*leg. in ore*) *projiciens*. Sed audiamus Ordinem XIII. ritum in Vesperis ipsis servatum ita enarrantem: *Cum ipso die Dominico sit Statio ad S. Petrum, die Sabbati in vigilia ejusdem Dominicæ in vespere Papa, & Cardinales conveniunt ad S. Petrum, & ibi omnes, Papa, & Cardinales, induti soli Episcopalibus propter Festum Stationis, incipiunt Vesperas de die, non dicendo de B. Virgine, cum sit propter Festum Stationis Officium, & dicuntur in Vespere Antiphonæ de Laudibus, & Primicerius cantabit cum Schola. Primicerius prænunciat primam Antiphonam Papæ, alias vero tres dicunt Scholenses* (hoc est reliqui de Schola Cantorum, aut forsan alii Clerici Capellæ) *& Canonici S. Petri quintam, quæ est*, Juste, *prænunciant Papæ, & idem Dominus Papa post talem prænunciationem accipit monetam auream de manu Camerarii, & ponit in ore ipsius prænunciantis, eodem prænunciatore tenente os apertum; & hoc facto, ipse Papa incipit solemniter*, Juste, *& deinde Psalmos Dominicales cum ultimo Psalmo*, Laudate Dominum omnes gentes, *& fiunt omnia, ut in Officio diebus Dominicis*. His adde Ordinem XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCVIII. *Habet*, nempe Dominica III. Adventus, *Vesperos præcedentes Papales solemnes cantandas in Ecclesia, & datur potus post Vesperos in Aula*. Nihil de hisce Vesperis, ac potu habet Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, ubi agit de tertia Dominica Adventus, quia scilicet eo ævo abrogatæ erant.

V. Præter Vesperas cantatum fuisse in nocte Matutinum, & ritu quidem solemni, ex ipso Ordine XI. addiscere licet, qui fuse celebritatem ipsam recenset, Missæque meminit, quæ a Pontifice celebrabatur: *Missa*, inquit, *a Pontifice celebratur, & dicitur*, Gloria in excelsis Deo, *& fit laus a Diaconis, & Subdiaconis, & Notariis, & coronatur a Sancto Petro per mediam Civitatem usque ad Palatium cum omnibus Ordinibus, sicut mos est*.

CAPUT VII.

De Quarta Dominica Adventus.

Quarta Dominica Adventus celebrare consuevit unus ex Episcopis assistentibus Papæ, ut supra, in paramentis violaceis. Dicuntur quatuor Orationes. Ministri utuntur Planetis plicatis ante pectus, & omnia alia fiunt, prout supra in prima Dominica dictum est. Sermonem facit Procurator Ordinis Beatæ Mariæ de monte (1) Carmelo.

COMMENTARIUS.

I. MEntionem hujus Dominicæ inter alios facit Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XIII. hisce verbis: *Dominica de* Canite tuba, *legitur de Joel Propheta*, Canite tuba in Sion, *& de Sermone, & Epistola, & Homilia &c.* Itaque appellata est hæc Dominica de *Canite tuba*, quod Lectiones ad primum Nocturnum incipiebant, *Canite tuba in Sion &c.* quod hodie ad primum Responsorium dicitur, ut notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XII. Ad secundum Nocturnum Sermo alicujus Patris legebatur, atque ad tertium duæ priores Lectiones ex epistola S. Leonis ad Flavianum, tertia vero ex Homilia super Evangelium. In quibusdam vetustissimis Ordinibus Romanis apud eruditissimum æque, ac religiosimmum Cardinalem Thomasium hujus diei Statio erat ad Sanctam Eugeniam Romanam Virginem, & Martyrem, quæ olim Ecclesiam in Urbe habebat. Hujus Ecclesiæ meminit Mattinellus in sua Roma ex Ethica Sacra, Cap. XII. quod inscriptum est, *De Templis Sanctorum obsoletis in Urbe*, pag. 156. & seq. sic inquiens: *Sanctæ Eugeniæ Basilicam, quam in Cœlio Monte fuisse credimus, restaurarunt Joannes VII. & Hadrianus I. qui adjunctum puellarum Monasterium a fundamentis ædificavit, ut illic Deo jugiter laudes canerent. Hic requievisse Corpus dictæ Sanctæ, testatur Bibliothecarius in Leone Tertio, qui vestem de staurati cum periclysi de blatthia ei fecerat. Vocatur ab eodem Oratorium, cui aliam vestem Leonem IV. donasse refert. In eo antiquissimis temporibus erat Statio in Dominica quarta Adventus*. Teste eodem Martinello Sanctæ Eugeniæ foris Portam Latinam Monasterii meminit Anastasius Bibliothecarius in Leone Tertio, viderique inter alios potest Bosius Lib. III. Cap. XXV.

II. His obiter dictis, postremis temporibus de quarta Dominica Adventus hæc Romanus Ordo XV. habet. Cap. III. & IV. in fine: *In quarta Dominica Adventus, Sermo, & Missa mandantur. Omnia, & singula, ut supra in prima*. De hac Dominica mentionem passim faciunt mss. Apostolicorum Diaria, in quibus edicitur, cele-

(1) In editis omnibus editionibus legitur, *de monte Carmello*.

Digitized by Google

celebratam Missam Solemnem Pontificalem ab aliquo ex Episcopis, quos appellant Assistentes, & Sermonem habitum a Procuratore Generali Ordinis Carmelitarum. Ita sane scribit in suo Diario Joannes Burchardus ad annum Domini MCDLXXXV. ubi etiam inquit, se in Missa istius Dominicæ *de mandato Sanctitatis suæ*, ideit Innocentii Papæ VIII. *dedisse locum inter Episcopos assistentes R. P. D. Thomæ Episcopo Dolensi*. Notatu dignum est, quod idem Auctor de eadem Dominica IV. Adventus scribit ad annum Domini MCDLXXXVI. incidit etenim ea Dominica in diem XXIV. Decembris. Sic autem inter alia inquit: *Facta est a Cardinalibus reverentia, & male, cum hoc vesperi illum sint facturi, & non debet bis fieri in die; inadvertenter tamen factum est. Non fuit Sermo. Finita Missa, me cum pace impedito, & Sociis meis non advertentibus, non fuit posita, neque per Papam data Indulgentia. Nemo tamen ad hoc advertit; propterea nulla fuit reprehensio, neque scandalum aliquod.* Porro constat ex ipsis Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis, sæpe erratum fuisse in Capella, erroresque suos fateri frequenter eosdem Cæremoniarum Apostolicarum Magistros; neque enim decet, uti sæpe contigit, errores reprehensione præsertim dignos in sacros ritus transire, & doctorum Virorum ingenia postea retorquere, ad eos explicandos.

CAPUT VIII.

De Vigilia Nativitatis Christi.

Si vero Vigilia Nativitatis Christi in Dominica venerit, celebrat unus ex Assistentibus Papæ, ut supra, in paramentis violaceis. Ministri utuntur Tunicella, & Dalmatica. Cardinales non debent facere reverentiam Pontifici, quia in Vesperis illam sunt facturi. Dicuntur quatuor Orationes, prima de Vigilia sub sua conclusione, secunda de Dominica, tertia contra paganos, quarta pro Pontifice. Præfatio dicitur de Adventu, & non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. Pia æque, ac vetus fuit illa Ecclesiæ consuetudo, ut præcipuas Solemnitates, Sanctorumque Festivitates vigiliis, ac jejuniis præveniret, inter quas cum non infimum locum semper obtinuerit Nativitas Domini Nostri Jesu Christi secundum carnem, suam etiam ab initio Vigiliam habuisse, eamque cum jejunio celebratam fuisse addiscimus ex S. Augustini epistola LXV. novæ editionis ad Xantippum, in qua S. Episcopus jejunium istud tanquam universale proponit, atque inter cateros lapsus, propter quos Presbyterum quemdam Diœcesis suæ depositione dignum esse censebat, illum numerat, quod Natalis Christi Vigilia non jejunasset.

II. Nocturnum hujus Vigiliæ Officium olim ut Ordo Romanus XI. nos docet Num. XIV. celebrabat Ecclesia Romana cum Invitatorio, *Christus adveniet nobis, Venite adoremus*, tribus Antiphonis, totidemque Psalmis, cum versu, *Hodie scietis quia veniet Dominus*, cum quinque Lectionibus, & totidem Responsoriis. Primæ tres Lectiones, uti conjicimus, erant ex Prophetis, quarta ex Sermone S. Augustini, *Vos inquam convenio o Judæi*, additis Sybillinis versibus; quinta lectio erat ex Homilia, cui succedebat quintum Responsorium; non enim dicebatur eo die, *Te Deum laudamus*, sed tantum *Deus in adjutorium meum intende*, cum Antiphonis Vigiliæ, & Psalmus, *Dominus regnavit*, cum aliis Psalmis. Prima cum Antiphona Vigiliæ, & Lectio, *Paulus Servus Jesu Christi*, cum versu, sine, *Kyrie*. Tertia, Sexta, & Nona cum suis Antiphonis.

III. Teste eodem Romano Ordine XI. isto die fiebat *Statio ad S. Mariam Majorem, ubi Dominus Papa debet Missam cantare cum Scholis Clericorum, familia Palatii &c.* Eadem habet Romanus Ordo XII. Num. II. sic dicens; *In Vigiliis Nativitatis Domini, in mane Dominus Papa vadit ad Basilicam S. Mariæ Majoris pro cantanda Missa, & in sero pro celebrandis Vesperis, &c.* Durasse hanc consuetudinem ad initium usque Sæculi XIII. testem habemus Jacobum Gajetanum, qui in Ordine Romano XIV. Cap. LXVI. quod inscriptum est *De Officio Vigiliæ Nativitatis Domini &c.* ita scribit: *In Vigilia Nativitatis Domini Statio ad S. Mariam Majorem. Consueverunt Romani Pontifices hactenus pergere ad S. Mariam Majorem, & cantare ibi Missam de Vigilia, & cœnare ibi, & post Cœnam Vesperas decantare &c.* Mutati fuere deinde hi ritus ob translationem Romanæ Pontificiæ Sedis in Gallias, & ideo Amelius in Ordine suo Romano XV. Capite V. scribit: *In Vigilia Nativitatis Domini non est Sermo, nec Missa.*

IV. Ex præscripto tandem nostri hujus §. *Præfatio dicitur de Adventu*. Pro cujus intelligentia notandum hoc loco est, quod alias supra observavimus, & advertit etiam Georgius, Lib. IV. *De Liturgia Romani Pontificis*, Dissertatione II. quæ est de Præfationibus, Capite unico, in veterrimis Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, ac in iis, qui subsecutis temporibus usque ad Sæculum XIII. scripti sunt, Libris quamplures exaratas fuisse Præfationes; statis diebus, ac festis dicendas. Sane in Adventu Domini hæc erat antiqua Præfatio, quam idem Georgius descripsit in Appendice Monumentorum pag. 319. & sequenti: *Vere dignum ..... æterne Deus: cui proprium est, ac singulare quod bonus es, & nulla unquam a te es commotione diversus: propitiare quæsumus supplicationibus nostris, & Ecclesiæ tuæ misericordiam tuam, quam precatur, ostende; manifestans plebi tuæ Unigeniti tui, & Incarnationis mysterium,*

Digitized by Google

rium, & adventus admirabile Sacramentum; ut in universitate nationum constet esse perfectum, quod Vatum oculis fuit ante promissum, percipiantque dignitatem adoptionis, quos exornat Confessio veritatis. Per Christum. Sequitur mox alia Præfatio, quæ est hujusmodi: *Vere ..... æterne Deus: & majestatem tuam humiliter exposcere, ut ita nos Unigeniti tui in præsenti seculo inlustret respectus, qualiter culpis omnibus emundatos inveniat secundus ejus adventus; per quem majestatem.* Sed de his videri & alii Auctores possunt.

CAPUT IX.

De Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi, Pontifice in crastinum celebraturo.

In Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, si Sanctissimus Dominus noster in crastinum est celebraturus, Vesperæ fiunt solemnes hoc ordine. Pontifex indutus in Camera paramenti, quæ Papagalli dicitur, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali albo, & Mitra pretiosa, procedit in Ecclesiam ordine consueto, Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Cameræ, & Acolythis in Superpelliceis (1) euntibus, quod tamen fit pro eorum commodo, & evitando servitorum nimio strepitu, ne habeant in Capella se exuere Cappis, & Superpelliceis induere, non quod Ordo sic jubeat, quia cum aliis Prælatis se vestire deberent. Cardinales autem, & Prælati alii in Cappis præcedunt. Cum pervenerint ad Altare, Pontifex, detracta Mitra, in Faldistorio ante Altare sibi præparato accumbit, & orat; surgit deinde, & accepta Mitra, vadit ad Solium. Interim Prælati omnes, exceptis Cardinalibus, se induunt Pluvialibus, & alba Mitra, videlicet Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates. Protonotarii autem cum Cappis suis permanent. Cum sedit Pontifex, Cardinales accedunt ad reverentiam. Ultimi duo Cardinales, sive sint Presbyteri, sive Cardinales Diaconi, cum exhibuerint reverentiam, assistunt Pontifici a dextris, & a sinistris; & Diaconi, qui assistebant, discedunt, & induunt se paramentis, & tunc etiam omnes alii Cardinales, exceptis illis duobus, qui Papæ assistunt, paramentis se induunt, videlicet Episcopi Pluvialibus, Presbyteri Planetis, Diaconi Dalmaticis, & prius Amictu omnes induuntur, & etiam Superpelliceis, quibus placet. Diaconi vero duo præfati, cum primum induti sunt, revertuntur ad Pontificem, & illi, qui remanserant, vadunt ad loca sua, & convenientibus sibi indumentis induuntur. Postquam Cardinales omnes induti fuerint, surgit Pontifex, & detracta Mitra, versus ad Altare, dicit secrete: *Pater noster*; deinde se ipsum signans, alte dicit: *Deus in adjutorium meum intende*. Finito, *Gloria Patri*, a Cantoribus, Subdiaconus cantaturus postero die Epistolam, stans ante Pontificem ante gradus inferiores Sedis Pontificalis, facta prius ei reverentia, præintonat submissa voce Papæ Antiphonam primi Psalmi, & ea præintonata, expectat stans quousque Papa Antiphonam ipsam intonaverit. Tunc accedunt duo Episcopi assistentes cum Libro, & lumine, & prior Episcoporum Cardinalium etiam assistens, accipit Librum, & capite suo ipsum tenens, Pontifici apponit, juvante eum seniore ex dictis duobus Episcopis assistentibus, & juniore ardentem candelam tenente. Pontifex incipit Antiphonam, quam Cantores prosequuntur usque ad finem. Qua per Pontificem intonata, Subdiaconus cum Cæremoniario facit reverentiam Papæ, & ad sua loca revertuntur. Idem servatur in intonatione aliarum Antiphonarum, & etiam in intonatione Hymni. Incepto Psalmo, Pontifex sedet, & accipit Mitram; similiter alii omnes. Episcopus Cardinalis assistens sedet in cathedra nuda inter Diaconum a dextris Papæ, & sedem Cardinalium sibi parata, versa facie ad Altare, si loci dispositio patiatur; sin vero locus non esset capax, ad sinistram locatur, ut fit in Cappella Palatii; & si locus esset nimis angustus, ut aliquando evenit in quibusdam Ecclesiis, sedet in suo ordine cum aliis Cardinalibus, sive Episcopus sit, sive Presbyter Cardinalis. Cantato Psalmo, & iterata Antiphona, Subdiaconus surgit, & Diacono assistenti a dextris Papæ præintonat secundam Antiphonam plane, quam Diaconus ipse surgens, deposita Mitra, intonat alte, & Cantores prosequuntur, ut prius dictum est; & dum unus ex Cardinalibus assistentibus Papæ surgit, semper etiam alii Cardinales assistentes, & Episcopi assistentes; similiter faciunt alii Cardinales; dum unus eorum surgit, surgunt & alii omnes, & etiam

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero 1. & Colonienſi additur, *amictibus*.

Digitized by Google

& etiam omnes Prælati, qui ſunt in Capella ſurgunt ſemper, ſurgentibus Cardinalibus aliis, non autem ſurgentibus Cardinalibus aſsiſtentibus tantum. Tertiam Antiphonam ſimiliter Subdiaconus præintonat priori Epiſcoporum Cardinalium ibidem aſsiſtenti. Quartam priori Presbyterorum Cardinalium, & quintam Diacono Cardinali aſsiſtenti a ſiniſtris Pontificis. Reiterata a Cantoribus poſt finem (1) quinti Pſalmi quinta Antiphona, Subdiaconus exhibita prius reverentia Altari, & Papæ, ſtans in loco, ubi legitur Epiſtola, verſa facie ad Altare, ita tamen quod non vertat renes ad Papam, cantat Capitulum. Interim ſurgit Pontifex, & ſtat cum Mitra, alii vero omnes ſtant ſine Mitra. Cantato Capitulo, unus Auditorum Rotæ modo prædicto Papæ præintonat Hymnum; tunc Pontifex Mitra depoſita ex Libro ſibi oblato, ut ſupra, alte incipit Hymnum, quem Cantores proſequuntur, & Pontifex ſic uſque ad finem Hymni ſtat ſine Mitra. Cantatur deinde a Cantoribus verſiculus, & inde Subdiaconus ſtans coram Pontifice, præintonat ei Antiphonam ad *Magnificat*, quam Pontifex ſtans ſine Mitra ex Libro alte intonat, & Cantores proſequuntur. Interim ſedet Pontifex, & accipit Mitram, & accedit Acolythus cum thuribulo, & navicella, quam dat Epiſcopo Cardinali aſsiſtenti, qui eam offert Pontifici, dicens: *Benedicite Pater Sancte*; & ſuppoſito per Acolythum thuribulo, Pontifex imponit incenſum. Reaſſumit deinde naviculam Acolythus, & accedit ad cornu ſiniſtrum Altaris, & ibidem expectat Pontificem. Interim duo Auditores accedunt ad Altare, & hinc inde elevant interiorem partem ſuperioris tobaleæ Altaris, & plicant uſque ad medium, vel circa. Cum incipitur, *Magnificat*, ſurgit Pontifex, & cum Mitra deſcendit ad Altare, quem ſequuntur Cardinales ipſi aſsiſtentes, Auditor (2) de Mitra ſerviens, & Cubicularii ſecreti; alii vero duo Auditores elevant fimbriam Pontifici ante pedes, cum aſcendit gradus Altaris, & idem faciunt, quando ad Solium revertitur. Si autem duo tantum Auditores intereſſent, elevata tobalea Altaris, veniunt ad Pontificem, & ei fimbrias elevant. Cum Pontifex pervenit ad Altare, extrahitur ei Mitra, oſculatur Altare in medio, & Acolythus thuribulum Epiſcopo Cardinali aſſiſtenti offert, Epiſcopus vero Cardinalis Pontifici. Tum Pontifex incenſat Altare more ſolito. Poſt incenſationem Altaris, Pontifex, recepta Mitra, facit reverentiam Altari, & revertitur ad Solium, duobus Auditoribus fimbrias, ut prius, tenentibus. Alii duo Auditores tobaleam Altaris, ut prius erat, explicant; vel ſi tantum duo ſint Auditores, explicant tobaleam, antequam fimbrias Pontificis teneant. Pontificem deinde cum Mitra in Solio ſtantem Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens ſtans ante infimum gradum Solii, recepto ex manibus Acolythi thuribulo, incenſat, ter thuribulum ducendo; qui incenſatus deponit Mitram, & detecto capite ſtat uſque ad finem, *Magnificat*. Inde Subdiaconus, accepto thuribulo, incenſat ipſum Epiſcopum Aſsiſtentem ſtantem ante cathedram ſuam, & ſucceſsive alios duos aſsiſtentes; deinde reliquos Cardinales, poſtea Prælatos omnes paratos, poſtmodum omnes ordine ſuo, ut in Miſſa. Cantato, *Magnificat*, ſedet Papa, imponitur ei Mitra, & cantatur Antiphona. Accedunt deinde duo Acolythi cum duobus candelabris, & luminaribus ad gradus Solii, inter quos ſtat medius Cæremoniarius, & Pontifex ſtans, detracta Mitra, dicit: *Dominus vobiſcum*; & Cantoribus reſpondentibus: *Et eum ſpiritu tuo*, offertur ei Liber, ut ſupra. Pontifex dicit orationem, & eo demum replicante, *Dominus vobiſcum*, duo Acolythi (3) cum candelabris, & Cæremoniario, factis reverentiis, redeunt ad Altare. Inde dicto, *Benedicamus*, a Cantoribus, ipſe Pontifex dat benedictionem, uno Protonotario auriphrigium tenente, more ſolito; qua data, deſcendit de Solio, genuflectit in Faldiſtorio ante Altare cum Mitra, orat, deinde ſurgens redit ad Cameram.

COMMENTARIUS.

I. CElebratas fuiſſe olim ſolemni ritu Veſperas Natalis Domini Romæ a Papa in Baſilica S. Mariæ Majoris, docent nos quidem Ordines antiqui Romani, inter quos Ordo XIII. ſeu Cæremonialis Liber Gregorii Papæ X. juſſu editus, Num. XIII. ita inquit: *In Vigilia Nativitatis Domini venit Papa, omnes Cardinales, & Prælati vocati per Curſores, & Capellani, & alii ſimiliter ad Veſperas, & induitur Papa pretioſo Pluviali rubeo, & Mitra pretioſa; alii vero omnes albi coloris veſtibus, Epiſcopi, & Diaconi Cardinales*

(1) Ita in Romana, perperam vero in Venetâ I. & Colonienſi legitur, *coniuncti*. (2) In eiſdem editionibus Venetâ & Colonienſi, deeſt præpoſitio *de*, quæ tamen legitur in Romana. (3) Præpoſitio *cum* deſideratur in citatis omnibus editionibus.

Digitized by Google

nales, & alii Prælati Pluvialibus, Presbyteri vero Casula, & sic solemniter dicunt Vesperas, & incipit Papa Vesperas in loco suo ornato, Capellanis in habitu decenti cantantibus coram eo &c. Adhibitum deinde fuisse a Pontifice in Vesperis Natalis Domini Pluviale albi coloris, tradit Amelius in Ordine XV. Romano Cap. V. quod est, *De Vigilia Nativitatis Domini*, ubi etiam ritus suo tempore, idest Seculo XIV. observari solitos, quibus & hic noster §. quammaxime illustratur, sic enarrat: *In primis Vesperis Sacrista Papæ bona hora facit parare Pluviale album pretiosum cum imaginibus, & perlis, aquilam, & Mitram pretiosam cum magnis sapphiris, vel aliam juxta voluntatem Papæ; quibus indutus Pontifex, ad Vesperas venit, & duo Diaconi, antequam exeat Cameram, faciant sibi reverentiam, osculando manum cooperto aurifrisio Pluvialis Papæ; & iste modo semper observatur, quandocumque Papa indutus exit Cameram, & facta reverentia flexis genibus ante Altare supra Cathedram, Mitra deposita per antiquiorem Diaconum primo, sed duo minores Diaconi in Cappis laneis remanent cum Papa; & alii omnes Cardinales, Cappis depositis, sacra recipiunt paramenta, scilicet Amictum, latum superpliceum, & Pluviale & sic revertuntur duo antiquiores Cardinales, & surgens ab oratione, duo Diaconi Cardinales antiquiores a dextris, & alii a sinistris, recipiunt oram Pluvialis, & alia manu fimbriam retro, & sic ducunt eum ad Cathedram sollemnem longe ab Altari paratam, & ipso sedente, antiquior stet a dextris ipsius, & junior a sinistris, capitibus discoopertis, & tunc veniunt omnes Cardinales ad reverentiam Papæ more solito, primo prior Episcoporum Cardinalium, post eum Patriarcha, si est ibi; secundo loco subprior Episcoporum Cardinalium; & post eum alius Patriarcha, si est ibi; & sic deinceps secundum ordinem suum.*

II. In nonnullis Ordinibus Romanis, ut testatur Grancolas in Commentario historico ad ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. XIII. in fine, Vesperæ Natalis Christi cantabantur cum Psalmis de Dominica, atque Antiphonis Laudum de Vigilia, *Judæa, & Jerusalem &c.* Postremus Psalmus est, *Laudate Dominum omnes gentes.* Versiculus, *Hodie scietis &c.* Antiphona ad, *Magnificat*, erat, *Dum ortus fuerit &c.* cum Oratione de Vigilia, *Deus qui nos redemtionis &c.* In Ordine XV. Romano Amelii, Cap. VI. varia notantur, quæ nostrum §. summopere illustrant. Sic autem inquit: *Papa surgit*, e suo nempe Solio, *stando ibidem, & deposita Mitra per illum, qui stat a dextris, versa facie ad Altare, signando se, incipit*: Deus in adjutorium meum intende; *& dicto*, Gloria Patri, *Subdiaconus Papæ stando capite inclinato submissa voce incipit*, Rex pacificus, *& postea flectit genua ante eum, & iterum Papa reincipit Antiphonam; qua dicta sedet. Statim Chorus reincipit, & ponitur sibi Mitra per unum Diaconum Cardinalem, qui sibi adstat a dextris, & per alium, retro caudas aptantes. Secundam Antiphonam incipit Diaconus, qui stat a dextris; tertiam incipit Episcopus Cardinalis, qui servit in Officio Presbyteri, quartam incipit prior Presbyterorum Cardinalium; quintam Diaconus Cardinalis, qui stat a sinistris; & iste ordo observatur, quandocumque sunt Vespere Papales.* Ita Amelius, qui etiam notandum monet, Subdiaconum cum uno Acolythorum denunciare Antiphonam Papæ, & Cardinalibus. Ceterum hunc ordinem denunciandarum Antiphonarum diversum fuisse ante Amelii tempora, addiscere licet ex Ordine Romano XIII. sive ex Cæremoniali Gregorii X. jussu edito, Num. XIV. ubi agitur de Vesperis in Vigilia Nativitatis Domini, Papa celebrante: *Si est Romæ*, Pontifex scilicet, *prænunciat Primicerius Scholæ, & secundum cantum Scholæ; si vero est alibi, pronunciat alius Capellanus Papæ hebdomadarius, & prænunciat sic: primam primus Papa, secundam prior Episcoporum, tertiam prior Presbyterorum, quartam prior Diaconorum, quintam alter Diaconus post priorem.* Placuit adnotare priscum hunc annunciandarum Antiphonarum ordinem, quo digniores in ipsis intonandis minus dignis præferuntur, mirorque iccirco, quod invaluerit postea novus ritus, quo Cardinalis Diaconus Pontifici assistens, præfertur in intonanda Antiphona Episcopo Cardinali assistenti.

III. Quicquid sit de recentiori hoc ritu, *reiterata a Cantoribus*, ut ait noster §. *post finem quinti Psalmi quinta Antiphona, Subdiaconus, exhibita prius reverentia Altari, & Papæ, stans in loco, ubi legitur Epistola, versa facie ad Altare, ita tamen quod non vertat renes ad Papam, cantat Capitulum.* Capitulum, quod a S. Gregorio Turonensi *Capitellum* dicitur, a S. Benedicto Lectio brevis appellatur, eratque memoriter a Celebrante recitanda, ut notat Grancolas in Commentatio historico ad Breviarium Romanum, Libro I. Capite XXXIV. Ex præscripto Romani Ordinis XIII. Num. XIV. ubi agitur de Vigilia Nativitatis Domini, *Capitulum dicit Capellanus, & prænunciatur Papæ Hymnus, & Antipbona ad Magnificat &c.* Nostro §. concinit quidem Romanus Ordo XV. auctore Amelio, Cap. VI. sic inquiens: *Capitulum dicit Subdiaconus. Hymnum incipit*, idest, submissa voce præintonat, *aliquis de senioribus Auditoribus, vel Acolythis, & statim Papa eundem Hymnum reincipit. Deponitur semper sibi Mitra, quando cantat. Subdiaconus vero incipit Antiphonam de* Magnificat, *& statim Papa*, stans nempe sine Mitra, ex Libro, *eam reincipit*, quam scilicet cantato prius per Cantores versiculo, Cantores ipsi prosequuntur, interim sedente Pontifice, & Mitram accipiente, quam ejus capiti Diaconus Cardinalis assistens imponit.

IV. Pontifice sedente, ex præscripto nostri §. *accedit Acolythus cum thuribulo, & navicella, quam dat Episcopo Cardinali assistenti, qui eam offert Pontifici &c.* De thurificatione Altaris in Vesperis ad Canticum, *Magnificat*, jam Libri omnes Rituales recentiores loquuntur. Teste Durando Lib. V. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. IX. ea suo tempore erat consuetudo, ut dum dicebatur versiculus ad Antiphonam Cantici, *Magnificat*, Sacerdos thurificaret Altare, Antiphonaque ipsa in præcipuis festivitatibus ter dicebatur, sive toties canendo protelabatur, donec omnis populus, qui interat,

Digitized by Google

rerat, odore incenſi repleretur. In Ordine Romano XIII. Num. XIV. fit quidem mentio thurificationis Altaris, atque celebrantis Papæ in Veſperis, ſed antequam diceretur Capitulum; poſtquam enim dixit, quintam Antiphonam in ſolemnibus Veſperis, quæ a Papa in Vigilia Natalis Domini celebrantur, annunciari a ſecundo aſſiſtente Diacono, ita mox ſubjicit: *Poſtea Papa facit incenſum, & incenſando ſolum Altare, paratum dictum eſt eſſe; & eo incenſato, redit ad locum ſuum, & Cardinalis, qui ei ſervit de Libro, recipit thuribulum, & incenſat Papam, Cardinales, & omnes Prælatos indutos, & Capellanos ordinate.* Itaque Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens jam non mōdo Pontificem, & Cardinales, ac Prælatos thurificabat, verum etiam Capellanos. Quod tamen deinde mutatum fuit, uti conſtat ex Ordine XV. Romano Cap. VI. ex cujus præſcripto in Veſperis Nativitatis Chriſti, *poſtquam Cantores incipiunt*, Magnificat, *Papa deſcendit de Sede, & vadit ad thurificandum Altare. Hoc facto, revertitur ad Sedem, & thurificatur per Epiſcopum Cardinalem in dicta Sede, & poſtea ipſe Epiſcopus, dicti duo Diaconi, a dextris, & a ſiniſtris, & poſtea ſubſequenter omnes Cardinales induti Pluvialibus per unum Acolythorum, & poſtea dicit orationem.*

V. Cantato, *Magnificat*, dum repetitur Antiphona, ut inquit noſter §. ſedet Pontifex, & imponitur ei Mitra; accedunt deinde duo Acolythi cum duobus candelabris, & luminaribus ad gradus Solii, inter quos ſtat medius Cæremoniarius, & Pontifex ſtans detracta Mitra dicit, *Dominus vobiſcum*, & Cantoribus reſpondentibus, *Et cum ſpiritu tuo*, offertur ei Liber, ut ſupra, & dicit Orationem. Meminit & hujus ritus Ordo Romanus XIII. Num. XIV. ubi ait, Epiſcopum Cardinalem ſervire de Libro Pontifici, cum dicit orationem, duoſque Capellanos tenere *magna candelabra argentea cum cereis ante ipſum*. Ex noſtro §. *dicto*, Benedicamus, *a Cantoribus, ipſe Pontifex dat benedictionem &c.* Ex prædicto autem Romano Ordine XIII. *dicto*, Dominus vobiſcum, nempe a Pontifice, *junior Diaconus*, aſſiſtens ſcilicet, *dicit*, Benedicamus Domino, *& Papa dicit*: Sit Nomen Domini. *Quo finito, redeunt ad Aulam Papæ, ubi parata ſunt vina multa, & diverſa, & claretum, & ſpecies*. Ita Romanus Ordo XIII. ſeu Cæremoniale Gregorii Papæ X. juſſu editum, cujus ritum in Veſperis Nativitatis Domini placuit hoc loco deſcribere, ne antiquitatis notitia deſideretur.

VI. Conſueviſſe olim Pontifices Veſperas ipſas in Baſilica S. Mariæ Majoris celebrare, teſtantur antiqui Romani Ordines, præſertim vero Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. LXVI. Decantari deinde cœperunt in Baſilica S. Petri, uti addiſcimus ex mſs. Diariis Burchardi, aliorumque Cæremoniariorum Apoſtolicorum, inter quos Paris de Graſſis in ſuo Romano Ordine, quem dedicavit Gulielmo Epiſcopo Albanenſi S. R. E. Cardinali, quemque legere eſt apud Martene in calce Libri, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Num. II. ubi recenſet Veſperas Papales totius anni, & loca, in quibus ipſæ celebrantur, expreſſe ait, duas fieri *in Baſilica Apoſtolorum Petri & Pauli, videlicet in Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Vigilia ipſorum Apoſtolorum*. Atque his ſuffragatur, quod in ſuo ms. Diario ad annum MDXCI. narrat Joannes Paulus Mucantius Cæremoniarius Apoſtolicus: *Die 24. menſis Decembris pro Vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Papa IX. non admodum bene valeret, ita ut ad Veſperas ſolemnes in Baſilica S. Petri apud Altare Apoſtolorum more ſolito decantandas venire potuiſſet, fecit a Cantoribus ſuis Veſperas prius decantare in privato ſuperiore, & parvo Sacello olim a Pio V. conſtructo apud ſecretum ſuæ ſanctitatis cubiculum, unde Veſperas audivit, ſicut quotidie, ut relatum eſt, facere ſolet. Deinde ordinavit, ut Veſperæ ſolemnes pro Vigilia Nativitatis cum interventu Cardinalium, & Prælatorum celebrarentur in Cappella majore Palatii Apoſtolici, prout cantatæ fuerunt coram tribus, & quadraginta Cardinalibus rubris Cappis indutis*. Addit, celebratas ipſas fuiſſe apud Faldiſtorium a Cardinali Geſualdo Sacri Collegii Decano parato Pluviali, & Mitra, omniaque peracta fuiſſe *more ſolito, & prout convenit in ſimilibus Veſperis, Papa abſente*.

VII. Erle antiquum morem, ut Papa celebraturus ipſas Veſperas, accedat Pluviali albi coloris, & Mitra pretioſa indutus, jam diximus ſupra initio hujus Commentarii ex teſtimonio Ordinis Romani XV. Auctore Amelio. Mitræ etiam meminit Cæremoniale Gregorii Papæ X. juſſu editum, cui etiam paſſim concinunt mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria. Hinc correctus fuit a Franciſco Mucantio ritus ſervatus in Vigilia Nativitatis Domini anno MDLXXVII. quo Gregorius Papa XIII. non Mitra, ſed Tyara redimitus in Baſilicam S. Petri venit ad ipſas Veſperas celebrandas. Hæc ejus verba in ſuo ms. Diario ad prædictum annum: *Die 24. Decembris in Vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti fuerunt Veſperæ celebratæ in Baſilica S. Petri, ad quas Papa venit in Sede, & cum Tyara in capite, & male, numquam enim in Veſperis Tyara deferenda eſt, ſed quia tardius adveneram, cum eſſet jam impoſita ejus capiti, non potui prohibere, ſed redeundo habuit Mitram pretioſam, ita me ordinante*. Quod recte notatum eſt, ne tranſiret in exemplum.

CAPUT X.

De publica compotatione, ſive collatione; potus in Aula a priſcis vocitatus.

Si ſolemnis collatio, prout aliquando Pontifices conſueverunt facere, fieri debet, in prima Aula Palatii parabuntur omnia ad inſtar publici Conſiſtorii. Paretur credentia magna eminens, duodecim vel circiter gradus habens pro vaſis aureis,

Digitized by Google

reis, chrystallinis, & argenteis desuper ponendis ad magnificentiam tantum. Credentia hujusmodi erit altitudinis a terra usque ad ejus planum, sive mensam palmorum septem, vel circa. Mensa ejus erit longitudinis palmorum XXII. & latitudinis septem, vel circa, & desuper gradus, ut diximus, qui satis sint pro vasis supradictis, quæ suo ordine locentur. In secunda vero Aula parentur duæ credentiæ, una parva pro Sanctissimo Domino nostro, & alia longior pro Reverendissimis Dominis Cardinalibus, ubi constituantur vina, confectiones, aqua, confecteriæ, mantilia, mappæ, scyphi, phialæ, & alia pocula, vasaque aurea, sive argentea opportuna in competenti numero, & quantitate. Magister Domus Apostolici Palatii providebit in tempore de vino diversi generis, de confectionibus diversarum specierum, vexillulis longitudinis unius palmi cum insignibus Papæ, & Cardinalium in confecteriis ponendis, & centum intorticiis pro collatione, & Matutinis. In Vigilia igitur Nativitatis Christi, si Vesperæ in Capella Palatii celebratæ sunt, Pontifex, finitis Vesperis, in sede Solii sui deponit Mitram, & Pluviale, & imponitur ei Cappa de (1) cremusino. Interim etiam omnes Cardinales intus, Prælati vero, & alii omnes extra cancellos Capellæ paramenta, & Superpellicea deponunt, & Cappas accipiunt. Pontifex venit ad Aulam, ubi collationem est facturus, Cruce præcedente. Si vero Vesperæ hujusmodi in Basilica S. Petri sunt celebratæ illis finitis, Pontifex revertitur ordine consueto ad Cameram Papagalli, ubi depositis Pluviali & Mitra, accipit Cappam, ut supra, Cardinales vero, Prælati, & alii omnes, qui sua paramenta, & ornamenta in Basilica prædicta post Vesperas deposuisse debent, & Cappas accepisse, ponuntur in dicta Camera Papagalli, & expectant; qui, cum Papa venit ad Aulam prædictam, Cardinalibus subsequentibus, sine Cruce tamen, manebunt usquequo collationem perfecerit. Pontifice igitur sedente, nobilissimus totius Curiæ, etiamsi Rex, aut Imperator sit, ducetur ad credentiam Papæ ad dandam aquam hoc ordine. Duo servientes armorum præcedent, Magister Cæremoniarum in suo habitu, Magister Domus baculum ferens, mantello indutus, Auditor sine mantili, Auditor mantile portans cum sua Cappa lanea, deinde aquam ferens, medius inter Magistrum Sacri Hospitii, & Scalcum secretum. Papa manus lavante, Diaconi assistentes adjuvant, & omnes Cardinales surgunt. Prælati (2), qui in gradibus Solii circumsedent, cum surgere commode non possint, caput detegunt, alii omnes genuflectunt. Dum Papa lavat, Cæremoniarius, acceptis aliis duobus servientibus armorum, vocat alium post prædictum nobiliorem, qui portabit primum ferculum, quem ducit ad credentiam Papæ, deinde cum ferculo ad Pontificem, hoc ordine. Duo servientes armorum, Cæremoniarius, Magister Domus, qui expectat ad gradus Solii, Auditor sine mantili, Auditor cum mantili, Scalcus secretus, deinde ferens ferculum solus; similiter ibit solus, qui postea potum portat. Omnes hi, excepto Magistro Domus, ascendunt ad Pontificem, & Cardinales assistentes extendunt ante Pontificem tobaleam, quam Auditores hinc & inde genuflexi tenent. Deinde assistens a dextris, dat ad prægustandum ex ferculo latori, & ambo assistentes detectis capitibus stantes apponunt manum ad confecteriam, ex qua Pontifex cibum sumit; & exinde descendunt omnes, qui venerant, & ascendunt alii cum primo potu, quem deducit Magister Hospitii, & Cardinales assistentes similiter aliam tobaleam de manibus Auditoris secundo venientis accipientes, illam extendunt ante Pontificem, quam Auditores tenent, ut supra. Deinde facta per portantem vinum credentia in vase, quod ad partem portat, & per alium Scutiferum Papæ aquam portantem simpliciter de aqua, Cardinales assistentes juvant miscentem aquam vino Papæ. Recepto potu per Pontificem, descendunt isti, & ascendunt alii, & hic ordo usque ad finem collationis servatur. Scalcus secretus, & Magister Hospitii vicissim comitantur cibos, & pocula, quæ portantur per nobiliores Proceres, sive Oratores præsentes, Clerico Cæremoniarum ordinante, & secrete deducente, & incipiente a nobiliori, etiamsi sit Rex, aut Imperator. Solent quatuor species confectionum haberi, & quater vinum ad potum ministrari. Descendente a Pontifice, illo qui ultimum potum dedit, descendunt etiam Cardinales assistentes, & ad sua loca vadunt. Tunc unus ex Cubiculariis Papæ, præcedente alio Cubiculario, & Cæremoniario, portat mappam longam mundam ante priorem Car-

(1) Ita in editione Romana, in *Veneta* vero 1. & Colonienſi legitur *de carmiſino*. (2) Hæc verba *Prælati, qui in gradibus Solii &c.* uſque ad illa, *caput detegunt*, leguntur quidem in editione Romana, ſed deſiderantur in citatis Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

Cardinalem, cujus unum caput ipſe ibidem tenet, aliud ſecundus Cubicularius, & illud extendit uſque ad ultimum Cardinalem, ubi illud tenet. Quod ſi forte una mappa tam longa non ſit, portentur aliæ, quæ ſufficiant, ita tamen, quod pro qualibet ſint duo Cubicularii, qui eam per capita, ut ſupra, teneant; tum præcedente Scalco Papæ, Cubicularii in ſuo habitu, ſinguli habentes mappulas breves in humeris, ipſum ſequuntur, portantes unuſquiſque unam confecteriam diſcoopertam confectionibus plenam; & in qualibet confecteria ſit unum vexillulum, ab una parte habens inſignia Pontificis, & ab alia illius Cardinalis, cui defertur. Primus Cubicularius portet confecteriam priori Cardinalium; ſecundus alteri ſeniori Cardinalium, & ſic de aliis. Primum Cubicularium ſequuntur duo Scutiferi prioris Cardinalium; primus mappulam habens in humeris, & poculum vini in dextra manu; ſecundus vas cum aqua ſine mappula. Secundum Cubicularium ſequantur duo Scutiferi ſecundi Cardinalis, ſimiliter vinum, & aquam portantes, ut primi, & ſic de ſingulis. Quatuor etiam vicibus quatuor ſpecies confectionum, & vinum, prout Pontifici, & Cardinalibus portant. Finita collatione Cardinalium, Scutiferi cum mappulis ad collum, aliis ſerviunt, videlicet Oratoribus, Prælatis, & aliis omnibus ad ſcabellum Papæ ſedentibus. Erunt de quolibet ferculo octo bacilia, & multo plura cum vino, & vaſa aqua plena; reſiduum, quod in bacilibus remanet, inter ſcamna Cardinalium ſedentibus, & aliis circumſtantibus ſpargi ſolet. Finita collatione, reducitur Papa ad Cameram ſuam, & omnes diſcedunt.

COMMENTARIUS.

I. FUit vetus mos, cujus meminit Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, ut in Vigilia Nativitatis Domini Statio fieret ad S. Mariam Majorem, ubi Epiſcopus Albanenſis *debebat facere cænam optimam toti Curiæ, & mittere ad Curiam duo optima buſta porcorum*. Juxta ritum in Ordine XIII. Romano præſcriptum, finitis Veſperis, & data per Pontificem ſolemni benedictione, de qua diximus ſupra in Commentario præcedenti, ibatur *ad Aulam Papæ, ubi parata erant vina multa, & diverſa, & claretum, & ſpecies*. Teſte Jacobo Gajetano in Romano Ordine XIV. Cap. LXVI. in ipſa Vigilia *conſueverunt Romani Pontifices hactenus pergere ad S. Mariam Majorem, & cantare ibi Miſſam de Vigilia, & cœnare ibi, & poſt cœnam Veſperas decantare; peractis autem Veſperis*, dabatur *potus in Aula, & Dominus Papa remanebat ibi, & pernoctabat, & ibi ſtabat, toto ibidem apparatu Curiæ exiſtente*. Occurrit & idem ritus in Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Capite V. atque in mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis paſſim, fuitque tandem ſublatus initio Pontificatus Gregorii XIII. anno MDLXXIII. teſte Franciſco Mucantio Cæremoniario Apoſtolico in ſuo Diario ms. ubi referuntur Capita reformationum Capellæ Pontificiæ reſoluta in ſecunda Congregatione Cardinalium a memorato Pontifice anno prædicto deputatorum; unum enim ex ipſis Capitibus fuit, *quod potus in Aula in Vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti omnino tollatur*. Ceterum, ut quod hic noſter §. de potu, ſive collatione in Aula Pontificis poſt Veſperas Natalis Chriſti præſcribit, luculentius enarretur, lubet hoc loco deſcribere quæ de ipſo potu, ſeu collatione, ad annum Chriſti MCDLXXXIV. quit fuit primus Innocentii Papæ VIII. notavit Joannes Burchardus tunc Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, ſic inquiens.

II. Pro collatione igitur poſt Veſperas publice habenda paratum fuit hoc ordine. Aula prima, videlicet magna Palatii prædicti, ordinata fuit Solio, & ſede Pontificali, & ſcamnis pro Cardinalibus, ac viridibus pannis, ac ſi in ea publicum Conſiſtorium celebrari deberet, excepto, quod pallia ſedis Papæ, & deſuper alba fuerunt, non rubea, & præter illa, infra juxtaſcamna Cardinalium in oppoſito oſtii, per quod poſt aſcenſum ex Curia, ubi Cardinales ex equis deſcendere ſolent, eandem Aulam ingreditur, parata fuit una credentia alta, & magna, octo gradus habens, vaſis argenteis inauratis, ac aureis, & chryſtallinis quibuſdam opulenter munita, quæ etiam aliqualiter in Libro primo meo Cæremoniarum manu mea ſcripto fol. LXXV. deſignata eſt. In ſecunda Aula dicti Palatii, videlicet proxima juxta prædictam parata fuit alia credentia conſueta forma, qua pro Sanctiſſimo Domino noſtro parari ſolet, & non longe ab illa alia longa pro Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus, in quibus ordinata fuerunt, & parata vina, confectiones, & confecturæ, bacilia, aqua, & alia opportuna. Præmoniti etiam fuerunt Cubicularii, & alii, quid eſſent acturi, quæ ex infra ſcribendis intelligentur. Præterea ordinatum fuerat, quod ſi Sanctiſſimus Dominus Noſter Veſperas in S. Petro voluiſſet celebrari, quod illis finitis reverteretur ad Cameram Papagalli ordine conſueto, & ibidem depoſito Pluviali, & Mitra, accepta Cappa de cremeſino exiret ad Aulam prædictam ſine Mitra pro collatione facienda,

Veſperis igitur in Capella finitis, Sanctiſſimus Dominus Noſter, depoſitis Pluviali, & Mitra, accepit Cappam de cremeſino, & venit ad Aulam magnam prædictam pro collatione paratam, uno ex Epiſcopis Aſſiſtentibus fimbrias Cappæ, & ſimul collectas deferente. Interim etiam dum Pontifex Pluviale, & Mitram deponeret, Cardinales in ſcamnis ſuis, & Prælati, ac Subdiaconi, Auditores, & Clerici Cameræ, & Acolythi extra cancellum Capellæ ſua ornamen-

Digitized by Google

ta depoſuerunt , & Cappas acceperunt conſuetas , & in eis Pontificem ſolito ordine aſſociarunt . Sanctiſſimo Domino noſtro in Solio conſtituto , & ſedente , remanſerunt apud eum Senenſis & S. Georgii Diaconi Cardinales aſſiſtentes , quouſque Pontifex ſuam collationem perficiſſet . Tum acceſſit de credentia ad Solium Pontificis Illuſtriſſimus Franciſcus de Aragonia Siciliæ Regis filius aquam Pontifici daturus hoc ordine . Præcedebant prius duo ſervientes armorum , quos ſequebar ego Magiſter Cæremoniarum in meo Superpelliceo , quod tamen , ſi recte judico , convenientius dimiſiſsem , cum eſſemus hic extra Divina , ſicuti & in publicis Conſiſtoriis, in quibus recte Superpelliceis non utimur . Tum Electus Tornacen. Magiſter Domus Palatii mantello tantum indutus ſupra Rocchettum , baculum in manu portans ; poſt eum unus Auditorum Rotæ ſine mantili , & poſt illum alius Auditor Rotæ cum mantili , ambo in ſuis Cappis . Illuſtriſſimus D. Franciſcus aquam portans in bacilibus, medius inter Andream de Comitibus Magiſtrum Hoſpitii a dextris , & Schalcum ſecretum Sanctiſſimi Domini Noſtri a ſiniſtris , hoc ordine , cum debitis , & ſolitis reverentiis venerunt ad Pontificem ; quo manus lavante , Cardinales ſtabant capitibus coopertis , Prælati vero ſtabant detectis capitibus , & alii omnes detectis capitibus genuflectebant . Ad hanc lotionem non fuit vocatus , neque debuit vocari Prior Epiſcoporum , vel Presbyterorum Cardinalium , ſicut in Miſſis fieri ſolet , ſed duo Diaconi aſſiſtentes prædicti detectis capitibus miſcentem adjuvabant . Loto Pontifice, prædicti redierunt ad credentiam .

Conductis autem prædictis uſque ad Solii Papæ gradus , acceptis mecum duobus ſervientibus armorum , conduxi ad credentiam Papæ ſecretam Illuſtriſſimum D. Antonium Ducem Amalfitanum Reverendiſſimi D. Cardinalis Senenſis germanum , alium ex Oratoribus Regis Neapolitani ſupradicti , cui conſignatum fuit primum ferculum in una convenienti confecteria, mappula ſerica prius ſibi circa collum impoſita . Is hoc ordine acceſsit ad Pontificem . Præcedebant duo ſervientes armorum , ego , Magiſter Domus , qui tam ad lotionem , quam his , & in ſequentibus actibus non exceſsit gradus Solii , ſed ibidem ſe fixit , uſque ad diſceſſum ſervientium de Solio, cum quibus iterum ad credentiam rediit . Magiſtrum Domus ſequebantur duo Auditores , primus ſine mantili , ſecundus cum mantili , Schalcus Papæ prædictus ferens ferculum . Solus Magiſter Hoſpitii manſit apud credentiam , hoc eſt , manere debuit , ſed neque Schalcus , neque Magiſter Hoſpitii ſolitum , & debitum ordinem ſervarunt ; ſed omnes ſervientes tam de ferculis , quam potibus medios inter ſe aſſociarunt , & male . Cum præfatus Dux eſſet coram Pontifice , datum fuit ſibi ex portatis per Cardinalem Senenſem pro proba , ſive credentia , quam genuflexus fecit , ſicque tandiu confecteriam tenuit , quouſque Pontifex de illa ſatis comediſſet , ſive ad voluntatem ſuam . Ego quamprimum idem Dux coram Pontifice venit , conduxi cum aliis duobus ſervientibus armorum Magnificum D. Marquardum Briſacher Rectorem , & Militem , Imperialem Oratorem , & duos alios Auditores ad ſecretam credentiam præfatam , ubi impoſita ad collum D. Marquardo mappula ſerica , eidem potus pro Pontifice fuit aſsignatus in ſcipho, quem ipſe D.Marquardus portavit Pontifici , eo ordine , prout Dux præfatus ferculum portavit , & non receſsit de credentia , niſi poſtquam Dux ad ipſam credentiam de Pontifice rediiſſet .

Hoc ordine quatuor fercula ſucceſsive fuerunt Pontifici portata , & poſt quodlibet ferculum alius potus vini . Primum ferculum , quod erant pinochiati indorati & argentati cum parvo vexillo Pontificis erecto in medio , ſi recte memini, portavit Dux Amalfitanus. Primum potum vini portavit D.Marquardus Orator Imperialis. Secundum ferculum erant coriandri magni , & groſsi , quod portavit Comes Marconii Orator Regis Neapolitani . Secundum potum portavit D. Senator Urbis . Tertium ferculum erant confectiones mixtæ , quod portavit Comes Montagani etiam Orator Regis ſupradicti . Tertium potum portavit D. Florius Ruverella Miles Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Orator Regis Ungariæ . Quartum ferculum erant cialdones , quod portavit D. Laonardus Doctor , & Miles Orator Ducis Mediolani . Quartum potum, qui erat ex Ipocrate portavit D. Antonius Florentinorum Orator . Poſtquam quartum potum Pontifici portans Solium aſcendiſſet , vocavi ad credentiam præfatam Cubiculares Papæ , ubi ſingulis cum ſuis capuciis ad collum ſtantibus impoſita fuit mappula munda ad humerum , illis tantum demptis , qui guardanappam ante Cardinales ſervare debebant , qui ſine mappulis ſervituri erant . Deſcendente a Pontifice D. Antonio , qui quartum potum portavit , deſcenderunt etiam illi duo Diaconi Cardinales aſsiſtentes , qui ad eorum bancum ad ſua loca venerunt, & ſederunt omnes .

Interim dum Papa collationem faceret, & biberet , Cardinales omnes , & Prælati , ac alii non ſtabant , ſed in ſuis locis firmi ſedebant , demptis ſolis Aſsiſtentibus ſupradictis , qui detectis capitibus ſtantes ſerviebant . Cardinalibus omnibus ſedentibus,acceſſerunt quinque Cubicularii cum duabus guardanappis longis , quarum unam longiorem tres ipſorum ante Epiſcopos , & Presbyteros Cardinales a primo ad ultimum extenſam ſervabant . Alii duo aliam ante Diaconos Cardinales . Hos ſequebantur ſinguli alii cum duobus Scutiferis Cardinalium intermixtis. Primus Cubicularius præcedebat portans confecteriam cum pinochiatis, quem ſequebantur duo Scutiferi primi Cardinalis , videlicet Vicecancellarii , quorum primus mappulam in humeris habens portabat tarſeam vini , alter ſine mappula bucale cum aqua . Sequebatur alius Cubicularius cum confecteria , & eum duo Scutiferi alterius Cardinalis cum vino & aqua , & ſic de aliis uſque in finem . Singuli Cubicularii portabant ſingulas confectiones cum pinochiatis in medio habentes erecta vexilla alta unius palmi, vel circa , quod ab uno latere depicta habebat arma Sanctiſſimi Domini noſtri , & ab alio latere illius Cardinalis , cui portabatur . Cardinales ſedentes capiebant de rebus apportatis , & bibebant reſiduum , quod erat in confecteria , vel partem illius dabant coram ſe ſedentibus , aliqui projiciebant inter adſtantes , & ſedentes in terra ; deinde revertebantur prædicti ad creden-

Digitized by Google

dentiam eo ordine, quo venerant, quinque illis Cubiculariis demptis, qui usque ad finem collationis guardanappas ante Cardinales servarent; eodem ordine redierunt ad Cardinales Cubicularii cum aliis confecteriis, in quibus erant coriandri grossi per sua ossa persicorum, nuces, pira. Alia etiam ex zuccaro confecta, & fimentum insuccheratum, & alia hujusmodi, & Scutiferi cum vino, & aqua; & id quarto observatum est de rebus, prout Pontifici fuerat ministratum.

Finita collatione Cardinalium, illi quinque Cubicularii cum duabus guardanappis secuti sunt Cubicularios, & Scutiferos, qui ultimum, qui quartum ferculum, qui potum portaverant usque ad credentiam, ubi omnia amiserunt, & Scutiferis Papæ impositæ sunt mappulæ super humeris, quorum VIII. consignata fuht octo bacilia cum pinochiatis pro collatione omnium Principum, & Prælatorum; aliis tazzæ cum vino, & bucalia cum aqua, hoc ordine. Primo venit Scutifer cum bacili de pinochiatis, quem sequebantur tres Scutiferi cum tribus tazzeis vini, & unus cum bucali aquæ. Tum alius Scutifer cum bacili, & pinochiatis, & post eum tres Scutiferi cum tribus tazzeis vini, & unus cum bucali aquæ, & sic de aliis. Ii in Aula magna divisserunt se inter Principes, Oratores, Prælatos, & alios ordinaria loca in Capella habentes, melius quo fieri potuit, & postquam pinochiatos, & vinum dispensarunt, quia sine ordine omnia projiciebantur, unusquisque proximo suo, vel alteri dabant, aut projiciebant, redierunt ad credentiam, & alia bacilia cum aliis confectionibus, & vino portabant, prout Pontifici, & Cardinalibus fuerat ministratum; & postquam cialdones, & ultimus potus esset, ut præfertur, cum saltem magna confusione consumptus, facto aliquantulo silentio, surrexit Pontifex, & ad Cameram rediit ordine consueto. Ego remansi hac nocte in Palatio Apostolico una cum D. Augustino Patricio, si recte memini, & dormivimus in Camera Prioris Sanctæ Balbinæ Bibliothecarii Sanctissimi Domini Nostri.

III. Hactenus Joannes Burchardus Cæremoniarius Apostolicus, cujus locum licet prolixum, & minus elegantem, libenter descripsimus, ut vel inde addiscamus, qualis fuerit olim potus in Aula, qui tam sæpe memoratur in antiquis mss. Diariis, & quo ritu ille perageretur in Vigilia Nativitatis Christi. Occurrunt autem in recitato loco variæ voces infimæ latinitatis, quæ videri possunt in Glossario eruditi Dufresne.

CAPUT XI.

De Matutinis in nocte Nativitatis Christi, Papæ præsente.

§. I.

De benedictione Ensis.

In Matutinis noctis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, & Stola, si placet, benedicet Ensem, ut in prima parte supra posuimus.

N O T A.

Nihil occurrit quod hoc loco dicamus de Ensis benedictone fieri a Romanis Pontificibus solita in nocte Nativitatis Christi, antequam ad celebrandum solemne ejus noctis Matutinum pergerent. Videri enim possent, quæ Tomo I. adnotavimus in Commentariis ad Titulum VII. in eo Capite, quod inscriptum est, *De Ense in nocte Nativitatis Domini dando, & benedicendo*; & quæ in Commentario sequenti dicemus.

§. II.

De accessu Pontificis ad celebrandum Matutinum in ipsa Nativitatis Christi nocte.

Deinde assumpta Cappa de carmisino, præcedente Cruce, & subsequentibus Papam Cardinalibus, quia non habet Mitram, vadit ad Capellam. Unus ex Clericis Cameræ Ensem cum Galero de bevaro cum perlis præfert ante Crucem; & facta oratione in Faldistorio ante Altare, Pontifex vadit ad Sedem suam a duobus Cardinalibus Diaconis assistentibus deductus, & cum sederit, ipsi Cardinales recedunt, sedentque in locis suis inter alios Cardinales. Cum vero Papa fuerit in Ecclesia, Clericus Cameræ Ensem cam Galero prædicto super Altare ad cornu Epistolæ reponit, & non fit reverentia per Cardinales.

COMMENTARIUS.

I. QUæ ad Ensem pertinent benedictum a Pontifice, & delatum a Clerico Cameræ Apostolicæ una cum Galero, quamvis abunde citato superius loco dixerimus, adhuc lubet nonnihil & hoc loco adnotare præsertim ex iis, quæ in suis Diariis mss. tradit eruditus

Digitized by Google

tus Franciscus Mucantius Apostolicarum Cæremoniarum Magister, quippe qui in eo Officio constitutus diligentem omnem operam suam adhibuit, ut rite, recteque sacræ Cæremoniæ in Capella peragerentur. Ergo, uti scribit Mucantius, *anno* MDLXXIII. *in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, circa, & ante tertiam horam noctis Sanctissimus Dominus noster descendit per scalas secretas in Sacristiam Capellæ. . . . Pontifex*, idest Gregorius XIII. *in ipsa Sacristia paratus Amictu, Alba, Cingulo, & Stola, & impositio incenso in thuribulo, ministrante Priore Presbyterorum Cardinalium, benedixit Ensem, & Pileum, more solito. Mox accepta Cappa sericea, & Ense, ante ipsum per Clericum Cameræ delato, processit ad Capellam. Ensis autem cum Pileo fuit traditus a prædicto Clerico in manibus unius Clavigeri, qui illum tenuit per totum Officium super cornu sinistro Altaris, prout a quibusdam annis citra introductum fuit. Quod tamen minus convenire videtur, quia debet poni simpliciter super Altare, nec decet, ipsum Clavigerum armatum adhærere continuo Altari, sed posset aliquo modo provideri, ut Ensis prædictus sustentaretur aliquo ferreo, vel ligneo instrumento super Altari, ne caderet, quod erit in Congregatione resolvendum.*

II. Refellit Mucantius passim in suis Diariis abusus in Capella introductos, quos nos in decursu hujus Operis, ubi se dabit occasio, notabimus, ne in ritus, ac leges transeant. Sed his omissis, notandum hoc loco censeo quod ad annum MDLXXV. tradit idem Mucantius de ritu servato in traditione Ensis, ac Pilei benedicti præcedenti nocte Nativitatis Christo a Gregorio XIII. facta die 1. Januarii prædicti anni Domini MDLXXV, Carolo Friderico Guillelmo primogenito Ducis Juliæ & Cliviæ. Sic enim ipse Apostolicus Cæremoniarius scribit: *Die prima Januarii Sabbato in Festo Circumcisionis celebravit Missam in Capella Palatii Illustrissimus Dominus Cardinalis Paleottus in paramentis albis. Adfuit Pontifex gestatus in Sede cum Mitra pretiosa, & fuit Sermo. In fine Missæ post benedictionem, conduximus ad pedes Pontificis Illustrissimum & Reverendissimum D. Carolum Fridericum Guillelmum Ducis Juliæ & Cliviæ Primogenitum, cui genuflexo Pontifex tradidit Ensem cum Pileo benedictum in nocte Nativitatis Domini, sed noluit recitare verba, quæ ponuntur in Ceremoniali utpote nimis longa, sed tantum protulit pauca quædam verba in hunc sensum*: Accipe gladium istum, ut eo utaris ad defensionem Ecclesiæ Catholicæ, & contra infideles, & hæreticos. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Interim Cardinales omnes steterunt in circulo, quamquam aliqui ex eis id moleste ferrent, dicentes, satis fuisse, si aliquot Cardinales delecti adstitissent Pontifici, aliis sedentibus. Sed ita Pontifex mandaverat; ideo parendum fuit. Princeps statim accepto Ense osculatus fuit pedem Papæ, eidemque gratias egit, quod tali munere eum decorasset, quod solitum esset magnis Regibus, & Imperatoribus tribui, obtulitque se paratum etiam vitam exponere pro Christi religione, & defensione Sedis Apostolicæ. Tum Ensem deposuit in manibus cujusdam viri nobilis ex suis familiaribus, qui illum redeundo portavit ante Crucem.*

III. Addit tum paulo post, quod exuto suis Paramentis Pontifice, & profectis Cardinalibus, *Familiares Papæ, hoc est, Scutiferi, Cubicularii rubeis vestibus induti, & alii præeundo, comitati fuerunt Principem usque ad ejus mansiones, quæ erant apud Viridarium Vaticani. Ante Principem immediate deferebatur Ensis prædictus cum Pileo, & a lateribus aderant quamplures Clavigeri, quos Mazzerios vocant, ac nos duo Magistri Cæremoniarum. Princeps ipse incedebat medius inter Illustrissimum D. Jacobum Boncompagnum a dextris, & Illustrissimum D. Honoratum Gajetanum a sinistris* (erat is Orator Bononiæ) *& post ipsum veniebant nonnulli Prælati assistentes, qui illum honoris causa consectati sunt usque ad dictum locum, non quidem cum Cappis, sed cum Rocchettis, & eorum habitu ordinario præibant, constipabantque Principem quamplures Milites Helvetii de custodia Sanctissimi Domini nostri. Tympana etiam, & tubæ lætitiæ & honoris causa per totam viam cum plausu sonuerunt, quousque perventum fuit ad dictum locum.* Subdit deinde ita idem Mucantius: *Die sequenti prædictus Princeps donavit nobis Cæremoniarum Magistris ducatos auri in auro viginti quinque.*

IV. Hactenus laudatus Apostolicarum Cæremoniarum Magister, qui etiam & alibi ritum ipsum benedicendi ac donandi Ensem & Pileum nocte Nativitatis Domini enarrat. Sed cum de eo ritu jam dictum a nobis alibi fuerit, ut nunc præsens explicetur §. quod accedum Pontificis spectat ad celebrandum Matutinum in nocte Natavitatis Domini, desumtum videtur ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Capite VII. ubi ita inquit: *In Matutinis vero Papa venit indutus Cappa lanea; modernis temporibus est de veluto cremosino, foderata de ermelinis. Hoc adinvenit Bonifacius IX.* Addit & alia Amelius de ipsa Cappa, quæ tamen melius intelliguntur ex ejusdem Auctoris Cæremoniali, quod fuit quondam Guillelmi de Stoutavilla Archiepiscopi Rotomagensis, & Cardinalis. Sic autem inquit: *In istis Matutinis Papa venit indutus Cappa lanea de scarleto rubeo, clausa usque ad medium pectoris cum bireto connodato subtus barbam propter frigus, & sine Mitra sedet in dictis Matutinis, quas ipse incipit more solito. Nec stant ante Altare Cardinales Diaconi, sed sedent in Cappis juxta ordinem suum &c.* Videri hæc possunt in Ordine Romano XIV. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 324. & seqq. ubi varia prædicti Cæremonialis Capita Romano ipsi Ordini XIV. inserta fuere.

§. III.

De ritibus in primo Nocturno servatis.

Pontifex autem, accepto a Cæremoniario ante ipsum genuflexo signo, surgit, & detecto, vel semidetecto capite, stans versus ad Altare, secrete dicit, *Pater noster;*

Digitized by Google

ster; deinde cantando, & ſibi os cum pollice ſignando, dicit, *Domine labia mea aperies*. ℟. *Et os meum*. Deinde ſignans ſe a fronte ante pectus, dicit, *Deus in adjutorium meum intende &c.* & ſtat quouſque compleantur Invitatorium, Hymnus, & Antiphona primi Pſalmi. Primo Pſalmo incepto, ſedet. Similiter primus Epiſcoporum Aſſiſtentium aptat Papæ Cappam, & ante ipſum extendit fimbrias, & nota, quod ſemper in omnibus Officiis, quando Papa ſurgit, omnes ſurgunt; quando autem ſedet, omnes ſedent, niſi in quibuſdam reverentiis, ut ſuo loco dicemus. Cum dicitur tertius Pſalmus primi Nocturni, Cæremoniarius capit Librum Lectionum, & Clericus Capellæ pulpitum nudum, & præcedente Cæremoniario ad medium Capellæ inter cornua amborum ſcamnorum Cardinalium, verſus ad Altare ponit dictum pulpitum, & Cæremoniarius Librum deſuper, & redeunt ad locum ſuum. Cum dicitur Verſiculus primi Nocturni, Cæremoniarius, accepta parva candela cerea accenſa, factis reverentiis Altari, & Papæ, vadit ante pulpitum, & finito Verſiculo, Papæ facit ſignum, ut ſurgat; qui ſurgit, & capite ſemidetecto dicit, *Pater noſter*, quod ſecrete proſequitur; deinde dicit alte, *Et ne nos*; & aſſiſtentes Epiſcopi apportant Librum, & candelam, ex quo Papa dicit Abſolutionem, *Exaudi &c.* Interim Cæremoniarius illum, qui dicturus eſt Lectionem, ad pulpitum ducens, ibidem expectat finem Abſolutionis; qua finita, Lectionem dicturus, genuflexus verſa facie ad Pontificem cantat: *Jube Domne benedicere*; & Papa ſtans, ut ſupra, ei benedicit, dicens: *Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus*. ℟. *Amen*. Non tamen ſignum Crucis ſuper eum faciens, ſed tantum verba benedictionis proferens. Finita Lectione, cum dicit, *Tu autem Domine miſerere noſtri*, genuflectit verſa facie ad Altare; deinde ſurgit, & factis reverentiis Altari, & Papæ, vadit ad oſculum pedis Pontificis, Cæremoniario præcedente, & pedem Pontificis diſcooperiente, & demum cooperiente, quod ſemper ſervatur, niſi Cardinalibus; deinde ad locum ſuum quiſque revertitur. Si autem dicturus Lectionem Cardinalis ſit, cum pervenerit ad pulpitum, facit reverentiam Altari, & Papæ more conſueto, & dicendo, *Jube Domne*, caput inclinat verſus Pontificem; & cum dicit, *Tu autem Domine*, caput inclinat verſus Altare. Quo dicto, factis reverentiis, ad locum ſuum revertitur; & Cæremoniarius redit ad Altare ad locum ſuum, ibi expectans, quouſque incipiatur Verſus, aut citius, vel tardius, ſecundum quod longum erit Reſponſorium, & Verſus; deinde factis reverentiis, ut ſupra, redit ad pulpitum, & aliam Lectionem ſecundam dicturum ducit, & facit, ut ſupra. Pontifex ad ſecundam Lectionem ſedens benedicit dicens: *Unigenitus Dei Filius &c.* & ſimiliter ad tertiam, cum dicit: *Spiritus Sancti gratia &c.*

COMMENTARIUS.

I. TRadit Durandus in ſuo Rationali Divinorum Officiorum, Lib. VI. Capite XIII. Num. VIII. ubi agit de ratione qua ætate ſua ad celebrandum hac nocte Officium Altaria quibuſdam in locis parabantur, tria paramenta pro tribus Nocturnis deprompta fuiſſe, ad primum nigra, ad tempus, quod Moyſis Legem præceſſit, ſignificandum; ad ſecundum alba, ad revelationis, & prophetiæ tempus demonſtrandum; ad tertium vero rubra, ad repræſentandum gratiæ, & veritatis a Jeſu Chriſto nobis allatæ ardorem: *Ante Nocturnos*, inquit, *ſolent in quibuſdam locis ſuper Altare tres panni poni, ad deſignationem præmiſſorum trium temporum, & in ſingulis Nocturnis ſinguli amoveri. Primus niger pro tempore ante Legem. Secundus albus pro tempore revelationis. Tertius rubeus pro tempore gratiæ propter dilectionem ſponſæ candidæ, & rubicundæ.* Certe ex ms. Ordinario Eccleſiæ Narbonenſis, in ipſa Eccleſia debet in primo Nocturno color rubeus adhiberi, in ſecundo albus, in tertio violaceus. Atque hinc addiſcimus, variaſſe circa eum ritum Eccleſias, teſtiſque eſt idem Durandus loco citato, in quibuſdam quoque Eccleſiis conſuevitſe ſuſpendi bonos pannos, in quibuſdam viles, & in quibuſdam nullos.

II. Quod initium Matutini ſpectat, jam fuſe de eo diſſeruimus in Commentariis ad Cæremoniale Epiſcoporum. Ut autem hoc loco antiquos Romanæ Eccleſiæ ritus explicemus, Nocturnum olim Officium duplex celebrabat Eccleſia Romana; primum in Eccleſia S. Mariæ Majoris, ſecundum in Eccleſia S. Petri; primum in ipſo noctis crepuſculo ſine Invitatorio, eoque expleto, ideſt, Vigiliis cum Matutinis percantatis, Summus Pontifex Miſſam primam ad Præſepe Domini celebrabat, cujus rei praxim videre eſt in Vita Nicolai Papæ I. ubi hæc conſuetudo *olitana*, ſeu antiqua, dicitur. Finita Miſſa, ad S. Anaſtaſiam pergebat, ſecundam in nocte Miſſam cantaturus; deinde vero ad S. Petri Baſilicam ſe conferebat, Vigilias denuo celebraturus cum Matutinis. Hæc ſane conſtant tum ex antiquis Romanis Ordinibus, præſertim XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, Num. XV. & ſeqq. tum ex credito Alcuino in Libro, *De Divinis Officiis*, tum denique ex Amalario in Libro,

Digitized by Google

bro, *De ordine Antiphonarii*, Cap. xv. de nativitate Domini, ubi se reperisse ait in Romano Antiphonario duo Officia Nocturnalia in una eademque nocte posita: *Unde interrogavi*, inquit, *quemdam Clericum educatum ab incunabulis in Sancta Romana Ecclesia, cur essent duo Officia in una nocte posita*. Ait mox, eum sic respondisse: *Primum solet Apostolicus canere in Vigiliis, & in Ecclesia S. Mariæ ad Præsepe sine Invitatorio. Alterum solent Clerici canere in Ecclesia S. Petri cum Invitatorio*, Christus natus est nobis, *nocturnali tempore, quando populus solet ad Officium surgere*.

III. Ad Matutinum Invitatorium ubique est, *Christus natus est nobis*, varioque ritus variarum Ecclesiarum in eo decantando recensent Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XIV. & Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XII. Num. VI. Finito Invitatorio, sequitur Hymnus, fuitque olim in Africana Ecclesia mos, ut Hymni S. Ambrosii in Natali Domini decantarentur teste S. Augustino, qui in Sermone CCCLXXIII. ita ait: *Hunc nostri Gigantis excursum brevissime, ac pulcherrime cecinit B. Ambrosius in Hymno, quem paulo ante cantastis*. Juxta Lingonensis Ordinarii præscriptum tres in hoc Officio Hymni decantari debebant, singuli scilicet ad singulos Nocturnos. Consuetudo ad Hymnorum finem jambicis versibus recitandi, *Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine &c.* a Monachis profecta est, extatque in pluribus Ordinariis. Trium Nocturnorum Psalmi sunt proprii, estque is antiquus mos a S. Benedicto in sua Regula præscriptus, in Festis solemnibus proprios eligendi Psalmos pro Officio noctis. Arbitrati quippe sunt Majores nostri, in Psalmis textum aliquem reperiri posse, qui Festo congruere videretur; eoque textu Antiphonæ loco utebantur, & post eam dicebatur Psalmus.

IV. Lectiones primi Nocturni desumtæ sunt ex prophetia Isaiæ, quæ quidem sine titulo pronunciari debent ex Ordinario Lingonensi, fuitque hic mos antiquus Librum titulo non inscribendi, nisi cum legi incipiebatur, qui mos reliquus est in hoc Officio Nativitatis Christi, in cujus primo Nocturno, uti constat ex antiquo Romano Ordine XI. Num. XV. & ex Durando in Rationali Lib. VI. Cap. XIII. Num. VI. in fine, prima Lectio incipit, *Primo tempore alleviata est terra Zabulon*; secunda, *Consolamini consolamini populo meus*; tertia, *Consurge consurge*. Hæ Lectiones Isaiæ, sunt quidem promissiones a Deo factæ mittendi Messiam, quem etiam singulari ratione designant ad hominum consolationem. Sane ex Namnatensi Ordinario terminari debebant diversis clausulis, prima scilicet hoc modo: *Hæc dicit Dominus Deus, qui hodie dignatus est nasci pro salute humani generis. Convertimini ad me, & salvi eritis*. Secunda: *Hæc dicit Dominus, qui hodierna die homo natus apparuit pro redemptione hominis. Convertimini &c.* Tertia: *Hæc dicit Dominus, qui hodie fieri dignatus est particeps nostræ humanitatis. Convertimini &c.* Invaluit demum, ut in fine Lectionum dicat is, qui eas decinit: *Tu autem Domine miserere nobis*. Ex nostro §. *genuflectit versa facie ad Altare, deinde surgit, & factis reverentiis Altari, & Papæ, vadit ad osculum pedis Pontificis &c.* Estque hic ritus antiquus, cujus meminit Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. VIII. ubi sic inter alia inquit: *Nota, quod Cardinales qui legunt Lectiones ista nocte, post Lectionem non veniunt ad osculandum pedem Papæ; sed alii dicentes Lectiones, vadunt ad osculandum pedem Papæ, sed non Cardinales; & quando dicunt Lectiones, omnes habent Superpellicia, præterquam Cardinales, qui stant cum Cappis dicentes Lectiones*.

V. Juxta antiquum ritum, cujus meminit Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Capite LXVIII. *cum cantatur ultimo tertia Antiphona, accipit*, Episcopus scilicet, vel Presbyter Cardinalis, qui assistebat Papæ in nocte Natalis Domini, *capsulam cum incenso de manu Acolythi, quimi nistrat Domino Papæ, ut moris est; deinde vadit ad Altare, & incensat Altare, & deinde Dominum Papam, & reddit Acolytho, & idem facit in secundo, & tertio Nocturno*. Sane de Lectionibus tertii Nocturni ita scribit Joannes Abrincensis, qui claruit Seculo Christi XII. in Libro, quem inscripsit, de Officiis Ecclesiasticis: *Tria Evangelia in Cappis, incenso, & candelabris præcedentibus pronuncientur*. Quæ omnia adhuc observari in Ecclesia Rotomagensi, cujus laudatus Abrincensis fuit Archiepiscopus, ubi incensatur Altare, antequam quisquam legat Evangelium, testatur Martene citato loco, Num. XI. ubi etiam addit concinere ei ritui Ordinarium Ecclesiæ Argentinæ, cujus hæc sunt verba: *Nota quod ad singula Evangelia hujus Matutinæ datur incensum*. Sed de tertio Nocturno dicemus suo loco fusius, sicut & de ordine cantantium Lectiones.

§. IV.

Ritus secundi Nocturni, & de quinta Lectione cantari solita a Viro Nobili, cui dicatur Ensis & Pileus, a Pontifice hac nocte.

Deinde cantantur tres Psalmi secundi Nocturni, & post Versiculum, surgit Pontifex, & conversus ad Altare, detecto capite, alte dicit, *Pater noster*, secrete prosequitur, & alte pronunciat, *Et ne nos*. Deinde ex Libro dicit Absolutionem, *Ipsius pietas &c.* & benedictionem ad quartam Lectionem, *Deus Pater Omnipotens &c.* & sedet. Quintam legit Nobilis, cui datur Ensis, si est præsens, & stat, ac velit illam legere, hoc ordine. Incepta quarta Lectione, Cæremoniarius Nobilem missum ad angulum post Sedem Diaconorum Cardinalium, ducit

Digitized by Google

ducit illum, ubi Galerus (1) ſit, vel ad alium locum convenientem; & illic Clericus Cameræ Enſem cum Galero de Altari capiens portat. Idem Nobilis induitur Superpelliceo, & deſuper Enſe præcingitur ad latus ſiniſtrum, & Pluviali albo induitur, cujus apertura ſuper brachio ejus dextro ſit, & Galerus prædictus ei in capite ponitur. Quo ſic induto, Clericus Caméræ ad locum ſuum revertitur, & Nobilis, finita quarta Lectione, dum cantatur Reſponſorium, ante Pontificem per Cæremoniarium ducetur, & ibi ante gradus Solii, depoſito ad manus Cæremoniarii Galero, facit reverentiam Altari, deinde Papæ, ad quem converſus, ſtans evaginat Gladium, & tertio cum ejus mucrone terram tangit, vibratque deinde ter, & tandem tergit eum ſuper brachium ſiniſtrum, & reponit in vaginam, & accedit ad pulpitum, ubi, finito Reſponſorio, verſus ad Pontificem, genuflexus, dicit: *Jube &c.* & Pontifex ſedens benedicit ei, dicens: *Chriſtus perpetuæ &c.* Tum ille ſtans cantat Lectionem, & Cæremoniarius tradit Galerum prædictum uni ex familiaribus dicti Nobilis, qui ſedent ad pedes loci, in quo dictus Nobilis ſedere ſolebat. Finita Lectione, idem Nobilis ducitur ad oſculum pedis Papæ indutus ut cantavit, & deinde reducitur ad locum, ubi indutus fuit, ubi exuitur Pluviali, & Superpelliceo, & Enſe diſcingitur (2), quem Cæremoniarius tradit dicto familiari Galerum tenenti, quem ſuper Enſem reponit, ut prius erat; qui Enſem erectum cum Galero deſuper teneat ſedens, ut ſupra, uſque ad finem Officii; & Nobilis ille per Cæremoniarium ad ſuum locum reducitur. Quando vero non eſt præſens, cui Enſis datur, Clericus Cameræ indutus Superpelliceo cantat quintam Lectionem; & quando Papa vadit ad Capellam, & inde revertitur, tam in Matutinis, quam in Miſſa majori, ſemper Clericus ipſe portat Enſem cum Galero. Si vero Nobilis, cui Enſis datur, præſens ſit, & neſciat legere, ipſe Nobilis nihilominus in tempore induitur Superpelliceo, & Pluviali; accingitur Gladio, & Galerus ei imponitur, ut ſupra; deinde ducitur ad Pontificem, & omnia facit præciſe, quæ ſupra dicta ſunt, niſi quod non petit benedictionem, nec legit Lectionem, quæ loco ſuo Clericus Cameræ indutus Superpelliceo facit; & in fine oſculantur ambo Pontificis pedes, Nobilis primum, deinde Clericus Cameræ. Et nota, quod ſatis competenter Pontifex daret Enſem Nobili, ſi eſſet præſens in loco iſto, antequam ille accingeretur Enſe; & tunc cum cantatur Reſponſorium quartæ Lectionis, Nobilis induitur Superpelliceo, & Pluviali, ut diximus; & ductus ante Pontificem, dicto Reſponſorio, genuflexus accipit a Pontifice Enſem, qui dicit illam Orationem (3), *Solent Romani Pontifices &c.* & tunc deſcendens cum habitu extrahit Enſem, quo prius a Miniſtris accinctus fuerat, & facit, ut ſupra dictum eſt. Sextam Lectionem legenti Pontifex benedicit, dicens, *Ignem ſui amoris &c.*

COMMENTARIUS.

I. TEſte Durando in ſuo Rationali Lib. VI. Cap. XIII. ſicut in primo Nocturno hujus Officii, ita & in ſecundo non cantabatur, *Alleluja*, quia ſcilicet primus Nocturnus recolit tempus ante Legem, ſeu eos, qui fuerunt ante Legem, ut Abraham, Iſaac, & Jacob, & ſecundus recolit tempus Legis, ſeu eos, qui ſub Lege fuerunt, ut David, & Prophetas, & alios plures, *qui differebantur ab æterno gaudio, ſcilicet a Patria, in qua juxta Apocalypſim cantatur Alleluja.* In tertio Nocturno cantari *Alleluja* affirmat, quia iſte ſcilicet Novum Teſtamentum recolit, ſeu eos, qui fuerunt in Novo Teſtamento, ut ſunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & alii Sancti, qui migrantes ex hoc mundo, illico in Cælum transferuntur. Quicquid autem de hiſce rationibus ſit, quas ſumma facilitate adinvenire ſolitus erat Durandus, illud ſaltem ex ipſo Auctore addiſcimus, non conſueviſſe ſuo ævo, ſaltem in aliquibus Eccleſiis dici, *Alleluja*, in primo, & ſecundo Nocturno hujus Officii.

II. Ad Lectiones quod attinet ſecundi Nocturni, teſte Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Cap. XII. Num. XIII. ex antiquo Breviario Pariſienſi, poſt ſecundam ejuſdem Nocturni Lectionem, & ex Verticenſi Ordinario poſt tertiam, ſive ut habet Ordinarium Lemovicenſe, poſt tertium Reſponſorium, debebant cantari Verſus Sybillæ Erithrææ, quales habentur apud Euſebium in Oratione Conſtantini Magni ad Sanctorum Cœtum, Capite XVIII. qui etiam ex Ordinario Narbonenſi cantari debebant circa finem nonæ Lectionis *a melioribus vocibus Clericorum*, & ipſis cantatis, reſumi Lectio ab eo, qui primo illam incœperat. Porro ad ſecundum ipſum Nocturnum ex antiquo ritu legitur Sermo S. Leonis Papæ, qui eſt inter omnes ab ipſo Pontifice habitos præſtantiſſimus, & eloquentiſſimus. Nobiliſſimo exprimit ſtylo tum bona, quæ nobis a Nativitate Jeſu Chriſti proveniunt, tum Dei Omnipo-

(1) Ita in editione I. *Venèta*, & Colonienſi, in Romana legitur, *Cappellus*. (2) Ita in Romana, in *Veneta* vero I. & Colonienſi, *decingitur*. (3) Vide ſupra Tomo I. Tit. VII. Cap. inſcripto, *De enſe in nocte Nativitatis Domini dando, & benedicendo*.

Digitized by Google

potentis ininvestigabiles vias,æternumque Decretum de Incarnatione Filii sui, tum etiam moralia documenta ad ædificationem nostram, ut tantum Mysterium cum fructu meditari valeamus. Ibi cernimus, Christum venisse, ut salvaret omnes homines: *Sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.*

III. Juxta §. nostri præscriptum quintam Lectionem hujus Officii, seu secundam secundi Nocturni, *legit Nobilis, cui datur Ensis, si est præsens &c.* Quandonam iste ritus incœperit in Pontificia Capella, ut Nobilis laicus Pluviali indutus, Ense, ac Pileo a Pontifice hac nocte benedictis ornatus Lectionem legat, seu canat, definiri nequit. Occurrunt tamen & in historia Ecclesiastica, & in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis varia antiqua exempla, quæ nos non uno in loco hujus Operis memoravimus, diximusque inter alia, Summos Pontifices non modo Imperatoribus, ac Regibus, verum etiam Principibus non ita magnis hunc honorem impertiisse; qua de re gloriatus est aliquando Orator Regis Franciæ in quadam Epistola ad Carolum VII. quam ms. in Codice Sancti Vincentii Cenomanensis se legisse ait Martene citato loco, Num. x.

IV. In primo Responsorio hujus secundi Nocturni Auctor fortasse respexit bovem & asinum qui vulgo in Jesu Christi nativitate depingi solent, *O magnum Mysterium, & admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio.* Locus tamen Isaiæ, Capite 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, nullam habet relationem ad Jesu Christi Nativitatem, quique nihil aliud est, quam Dei in ingratos homines invehentis querela,in eos, inquam, qui Dei obliviscuntur, Deumque offendunt, quando bos cognoscit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. In Evangelio, quo Jesus Christus dicitur natus in præsepio, nulla fit mentio, nisi pastorum, qui venerant ad adorandum puerum, uti post alios notavit Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. 11. Cap. XIV. ubi etiam postquam dixit, neque Evangelium, neque priscos Scriptores quidquam dixisse de duobus istis animalibus in præsepio Jesu Christi, subdit mox, circa quintum tantummodo seculum inventam esse applicationem istam ad locum, ubi Jesus Christus natus erat. Sed de his vide Sandinum in Historia familiæ sacræ.

§. V.

De tertii Nocturni Ritibus, & Missa.

Deinde cantantur tres Psalmi tertii Nocturni, & Versiculi. Tum Pontifex surgens, capite detecto, conversus ad Altare dicit, *Pater noster*, ut supra, & ex Libro Absolutionem, *A vinculis &c.* Diaconus Cardinalis assistens a sinistris cantat septimam Lectionem cum Evangelio, & Homilia; qui apud pulpitum inclinatus ante Pontificem dicit, *Jube &c.* & Pontifex stans benedicit, dicens, *Evangelica lectio &c.* & perseverat stans, quousque incipiatur Homilia; tum omnes sedent. Octavam Lectionem cum Evangelio cantat Diaconus assistens a dextris iisdem cæremoniis, cui inclinato capite benedictionem petenti Pontifex sedens benedicit, dicens, *Per Evangelica dicta.* Tum surgit Pontifex ad Evangelium. Ultimam Lectionem cantat ipse Pontifex, qui stans versus ad Altare capite detecto, dicit: *Jube Domine benedicere*; sed nullus benedicit. Cantores respondent, *Amen.* Assistentes Presbyter Cardinalis & duo Episcopi accedunt cum Libro, & lumine; duo Acolythi cum suis Cappis cum candelabris, & luminaribus stant ad gradus more solito usque in finem; & Pontifex perficit Lectionem, & in fine versus ad Altare dicit, *Tu autem Domine &c.* Interim cum Papa Lectionem cantat, ponuntur Pluviale album preciosum super Altare pro Pontifice, & paramenta super credentia pro Cardinali Missam celebraturo, si ante illic posita non fuerunt; & Diaconus, ac Subdiaconus Capellæ in Sacristia, aut alio convenienti loco se induunt more solito. Capellani etiam Cardinalis celebraturi ad credentiam suis Cottis induuntur. Finita Lectione, Subdiaconus Apostolicus in sua Cappa submissa voce præintonat Pontifici, *Te Deum laudamus*; qui ex Libro, si placet, illud intonat, & Cantores prosequuntur; quo incepto, Cardinalis Missam dicturus, accedit ad Altare, & in Faldistorio consueto accipit Sandalia, & dicit Psalmos, *Quam dilecta &c.* Deinde induitur omnibus paramentis consuetis per Subdiaconum, & Diaconum Capellæ, ut moris est. Cum dicitur Versus, *Te ergo quæsumus*, ad verba, *quos pretioso Sanguine redemisti*, Papa in Sede sua, & omnes alii genuflectunt, & in fine Pontifex sine Mitra dicit, *Dominus vobiscum*, & Orationem, *Concede quæsumus*, ex Libro cum Assistentibus, & Ceroferariis more solito, & in fine Pontifex replicat, *Dominus vobiscum*, & Cantores dicunt, *Benedicamus &c.* & Pontifex ante Sedem Solii sui exuitur Cappa, & Pluviali albo, & Mitra induitur; & accedit ante Altare, ubi cum celebraturo illuc veniente dicit Confessionem more solito, & incipitur

Digitized by Google

pitur Introitus, & Missa, & non fit reverentia Papæ per Cardinales, quia fiet in Missa majori; sed finita Confessione, ascendit ad Solium, & Presbytero Cardinali assistente ministrante, Papa imponit incensum. Celebraturus incensat Altare, incensatur ipse, deinde Papa, qui surgit sine Mitra, & dicit Introitum. Interim Cardinales veniunt ad Circulum, cum quibus dicit, *Kyrie eleison*; deinde, *& in terra*. Quo dicto, Presbyter Cardinalis venit ad scabellum suum ad assistentiam Pontifici. *Pax vobis* dicitur, & una tantum Oratio. Post Offertorium omnes incensantur, & Pax datur more consueto. Finita Missa, Papa dat benedictionem, & non Indulgentias. Deinde recedit Papa cum omnibus Cardinalibus, Prælatis, & Officialibus. Ensis etiam cum Galero, si ille, cui datus est, præsens sit, per ipsius familiarem ante eum in suo loco procedentem portatur; alioquin si absens sit, per Clericum Cameræ ante Crucem ad Cameram Pontificis reportatur, ubi manet usque ad Missam majorem.

COMMENTARIUS.

I. AD tertium Nocturnum leguntur Homiliæ super trium hujus diei Missarum Evangelia. In Homilia S. Gregorii apparet ætate sua receptus mos dicendi Romæ tres Missas solemnes in hoc Festo, eamque ob causam prædicatio fieri soliita a Romanis Pontificibus inter Missarum solemnia, & quidem post Evangelium, ut alibi dictum fuit, abbreviabatur. In Homilia S. Ambrosii Nativitas Jesu Christi incunabulum vocatur Ecclesiæ, quæ cum Nativitate Salvatoris sumsit exordium Nativitatis suæ. Homilia demum S. Augustini firmat contra Arianos Verbi incarnati Divinitatem, & æternitatem. Porro de Lectionibus tertii Nocturni lubet repetere hoc loco, quod alias supra diximus ex Joanne Abrincensi Episcopo in Libro, *De Officiis Ecclesiasticis*, ubi hæc habet: *Tria Evangelia in Cappis, incenso, & candelabris præcedentibus, pronuncientur*. Testatur Martene in suo Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XII. Num. XI. servari adhuc eum ritum *in Ecclesia Rotomagensi, ubi incensatur Altare, antequam quisquam legat Evangelium*.

II. Quamquam vero variatum fuerit non semel Romæ circa ordinem cantantium Lectiones in hoc Nativitatis Domini Officio, tres tamen ultimæ jam pridem cantari consuevere a Diaconis assistentibus Papæ, & ab ipso Papa, ut Capite sequenti dicemus. Sane ubi Papa cantat nonam Lectionem, stans quidem versus ad Altare capite detecto dicit, *Jube Domine benedicere*, sed nullus benedicit. Cantores respondent, *Amen*, ut ait hic noster §. qui haud dubie antiquo ritui concinit, cujus meminit Ordo Romanus XIV. Cap. LXVI. in fine, sic inquiens: *Nonam vero Lectionem legit Dominus Papa, in qua dicit*, Jube Domine benedicere; *& nullus benedicat ei, nisi tantummodo quod omnes respondeant*, Amen. Eadem habet Amelius in Romano Ordine XV. Cap. VIII. ubi ait, nonam Lectionem cantari a Papa, *in qua dicit solummodo*, Jube Domine benedicere, *& Cantores respondent*, Amen.

III. Ritus, quo nona Lectio cantatur, perspicue in hoc nostro §. enarratur, variisque exemplis comprobari posset, quæ passim leguntur in mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis. Finita Lectione, ut inquit hic noster §. *Subdiaconus Apostolicus in sua Cappa, sub-*

missa voce præintonat Pontifici, Te Deum laudamus, *qui ex Libro, si placet, illud intonat, & Cantores prosequuntur*. Atque hic est quidem ritus, quem præscripserat Romanus Ordo XV. Cap. VIII. his verbis: *Lectione lecta per Papam, Subdiaconus incipit ante Papam*, Te Deum laudamus; *& Papa iterum resumit*, Te Deum; *& Cantores perficiunt totum*. Quod ad hunc Hymnum attinet, Honorius Augustodunensis Lib. IV. Cap. CXVII. observat, disceptatum suo ævo fuisse, utrum deberet dici ante primam Missam, vel post; verum invaluit usus, ut post Matutinum dicatur, cujus unam semper constituit partem, postquam inseri Matutino cœptum est. Porro, ut ait noster §. *incepto*, Te Deum, *Cardinalis Missam dicturus accedit ad Altare, & in Faldistorio consueto accipit Sandalia, & dicit Psalmos &c.* Dici consuevisse hanc Missam a Papa in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris, ubi Officium celebrabatur, constat plane ex Ordinibus Romanis XI. XII. & XIII. *Cantat ibi Dominus Papa Missam de nocte ad Altare, quod vocatur Præsepe*.

IV. Missæ in nocte cantatæ per Papam Seculo XIV. tenuis est etiam Romanus Ordo XV. Cap. VIII. ubi etiam ita ritum exponit: *Dum cantatur*, Te Deum, *Sacrista facit parari paramenta super Altare albi coloris, primo Casulam, secundo Dalmaticam, super parte sinistra Tunicellam, super parte dextra Stolam pectoralem, Chirothecas, Annulos, Pallium, tres acus, sive spinulas*, pro firmando scilicet Pallio, *Sandalia super eadem parte, Manipulum infra Librum Evangeliorum, in sinistra parte Mitram, in medio Altaris Albam simplicem, & ab una parte Cinctorium cum Succinctorio versus Mitram, & Fanum a parte dextra; & sic idem Sacrista successive, & ordinate, cum honestate tradit, & distribuit Capellanis, Commensalibus, Auditoribus, & Acotytbis juxta ordinem suum Summo Pontifici deferendis*. Pergit laudatus Ordo, & ait: *Completo vero*, Te Deum, *portantur duo candelabra cum faculis per Acolytbos ante Papam, & Missale per aliquem Episcopum de sibi adstantibus, & ponit super caput primi Presbyterorum, qui sibi servire debet in hac Missa, & Papa dicit Collectam; qua finita, non datur benedictio, sed Acolytbi cantant*, Benedicamus Domino; *& interim Papa stando, duo Diaconi Cardinales deponunt sibi illa vesti-*

Digitized by Google

menta præcise usque ad Camiciam, seu Albam Romanam, & induunt ipsum sacris vestibus, prout scripta sunt, & notata superius, ordine contrario, quia primo traditur ei Alba per illum, qui habet legere Evangelium, qui etiam debet esse in habitu Diaconi a parte dextra Papæ, & per Subdiaconum ex parte sinistra; ambo simul induunt Papam; secundo Cinctorium cum Succinctorio; & caveat, ut illud pendeat ad latus sinistrum; tertio Crucem pectoralem; quarto Fanum, & sic deinceps. Ita memoratus Ordo Romanus, Auctore Petro Amelio, qui vivebat labente Seculo XIV. Ceterum de his, & aliis sacris Summi Romani Pontificis indumentis videri potest eruditissimus Dominicus Georgius Tomo I. *De Liturgia Romani Pontificis.*

V. Juxta antiquum ritum prima Missa inscribi solet *in galli cantu*, idest in media nocte, circa quam tunc primum galli cantare solent, uti pluribus docet Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XII. Num. XIX. ubi opinionem Viri nescio cujus refellit, qui eam inscriptionem non de primo gallorum cantu, sed de postremo debere intelligi contendebat. Quod ritus spectat in ea Missa observari solitos Romæ, & primum de Angelico Hymno, *Gloria in excelsis Deo*, de quo alias fuse diximus, si vera sunt, quæ Sigebertus in Chronico, & Innocentius III. Lib. II. *De Mysteriis Missæ*, Cap. XX. scribunt, Telesphorus Papa, qui vivebat anno CL. Hymnum ipsum in Missa tantum nocturna Nativitatis Domini cantari decrevit. In Libro inscripto, *Speculum Ecclesiæ*, cujus Auctor est Turonensis, pro certo affirmatur, pro Missa diei Natalis cœptum fuisse cani *Gloria in excelsis*, & Romæ dictum Græce ad primam Missam, & ad secundam Latine, & a die Natalis invaluisse morem dicendi *Gloria in excelsis* in Missis solemnibus. Fuit & hic aliarum Ecclesiarum mos, præsertim vero Turonensis, quem etiam ante annos CDL. adhuc illibatum viguisse in Martiniana ejusdem Civitatis Basilica, ut nempe in Missa, quæ in Nocte Natalis Christi celebrabatur, Angelicus Hymnus Græce diceretur, notavit Martene citato loco, Num. XX.

VI. Romæ præterea, ut testem habemus Ordinem Romanum XII. quicquid in hac Missa, quam celebrabat scilicet Pontifex, offerebatur, *sive ad manus, sive ad pedes ipsius Domini, vel super Altare, Capellanorum erat, excepto pane, qui erat Acolythorum, si recipere volebant.* Idem constat ex Ordine Romano XIV. Cap. LXVI. ex quo etiam habemus, dici consuevisse in ipsa Missa, *Gloria in excelsis Deo*, & *Credo*, & Præfationem, *Quia per incarnati &c.* & *Communicantes*. Sed audiamus Ordinem Romanum XV. Capite IX. cujus verbis magis magisque illustratur quod ex memoratis Ordinibus XII. & XIV. dictum fuit: *Item quicquid offertur, sive ad manus Papæ, vel pedes, vel super Altare, Capellanorum commensalium est, excepto pane, & vino, quod Acolythorum est, & quicquid venit per totam Missam super Altare; & iste modus debet semper observari in omnibus Missis Papalibus, prout continetur in Libro Politico, secundum quod dicit Jacobus Gajetani, & Prebyteri cum Capellanis recipiunt* XII. *denarios a Papa, qui vocantur Presbyterium, de quibus medietas est Sacristæ juxta ordinem Urbani*, Papæ nempe VI. Sane Liber Politicus est Ordo Romanus XII. Auctore Cencio Camerario, qui in Ordine Romano XV. passim *Politicus*, rectius *Polypticus*, aliquando *Camerarius* appellatur. Jacobus autem Gajetani, est auctor Romani Ordinis XIV. Quod autem ad Presbyterium attinet, legi potest doctissimus Petrus Morettus qui insigne Opus conscripsit, *De Presbyterio.*

VII. Sed nec omittenda quæ de ipsa prima Missa docet nos laudatus toties Romanus Ordo XV. Cap. IX. *Nota*, inquit, *quod in hac Missa, nec in secunda non dicitur*, Lætatus sum. *Item in præsenti Missa solus Papa communicat, & super Altare, & sine calamo bibit Sanguinem, & nihil aliud, quia habet celebrare illam de tertiis; sed cum digitis bene tergat Calicem, & cum aqua infra lavet digitos, prout moris est in parvis Missis.* Digna quoque notatu hic sunt quæ, tandem de hac Missa scribit: *In hac Missa*, ait, *nec in sequenti Cardinales non consueverunt venire ad reverentiam Papæ, quoniam bis in die non tenentur.* Et paulo post: *Contrarium ordinavit Dominus Urbanus VI. sed in secunda Missa de aurora non veniunt, sed in prima, & tertia. Bene.* Hactenus Ordo Romanus XV. ex cujus præscripto ideo in hac Missa, in qua solus Pontifex celebrans communicabat, Psalmus, *Lætatus sum*, non dicebatur, quod dici solitus esset ante aliorum Communionem. Quod vero ait in hac Missa Papam bibere Sanguinem, & nihil aliud, firmari & ex eo potest, quod legitur in Rubrica Sacramentarii Gregoriani in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, scilicet quod Apostolicus, *quando celebrat duas Missas una die, non lavat os, nisi post Officium.*

VIII. His sic explicatis, redeo nunc ad nostrum §. in quo ritus narratur, quo in nocte Nativitatis Domini, præsente Papa, Cardinalis celebrat Missarum solemnia: *Pontifex*, inquit, *ante Sedem Solii sui exuitur Cappa, & Pluviali albo, & Mitra induitur, & accedit ante Altare, ubi cum celebraturo &c. illuc veniente dicit Confessionem &c.* Similia sunt, quæ leguntur in Ordine XIV. Capite LXVIII. ex cujus præscripto, Cardinalis, *si deberet Missam cantare in galli cantu, vel in mane, primo induit se omnibus vestimentis albis, & venit ad Altare, & stans a sinistris Domini Papæ, incipit* Introibo, & *Psalmum*, Judica me &c. *& deinde repetit*, Introibo; *& responso a circumstantibus*, Ad Deum &c. *Dominus Papa dicit*, Adjutorium &c. *& facit Confessionem, & Absolutionem. Deinde Sacerdos dicit*, Deus tu conversus &c. *& antequam incipiat Introitum, incensat Altare; & postea redit ad Sedem, & dicit Introitum*, & kyrie eleison, *& prosequitur Missam ordine suo.* Sed ut aliquod recentioris ritus exemplum afferamus, certe Mucantio in ms. Diario Pontificatus Gregorii XIII. ad annum MDLXXII. ita scribit consentanee ad nostrum §. *Pontifex, expleto Hymno*, Te Deum &c. *post Matutinum, & cantata per ipsum oratione, descendit de Sede, & stans in plano Solii, deposita Cappa, accepit Pluviale, & Mitram, descenditque ante infimos Altaris gradus,*

Digitized by Google

dus, ubi depoſita Mitra, incœpit Confeſſionem cum Celebrante.

IX. Eſt & aliud, quod hic adnotemus ex eodem Mucantio ad prædictum annum Domini MDLXXII. *Illud obſervatum*, inquit, *præter conſuetum, ut dum in Miſſa cantatus fuerit Verſiculus ille Symboli*, & incarnatus eſt &c. *Papa profundius ſolito inclinavit, Cardinales autem, & omnes uſque ad terram genuflexerunt; quod in Congregatione generali faciendum eſſe in hac Miſſa* (loquitur de tertia Miſſa ſolemni celebrata perPontificem in Baſilica S. Petri) *& ea, quæ cantatur nocte præcedenti, ac etiam in die Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, reſolutum fuit, & a Papa approbatum, & nunc primum uſu receptum.* Ceterum ſervatur hic hodie ritus in Pontificia Capella, ut non modo in Feſto Nativitatis Chriſti, ſed & in Annunciationis Deiparæ celebritate ad ipſum verſiculum Papa, Cardinales, & omnes alii genuflectant. Atque hæc eſt etiam praxis communis Eccleſiarum, de eaque videri poſſunt Gavantus, & illius annotator Meratus, ut alios omittam, qui ipſam rituum praxim peculiaribus editis Libris enarrant. Sed & de eadem re diximus etiam nos alibi.

CAPUT XII.

De Ordine cantantium Lectiones.

Lectiones in hac nocte triplici ordine cantari conſueverunt noſtris diebus. Omnes explicabimus. Pontifex pro tempore, ut magis ſibi placebit, ſervari mandabit. Ante tempora Pauli Secundi ſervatum vidimus, & legimus hunc modum. Primam Lectionem Clericus Cæremoniarum, Secundam Acolythus, Tertiam Auditor, Quartam junior Presbyter Cardinalis, Quintam Nobilis, cui datur Enſis, vel ejus loco Clericus Cameræ, Sextam Subdiaconus Apoſtolicus, Septimam Diaconus aſſiſtens a ſiniſtris, Octavam Diaconus a dextris, Nonam vero Pontifex. Cardinales dicunt cum ſuis Cappis laneis, alii omnes cum Superpelliceis. Hunc modum hactenus ſervavit Innocentius Octavus. Alius modus ſub Paulo Secundo. Primam Acolythus, Secundam Auditor, Tertiam Subdiaconus cantabat, Quartam junior Presbyter Cardinalis, Quintam Nobilis ab Enſe, etſi neſciret litteras, ejus loco Clericus Cameræ; in abſentia vero illius, ſecundus junior Presbyter Cardinalis, Sextam alius junior Presbyter Cardinalis, ita ut duo, vel tres juniores Presbyteri dicerent in ſecundo Nocturno; duo in præſentia Nobilis, tres in ejus abſentia, a juniori tamen incipiendo. Ultimæ tres Lectiones, ut prius cantabantur. Sixtus autem Quartus voluit, ut omnes Lectiones cantarentur per Cardinales, & ſex primæ incipiendo a juniori Diacono, ſive Presbytero in abſentia Diaconi, per ordinem cantarentur, & per Epiſcopos Cardinales, ſi deficerent; aliæ tres ultimæ, ut prius, per Diaconos aſſiſtentes, & Papam. Si vero in his Matutinis intereſſet Imperator, ipſe cantaret ſeptimam Lectionem ſub Evangelio, *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto*, his cæremoniis. Cum cantatur ultimus Pſalmus in tertio Nocturno, Clerico Cæremoniarum ordinante, Diaconi aſſiſtentes Papæ, accedunt ad Imperatorem, quem a ſua Sede ad planum deſcendere monet, & illic eum induunt Superpelliceo, deinde accingunt Enſe benedicto; demum induitur (1) Pluviali albo, non cum apertura ſuper humerum dextrum, ſed ante pectus, ut Epiſcopi, ut in ſigillis Imperialibus ſculptus apparet. Galerus ejus Armigero traditur, nam Cæſar (2) illud in capite non portat, quia eſt inſigne Ducalis dignitatis, quæ longe eſt inferior Imperiali. Imperator ſic ornatus ducitur medius a Cardinalibus Diaconis ante Pontificem, qui facta reverentia, nudat Enſem, inclinat, vibrat, tergit, & recondit, ut de Nobili diximus. Tum accedit in tempore ad pulpitum, & profunde inclinatus, ad Pontificem verſus, dicit: *Jube Domine benedicere*; & Pontifex: *Evangelica Lectio &c.* Tum Imperator legit Evangelii partem uſque ad Homiliam tantum, ſi placet, & Homiliam proſequitur Diaconus, qui aſſiſtit a ſiniſtris. Quod ſi Imperator vult totam Lectionem legere, laudabile erit, & Diaconus ipſe nihil dicit. In fine Lectionis Imperator cum ſuo habitu, ſive totam, ſive partem Lectionis dixerit, aſcendit ad oſculum pedis Pontificis, deducentibus, & miniſtrantibus ipſis Diaconis Cardinalibus; poſtremo reducitur ante ſuam Sedem, ubi exuitur ſacris veſtibus, & Enſis cum Galero detur Armigero Cæſaris, qui illos (3) deinde tenet, & portat ante Cæſarem, qui revertitur ad Sedem ſuam, & Diaconi ad aſſiſtentiam Papæ. Hunc modum ſervari vidimus, cum Fride-

(1) Ita in Veneta 1. editione, & Colonienſi, in Romana vero, *induitur*. (2) *Illud*, habent omnes citatæ editiones. (3) Sic in Romana editione, in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur, *illum*.

Digitized by Google

ricus Tertius Imperator sub Paulo Secundo Romæ his celebritatibus interfuit anno salutis millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.

COMMENTARIUS.

I. ORdo cantantium Lectiones in Officio Nativitatis Domini non idem semper fuit, triplici ordine cantari eas consuevisse, ait hic noster §. qui tamen alium antiquiorem ordinem silet Romæ olim in Capella Pontificia apud S. Mariam Majorem servatum, cujus meminit Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. LXVI. *In primo Nocturno*, inquit, *legunt tres Lectiones Clerici ejusdem Ecclesiæ, & Cantores pro ipsa Ecclesia cantant tria Responsoria: Lectionem quartam legit unus ex Cardinalibus Presbyteris; Lectionem quintam aliquis Judex, vel Septimanarius; Lectionem sextam aliquis Diaconus Romanæ Curiæ; Lectionem septimam homeliam aliquis Diaconus Cardinalis, qui servit Papæ a parte sinistra; & aliam homeliam alter Diaconus Cardinalis. Nonam vero Lectionem legit Dominus Papa, in qua dicit*, Jube Domne benedicere, *& nullus benedicat ei, nisi tantummodo omnes respondeant alta voce*, Amen. Variat tantisper Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Capite VIII. ubi de Lectionibus legendis in Officio noctis Natalis Domini hunc ordinem recensetur: *Duas primas Lectiones legunt Acolythi, vel Clerici Capellæ; tertiam legit junior thesaurariæ Clericus, quartam minor Presbyter Cardinalis; quintam Nobilior in genere, qui tunc sit in Curia; sextam prior Subdiaconorum; septimam junior Diaconus Cardinalis, qui stat a sinistris Papæ; octavam prior Diaconorum Cardinalium, qui stat a dextris Papæ; nonam Papa*. Monet tum etiam mox Amelius, *quod Cardinales, qui legunt Lectiones ista nocte, post Lectionem non veniunt ad osculandum pedem Papæ, sed alii dicentes Lectiones vadunt ad osculandum pedem Papæ; & quando dicunt Lectiones, omnes habent Superpellicea, præterquam Cardinales, qui stant cum Cappis dicentes Lectiones, & Lectione lecta per Papam, Subdiaconus incipit ante Papam*, Te Deum Laudamus, *& Papa iterum resumit*, Te Deum; *& Cantores perficiunt totum*.

II. Quicquid sit de antiquo ritu, certe *Sixtus IV.* ut ait hic noster §. *voluit, ut omnes Lectiones cantarentur per Cardinales, incipiendo a juniori Diacono, sive Presbytero in absentia Diaconi, per ordinem cantarentur, & per Episcopos Cardinales, si deficerent, aliæ tres ultimæ, ut prius, per Diaconos assistentes, & Papam*. Mentionem passim servati hujus ritus faciunt quidem Ceremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, inter quos Mucantius ad annum MDLXXIII. postquam dixit, in nocte Nativitatis Domini Lectiones fuisse cantatas per octo Cardinales, nonam vero per Summum Pontificem, qui erat Gregorius XIII. abusum sui ævi refellens, ita subjicit: *Quæ quidem Lectiones fuerunt per sex, aut octo dies per me distributæ, & portatæ ipsis Reverendissimis Dominis Cardinalibus ad eorum proprias habitationes in quibusdam foliis scriptæ, & mihi consignatæ a R. D. Sacrista, & ea postmodum hac nocte fuerunt per Reverendissimos Dominos, seu eorum Caudatarios reportata, & unusquisque Cardinalis cantavit suam Lectionem super dictis foliis positis super Libro aperto existente super legili in medio Cappellæ, ut moris est in nonnullis annis citra. Qui tamen mos mihi valde inconvenieus videtur, ac gravitati, dignitatique Cardinalari repugnare, ut in conspectu omnium cartæ illæ afferantur, in quibus Cardinales Lectiones præstuduerunt, quasi illas ex Libro ipso Lectionum legere nesciant, aut dedignentur; quod puerile admodum est, ideo correctione dignum. Correctio autem hujusmodi esse posset, ut folia quidem darentur prius ipsis Reverendissimis Dominis Cardinalibus, ut supra, per aliquot dies, in quibus Lectiones præviderentur, sed in ipsa nocte, non nisi in Libro legerent*.

III. Aliud quoque in ipsis Lectionibus per Cardinales legendis reformatione dignum visum est eidem Mucantio cupienti scilicet, *ut ipsi Reverendissimi Domini Cardinales, quoties vocantur ad legendas, seu cantandas Lectiones, ducerentur, & reducerentur a duobus Cæremoniariis inter eos medii, vel in defectum Cæremoniariorum, a substitutis, vel Clericis Cappellæ, & legile, super quo Liber ponitur, esset panno aureo contectum, prout fuisse in usu, cum Cardinalis cantabat, testatur olim Paris de Grassis*. Ita Mucantius ad prædictum annum MDLXXIII. qui & alibi idipsum affirmat, ac præsertim ad annum MDLXXVII. ubi enarrans ritus in nocte Natalis Domini ejusdem anni servatos, hæc habet: *Pulpitum, ubi cantatæ fuerunt Lectiones, fuit nudum, prout est in usu nostris temporibus; sed forte decentius esset tegi panno aureo, vel sericeo, prout fieri consuetum esse temporibus suis, testatur Paris de Grassis, quando Cardinales cantant Lectiones*. Ceterum cantat in suo Solio nonam Lectionem Pontifex, cui assistunt duo assistentes Diaconi, qui iccirco, cantata octava Lectione, ad Solium ipsum Pontificis ascendunt, ut idem Mucantius citato loco notavit.

IV. Quod Lectionem spectat & ritum illius cantandæ per Principem, seu Imperatorem, si huic Officio adesset, nulla profecto ejus mentio in antiquioribus Romanis Ordinibus Seculo XII. vel XIII. exaratis. Expressus est nihilominus ipse ritus in Ceremoniali Petri Amelii, quod fuit quondam Guillelmi de Stoutavilla Archiepiscopi Rotomagensis, & Cardinalis, insertumque est Ordini Romano XIV. apud Mabillonium Tom. II. Musæi Italici pag. 325. & seq. *Si Imperator*, inquit, *vel Rex sit in Curia hac nocte, Sacrista, & Clerici præsentant sibi Librum legendarum, in quo debet legere quintam Lectionem, & eum honeste instruunt de cæremoniis observandis, in petendo benedictionem, in levando Ensem cum vagina, & extrahendo, ipsum vibrando, & de Pluviali, Pileo, & aliis*. Addit mox alia, quæ ritum ipsum perspi-

Digitized by Google

ſpicue explicant: *Item notabiliter paretur per Sacriſtam, & Clericos Cameræ Enſis cum vagina, corrigea, & Pileo ſecundum nobilitatem Principis; & dum cantatur quartum Reſponſorium, ſi ſit Imperator, vel Rex, Camerarius, Sacriſta, & Clerici Capellæ parant unum pulcrum Pluviale album, & ante pulpitum deponunt ſibi capucium, & ipſum induunt ad modum chlamydis illud Pluviale, ita quod ſciſſura ſit ad manum ejus dextram, & cingunt ei Enſem; & ipſemet extrahit, & facit vibrare, & ponunt ſibi ſuper caput Pileum, & ipſe inclinat caput ad Papam, & petit benedictionem, & legit Lectionem ſibi prædictis adſtantibus; qua lecta, ducunt ſic indutum cum Pileo ſuper caput, Enſe extracto in manu, ad oſculum pedis Papæ, & quilibet revertitur ad locum ſuum.*

V. Juxta ritum hucuſque deſcriptum, jam Imperator non ſeptimam lectionem, ut præſcribit noſter §. ſed quintam cantabat, Pluviali quidem indutus, *cum ſciſſura ad manum ejus dextram*, non vero *ante pectus*, ut idem noſter hic §. mandat. At vero non deſunt exempla, quibus docemur, Imperatores Romanos Imperatoria veſte indutos ſeptimam ipſam Lectionem cantare affectaſſe, propter illa verba, *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto &c.* Certe anno MCCCLXXVII. non potuit Carolus IV. a Rege Galliæ impetrare, ut Natale Chriſti ad S. Quintinum ageret; quod cum moris illi eſſet, ut ad Nocturna Officia ſeptimam Lectionem in veſte Imperatoria recitaret, moleſtiſſime laturi eſſent Galli, ea vel umbra juriſdictionis eum in Galliis gaudere, in quam nil unquam juris fuit Germanis Imperatoribus: *Quoniam cum moris eſſet Imperatorem nocte Natalis ſeptimam Officio Matutinali Lectionem in habitu, & inſignibus Imperialibus recitare, nequaquam id licuiſſet ei intra Regnum Franciæ nihil Imperio debens exercere.* Rem narrat Spondanus ad annum prædictum MCCCLXXVII. Num. XV. qui & alibi narrat, Sigiſmundum Imperatorem anno MCDXIV. Conſtantiam veniſſe in pervigilio Nativitatis Domini, & ad Miſſam Pontificalem habitu Diaconali indutum legiſſe Evangelium, *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto &c.* Uſum legendi, vel cantandi Evangelium in Miſſa Pontificis, vel ab ejus Legato in nocte Nativitatis Domini celebrata, antiquiorem eſſe oſtendit id quod aſſerit Bohuslaus Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum, ubi pag. 368. ſcribit, Carolum IV. Imperatorem Sigiſmundi Patrem anno MCCCLVII. in Comitiis Imperii Metis habitis, in nocte Nativitatis Domini, Miſſam Legato Pontificio ſolemniter celebrante, Diaconi munere functum eſſe, & Evangelium legiſſe. Sed fallitur in anno, ea enim Comitia habuit Carolus deſinente anno Domini MCCCLVI. ut ſcribit Villanius in ſua Hiſtoria Lib. VII. Cap. XLVI. & Rebdorfius in Annalibus. Notat & hæc Pagius in Vita Joannis XXIII. Num. XXI. ubi etiam addit, non ſolum in Miſſa Nativitatis Domini a Pontifice Romano, vel ab ejus Legato celebrata, Imperatorem ſeptimam Lectionem legiſſe, ſed etiam quolibet anno in eadem Miſſa, a quocumque celebraretur, Evangelium recitaſſe.

VI. Denique ut alia exempla omittam de Lectione ſeptima, & ritu in ea cantanda in Officio noctis Nativitatis Domini, celebre eſt quod de Friderico III. Imperatore in eandem rem narrat noſtri hujus Cæremonialis ordinator Auguſtinus Patricius in deſcriptione adventus ipſius Friderici III. Romam anno MCDLXVIII. ad Paulum Papam II. Sic enim ſcribit Num. XI. *Conſueto quoque loco cantabantur Pſalmodiæ Matutinæ.* Tum vero paulo inferius: *Septimam*, Lectionem, *quæ principium habet Evangelii ſecundum Lucam*, Exiit Edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis, *Cæſar ipſe cantavit his cæremoniis. Primo deſcendens e Sede Imperator, juvantibus Diaconibus Cardinalibus, qui Pontifici miniſtrabant, ſupra Togam, qua quotidie utebatur, indutus lineam Tunicam, quam nonnulli Cottam, aliqui Superpelliceum vocant. Poſt hæc Stolam accepit in morem Diaconi ſuper humerum ſiniſtrum religatam ſub dextro; ſed cum Paludamentum deinde album illi imponerent, aptarentque ejus aperturam ab humero dextro, ut aliis non initiatis fieri ſolet, renuit Imperator, aptavitque illud cum apertura ante pectus, aſſerens, Cæſarem Pluviale, & Stolam ad morem Sacerdotum geſtare oportere, atque ita ut in magno Cæſareo ſigillo ſculptum vidimus, ubi Imperator in majeſtate ſedens Paludamento Sacerdotali, & ſubtus Stola in Crucis modum ante pectus ornatus imprimitur. Cum Diaconi Stolam, ut ille dixerat, vellent componere, reſpondit Cæſar, non opus eſſe quicquam immutari, quoniam id videret nemo. Gladium vero ſacrum, quo eum volebant accingi, non accinxit, ſed Armigero ſuo juſſit dari, & Pilleum cuidam ex adſtantibus. Donatur enim & Pilleum quoddam cum Enſe, ut noſti.* Itaque licet ex antiquo ritu ſciſſura Pluvialis deberet poni ad manum Imperatoris dexteram, mutatus ille deinde fuit ab Auguſtino Patricio in hoc Cæremoniali, exemplo inductus Friderici III. Imperatoris, qui Pluviale ante pectus apertum voluit.

VII. Sed audiamus rurſus Patricium in citata deſcriptione ubi ritum ipſum a Friderico in cantanda ſeptima Lectione ſervatum ita recenſet: *Imperator poſt hæc ante Pontificis Thronum accedens detecto capite, ſtrictum Enſem ex Armigeri manu accipiens, eum tertio vibrat, redditque ſtatim Armigero; vadenſque deinde ad ornatum pluteum, quo Liber ſuſtinebatur, inclinato capite benedictionem petiit a Pontifice; qua accepta, cantavit Evangelium uſque ad principium Homeliæ; Homeliam vero proſequutus eſt Cardinalis Diaconus, qui miniſtrabat a ſiniſtris. Evangelio lecto, Imperator ſacras exuit veſtes, & inclinata rurſum cervice coram Pontifice, ad Sedem ſuam rediit. Ille autem, qui Gladium tenebat ſacrum, eum in aurea vagina condidit, ſuperpoſuitque Pileum. Reliquæ cæremoniæ ordine conſueto peractæ ſunt, & in Matutinis, & Miſſa nocturna &c.* Sed de hac re ſupervacaneum erit amplius diſſerere, cum jam & Tomo I. hujus Operis, & in hoc Tomo II. non ſemel dixerimus. Videri etiam poteſt quod & de eadem re ſcripſimus in alio Opere noſtro, quod inſcriptum eſt, *De Codice Sancti Evangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario ritibus*, Lib. II.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Laudibus, & Missa in Aurora.

Cantores post recessum Papæ dicunt Laudes cantando, vel legendo, prout eis magis placebit. Interim Sacrista induitur pro secunda Missa dicenda omnibus paramentis Pontificalibus, ut in aliis Missis fieri solet. Accedit ad Altare, dicens, *Introibo*, & *Confiteor*, & ut alias. Cantores incipiunt Introitum, & prosequuntur, ut alias, Papa absente, in Capella fieri solet. Finita Missa, stans cum Mitra ante medium Altaris, dat benedictionem, ut moris est, & non pronunciantur Indulgentiæ.

COMMENTARIUS.

I. JUxta ritum in Ordine XV. Romano descriptum, Cap. IX *dicta Missa, & data benedictione Papali, & denunciata Indulgentia per Cardinalem, qui ei servit in Officio Capellani, de* VII. *annis, & septem quadragenis, Papa revertitur ad magnam Cathedram, & Mitra deposita per Cardinalem, qui sibi adstat a dextris, incipit Laudes*, Deus in adjutorium meum intende, *& revertitur ad vestiarium, ubi debet semper indui. Si Papa velit celebrare secundam Missam sine intervallo, non exuit se, sed dicta per eum oratione, & data benedictione, vadat ad Altare. Si autem per alium celebratur, & immediate, non Cappam, sed Pluviale deponit, tum aurifrisiatam Mitram recipit. Si est infra Capellam, & ibi expoliat se sacris vestibus, legendo Laudes cum Capellanis suis, & ibidem tantummodo dicit Collectam, & dat iterum benedictionem, cantato per Cantores*, Benedicamus Domino. *Quod si non sit vestiarium, ista fiunt in Cathedra sua. Resumit Cappam clausam, quam prius deposuerat, & revertitur ad Cameram, si sibi placet, usquequo sit tempus incipiendi Missam de Aurora.*

II. Observat Micrologus, Missam quæ media nocte cantabatur, cum *Benedicamus Domino*, non autem cum, *Ite Missa est*, compleri consuevisse, *ne populo*, inquit, *quasi licentiam abeundi infra matutinales Laudes dedisse videamur, quas statim post Missam, iterum concrepantibus sig is, incipere solemus*. In Ecclesiis Gallicanis alia ratione populum in Ecclesia retinere visum est, Laudes videlicet incipiendo statim post Communionem, complendas deinde per Orationem, quæ dici debet in fine Missæ, ad eum fere modum, quo Vesperas una cum Missa in Sabbato Sancto decantare solemus, uti notat Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XII. Num. XXVI. ubi diserte ait, eum fuisse usum Ecclesiæ Remensis, Turonensis S. Gatiani, & S. Martini, Viennensis, Narbonensis, Rotomagensis, Augustodunensis, Laudunensis, Lemovicensis Sancti Stephani, & S. Martialis, Lingonensis, Melodunensis, Namnetensis, Noviomensis, Silvanectensis, Vertiensis, Carnotensis S. Joannis, Gastinensis, & aliarum plurium, ejusque ritus meminit in suo Rationali divinorum Officiorum Durandus Lib. VI. Cap. XIII. Atque hac forte etiam ratione factum est, ut Laudum Officium non a solito versu, *Deus in adjutorium*, sed a prima Antiphona statim inciperetur. Varios in hanc rem ritus servari olim solitos recensent laudatus Martene, & Grancolas in Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. XIV.

III. Sed ut vetustos Romanæ Ecclesiæ ritus nos enarremus, juxta veterum Ordinum Romanorum præscriptum, celebrata prima Missa ad S. Mariam Majorem *ad Altare, quod vocatur Præsepe*, ut ait Ordo Romanus XII. Numero XV. dum se Pontifex sacris vestibus exueret, Capellani cantabant Laudes coram eo, iisque dictis, ibat requiescere, & summo mane ante solis ortum procedebat cum tota Curia ad Ecclesiam S. Anastasiæ, & ibi Missam cantabat, secundam scilicet, quæ inscribitur, *in Aurora*. Præter Romanum Ordinem XII. mentionem ejus moris faciunt Ordo XI. Auctore Benedicto, & XII. Auctore Cencio, cujus verba hæc sunt Num. II. *In Aurora vadit ad S. Anastasium, & celebrat ibi secundam Missam*. Jam dici non debebat hæc Missa, nisi sub lucis ortum, propter Introitum, *Lux fulgebit*; mandantque Statuta antiqua Carthusianorum, expectandum esse auroræ ortum, ideoque dicendam ante horam Primæ, non vero postquam dictum esset, *Jam lucis orto sidere*. Cluniaci id adeo exacte observabatur, ut maxima solemnitate Laudes dicerentur, ad hoc ut complerentur summo mane, & tunc secunda Missa inchoabatur. Porro quod juxta antiquum usum Ecclesiæ Romanæ, secunda Missa diceretur a Pontifice in Ecclesia S. Anastasiæ, in quibusdam vetustissimis Sacramentorum Libris, ut in duobus Ecclesiæ Turonensis, ante annos DCCC. ut inquit Martene, scriptis, & in Colbertino, hæc Missa ita inscribitur, *Alia Missa in nocte ad S. Anastasiam*.

IV. Commemoratio S. Anastasiæ, quæ Urbis tantum Romæ propria erat, ad ceteras omnes Ecclesias transiit, postquam Missale Romanum ad ipsas invectum est, quod etiam nunc observatur, licet Sancta illa in tali solemnitate nullam habeat relationem ad alias Ecclesias, præterquam ad illam, cujus est Patrona. Mos antea non erat transferendi Festa, fiebat tantum commemoratio in die Festi recurrentis, nec alibi nisi in Ecclesia propria, ut censet Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XIV. ubi etiam citat S. Augustinum, & Amalarium ajentem, ævo suo Romæ tantum, & in Ecclesia ipsius Sanctæ, ubi asservabantur Reliquiæ, dici consuevisse duas orationes in secunda Missa, sed ex-

Digitized by Google

extra Ecclesiam propriam, nullam factam hujus Sanctæ Commemorationem. Refert mox etiam Grancolas locum Micrologi, qui ita ad rem scribit: *In Nativitate Domini ad Missam in mane Romani Orationem de S. Anastasia adjiciunt, quia Stationem in Ecclesia ejusdem Martyris ad eandem Missam agunt; & nos quoque in illa adjectione incitamur, licet non eandem adjectionis occasionem habere videamur.* Teste Georgio in Notis ad Martyrologium Adonis ad diem XXV. Decembris, nihil est magis exploratum, quam veterrimus cultus S. Anastasiæ in Ecclesia Occidentali, & Orientali. De ea enim hac die Liturgiæ omnes Latinæ antiquissimæ loquuntur, nomenque illius in Canonem Missæ relatum habemus. Ceterum de vetustissimo Romæ S. Anastasiæ Titulo plures agunt, quos supervacaneum est enumerare.

V. His obiter dictis, viguisse eam Romæ disciplinam labente Seculo XIV. ut secunda Missa solemnis ad S. Anastasiam cantaretur, & quidem a Papa, si esset Romæ, eo autem absente, a Cardinali Titulari ejusdem Ecclesiæ, vel a priore Presbyterorum Cardinalium, docet nos Ordo Romanus XV. Auctore Amelio; Cap. X. sic inquiens: *Missa de aurora mandatur, quam Romanus Pontifex, si sit in Urbe, consuevit celebrare; & egrediens de Sancta Maria majori summo mane, indutus Missalibus vestimentis vadit ad S. Anastasiam, & ibi celebrat. In hac Missa dicitur*, Credo in unum Deum, & Gloria in excelsis. *Non dicitur*, Lætatus sum; *& oblationes, ut in alia Missa de media nocte. Etiam Papa solus communicat super Altare ut in prima &c.* Tum nonnullis interjectis hæc habet: *Quod si Papa non sit in Urbe, Cardinalis, qui habet Titulum S. Anastasiæ, consuevit hanc Missam celebrare, & in ejus absentia, si Papa non celebret, prior Presbyterorum Cardinalium.* Sed mutato demum hoc ritu, secundam Missam, quæ ex veteri Ecclesiæ instituto in aurora dicitur, ex præscripto nostri §. Sacrista Pontificis celebrat, ejusque moris mentionem faciunt passim antiqui Apostolicarum Cæremoniarum Magistri in suis Diariis, inter quos Burchardus ad annum MCDLXXXIV. ita scribit: *Laudibus dictis, Abbas S. Sebastiani Sacrista noster dixit secundam Missam Pontificaliter, paucis nobis præsentibus.* Idem ait ad annum MCDLXXXV. & ad annum MCDLXXXVI. dolens quod huic secundæ solemni Missæ ab eodem Sacrista celebratæ nullus Cardinalis interfuisset, sed soli quidam pauperes. Rursus ad annum Domini MXDLXXXVII. postquam dixit, secundam Missam celebrasse Sacristam cæremoniis consuetis, in cantu, subdit, eum non habuisse *Assistentem, neque Capellanos, præter Clericos Campanarios duos, & D Augustinum Ferrerium.* Porro solet esse Sacrista Episcopali charactere insignitus, ideoque Pontificaliter dicitur celebrasse. Adeo autem secunda hæc Missa in Aurora fixa est Sacristæ, ut licet minime esset Episcopus, adhuc ipse celebraret hanc Missam. Testatur id inter alios Paris de Grassis in suo Romano Ordine apud Martene, ubi Cap. XI. quod inscriptum est, *De Missis extraordinariis*, ita ad rem scribit: *In eadem nocte sub Aurora, si Sacrista est Episcopus, in Episcoporum quidem, sin autem in Ordine, & habitu suo celebrat solemniter secundam Missam more solito.* Idem legere est & apud alios Cæremoniarios Apostolicos. Sed de variis Sacristæ muniis videri potest Angelus Rocca in Tractatu, cui Titulus, *Chronhistoria de Apostolico Sacrario.*

CAPUT XIV.

De Missa majori, Papa personaliter celebrante.

§. I.

De Pontificis, Cardinalium, aliorumque indumentis, & loco, ubi ea sumuntur.

In Missa majori Nativitatis Domini nostri Summus Pontifex celebraturus capit in Camera papagalli, aut alia convenienti, paramenta consueta, videlicet, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Pluviale album, & Mitram pretiosam, & omnes Diaconi Cardinales in Camera paramenti, non tamen ubi Papa parari debet, antequam Papa exeat, capiant paramenta sua, videlicet Amictum, Dalmaticam, & Mitram. Ille qui dicturus est Evangelium, ultra præmissa, accipit Albam, Cingulum, & Stolam; Manipulum vero capiet in Ecclesia, cum Papa fecerit Confessionem apud Altare; & sic induti intrantes ad Pontificem, ipsum paramentis supra nominatis induunt. Omnes alii, Presbyteri, & Episcopi in Camera, ubi Diaconi induti sunt, paramenta accipiunt, videlicet Amictum, & Planetas, Episcopi Cardinales Pluvialia, Amictum, & Superpelliceum, & albas Mitras, & induti intrant ad Pontificem. Patriarchæ vero, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Pluviale capiunt; ex Cardinalibus autem qui sunt Religiosi, loco Rocheti capiunt Superpelliceum, & omnes cum albis Mitris; Pœnitentiarii Planetas tantum; Subdiaconus qui Epistolam latinam est dicturus, Amictum, Albam, Cingulum, Tunicellam, & Manipulum. Alii vero Subdiaconi Apostolici, Auditores, Clerici Cameræ, & Acolythi supra Roche-

Digitized by Google

chetum Cottas. Omnes, præter Cardinales, in Aula ante Cameram Paramenti accipiant sacras vestes tali tempore, quod omnes suis paramentis sint induti, antequam Papa Cameram suam exeat.

COMMENTARIUS.

I. TEstis est Paris de Grassis in suo Romano Ordine, quem dedicavit Guillelmo Episcopo Albanensi S. R. E. Cardinali Narbonensi, legiturque apud Martene in calce Operis, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, pag. 597. & sequentibus, tres esse Missas solemnes, *quæ ad Papam pertinent celebrandæ, videlicet in Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in Resurrectionis ejusdem, & in Sanctorum Apostolorum*, nempe Petri, & Pauli, *solemnitatibus, quibus Papa sub Baldachino processionaliter ad Basilicam defertur*. Alibi ait communiter non esse eum solitum celebrare, solemniter scilicet, ut fuit mos antiquus, cujus mentionem faciunt complures Romani antiqui Ordines, ut eosdem legenti patet.

II. Quicquid sit de more antiquo, ex præscripto nostri hujus §. *in Missa majori Nativitatis Domini nostri Summus Pontifex celebraturus, capit in Camera papagalli, aut alia convenienti paramenta consueta, videlicet Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Pluviale album, & Mitram pretiosam &c.* De indumentis sacris Papæ, & Cardinalium fuse disserit in suo celebri Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, eruditissimus Georgius Tomo 1. de eisdemque diximus non nihil nos Tomo 1. Commentariorum ad Pontificale Romanum in prolegomenis, aliisque in locis noltrorum Operum, præsertim vero in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, ubi non semel notavimus Collegium Cardinalium esse quidem accuratam effigiem antiquissimorum Ecclesiæ Capitulorum. Sed his omissis, concinunt quidem nostro huic §. quæ scribunt in suis mss. Diariis Cæremoniarii Apostolici, inter quos eruditus & accuratus Mucantius ad annum MDLXXII. sub die XXV. Decembris ita scribit de Gregorio XIII. *Papa*, inquit, *summo mane parum ante lucem celebravit duas privatas Missus in sua privata Capella superiori, & præbuit Sanctissimam Eucharistiam multis de sua familia. Mox descendit ad Aulam lecti paramenti, ubi indutus est solitis paramentis, non tamen Missalibus, prout solebat felicis recordationis Pius Papa V. qui ritus per Reverendissimos Dominos Cardinales ad Cæremoniarum reformationem deputatos fuit improbatus; quæ paramenta Missalia accepit deinde in Basilica suo tempore. Paratus igitur cum Tyara, seu Regno in capite, præcedente Cruce, & Prælatis, ac Cardinalibus paratis cum Mitris, processionali ritu descendit ad Basilicam Sancti Petri delatus in Sede sub Baldachino, cujus hastas detulerunt Oratores Regum, & Principum etiam usque ad ipsam Basilicam &c.*

III. Ante editionem hujus nostri Cæremonialis, hunc fuisse morem, ut Summus Pontifex celebraturus solemnem Missam in die Nativitatis Domini, Alba, Stola, ac Pluviali ornatus, Tyaramque in capite gestans, sub Baldachino ad Basilicam S. Petri pergeret, docet nos Augustinus Patricius in descriptione adventus Friderici III. Imperatoris Romani ad Paulum Papam II. ubi loquens de ritibus servatis in solemni Missa prædictæ festivitatis celebratæ per laudatum Pontificem anno MCDLXVIII. hæc præmittit: *Hora competenti Pontifex Maximus indutus Alba succincta, Stola, ac Pluviali pulcherrimo, Tiaramque triplici corona redimitam gemmis, lapillisque pretiosissimis onustam in capite gestans, ad Basilicam S. Petri descendit, rem Divinam facturus &c.* Porro teste Mucantio, Gregorius XIII. electus Pontifex anno MDLXXII. die XIII. Maji, celebraturus Missam solemnem in Basilica S. Petri die XXIX. Junii ejusdem anni, in Festo S. Petri, *volens in parte adhærere consuetudini Pii Papæ V. qui cum erat celebraturus Missam solemniter, legebat Psalmos in suo Cubiculo, deinde in Aula lecti paramentorum capiebat ante paramenta Pontificalia pro Missa usque ad Planetam inclusive, & super ea Pluviale: legit quidem Psalmos, & orationes in sua Camera, & lavit manus; deinde descendens ad parvum Cubiculum, ubi solet ordinarie capere Faldam, sedens indutus est Sandaliis, & Caligis, & accepit Faldam; in Aula vero lecti prædicti indutus fuit ceteris paramentis, exceptis Chirothecis, Planeta, Annulo, & Pallio, & super Tunicella accepit Pluviale, ac Regnum in capite, delatusque fuit in Sede sub baldachino, præcedente Cruce, & Cardinalibus, ac Prælatis paratis.*

IV. Morem Pii V. in legendis Psalmis, ac sumendis paramentis pro Missa in suo Cubiculo refellit quidem Mucantius, sed arguendi potius Cæremoniarii Apostolici, qui Pontifici, ut id faceret, Auctores erant. Certe non videtur id factum secundum approbatas cæremonias, imo, uti censet laudatus Mucantius, numquam ante Pium V. sic observatum reperitur; nam indecens prorsus, & valde incommodum est, ut supra Planetam ponatur Pluviale. Præterea non est admodum tutum, nec laudabile, recedere a regulis, & ritibus longo tempore observatis, his præsertim, qui præseferunt decus, & majestatem Pontificiam, etiamsi aliquanto diutius in his esset immorandum. Non enim ad gravitatem tanti Pontificis spectat actus publicos, & solemnes tumultuario, & perturbato ordine exercere, & a Majorum semita detlectere, quos non sine magna ratione, & consilio Ecclesiasticos ritus instituisse credendum est, eos præsertim, qui longo temporis cursu, & consensu subsequentium Pontificum approbati fuerunt. Sed nec propterea multum temporis detrahitur huic actioni, observando morem Pii V. cum Psalmi, & Orationes, ut infra dicemus, legantur per Pontificem, dum Tertia a Choro cantatur, qua finita, brevi intervallo paramentis omnibus Pontifex induitur. Consentaneum quoque est, populum aspicere, & contemplari varietatem indumentorum Summi Pontificis, quæ non sine mysterio adhibentur, & intuentes ad devotionem,

Digitized by Google

nem, admirationemque Summi Sacerdotis excitant. Quare non immerito hujuſmodi Pii V. ſive ejus potius Cæremoniariorum mos ſublatus deinde fuit, & obſervatæ regulæ a noſtro Cæremoniali præſcriptæ, ut ex mſs. Diariis complurium Cæremoniariorum conſtat; tametſi fateri cogamur, ſæpe errari in cæremoniis ipſis, ubi ipſæ a Cæremoniariis minus peritis diriguntur.

§. II.

De proceſſione ad Eccleſiam.

Induto Pontifice, Thuriferarius accedit ad Pontificem, & miniſtrante priore Presbyterorum Cardinalium, Pontifex incenſum imponit in thuribulo, dicens: *Ab illo benedicaris &c.* Deinde ſeptem Acolythi capiunt ſeptem candelabra cum luminaribus, & vadunt ante Crucem, Thuriferario præcedente, quem antecedat unus Clericus Cameræ Enſem cum Galero deſuper poſito portans; & hoc ſi Papa illos adhuc non dedit. Si vero Papa alicui præſenti dedit, unus de ejuſdem familia dictum Enſem cum ſuo Galero in prædicto loco portabit; & cum in Eccleſia fuerit, ad pedes illius, cui datus eſt, ſedebit, & ſic per totum Officium tenebit. Proceſſionaliter igitur procedet ad Eccleſiam hoc ordine. Scutiferi Papæ cum minoribus Nobilibus, Procuratores Ordinum, & Principum, Secretarii, & Advocati mixtim, Cubicularii extra Cameram, Oratores laici, & non Prælati, Imperatoris, Regum, Principum, & cum eis Senator Urbis, & Conſervatores, & Barones, ac Majores Nobiles, Acolythi Papæ, Clerici Cameræ, Auditores Rotæ cum Auditore Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, & Subdiaconi Apoſtolici, omnes in Superpelliceis ſupra Rochetum. Magiſter Sacri Palatii in habitu, & loco ſuo, Acolythus Thuriferarius, & ad minus duo Ceroferarii cum luminibus accenſis. Deberent tamen in hujuſmodi, & omnibus aliis ſimilibus proceſſionibus ſeptem candelabra cum totidem luminaribus deferri per Acolythos, ſed quia aliquando Acolythi non adſunt tot numero, hoc omittitur. Ceroferarios autem immediate ſequitur Subdiaconus Epiſtolam lecturus, indutus, ut ſupra dictum eſt. Crucem bajulans, ad latera habens duos magiſtros oſtiarios cum virgis, quem ſequuntur Prælati omnes parati hoc ordine. Pœnitentiarii ſine Mitris, Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Prælati Oratores, Aſſiſtentes Papæ, omnes cum paramentis, & Mitris, ut ſupra dictum eſt. Succeſſive Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales, Aſſiſtentes hinc & inde. Deinde Papa, cujus Pluvialis auriphrigium duo Diaconi Cardinales aſſiſtentes hinc & inde, juxta eum incedentes, deferent; fimbrias vero poſteriores, ideſt caudam Pluvialis nobilior laicus in Urbe exiſtens, etiamſi ſit Imperator, vel Rex; & hoc ſi Papa pedibus incedat. Si vero portatur in ſede, duo Cardinales prædicti aſſiſtentes ipſum immediate præcedant, & qui lecturus eſt Evangelium inter eos medius, qui alioquin iret ante Papam ſolus. Super Papam portatur baldachinum per octo Principes, & Oratores Laicos (1) principaliores, & magnos Barones, Conſervatores Urbis, & talibus, aut omnibus deficientibus, per Scutiferos Papæ. Nobilioribus portantibus detur ſemper primus locus, hoc eſt, anterior; ita quod illi continuo præcedant Papam. Si vero hujuſmodi (2) proceſſionibus intererunt Imperator, Reges, Duces, aut maximi Principes, incedent in loco, in quo ſolent ſedere. Imperator ad ſiniſtram Papæ, Rex cum primo Epiſcopo Cardinali, Primogenitus Regis cum Presbytero, maximus Dux, ſive Princeps, ſeu Dux, inter ipſos Diaconos juniores, & Epiſcopos aſſiſtentes Pontifici. Sequuntur Cubicularii de Camera, qui ſecreti appellantur, Auditor ſerviens de Mitra, Medici ſecreti, & primus Secretarius, ſi non eſt Prælatus. Demum Protonotarii, & Prælati non parati in ſuis Cappis hoc ordine perveniunt ad Eccleſiam.

COMMENTARIUS.

I. SOlemnis, ac vetus eſt pompa, qua Summus Romanus Pontifex celebraturus Miſſarum ſolemnia ad Eccleſiam procedit. Plene ac erudite pompam hanc narrat Clariſſimus Georgius in ſuo Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, ex antiquis Ordinibus Romanis, aliiſque Scriptorum veterum monumentis. De eadem loquuntur paſſim Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis mſs. Diariis, ex quibus tamen docemur, variatum non nihil fuiſſe circa ordi-

(1) Ita in editione 1. Venetâ, & Colonienſi, in Romanâ legitur, *inſignieres*. (2) Legitur ſic quidem in ipſa editione Romana, in aliis vero, *ſupplicationibus*.

Digitized by Google

nem in hoc nostro §. præscriptum. Mandat hic inter alia, ut si Papa pedibus incedat, caudam Pluvialis deferat *nobilior laicus in Urbe existens, etiamsi sit Imperator &c.* cum alias constet ex descriptione Patricii de adventu Friderici III. Imperatoris Romam ad Paulum Papam II. anno MCDLXVIII. ipsum Pontificem procedentem ad Basilicam S. Petri die Nativitatis Domini, celebraturum ibidem Missam solemnem, Fridericum Imperatorem, qui tum Romæ erat, sinistra manu tenuisse, dextera autem benedictiones populo impertiisse: *Adstantes N biles*, inquit, *umbraculum sericeum super eum*, ideit Pontificem ferebant, *& is Cæsarem secum ducebat, quem ad se venientem offenderat*. Statimque addit: *In prima Palatii Aula Pontifex incedens, Cæsarem sinistra manu tenebat, dextera autem signans benedicebat populo*.

II. Quoniam vero hujus rei mentio facta est, lubet hoc loco & alia describere, quæ idem Patricius refert, egregie enim §. nostrum illustrant: *Præcedebat*, inquit, *Subdiaconus sacris vestibus indutus Crucem ferens, habens ad sinistram Armigerum Cæsaris, nudum Ensem manu ferentem*, benedictum scilicet præcedenti nocte a Pontifice, *& hinc inde Acolythos Ceroferarios, quos Oratores Principum anteibant, & alii ex consuetudine Ordines. Crucem vero sequebantur Prælati albis vestibus sacris ornati, albasque Mitras gestantes in capite &c.* Ensem ipsum benedictum a Pontifice nocte Natalis Domini consuevisse ante Pontificem deferri in solemni processione, qua ipse delatus sub Baldachino mane ejus Festi ad S. Petri Basilicam celebraturus Missam Pontificalem procedebat, testantur passim Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, inter quos Paris de Grassis in suo toties laudato Romano Ordine Cap. XI. ita scribit: *In die Nativitatis Christi celebraturus Pontifex, ad Basilicam procedit cum Tyara, & sub baldachino, a Cardinalibus, & Prælatis, aliisque sacris vestibus paratis processionaliter associatus, & Spata ante eum defertur ad Basilicam*, nempe S. Petri, ubi tertia Missa celebrari solet juxta recentiorem ritum, nam alias vel juxta Romanum Ordinem XIV. qui in usu erat labente Seculo XIII. & initio Seculi XIV. celebrabatur Missa ipsa tertia apud S. Mariam Majorem, ubi *post primam Orationem*, fiebant *Laudes ejus, sicut habetur in Polyptico*; uti legitur in citato Romano Ordine XIV. Cap. LXIX. cui etim concinit Romanus Ordo XV. Cap. X. Polypticus, sive Pollicitus Liber, est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, ubi ipse Laudum ritus describitur.

III. Porro juxta ipsum Ordinem XI. celebrata secunda Missa apud S. Anastasiam, cum processione ibat Pontifex ad S. Petrum, ubi *honorifice* cantabatur Missa, *cum omnibus ordinibus Palatii*, ibique debebat *accipere Coronam in capite suo, & per mediam Urbem cum processione redire ad Palatium perficere festum Coronæ*. Sed monet mox laudatus Ordo, *propter parvitatem diei, & difficultatem viæ, fieri Stationem ad S. Mariam Majorem*, ibatque in ejus Secretarium. Sed describamus integrum ritum, qui est hujusmodi: *Cubicularii custodiunt Secretarium. Prior Episcopus servit de Libro, Archidiaconus de Evangelio, Subdiaconus regionarius prior de mappula, prior Basilicarius de Epistola, Primicerius & Schola de cantu; & sic sustentatus a duobus Diaconis, Archidiaconus sine socio solus procedit ante Pontificem, & sic intrat in processione, omnis Ordo in suo loco, bini, & bini procedunt, Acolythi cum candelabris, & Crux Domini Pontificis ante processionem. In introitu Ecclesiæ Cubicularii alte portant mappulam super caput Pontificis. Cum autem intrat Presbyterium, Mansionarius Ecclesiæ porrigit ei arundinem cum cereo accenso. Tunc Pontifex accipit eam, & ponit ignem in stupa posita super capita columnarum ad figuram finis mundi per ignem. In medio Presbyterii progrediens sistit iter. Primicerius deponit Mitram de capite suo, & osculatur dextram scapulam Pontificis, & Pontifex benedicit eum. Cumque venerit ante Altare, Cubicularii offerunt mappulam super caput Pontificis. Ipse vero Pontifex dat pacem priori Episcopo, qui ei serviturus est, deinde duobus Cardinalibus, priori, & secundo*. Pergit Romanus ipse Ordo, & ritum Missæ describit, ac Laudum, quæ post primam Orationem fieri solebant Pontifici, uti nos infra dicemus.

IV. De accessu Pontificis ad Ecclesiam, in qua scilicet celebraturus est ipse Missarum Solemnia, loquuntur passim in suis mss. Diariis veteres æque ac recentiores Cæremoniarii Apostolici. Cum autem tempus non vacet, ut plura ex eisdem loca describam, referam solum quod scripsit in suo Diario Mucantius ad annum Domini MDLXXVII. ubi sic Gregorii XIII. accessum ad Basilicam Vaticanam recenset, ut die XXV. Decembris ejusdem anni ibidem tertiam solemnem Missam celebraret in Natalis Domini Festo: *Die* XXV. *ejusdem*, Decembris scilicet, *in Festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Sanctissimus Dominus noster paratus cum Tyara pretiosa descendit sede vectus ad Basilicam S. Petri processionali ritu sub baldachino per Barones, & Nobiles substentato, præcedente Cruce, ac septem Ceroferariis, quorum quinque habebant cereos valde parvos, videlicet unius libræ quemlibet, quod fuit reprehensum a nonnullis Cardinalibus, & bene, quia debent esse uniformes ad minus duarum librarum quilibet pro majestate Processionis Pontificalis. Post Crucem incedebant Prælati, & Cardinales parati; ante Crucem vero Clericus Cameræ cum Ense, & Pileo benedictis*. Atque hæc sufficiant pro Commentario præsenti in §. II. tum præsertim quod ea, quæ in eodem §. continentur, explicata jam alibi fuerint. Plura enim sunt in hoc Cæremoniali, uno loco præscripta, quæ etiam in aliis sunt repetita.

V. Quod septem candelabra spectat, quæ cum totidem luminibus ex nostro §. deferri debent in solemni Processione, qua Summus Pontifex ad Ecclesiam pergit, ritus profecto est antiquissimus, & in Ordine Romano I. ac aliis sequentibus præscriptus, diuque intermissus, restitutus fuit tandem a Gregorio XIII. ut dicemus infra in Comentariis ad Titulum II. qui inscriptus est, *De Festo Resurrectionis Domini, Papa celebrante*.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De oratione Pontificis ad Altare, & reverentia eidem Pontifici ſedenti a Cardinalibus, & Prælatis exhibenda.

Pontifex poſtquam ad Eccleſiam pervenerit, ſuper Faldiſtorio ante Altare ſibi præparato genuflectit. Diaconus a ſiniſtris Mitram Papæ tollit de capite, quam dat Auditori ad Mitram ſervienti, & alius Aſſiſtens Cardinalis birretum amoveat. Facta oratione, & ſurgente Papa, Diaconus a dextris birretum primo, deinde Mitram, alio Cardinale a ſiniſtris vittas tenente, imponit. Qui deinde vadit ad Sedem paratam, ubi ſacris veſtibus indui debet. Quo ſedente, Cardinales primo, deinde omnes alii Prælati ordine ſuo accedant ad reverentiam. Cardinales omnes, factis conſuetis reverentiis, oſculantur auriphrigium per manum dexteram Papæ protenſum. Prælati vero euntes, ter genuflectunt, & ejus genu dextrum oſculantur. Diaconus, & Subdiaconus Epiſtolam, & Evangelium in Græco lecturi, parati eſſe debent apud Altare. Subdiaconus, & Diaconus, qui ad cornua Altaris in inferiori gradu ſtare, vel ſedere poſſunt, prout tempus poſtulat, ſicque manere uſque poſt Miſſam.

COMMENTARIUS.

I. EX pervetuſto Romanæ Eccleſiæ ritu poſtquam Summus Pontifex celebraturus Miſsarum ſolemnia ad caput Chori pervenerat ante conſpectum Altaris, caput mox inclinabat, orabat, ſurgebat, ſignumque Crucis faciebat in fronte, *& pacem dabat uni Epiſcopo de bebdomadariis, & Archipresbytero, & Diaconibus omnibus*, ac etiam omnibus Presbyteris, ut ait Amalarius in Eglogis de Ordine Romano, Cap. VII. Sed audiamus Ordinem I. Romanum, qui poſtquam de Euchariſtia Pontifici in Proceſſione e Secretario ad Altare prælata egit, ita inquit Num. VIII. *Tunc peraccedens*, Pontifex ſcilicet, *antequam veniat ad Scholam, dividuntur cereoſtata, quatuor ad dexteram, & tres ad ſiniſtram partem, & pertranſit Pontifex in caput Scholæ, & inclinat caput ad Altare, ſurgens, & orans, & faciens Crucem in fronte ſua, & dat pacem uni Epiſcopo de bebdomadariis, & Archipresbytero, & Diaconibus omnibus; & reſpiciens ad priorem Scholæ, annuit ei, ut dicat* Gloriam, *& prior Scholæ inclinat ſe Pontifici, & imponit. Quartus vero Scholæ præcedit Pontificem, ut ponat oratorium ante Altare, & accedens Pontifex orat ſuper ipſum, uſque ad repoſitionem Verſus. Nam Diaconi ſurgunt, quando dicitur*: Sicut erat in principio, *ut ſalutent Altaris latera, prius duo, & duo viciſſim, redeuntes ad Pontificem. Et ſurgens Pontifex, oſculatur Evangelia, & Altare, & accedit ad Sedem ſuam, & ſtat verſus ad Orientem &c.*

II. Variant autem Romani Ordines, ubi agunt de loco, in quo Pontifex, & ejus Miniſtri in primo acceſſu ad Altare conſiſterent, & orarent. Ex recitato loco Romani I. Ordinis, pertranſibat Pontifex in caput Scholæ, & inclinabat caput ad Altare, ſurgebat, orabat, ſe Crucis ſigno muniebat in fronte, & pacem dabat &c. At vero juxta Ordinem II. Romanum, Num. IV. & V. *pertranſit Pontifex in caput Scholæ, & in gradu ſuperiore, inclinato capite ad Altare, primo adorat Sanctæ, & ſtat ſemper inclinatus, uſque ad verſum Prophetalem* (ideſt uſque ad repetitionem Verſus, aut Antiphonæ ad Introitum). *Tunc ſurgens, & faciens Crucem in fronte ſua, dat pacem &c.* Ordo III. ita de eadem re loquitur Num. VIII. *In hoc honorabili miniſterio debet Pontifex venire in tribunal Eccleſiæ, & inclinare caput contra Altare, & poſtquam ſurrexerit, in fronte ſua Crucem facere, & uni Epiſcoporum de bebdomadariis, & Archipresbytero, & Diaconis omnibus pacem dare; ac deinde reſpiciens ad Priorem Scholæ, innuit ei, ut debeat* Gloriam *dicere; qui ſe inclinans Pontifici, imponit Hymnum, quo datur gloria Sanctæ Trinitati. Sed Pontifex concelebrat interim ſecreto orationem ante Altare inclinatus, uſque ad repetitionem verſus.* Et paulo poſt: *At Pontifex ad repetitionem verſus, ſicut dictum eſt, ſurgens ab Oratione, oſculatur Evangelium, & Altare, ac deinde accedit ad Sedem, & ſtat verſus ad Orientem.*

III. His adjungendi ſunt alii duo Romani Ordines, quintus ſcilicet, & ſextus, quorum primus ubi de Pontifice ad Altare perducto verba fecit, hæc habet: *Pontifex autem non prolixa completa oratione, vertat ſe ad dextram*, ut nempe pacem Presbyteris, & ceteris det; *hoc autem expleto, annuat Cantori, ut* Gloria *dicat. Ipſe vero ductus a Diaconibus, pergat ante Altare, inclinatiſque ad Orationem cunctis, ſtantibus Acolythis cum Candelabris, & thuribulis in loco, quo prius oraverat. Prope vero expleta oratione &c.* Agit de oſculo Altaris per Diaconos, ac deinde ſic ſubdit: *Ipſe vero Pontifex elevat ſe ab oratione, pergatque, & oſculetur Evangelium, quod ſuper Altare jacuerit, eatque in dexteram Altaris partem.* Ordo tamdem VI. ut alios omittam, ita ritum ipſum recenſet Num. III. *Pontifex poſtquam in mediatatem perducitur, Presbyteris, qui eum ducebant, ſive Diaconibus manus ejus oſculantibus, propriaque repetentibus loca, inclinans ſe, Deum pro peccatis ſuis deprecetur. Tunc erectus primum Presbyte-*

Digitized by Google

byteris duobus, deinde Diaconibus per ordinem omnibus pacis oscula dabit. Paucis deinde interjectis, sic habet sequenti Num. IV. *His igitur peractis, cum* Gloria, *innuente Episcopo, cantabitur, a sæpe dictis Presbyteris in superiorem deducendus est gradum, non omnino ad Altare. In quo etiam loco gressus figendus est, usquequo Presbyteri primum, & tunc duo, & duo Diaconi Altaris cornua osculentur; & novissime Archidiaconus solus. Sed continuo ut Episcopus in altiora scandere incœperit, Subdiaconus, qui prius juxta Altare stabat, Choro* Gloria Patri *canente, ad propria loca revertendum est, & quatuor in dextro Choro, tribus in sinistr standum erit. Quibus ita finitis, item versus a Choro cantandus est, & P n, tisex usque ad medietatem Altaris ducendus est, ubi se Altari inclinans, Evangelium osculetur, & sic demum dextro cornu Altaris, ubi etiam Sedes sibi parata est, osculum ferat.*

IV. Omissis aliis Ordinibus, ne in longum hic Commentarius protrahatur, in recitatis hactenus nonnulla observabimus, quæ alias adnotavit eruditissimus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. III. Cap. IV. Num. III. Et quidem Ordo I. Romanus præscribit, ut simul ac Pontifex ante Altare in aditu ipso septorum ipsius, seu, ut aptius dicamus, ad cancellos Sanctuarii pervenerat, inclinaret caput ad Altare, surgeret, & oraret. Apertius loquitur Ordo II. dum ait, Pontificem *in gradu superiore* inclinare caput ad Altare, adorare *Sancta*, idest Eucharistiam super Altari collocatam, & inclinatum manere usque ad repetitionem versus ad Introitum. Ordo III. licet nihil dicat de Eucharistiæ adoratione, loquitur tamen de inclinatione capitis ad Altare, & de secreta oratione usque ad repetitionem versus prædicti. Ordo V. innuere videtur, hujusmodi Orationem peragi consuevisse ante Altare infra cancellos, deinde Pontificem processisse ad anteriorem Altaris partem. Apertius id eligi putat laudatus Auctor ex recitato loco Ordinis VI. Romani, ubi Pontifex *in medietatem*, hoc est, in medium Altaris, in citeriori ejus parte, quæ Chorum respicit, perducitur, ibique inclinatus orat; deinde, ubi *Gloria Patri*, cantatur, ducitur in superiorem gradum non longe ab anteriori Altaris parte, & dum cantatur versus, in medium Altaris ducitur, ubi Altari se inclinat.

V. Amalarii ævo, ut ex ejus Eglogis de Ordine Romano perspicitur, Episcopus veniens ante Altare, adorabat primo Sancta, & postea dabat pacem Presbyteris, & Diaconibus. Habet hæc Amalarius in citata Opella, Cap. VII. tum vero mox Cap. VIII. sic inquit: *Quando dicit*, Cantor scilicet, *Sicut erat, Diaconi procedant ad Altare, & iterum revertantur ad Episcopum, & stant erecti &c. Quando dicitur Prophetalis versus, Episcopus vadit ad Altare, & osculatur ipsum, quia per ora Prophetarum Christus venit in mundum, & transivit ad Passionem &c.* Nullus sane prisci Romani Ordinis potior interpres est, quam ipse Amalarius, quippequi Romanorum rituum solicitus & accuratus indagator extitit, ut ex ejusdem Operibus liquet. Ex eo autem intelligimus, Pontificem primum venisse ad Altare, & Eucharistiam adorasse; dum versus Prophetalis cantabatur, semper fuisse inclinatum, tandemque ascendisse ad dexteram Altaris, & illud osculatum fuisse. Ceterum quæ fuerit Oratio Secreta, quam tum Pontifex, & alii orantes cum eo dicerent, non produnt Romani Ordines; censet tamen memoratus Georgius citato loco Num. IV. huic successisse Psalmum initio Missæ recitari solitum, *Introibo ad Altare Dei*, & Confessionem, de quibus suo loco.

VI. Atque hi antiqui sunt ritus, quos hoc loco libuit explicare. Quod autem nostrum spectat §. in quo inter alia edicitur, ut sedente Pontifice, *Cardinales primo, deinde omnes alii Prælati ordine suo accedant ad reverentiam &c.* videri possunt, quæ infra dicemus Lib. III. hujus Cæremonialis, in Commentario ad Caput IV. quod inscriptum est, *De solemni reverentia Cardinalium, quomodo, & quando fiat*. Alia quoque in hoc eodem §. præscripta, jam a nobis alibi explicata fuere; quamobrem supervacaneum est eadem repetere.

§. IV.

De Hora Tertiæ, & Psalmis pro præparatione ad Missam a Pontifice celebraturo cum Diaconis assistentibus legendis, dum illa cantatur.

Finita reverentia, extrahitur Mitra Papæ, & birretum, ut supra; qui deinde surgit, & stans versus Altare, secrete dicit: *Pater noster*; Deinde alta voce cantando, & se signando: *Deus in adjutorium meum &c.* manens ita, quousque incipiatur per Cantores Psalmus: *Legem pone*. Quo incæpto, sedet, & imponitur ei birretum, & Mitra, ut supra. Tum Subdiaconus Latinus accedit ad Altare, cui mappulam quandam Sacrista supra brachia pōnit, & super eam Caligas, & Sandalia, quæ ambabus manibus ad oculos elevatis ad Pontificem defert. Hunc sequantur omnes Acolythi, quibus accipientibus, & extendentibus fimbrias Pluvialis Papæ, Subdiaconus cum uno ex secretis Cubicularis Papæ subtus intrant, & communia calciamenta Papæ extrahentes, & Caligas, & Sandalia ei imponunt. Interim Episcopi Assistentes Papæ Librum ante ipsum, & candelam ex more tenent; Diaconi assistentes cum Pontifice dicunt Antiphonam: *Ne reminiscaris, &c.* & Psalmum: *Quam dilecta &c.* ut in Libro. Interim Cantatur Tertia per Cantores, qui cum ad Capitulum pervenerint, quod unus ipsorum cantabit, Papa surgit cum Mitra; & cum finito brevi Re-

Digitized by Google

Responsorio Versiculus dicatur, accedunt ante Pontificem Episcopus Cardinalis assistens, ut Librum teneat pro Oratione, & Cæremoniarius cum duobus Ceroferariis. Finito Versiculo, deponitur Mitra Pontifici, qui dicit stans versus ad Altare, *Dominus vobiscum*, & Orationem, Episcopo Cardinali Librum super caput tenente, & uno Episcoporum assistentium cum manu adjuvante, alio candelam tenente; qua finita, Pontifex repetit, *Dominus vobiscum*, & Cæremoniarius cum Ceroferariis revertitur ad Altare; Cantores vero dicunt: *Benedicamus Domino*.

COMMENTARIUS.

I. Tertiam Horam Canonicam cantari jam olim consuevisse ante Missam solemnem Papalem, testantur antiqui Romani Ordines, præsertim XII. Auctore Cencio Camerario Num. II. ubi loquens de Festo Nativitatis Christi, postquam dixit, Pontificem in Aurora pergere ad Ecclesiam S. Anastasiæ, & celebrare ibi secundam Missam, ita statim subdit: *Qua finita, revertitur ad Basilicam S. Mariæ Majoris, & intrat Secretarium cum Episcopis, Cardinalibus, Diaconibus, Subdiaconibus, & reliquis Ordinibus, & dicunt Tertiam*. Tametsi Officium Divinum, singulasque ejus Horas Canonicas plures mysticæ notæ nobilitent, atque illustres reddant, uti observat Bonartius, *De institutione, obligatione, & religione Horarum Canonicarum*, magni semper habita fuit ab Ecclesia Hora Tertia, quod in ea scilicet die sacra Pentecostes descendit Spiritus Sanctus in Apostolos, & Discipulos Christi.

II. Ex præscripto nostri hujus §. cum Tertia cantatur, præparat se Papa ad Missam, dicitque Psalmos consuetos. Teste Francisco Mucantio in suo mss. Diario ad annum MDLXXVII. quo sedebat Gregorius XIII. *Fuit dictum a Cardinalibus antiquioribus, cum Papa legeret Orationes pro paramentis capiendis stans detecto capite, id non convenire, sed debere eas legere sedendo cum Mitra, ne videatur aliud agere, dum cantatur Tertia a Choro, quam ipse Pontifex incepit, sed ad eam principaliter intendere*. Pergit Mucantius, suamque de ea re sententiam profert his verbis: *Nec propterea inconveniens censendum, cum videamus regulariter in Missis solemnibus, quæ coram Papa celebrantur, ipsum legere solemniter cum Mitra Orationes, & Evangelium, & eodem modo Celebrans sive Prælatus, sive Cardinalis legit sedens cum Mitra Epistolam, & Evangelium, quia non videtur decere, dum a Choro cantatur, ut surgat, cantando, vel legendo*. Concludit tandem, & ait, ideo corrigendam esse Rubricam positam in illo Libro, *ubi Papa legit Psalmos, & Orationes, ubi dicit, Papam surgere ad Versiculos, & Orationes*. Frequenter describo verba Mucantii, quod is unus præ ceteris fuerit, qui Pontificios ritus non perfunctorie, sed accurate, solideque explicuerit.

III. Ut alia omittam, quæ in hoc nostro §. præscripta sunt, notandum hic illud, ritum dicendi Psalmum, *Quam dilecta &c.* pro præparatione ad Missam, antiquum esse, & legi in variis mss. Missalibus, quorum inter alios mentionem faciunt Cardinalis Bona Lib. II. Rerum Liturgicarum, Cap. XXIV. Martene, Giorgius, Le Brun, & alii de ritibus Missæ agentes. Certe vetus Missa ab Illyrico edita, antequam Sacerdos sacris vestibus induatur, dici mandat, si tempus permiserit, flexis genibus coram Altari septem Psalmos pœnitentiales cum Litania, & aliis prolixis precibus, post quas sequuntur & alii septem Psalmi, nempe, *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Fundamenta ejus. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod. Memento Domine David*. Codex Chisius apud laudatum Joannem Cardinalem Bonam, tres tantum Psalmos a Sacerdote sacris vestibus induto cum circumstantibus Clericis dicendos præscribit, videlicet, *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine*. Eadem præscribuntur in Codice Tiliano apud Menardum. Teste Micrologo, Cap. I. Presbyter cum se parabat ad Missam, juxta Romanam consuetudinem decantabat hos Psalmos, *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Credidi*; deinde, *Kyrie eleison, Pater noster*, cum precibus, & Oratione pro peccatis. Quatuor hisce Psalmis quintum addit Durandus in suo Rationali Lib. IV. Capite II. qui est Psalmus, *De profundis*, ut scilicet celebraturus Pontifex Missarum Solemnia, *quicquid immundum quinque sensuum transgressione commisit, quinque Psalmorum oratione detergat*. Ait is Auctor, præmitti hos Psalmos cum suis Orationibus a celebraturo Episcopo, *ex institutione Cælestini I. quos interim dum Caligis, & Sandaliis ornatur, dicit secundum exhortationem Psalmistæ dicentis*: Præoccupemus faciem ejus in Confessione, & in Psalmis jubilemus ei.

IV. Extant iidem Psalmi, ac preces, quibus hodieque utimur pro præparatione ad Missam, in Ordinibus Romanis recentioribus, præsertim vero XIV. & XV. & apud Auctores, qui ritus Missæ enarrant. Certum autem illud est, quod & docet laudatus Bona, preces præparatorias, easque prolixas semper in usu fuisse; crebrisque Sanctorum exemplis docemur, tandiu etiam ipsos in oratione perseverasse, donec gratia Sancti Spiritus mirabiliter imbuti, ejus virtute, & impulsu ad celebrandum excitarentur. De summa enim puritate longe aliter, ac nos sentiebant. Narrat S. Dionysius Epistola VIII. ad Demophilum, Sanctum Carpum Virum ob mentis puritatem ad Dei contemplationem aptissimum, numquam sacros Mysteriorum ritus auspicatum fuisse, nisi prius ipsi inter præparatorias Orationes sacra quædam, & propitia visio apparuisset. Idem refert Joannes Moschus in Prato Spirituali, Cap. XXVII. de quodam Presbtero, qui post nocturnos Hymnos sedens prope Sanctum Altare, Missarum Solemnia non incipiebat, quousque vidisset Spiritum Sanctum Altare obumbrantem. Sic eodem referente Auctore Cap. CL. quidam Episcopus coram

Digitized by Google

ram S. Agapeto Papa celebrans, tempore oblationi diu perstitit, non concludens Orationem, quia juxta consuetudinem Spiritus Sancti descensum non vidit. Atque hinc mirari subit, Sacerdotes hodie non paucos inveniri, qui vitam turpem ducentes, non desinunt quotidie absque ulla præparatione celebrare, ne Missæ eleemosynam amittant.

§. V.

De lotione manuum Pontificis, & sacris vestibus, quibus ad Missarum solemnia celebranda induitur.

His finitis, sedet Papa, cui reponitur Mitra, & lavat manus ordine consueto, Episcopo Cardinale assistente adjuvante; & quia Pontifex lavat manus quater in Missa, advertat Cæremoniarius, ut incipiat a minus digno de quatuor Nobilibus laicis, qui debent aquam deferre, ita quod Nobilior sit ultimus; & semper debent eligi ad hoc opus Nobiliores etiamsi Reges, aut Imperator adessent. Pontifex manus lavat, omnes laici in Capella existentes genuflectunt, Prælati vero surgunt, & stant sine Mitra, capite detecto. Cardinales, depositis tantum Mitris, surgunt. Lotis manibus, extrahitur Mitra Pontifici, qui surgit, & ante eum ponitur scabellum, super quod stat Diaconus Cardinalis Evangelium lecturus, qui, juvantibus duobus aliis Diaconis a dextris & a sinistris Papæ, ac Subdiacono Latino retro ipsum Papam stantibus, Papæ Mitram primo, deinde Pluviale, & Stolam extrahit, & sacris paramentis, quæ ex Altari per Acolythos deferuntur, ipsum induunt hoc ordine. Primum Cingulo cum Succinctorio in parte sinistra pendente, qui Cingulo prædicto cingitur subtus alio Cingulo, quod prius tenebat, & isto secundo ligato solvitur, & deponitur Cingulum primum. Tum Cruce pectorali, postea (1) Favone, quem Diaconus super caput Papæ imponit replicatum, ut ante oculos pendeat, & partem, quam dextra manu tenet, collocat super humerum dextrum, & aliam super sinistrum, & oras ambas Favonis dependere facit circa pectus juxta mensuram unius palmi. Deinde Stola, quæ ab humeris pendeat, tum Tunicella, & Dalmatica. Albam Ministri circa fimbrias aptent, ut terram tangat. His omnibus per Diaconum, adjuvantibus Diaconis assistentibus, & Subdiacono, qui est a sinistris, Papa induitur, de quibus per Diaconum osculanda porriguntur, Crux pectoralis, Favon, Stola, & in fine Pallium, antequam sibi imponatur, & similiter cum exuitur Papa. Cum accipit Dalmaticam residet, ac aptatur ei per Diaconum Favon circa Caput; quo aptato, removetur scabellum, super quo stabat Diaconus induens, & imponuntur Papæ per Diaconum, & Subdiaconum Chirothecæ, qui ante, & postquam illas sibi imposuerint, osculantur ejus manus, & Chirothecas. Deinde reponitur scabellum, & Papa induitur Casula, & extrahitur Favon circa collum, & aptatur, ut æqualiter pendeat circum circa. Interim unus Subdiaconorum Apostolicorum Pallium de Altari velo coopertum apportat, quod Diaconus ab ipso accipiens, Crucem posteriorem Pallii Papæ osculandam porrigit; deinde illud, adjuvante Subdiacono Latino, Papæ imponit eo modo, ut pars duplex super sinistro humero maneat; inde portantur tres spinulæ, quarum unam pulchriorem Diaconus Cruci anteriori Pallii infigit; aliam Cruci super humerum sinistrum, & tertiam infigit Subdiaconus Cruci posteriori. Sunt autem hujusmodi spinulæ taliter infigendæ, ut tertio Crucem pertranseant, Pallium autem non perforent, neque Planetam tangant, quodque gemmæ spinulæ maneant ad extra infigentis. Tum rursus aptatur Favon circa pectus, ut pendeat sub anteriori Pallii Cruce, & Planeta supra brachia Pontificis. Deinde ipse Diaconus Papæ Mitram imponit. Accedit interim primus Episcoporum Cardinalium assistens, & imponit Papæ jam Mitram tenenti Annulum Pontificalem, & alios, quos Papa voluerit, cujus manum osculatur. Hæc omnia Pontificis ornamenta prius per Sacristam super Altare præparantur, & ordine prædicto, instruente Cæremoniario, per Acolythos ad Pontificem deferuntur, assignanturque ad manus Diaconi Cardinalis prædicti.

COMMENTARIUS.

I. MAnuum lotionem ex quodam naturæ instinctu fuisse vel ab ethnicis Sacrificio præmissam, pluribus docet Joannes Bona Cardinalis Lib. II. Rerum Liturgicarum, Cap. I. Num. V. ubi etiam notat, non manuum dumtaxat, sed & totius corporis lotio-

(1) Ita legitur in omnibus editionibus, idemque est *Favon*, ac *Fanon*, de quo vide Macrium in suo Hierolexico.

Digitized by Google

tionem Ethnicos ipsos Sacrificio præmisisse. Testatur id quidem de Græcis, & Ægyptiis Herodotus in Euterpe. De Romanis vero Persius Satyra II. his versibus.

Hæc sancte ut pisces, Tiberino in gurgite mergis.
Mane caput, bis terque, & noctem flumine purgas.

Euclio item apud Plautum in Alularia, Actu IV. Scena II. *Nunc lavabo*, inquit, *ut rem divinam faciam*. Quia scilicet, ut ait Hesiodus, *illotis manibus sacra tractare est nefas*. Eadem religio fuit Hebræis, uti constat ex Cap. XXX. Exodi, ubi legitur, positum fuisse in Templo Labrum æneum cum aqua, ut quando Sacerdotes ingressuri erant Tabernaculum Testimonii, & accessuri ad Altare, manus antea lavarent.

II. Hinc vetus est Ecclesiæ institutum, ut Sacerdos lavet manus ante Sacrum, Deum interim exorans, ut sicut exterius abluuntur manuum inquinamenta, sic ab eo mundentur interius sordes mentis; est enim corporis munditia interioris innocentiæ professio. Extant apud Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. diversi mss. Missales Codices, ex quibus docemur, præmissam semper fuisse Sacrificio manuum lotionem, quæ etiam fieri solita erat cum precibus. Extant & apud Georgium in suo Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Tomo III. in Appendice Monumentorum varii Ordines Missæ Papalis, ubi & ejus ritus fit mentio, ut nempe recitatis a Pontifice celebraturo Psalmis & precibus, *portetur eidem aqua per Nobiliorem, qui erit in Curia, & lavet manus suas, & Cardinalis, qui debet servire in Missa, juvet ipsum Nobilem ad ~~dandam~~ aquam*. Similia leguntur & in aliis Ordinibus, atque in mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis, multisque is ritus comprobari posset exemplis Virorum Principum, qui illud obsequium Romano Pontifici Missarum solemnia celebranti alacriter præstitere.

III. Lotis manibus, induitur mox Pontifex sacris paramentis, *quæ ex Altari per Acolythos deferuntur*, ad Pontificem scilicet in Solio sedentem, qui ritus videtur recens institutus, nam alias juxta præscriptum Romani I. Ordinis, & plurium sequentium in Secretario sacris vestibus induebatur, & sic indutus procedebat ad Altare. Quod autem in præsenti §. statuitur, erat jam in usu Seculo XIII. ut addiscimus ex Ordine Romano XIV. Auctore Gajetano, Cap. LIII. in quo inter alia edicitur, ut si in Ecclesia sit Secretarium, sive Sacristia conveniens, ibi Pontifex celebraturus induatur, & si forte in Ecclesia illa consuetum esset, quod Pontifex longe ab Altari induatur, & cum ordinata processione ad Altare procedat, ea consuetudo servanda sit. Porro quod sacra indumenta Romani Pontificis spectat, quorum hic noster §. meminit, videri potest eruditus Georgius Tomo I. *De Liturgia Romani Pontificii*, ubi indumenta ipsa, eorumque originem recenset, latoque calamo explicat. Sed & de iis etiam diximus nos Tom. I. Commentariorum in partem I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, in quibus per varia Capita, sacra Episcoporum indumenta enarravimus, quæ & Summo Romano Pontifici communia sunt, si pauca excipias, quæ propria sunt ipsius solius Romani Summi Pontificis.

§. VI.

De impositione incensi in thuribulo, processu Pontificis a Solio ad Altare, & initio Missæ usque ad Orationem, post quam olim Laudes fiebant Pontifici.

Post hæc Episcopo Cardinale assistente, & ministrante, Pontifex ponit incensum in thuribulo, dicens: *Ab illo benedicaris &c.* Tum Papa processionaliter vadit ad Confessionem ante gradus Altaris, duobus Auditoribus fimbrias elevantibus a pedibus. Ordo procedendi, Thuriferarius, duo Ceroferarii, in quorum medio Crucem ferens, Subdiaconus Latinus Librum Evangeliorum, & in eo Manipulum Papæ inclusum ante pectus gestans. Inde Diaconus Evangelii cum Episcopo Cardinali assistente, quem sequitur Auditor ad Mitram serviens medius inter duos Cubicularios secretos, deinde Episcopi assistentes. Inter Altare, & Sedem, in qua Papa paramenta accipit, occurrunt Papæ tres ultimi Presbyteri Cardinales, quorum senior primo, deinde alii duo per ordinem, Pontificem in ore primo, deinde in pectore osculantur. Subdiaconus interim Librum Evangeliorum Cæremoniario tenendum tradens, Papam ambabus manibus retro ad ejus spatulas appositis sustentat. Inde Cardinales illi tres, cum Papa ante Altare se firmaverit, redeunt ad loca sua. Idem facit Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferarii; Thuriferarius vero ad cornu Epistolæ Altaris genuflexus expectat finem Confessionis. Cum Papa fuerit ante gradus Altaris, Diaconus Evangelii deponit ei Mitram, & eam Auditori tradit ad hoc servienti. Papa medius inter Episcopum Cardinalem a dextris, & Diaconum Evangelii a sinistris, stans facit Confessionem more solito. Duo Diaconi Cardinales assistentes stant post Papam, & aliquantulum se retrahunt, Episcopo, & Diacono cedentes. Post Diaconum (1) Subdiaconus genuflexus persistit cum Libro Evan-

(1) Ita in editione Romana, in Veneta I. vero & Coloniensi legitur: *Post Diaconum, & Subdiaconus &c.*

Digitized by Google

Evangeliorum, & Manipulo intus, quem imponit Papæ, dicto, *Indulgentiam*, prius tamen ejus manum osculatur. Facta Confessione, Papa ascendit ad Altare, & illud in medio osculatur. Subdiaconus Librum Evangeliorum aperiens, illum osculandum Papæ offert in cornu Evangelii, Episcopo Cardinali assistente ipsum adjuvante. Quo facto, Diaconus Evangelii ad dextram Pontificis in medio Altaris stantis accedens, & una cum eo Thuriferarius, incensum, & thuribulum Papæ offerunt, qui, impositio incenso, ut supra, Altare incensat more consueto. Et adverte, quod dum Papa est apud Altare, Diaconus Evangelii semper ministrat incensum, & incensat Pontificem. Cum autem Papa est in Sede, tunc Cardinalis Episcopus, sive Presbyter assistens hoc facit. Incensato Altari, Pontifex tradit thuribulum Diacono Evangelii, & in cornu Epistolæ stans, per Diaconum a dextris assistentem assumpta Mitra a Diacono Evangelii, ibidem incensatur, & ad medium Altaris se retrahens, adhuc versus, ut incensatus est, stans cum Mitra, Diaconos Cardinales, primo Evangelii, deinde assistentes duos tantum, ad osculum oris primo, deinde pectoris recipit. Inde Papa cum Mitra, facta Altari reverentia, vadit ad Sedem suam eminentem, in qua stans, detracta Mitra, dicit Introitum, & *Kyrie eleison*, cum Cardinalibus assistentibus, Episcopo Cardinali assistente Librum super caput tenente, juvantibus ipsum duobus Episcopis assistentibus, ut alias dictum est. Diaconus, & Subdiaconus Latini manent in cornu Epistolæ Altaris, & simul dicunt Introitum, & reliquum Missæ tempore suo, cum quibus Diaconus & Subdiaconus Græci dicunt, *Et in Terra*, & *Patrem*. Deinde Papa residet cum Mitra, & per Auditorem, qui servit de gremiali, imponitur ei gremiale super genua; quod gremiale dictus Auditor semper servat captum ex credentia, & cum Papa sedet, illud imponit super genua; & cum surgit, illud accipit, & servat, quousque Papa lavat manus post Offertorium; tunc portat gremiale ad credentiam, & Diaconi assistentes sedent in scabellis hinc inde juxta Papam more solito. Episcopus vero Cardinalis assistens sedet super Cathedram nudam, seu in Faldistorium inter Diaconum a dextris Papæ, & sedem Cardinalium juxta murum sibi paratam. Diaconus vero Evangelii, cum Papa sederit, & alii Cardinales assistentes, sedet & ipse in sinistro cornu Altaris, videlicet Epistolæ, super scabellum ibidem positum, vertens faciem ad cornu Evangelii. Diaconus autem Græcus super gradum Altaris sedet in cornu Evangelii, & Subdiaconus Latinus, & Græcus in cornu Epistolæ super inferiorem gradum, vultu ad Pontificem verso. Finito, *Kyrie eleison*, detracta Papæ Mitra, & tenente Episcopo Librum, ut supra, elevatis manibus juxta altitudinem humerorum, & eorum distantiam extensis digitis, sed non disjunctis, stans versus Altare, dicit, *Gloria in excelsis*, & cum dicit, *Deo*, jungit manus ante pectus; deinde ea cum Cardinalibus assistentibus tantum plane perlecta, residet; & finito, *Gloria*, deposita Mitra, surgit, & dicit manibus elevatis versus ad populum, *Pax vobis*; deinde Orationem, Episcopo Cardinali assistente, ut supra, Librum tenente. Interim Subdiaconus portans Librum Epistolarum ante pectus, vadit ad legendum Epistolam, altero ex Clericis Cæremoniarum ipsum associante.

COMMENTARIUS.

I. RItuum, quos hic noster §. describit, praxis occurrit passim in mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis, quorum loca longum esset describere. Videri in eandem rem possunt varii Missarum Papalium Ordines ante nostrum hoc Cæremoniale exarati, accurateque descripti ab erudito Georgio in Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Tomo III. in Appendice Monumentorum. Sane illud nos notandum censemus, quod de hac Missa legimus in Ordine Romano XI. Numero XVIII. *Ascendens*, inquit, *ad Altare*, Pontifex scilicet, *facit Confessionem, osculatur Evangelium, quod Subdiaconus tenet ante eum, & intrat ad Altare, & inclinato capite dicit orationem; qua peracta, osculatur Altare, & erigit se, dans pacem Archidiacono, & omnibus Diaconibus. Acolythus repræsentat thuribulum, & capsam cum incenso Archidiacono, qui lecturus est Evangelium. Pontifex autem accipit capsam, & ponit incensum in thuribulum, & incensat Altare, & Archidiaconus retinet Planetam, ne impediatur. Posito incenso, ascendit ad Sedem, & Cardinales descendant ad Chorum in locis suis, & Episcopi in dexteram in locis suis juxta Pontificem. Interim Paraphonista cum Schola cantat Introitum*, & kyrie eleison. *Pontifex incipit*, Gloria in excelsis Deo; & *Schola respondet*, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, *usque in finem. Et Pontifex dicit*, Pax vobis. *Schola respondet non in illa voce, sed alte*, Et cum spiritu tuo; & *dicitur una oratio*.

II. Solemnis Processionis in Missa e Secretario,

Digitized by Google

tario, ubi dici Tertia solebat, ad Altare, testem habemus Romanum Ordinem XII. Cap. I. ubi loquens de Pontifice ab Ecclesia S. Anastasiæ, in qua celebravit secundam Missam ad S. Mariam Majorem reverso, ut ibi tertiam Missam celebraret, hæc habet: *Intrat Sacrarium cum Episcopis, Cardinalibus, Diaconibus, Subdiaconibus, & reliquis Ordinibus, & dicunt Tertiam; qua dicta, induunt se, & processionaliter vadunt ad Altare, sicut est moris. Notandum, quod septem faculæ debent esse in Missa super Altare.* Eadem legere est in Ordine Romano XIV. Cap. LXIX. & in Romano Ordine XV. Capite X. ubi ita inquit: *Hora ergo competenti indutus sollemniter Summus Pontifex cum Capellanis, Subdiaconis, Acolythis processionaliter cum septem faculis, Cruce, & incenso, incipit Missam.* Tum vero mox: *Ei occurrunt tres juniores Cardinales Presbyteri ad osculum oris, & pectoris.* Solemni processione Summum Pontificem e Secretario perrexisse ad celebranda Missarum Solemnia, in eaque gestata fuisse a Thuriferario incensum, & a septem Acolythis septem candelabra cum cereis accensis, pervetustus Romanus I. Ordo testatur his verbis: *Tunc Subdiaconus sequens cum tymiamaterio procedit ante ipsum, mittens incensum, & septem Acolythi illius regionis, cujus dies fuerit, portantes septem cereostata accensa, præcedunt ante Pontificem usque ante Altare.* Plura de ipsis septem candelabris, seu cereostatis, quæ ab Acolythis regionariis in processione Missæ Pontificalis præferebantur, notavit Georgius Tomo II. *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. III. Cap. II. Num. IX. & sequentibus.

III. Post Orationem juxta antiquum ritum fiebant Pontifici in hac Missa Laudes, ejusque ritus mentionem facit idem Romanus Ordo XI. Num. XIX. *Interea Archidiaconus cum Diaconibus, & Subdiaconibus in filo stantibus ad dexteram juxta Altare, & Notarii jusum*, idest deorsum, *in Choro Pluvialibus induti stantes, Archidiaconus alta voce cum omnibus dicit*, Exaudi Christe. *Respondent Notarii*: Domino nostro Innocentio a Deo decreto Summo Pontifici, & universali Papæ vita. *Tribus vicibus dicit Archidiaconus cum suis; tribus vicibus respondent Notarii.* S. Maria, *dicit Archidiaconus. Respondent Notarii*, Tu illum adjuva. S. Maria, *respondent similiter de unoquoque Choro tribus, Sanctos duabus vicibus. In fine* kyrie *tribus vicibus Archidiaconus cum Diaconibus, & accipiunt tres solidos pro Laude.* Solidi ipsi Presbyterium erant, de quo fuse perdocteque differit in peculiari Opere, quod inscriptum est, *De Presbyterio*, amicus noster Petrus Morettus. Cete rum Innocentius, cui in citato Ordine XI. apta ntur Laudes, est Innocentius Papa II. quo vivente, ac sedente scriptus est Liber ilte, ut in eum locum eruditissimus Mabillonius notavit.

IV. Celebrem de Laudibus post Orationem dicendis ad Missam Festi Nativitatis Domini locum legere est in Ordine Romano XII. Cap. I. estque hujusmodi: *Dominus Papa incipit Missam, & post primam Orationem Diaconi Cardinales, & Subdiaconi, & alii Ordines cum Scriniariis faciunt Laudes Domino Papæ taliter ordinati. Archidiaconus cum aliis Diaconibus, & Subdiaconibus ordinati stant juxta Altare in duobus filis, Scriniariis vero stantibus deorsum in Choro cum Pluvialibus. Tunc Archidiaconus cum Diaconibus, & aliis sic incipit Laudem alta voce*: Exaudi Christe. *Scriniarii quoque respondent*: Domino nostro Papæ vita. *Iterum Archidiaconus dicat*: Exaudi Christe. *Scriniarii quoque respondent similiter. Tertio Archidiaconus dicit*: Exaudi Christe. *Scriniarii respondent sicut prius. Iterum Archidiaconus dicit*, Salvator mundi, *tribus vicibus, Seriniariis totidem vocibus ei respondentibus*, Tu illum adjuva. *Et Archidiaconus dicit*: Sancta Maria, *duabus vicibus, & Scriniarii respondent duabus vicibus*: Tu illum adjuva. *Deinde Archidiaconus dicit*, Sancte Michael, *duabus vicibus. Scriniarii respondent duabus vicibus*: Tu illum adjuva. *Eodem modo dicitur*, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancte Joannes, Sancte Petre, Sancte Paule, Sancte Andrea, Sancte Stephane. Sancte Laurenti, Sancte Vincenti, Sancte Silvester, Sancte Leo, Sancte Gregori, Sancte Benedicte, Sancte Basili, Sancte Saba, Sancta Agnes, Sancta Cæcilia, Sancta Lucia. *His finitis, Archidiaconus dicit*: kyrie eleison. *Scriniarii similiter respondent*: kyrie eleison. *Tertio vero Archidiaconus cum Diaconibus, Subdiaconibus, & Scriniariis una voce dicunt*: kyrie eleison. Fuisse in usu hujusmodi Laudes Seculis XIII. & XIV. constat ex Ordinibus Romanis XIV. & XV. in quorum altero ita legitur, Cap. X. *Sciendum, quod, lecta Oratione, consueverunt Laudes ejus fieri, sicut habetur in Politico, & notatur in ejus Coronatione.* Liber Politicus, seu Polypticus, sive Pollicitus, dictus est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, qui etiam in ipso Ordine varias notavit Papales largitiones usitatas ipso die Nativitatis Dominicæ, quas recenset eruditissimus Morettus in Opere, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione III. Numero IV. & seqq.

§. VII.

De Epistola Latine & Græce cantata primum a Subdiacono Latino, deinde a Græco.

Finitis Orationibus, Subdiaconus stans in loco consueto, videlicet inter cornu Epistolæ, & Sedem eminentem Papæ per transversum, ita quod a dextris Altare, & a sinistris Papam habeat, sibi ipsi Librum tenens cantat Epistolam, & Papa cum Mitra sedet. Subdiaconus finita Epistola retrahit se aliquantulum, & immediate Subdiaconus Græcus per Cæremoniarium cum debitis reverentiis

Digitized by Google

ad eundem locum, in quo Latinus cantavit, ducitur, ubi & ipse stans versus, & Librum tenens, ut alter, cantat Epistolam Græcam; qua finita, ambo Subdiaconi simul, Cæremoniario præcedente, accedunt ad osculum pedis Papæ, Latinus primum, deinde Græcus. Inde ambo redeunt ad Altare, & ibi Latinus cum Cardinale Diacono legit Epistolam, & alia. Assistentes vero Episcopi portant Librum Papæ, & uno ipsorum illum supra caput tenente, Papa legit Epistolam, Graduale, & Evangelium.

COMMENTARIUS.

I. EX Apostolica traditione descendere legendæ Epistolæ ritum ad Missam, communiter docent qui scripsere de rebus Liturgicis. Locus legendæ Epistolæ erat Ambon ad id destinatus, in cancellis scilicet dextris Chori versus Altare. Romæ in pervetusta Sancti Clementis Ecclesia duo a dextra parte Chori Ambones visuntur, alter versus Altare pro legenda Epistola, alter pro legendis Prophetiis versus populum; tertius vero a sinistris tantisper altior, & ornatior pro Evangelio. Seculo XIV. uti notavit Georgius Tomo II. *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. III. Capite XVI. Num. III. in solemni Missarum Romani Pontificis celebratione hic ritus legendæ Epistolæ per Subdiaconum Latinum in ms. Codice Vaticano Seculi XIV. præscribitur: *Qua finita*, Oratione scilicet, *Unus Episcopus de familiaribus Domini nostri recipit Librum, & Subdiaconus vadit ad legendam Epistolam coram Domino nostro præfato; qua lecta, statim ipse Subdiaconus vadit ad osculandum pedem dicto Domino n stro, & antequam surgat, stando flexis genibus coram Papa; & Prælatus, qui tenet Missale Domini Papæ, trâdit ipsum Librum Subdiacono, qui tenet eum coram Papa, donec Dominus noster dixerit Epistolam, & Officium suum; quo dicto, Subdiaconus vadit ad locum suum*. Alius Liber Pontificalis Vaticanus ejusdem Seculi apud eundem Georgium loco citato sic habet: *Et interim*, dum scilicet per Pontificem prima Oratio recitatur, *Subdiaconus portans Librum Epistolarum ante pectus suum, vadit ad legendum Epistolam, ipsum associante altero Clericorum Capellæ, & finitis Orationibus, Papa residet in Cathedra sua, & Mitra ei imposita, Cardinales vadunt ad scabella sua Subdiaconus vero, finita Epistola, debet accedere ad osculum pedis Papæ, præcedente dicto Clerico Capellæ, pedem Papæ discooperiente, & ipsum post osculum cooperiente; quo facto, ipse Subdiaconus revertitur ad Altare*. Nulla in his Pontificalibus Libris de Epistola Græca mentio, quod fortasse, ut conjicit memoratus Georgius, exarati sunt, quum Romani Pontifices Avenione considebant, ubi ob Græcorum, aut Græcæ linguæ inopiam intermitteretur Epistola Græca.

II. Mentio Græcæ Epistolæ in solemni Missa Papali, fit quidem in hoc nostro §. estque hic Romanæ Ecclesiæ ritus, cujus testis est Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, ubi agit de solemni Missa Papæ die Nativitatis Dominicæ. Sic enim Num. XX. ait: *Prior Subdiaconus Latinus, & Subdiaconus Græcus portant Libros ante pectus suum cum duobus Subdiaconis, & uno Acolytho Camiso induto, antecedente eum Oblationario* (seu *Blationario*, ut alias legitur) *in manu faciendo viam. Duo Cantores, prior & secundus, isto die, & die Sancto Paschæ descendunt in Ambonem, & Acolythus stat ante in Ambone. Finita Laude*, quæ, ut superius notatum fuit, fiebat Pontifici post Orationem, *Subdiaconus Latinus legit Epistolam Latinam, deinde Subdiaconus Græcus legit Epistolam Græcam. Redeunt ad Altare gratias babentes, & osculantur pedes Pontificis*. Idem ritus servatus legitur die Paschæ, teste eodem Benedicto in citato Romano Ordine XI. Num. XLVII. *Facta laude, prior Subdiaconus Basilicarius legit Epistolam Latinam, Subdiaconus Græcus legit Epistolam Græcam*. Esse hunc ritum in Ecclesia Romana antiquum, testatur Anselmus Episcopus Havelbergensis in suis Dialogis Eugenio Papæ III. inscriptis, Cap. XV. ubi criminationibus Græcorum respondens, diserte ait, *institutum in Ordine Romano, quod in summis Festivitatibus ad Missarum Solemnia Lectiones, & Evangelia Latine & Græce recitentur propter præsentiam utriusque populi in utraque lingua eruditi*. Loquitur de antiquo more non modo Romæ servato, sed & in nostra magna Græcia, ubi ait, Latinam, & Græcam linguam promiscuam fuisse, atque communem. De hujusmodi ritu, legendi scilicet in solemni Papali Missa Epistolam & Evangelium Latine & Græce, testem etiam habemus Durandum Lib. IV. Rationalis Divinorum Officiorum Cap. I. Num. XXXVI. ubi hæc habet: *In Missa Romani Pontificis in præcipuis solemnitatibus legitur Evangelium, & Epistola, non solum in Latino, verum etiam in Græco*. His adde locum Ordinis Romani XV. Auctore Amelio, Cap. X. ubi loquens de tertia Missa Nativitatis Domini celebrari solita a Papa, sic ad rem nostram inquit: *Finitis Laudibus, cantatur Epistola Latina, postmodum Græca. Subdiaconus Latinus expectat Subdiaconum Græcum, & postea ambo vadunt ad osculandum pedem Papæ, ducti per Clericum Cæremoniarum*.

III. Spectant & ad hunc nostrum §. quæ Auctor nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius notavit infra Lib. III. Titulo V. Capite VII. quod est, *De Evangelio & Epistola Græce legendis*. Hæc ejus verba: *Evangelium & Epistola Græce leguntur, quotiescumque Pontifex Romanus publice & solemniter celebrat, si illi placuerit; & in hoc non est aliqua Festivitas magis privilegiata, quam alia*. Se legisse ait in Coronatione Pontificis servari consuevisse *vocari ad hoc Monachos ex Monasterio Cryptæ Ferratæ, si Romæ fiat, qui sunt fere in Suburbiis, & linguam, ac ritum Græcanicæ Ecclesiæ servare consueverunt*. Se tamen addit, numquam illos vidisse hoc munere defungi. Ad hæc admonet, ut habeantur duo, qui docti sint, & Græ-

Digitized by Google

Græcam linguam calleant, neque adhibeantur rudes, & hujus linguæ imperiti, ne forte doctus aliquis, Græce, eos audiens Solemnia Sacrorum irrideat. Opus esse affirmat, ut hi Diaconali & Subdiaconali Ordine adminus insigniti sint; vidisseque se sæpius Evangelium Græce in Missa solemni Romani Pontificis per Episcopum fuisse recitatum, Epistolam vero a Viro aliquo non indocto, neque vili. Hanc consuetudinem Græce legendi hinc ortam putat, *ut appareat, Romanam Ecclesiam in se continere utramque gentem, Græcam scilicet, & Latinam, ex quibus Ecclesia Dei fere tota co. sistit; in qua quidem primatum obtinet, quod Græci diu recusarunt, Apostolica Sedes.* Tandem se reperisse inquit in antiquis Codicibus, *non modo Evangelium, & Epistolam, sed & Prophetias, & Passionem Christi in sacra hebdomada, & alia hujusmodi Græce legi consuetum fuisse.* Huc usque Patricius loco citato. At vero postquam Romæ a Gregorio XIII. Pontifice Maximo Collegium Græcorum institutum est, illius Collegii alumni in Missa solemni Romani Pontificis Epistolam & Evangelium Græce cantant.

IV. Cantata Epistola juxta Romanum Ordinem v. Num. VII. Subdiaconus genu osculabatur Pontificis; sed invaluit ritus, ut pedes illius deosculetur, ejusque meminit Innocentius III. Lib. II. *Mysteriorum Missæ*, Capite XXX. *Pronus ad pedes calceamentum Romani Pontificis osculetur.* Quod iisdem verbis exprimit Durandus Lib. IV. Cap. XVII. Sed hunc ritum jam supra fuse explicuimus ex testimonio Romani Ordinis XI. & XV. quibus adde Alexandrum Alensem, qui in Tractatu, *De Sacramento Eucharistiæ*, Quæstione X. scripsit, *neque Diaconum, neque Subdiaconum manus Summi Pontificis osculari, sed pedem, in signum, quod Summo Pontifici debet exhiberi reverentia.* Porro, ut alia monumenta omittam, ex mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis, Ordo Missæ Pontificalis in die Natalis Domini, Urbano VIII. Pontifice Maximo exaratus, legiturque apud Georgium Tomo III. *De Liturgia &c.* in Appendice Monumentorum, Num. XIX. ita habet: *Deinde*, nempe cantata Oratione, *sedet Pontifex, accipiens Mitram, & Gremiale, & Subdiaconus Latinus accedens ad locum suum, Librum suis manibus sustinens, cantat Epistolam. Idem post eum facit Subdiaconus Græcus. Postmodum ambo Pontificis pedem osculantur. Deinde Pontifex sedens cum Mitra legit Epistolam, & alia &c.* Atque hic est ritus, qui hodieque servatur.

§. VIII.

De Evangelio Latine & Græce a Diacono primum Latino, & deinde a Græco cantato.

Cum cantatur Graduale, vel Sequentia, si cantatur, Diaconus Cardinalis Evangelii accipit Librum Evangeliorum, & portans illum ante pectus suum, vadit ad Altare, & supra illud Librum ponit; quo ibidem dimisso, cum debitis reverentiis vadit ad Papam, coram quo stans capite inclinato, manum ejus reverenter osculatur, Cæremoniario eum associante. Deinde revertitur ad Altare, coram quo genuflexus dicit: *Munda cor meum &c.* tunc accipit Librum Evangeliorum de Altari, & illum tenet ante pectus. Interim paratur pulpitum cum velo aureo per Clericos Capellæ in loco consueto, idest apud gradum Altaris in cornu dextro; ita ut vertat suam faciem ad sinistram, non ad corpus Altaris; & septem Acolythi cum septem intorticiis, & alius Acolythus cum thuribulo, & navicella vadit ad Papam cum Episcopo Cardinali assistente; quo ministrante, ut supra, Papa imponit incensum, & Acolythus revertitur ad septem Acolythos Ceroferarios, qui parati sunt cum septem candelabris, sive septem intorticiis accensis, Cardinalis vero Episcopus ad Cathedram suam nudam. Hora competenti proceditur ad locum Evangelii hoc ordine. Ceremoniarius, Thuriferarius, Ceroferarii, Subdiaconus, Diaconus, qui cum ante Papam fuerit, stans capite inclinato versus ad Pontificem, dicit, *Jube Domine benedicere*, & accepta benedictione, vadit ad pulpitum, ponit Librum super illud, & septem Ceroferarii faciunt circulum ante eum. Subdiaconus vero stans post pulpitum, inter illud & Ceroferarios, pulpitum amplectitur, & ambabus manibus ex utraque parte tangit Librum Evangeliorum. Diaconus junctis manibus dicit: *Dominus vobiscum*; & cum dicit, *Sequentia Sancti Evangelii*, signat pollice dextro Librum, os, & pectus. Cum respondetur, *Gloria tibi Domine*, incensat ter Librum, primo in medio, deinde a dextris, & a sinistris. Finito Evangelio, factis reverentiis consuetis, Diaconus cum quinque Ceroferariis revertitur ad Altare, stans ibidem juxta scabellum suum. Subdiaconus vero capit Librum Evangeliorum ante pectus, & ibidem juxta pulpitum a latere expectans finem Evangelii Græci. Duo Ceroferarii cum Thuriferario etiam manent juxta pulpitum hinc & inde. Diaconus vero Græcus accipit Librum suum, & ponens illum ante pectus, vadit ad Altare, & dimisso super Altare Libro, Cæremoniario præcedente, & pedem Papæ discooperiente, & cooperiente, vadit

Digitized by Google

ad osculum pedis Papæ, nisi forte esset Episcopus; tunc non pedem, sed genu dextrum Papæ osculari debet. Tum ad Altare revertitur, coram quo genuflexus dicat: *Munda cor meum &c.* Deinde surgit, accipit Librum Evangeliorum ante pectus, & præcedente eum Subdiacono suo post Cæremoniarium, vadit ad gradus Sedis Papæ, ubi genuflexus petit benedictionem; qua habita, vadit ad pulpitum, ponit desuper Librum; Subdiaconus vero Græcus stans retro ad pulpitum, tenet, ut Latinus fecerat. Diaconus deinde dicit, signat, & incensat, ut de Latino diximus, Subdiacono sibi respondente. Finito Evangelio, Subdiaconus capit Librum, & Diaconus cum duobus Ceroferariis redit ad Altare ad sua loca. Lectis Evangeliis, Subdiaconi portant Libros apertos ad osculandum, primo Latinus, deinde Græcus. Tum Papa stans sine Mitra per Episcopum Cardinalem ad gradus Solii stantem incensatur more consueto.

COMMENTARIUS.

I. EPistolam non modo, sed Evangelium quoque Latine ac Græce consueviſſe in solemni Romani Pontificis Missa cantari, in superiori Commentario abunde probatum est. Quamquam de ritibus in decantando Evangelio ad Missam fuse dixerimus, & in Opere nostro, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. & in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, operæ pretium nihilominus ducimus alia scitu digna hic adnotare, quæ hunc nostrum §. quammaxime spectant. Sane in Ordine I. Romano Num. LI. hæc de ea re statuuntur: *Ad completionem*, Alleluja, *vel Responsoria, parat se Diaconus ad Evangelium legendum. Si autem Diaconus ibidem non fuerit, Presbyter, sicut Diaconus, stat juxta Pontificem, sed non levata Planeta. At ubi Evangelium relegerit, ibi se non parat, ubi & Diaconus, sed statim venit ad Altare vestitus Planeta, ornat Altare, sicut Diaconus.* Ordo item Romanus, Num. X. ex ms. Codice Veronensi Seculi IX. ab erudito Blanchinio editus in Prolegomenis ad Anastasium, Tomo III. pag. XXV. & seqq. eadem præfert, sed immutatis tantisper verbis: *Ad completionem autem* Alleluja, *vel Responsorii, parant se Diaconi ad Evangelium legendum; si autem Diaconus ibidem non fuerit, Presbyteri (lege Presbyter) sicut Diaconus stet juxta Pontificem, sed non relevata Planeta. At ubi Evangelium legere debet, ibi se parat, ubi & Diaconus. Sed statim ubi perlegerit Evangelium, & venerit ante Altare, rev estit Planeta, & ornat Altare, sicut Diaconus.* Ex his percipere licet, deficiente Diacono ad Evangelium cantandum, in illius locum Presbyterum suffectum fuisse.

II. Consueviſſe olim cantari Evangelium in Ambone, jam nos in citatis Operibus nostris notavimus. Antequam vero ad Ambonem Diaconus pergeret, ad Pontificem accedebat, & pedes ejus osculabatur, cui, ut ait laudatus Ordo I. Romanus Num. XI. Pontifex dicebat: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis. Deinde*, ut idem Ordo inquit, *venit*, Diaconus scilicet, *ante Altare, & osculatis Evangeliis, levat in manus suas Codicem, & procedunt ante ipsum duo Subdiaconi regionarii levantes thymiamaterium de manu Subdiaconi sequentis, mittentes incensum, & ante se habent duos Acolythos portantes duo cereostata. Venientes ad Ambonem, dividuntur ipsi Acolythi, & transeunt Subdiaconi, & Diaconus cum Evangelio per medium eorum. Ille qui absque thymiamaterio est, vertens se ad Diaconum, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu Subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit. Et interposito digito suo Diaconus in loco lectionis ascendit ad legendum, & illi duo Subdiaconi redeunt stare ante gradum descensionis Ambonis.* Ordo vero Romanus I. a memorato Blanchinio vulgatus perhibet etiam, ut dum Diaconus ad Evangelium legendum pergeret, ante Episcopos, & Presbyteros transiret, & ad illos se inclinans, fausta verba benedictionis ab eis recipiebat: *Subdiaconi*, procedunt, *& Diaconus cum Evangelio per medium eorum, & dum transierit cum Evangelio ante Episcopos, inclinat se ad eos, ac illi eum benedicunt ita*: Dominus tecum. *Post hæc inclinat se ad Presbyteros, & illi dicunt*: Spiritus Domini super te. Similia Ordini Romano I. legere est in Ordine Romano III. Num. X. In ordine autem V. Num. VII. loco duorum Subdiaconorum sunt duo Acolythi cum incensoriis.

III. Quod ritum spectat imponendi incensum in thuribulo, & cereorum deferendorum ad Evangelii lectionem, ita hic quidem describitur in Ordine Romano VI. Num. VI. *Cum autem omnia usque ad Evangelium impleta fuerint, accedat Princeps Ecclesiæ*, idest Episcopus assistens, *ad Episcopum, pyxidem, in qua thus habetur, manu ferens, sequente Acolytho, qui thuribulum portat, & imposito in illud incenso ab Episcopo, & Subdiacono in dextra parte Altaris Diaconum præstolante, accedat Diaconus ad Altare, Dominum bis verbis adoraturus*: Domine labia mea aperies, & os meum annnntiabit laudem tuam. *Et adorato Altari, genua flectens ante Episcopum, accipiat ab eo benedictionem, & præbens se ad pedes ejus, adhibente manum Episcopo, osculetur eam, & protinus ad Altare progrediens, sumat Evangelium continuo lecturus, Candelabra autem ferentes infra pulpitum contra Diaconum stare debent. Sed ille, qui thuribulum tenet, juxta eum stet in sinistra parte, usquequo Evangelium perlegatur.* Usus cereorum pervetustus profecto est in solemni Evangelii lectione ad Missam, ejusque meminit S. Hieronymus adversus Vigilantium scribens ad lumina hæc cæcutientem, & dormitantem: *Per totas Orientis Ecclesias*, inquit, *quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilan-*

Digitized by Google

tilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum &c.

IV. Duo olim Romæ adhibita fuiſſe lumina ad lectionem Evangelii ſolemnem, conjicimus nos ex Actis Leonis Papæ III. qui teſte Anaſtaſio in ejus Vita, *fecit lucernas fuſiles duas ex argento puriſſimo, & hoc conſtituit, ut Dominicorum dies, vel in Sanctis ſolemnitatibus, hinc inde juxta Lectorium conſiſterent, & ad legendum ſacras Lectiones luminis ſplendore refulgerent.* Acolythorum officium eſſe, ſcribit S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis Libro VIII. *Etymologiarum*, Cap. XII. cereos deferre ante Diaconum, quando legitur Evangelium in Eccleſia, non ad effugandas tenebras, cum ſol in die rutilet, ſed ad demonſtrandum, quod de tenebris infidelitatis venimus ad lucem Fidei, & ut ſit ſignum lætitiæ, quatenus ſub typo corporalis luminis lux illa in memoria habeatur de qua dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ceterum licet antiquus ſit ritus, ut Romæ in ſolemni Summi Pontificis Miſſa ſeptem Acolythi cum ſeptem candelabris totidemque cereis accenſis e Secretario una cum ipſo celebrante ad Altare procederent, uti conſtat ex antiquis Romanis Ordinibus, I. II. & aliis non paucis, ex eiſdem nihilominus liquet, duo adhibita fuiſſe lumina ad Evangelii lectionem. Quicquid ſit, ritus eſt non ita recentior, ut in ſummis ſaltem feſtivitatibus ad lectionem Evangelii ſeptem adhiberentur cerei accenſi; ſic enim in hanc rem inquit Codex ms. Pontificalis Vaticanus Seculi XIV. apud laudatum toties Georgium, Tom. II. Lib. III. Cap. XVIII. Num. VII. *Nota, quod ubi in minoribus feſtivitatibus non niſi duo candelabra, & duæ candelæ, in majoribus feſtivitatibus, videlicet Pentecoſtes, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, & Reſurrectionis ſeptem candelabra cum ſeptem candelis, ſive faculis accenſis portantur, & Subdiaconus venit poſt ipſos; Capellani Domini noſtri debent portare dictas candelas, ſive faculas. In aliis Miſſis licet Dominus noſter faciat Officium, non portantur, niſi duo candelabra cum duabus candelis &c.*

V. Porro ex præſcripto noſtri §. ſeptem quidem adhibentur cerei accenſi in lectione Evangelii Latine a Diacono Latino cantati, non vero in illo quod Græce cantat Diaconus Græcus, cui duo tantum Acolythi aſſiſtunt cum duobus cereis. Atque hunc ritum ſervari conſueviſſe labente Seculo XIV. ante editionem noſtri Cæremonialis, teſtatur Ordo Romanus XV. eo Seculo exaratus, Cap. IX. ubi agitur de tertia Miſſa Nativitatis Domini: *Ad Evangelium Latinum portantur ſeptem candelabra, & immediate dicitur Evangelium Græcum cum duobus candelabris accenſis, & alia quinque portantur in Altari.* Extinguebantur quidem olim poſt Evangelium candelæ, verum Ordo I. Romanus ex editione Blanchinii hæc habet, quæ in editis deſiderantur: *Ceteri vero Acolythi ſumentes cereoſtata, ponent ea retro Altare per ordinem.* Ex quibus incertum fit, an candelæ in his candelabris poſitæ extinguerentur, an adhuc accenſæ collucerent. At præter Amalarium ex Ordine Romano V. Num. VII. aperte apparet, has candelas poſt Evangelium extinctas fuiſſe: *Et candelabra*, inquit, *ab Acolythis extinguantur, & poſt Altare ponantur.*

VI. Longum eſſet varios Ordines Romanos deſcribere, rituſque recenſere, qui ad lectionem Evangelii pertinent, fieri olim ſoliti in Miſſa Papali. Omnibus itaque aliis omiſſis, deſcribam dumtaxat Ordinem Miſſæ Pontificalis in die Natalis Domini, Urbano VIII. Pontifice Maximo exaratum, qui ita ad rem noſtram inquit: *Cum tempus erit, Diaconus Cardinalis Evangelium dicturus, accepto Libro Evangeliorum ante pectus ſuum, ponit illum ſuper Altare in medio; deinde accedit ad Pontificem, & ejus manum dexteram oſculatur. Tum redit ad Altare, & coram eo genuflexus dicit.* Munda cor meum &c. *Quo dicto, aſcendit ad Altare, & accepto Libro ex Altari, pergit ad Pontificem, & coram eo ſtans capite inclinato dicit:* Jube Domne benedicere. *Et Pontifex ſedens dicit:* Dominus ſit in corde tuo &c. *& producendo ſuper eum ſignum Crucis, addit:* In nomine Patris &c. *Diaconus vadit ad legivum; & poſito deſuper Libro, dicit:* Dominus vobiſcum; *& Evangelium more ſolito cantat. Finito Evangelio Latino per Cardinalem Diaconum, Græcus Diaconus genuflexus ante Altare, accedit ad Pontificem, & oſculatur pedem ejus; deinde reverſus ad Altare, & dicto,* Munda cor meum, *ut ſupra, redit ad Pontificem, & genuflexus coram eo petit benedictionem. Deinde iiſdem cæremoniis Evangelium cantat; quo finito, Subdiaconus Latinus & Græcus deferunt Libros ad oſculandum Pontifici; & primus Epiſcoporum Cardinalium deſcendens gradus Solii, ibi ſtans incenſat Pontificem adhuc ſine Mitra ſtantem.*

VII. Poſt Lectum Evangelium juxta Ordinem I. Romanum, Numero X. dicebat Diacono Pontifex: *Pax tibi.* Idem habet Ordo V. Num. VII. ex præſcripto autem Ordinis II. & aliorum plurium deferebatur oſculandum Evangelium non modo Pontifici celebranti, ſed *omnibus per ordinem graduum, qui ſteterint, & univerſo Clero, nec non & populo.* Juxta Romanum Ordinem VI. Num. VII. perlecto Evangelio, accipiebat Subdiaconus pulvinar, & Evangelium a Diacono, eumque præcedebat, & una cum eo Thuriferarius, ſeptemque Acolythi cum candelabris uſque ad Altare præibant. Tum Celebrans Pontifex, *accepto odore incenſi, & Evangelio deoſculato, ad prædicationem per manus Presbyteri & Archidiaconi* perducebatur; *& interim dum Sermonem faciebat ad populum, Subdiaconus circumferendo fratribus Evangelium apportabat, ab omnibus ordinatim deoſculandum.* De hoc oſculo videri poſſunt quæ fuſe diximus in Opere noſtro, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. Cap. XXVII. Ceterum invaluit ritus, ut Evangelii Liber nulli alii, quam Pontifici ad oſculandum offeratur.

VIII. Notandum hic inſuper quod in ſuo Diario ſcribit Mucantius ad annum MDLXXIV. ubi loquens de Paſchatis Feſto, inter alia ait, ad Evangelium Latinum Acolythos, & Abbreviatores portaſſe ſeptem candelabra cum cereis accenſis, ſtetiſſeque in gyrum retro Subdiaconum Librum tenentem; atque hunc ritum ſervari cœptum eo anno addit. Sed de his alias infra.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

De Symbolo, & Offertorio, ac de prægustatione Hostiæ, & vini facienda a Sacrista.

Deinde Papa dicit, *Credo in unum Deum*, & plane cum assistentibus tantum Cardinalibus perficit Symbolum; & cum cantatur, *Et incarnatus est*, cum Mitra caput versus ad Altare humiliter inclinat. Cardinales autem, & omnes alii genuflectant quousque dictum sit, *Et homo factus est*. Quo dicto, omnes surgunt, & sedent. Diaconus vero cum Subdiacono Latino vadunt ad credentiam Papæ, ubi paratus erit unus scutifer Diaconi cum vasis, & duobus mantilibus pro lavandis, & extergendis manibus; quibus lotis, ad Altare redeunt, ubi per Sacristam Papæ porrigitur eis una tobalea sericea, quam super Altare explicant. Deinde Subdiaconus vadit ad credentiam Sacristæ, ubi imponitur ei per Cæremoniarium quidam panniculus propter hoc confectus, qui retro ad collum ligatur, & stringitur, ut ante a collo dependeat, & ipsum ad longitudinem brachiorum cooperiat; & accipiens bursam cum Corporalibus, & super eam Hostiariam cum Hostiis, & desuper purificatorium, omnia discooperta cum debitis reverentiis ad medium Altaris portat, & Diacono Latino apud Altare expectanti consignat, qui ea accipiens, ponit super Altare versus cornu Epistolæ, simul & purificatorium, & Hostiariam de Corporalibus, & ibidem prope ponit. Explicat Corporalia de bursa, & explicat in loco suo; bursam vero ponit inter Crucem, & Corporalia, vel alio convenienti loco, ubi non impediat. Interim Sacrista de sua credentia dat uni Acolythorum ampullas vini, & aquæ vacuas duobus velis aureis coopertas, & super axilla sinistra pateram unam argenteam. Ipse vero Sacrista aureum velum circa collum habens, accipit de dicta sua credentia Calicem cum Patena, cum quibus Pontifex est celebraturus, & parvum quoddam coclear super Patenam ponit; quæ omnia parte dicti veli cooperta, præcedentibus duobus servientibus armorum, & sequente dicto Acolytho, ad credentiam Papæ defert, ubi cum aqua, de qua Credentiarius primum probam faciat, mundat, ac tergit Calicem, Patenam, coclear, ampullas, & pateram. Deinde implet ampullas vino, & aqua, & ex ampullis dat Credentiariis in unam eorum pateram, ut faciant credentiam, sive probam; & restituit ampullas, & pateram Acolytho, qui eas portavit, quas, ut prius, cooperit, & pateram sub axilla ponit. Sacrista vero cum Calice, Patena, & cocleari coopertis, ut venit, præcedentibus dictis duobus servientibus armorum, & Acolytho, vadit ad cornu Epistolæ Altaris, & ponit omnia in dicto cornu super Altare; & Diaconus Latinus accipiens tres Hostias ex Hostiaria, ponit eas ordinatim super Patenam, sicque Papam expectant. Finito, *Credo*, Papa, deposita Mitra, surgit, & dicit: *Dominus vobiscum*, & *Oremus*; & lecto Offertorio sedet. Reponitur sibi Mitra, & per Diaconos assistentes extrahuntur ei Annuli, & Chirothecæ, & Papa abluit manus ordine consueto; quibus lotis, reponuntur ei Annuli per Diaconos assistentes ubi prius erant; & Papa descendit ad Altare, duobus Auditoribus semper fimbrias elevantibus, ubi Diaconus Evangelii Latinus extrahit ei Mitram. Interim duo Episcopi assistentes prævenientes Pontificem, ponunt Missale super Altare in cornu Evangelii super pulvinum; & Episcopus Cardinalis assistens dicit quæ sunt dicenda, & ea digito suo Papæ semper ostendit. Diaconus vero Evangelii Latinus accipit Hostiam unam de tribus, quæ sunt super Patenam, & cum ea alias duas tangit, & eam dat Sacristæ comedendam. Deinde accipit aliam Hostiam de duabus, quæ remanserant, & cum ea tangit Patenam, & Calicem per totum intus & extra, & similiter dat eam Sacristæ comedendam. Post hæc de ampullis vinum & aquam in patera dat Sacristæ ad prægustandum, & deinde accipiens Patenam cum Hostia, dat in manibus Papæ, qui illam Deo offerens, dicit: *Suscipe Sancte Pater &c.* Tunc idem Diaconus ponit vinum in Calice ad sufficientiam pro tribus. Subdiaconus vero Latinus accipit coclear prædictum, super quod Sacrista imponit aquam ex ampulla, & Subdiaconus versus ad Pontificem dicit: *Benedicite*, & benedictione accepta, simul cum Diacono Latino infundit in Calicem, quem Diaconus dat in manus Papæ, & simul cum Papa Calicem tangens, illum offerunt, dicentes: *Offerimus tibi Domine &c.* & Papa ponit eum super Corporalia,

Digitized by Google

ralia, cum eo ſignum Crucis faciens, quem mox Diaconus Palla cooperit. Subdiacono vero Latinorum per Cæremoniarium imponitur quoddam velum circa collum, retento etiam panniculo, quem prius habebat, & Patena in manu dextera, & dicto velo cooperitur, cum qua poſt Papam vadit, & ibi ſtans permanet uſque circa finem, *Pater noſter*.

COMMENTARIUS.

I. EGimus jam alias de Symbolo recitari ſolito in Miſſa, ideoque ritu illo omiſſo, ſicut & Offertorii, atque Oblationum, de quibus fuſe non uno Operum noſtrorum loco diximus, ea narrabimus, quæ præguſtationem Hoſtiarum, vini, & aquæ fieri ſolitam in Miſſa Pontificali ſpectant. Ritus iſte, uti notavimus Tomo II. Commentariorum in Librum II. Cæremonialis Epiſcoporum, pag. 104. proceſſiſſe videtur ab antiqua Romana Capella, in qua ideo forte conſtitutus fuit, quod, ut quidam Auctores ſcribunt in Vitis Romanorum Pontificum, inter alios Victor III. qui floruit poſt medium Sæculum XI. veneno in Sacrum Calicem, dum celebraret, injecto extinctus eſt. Teſtatur id quidem Trithemius Lib. IV. de Viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti, Cap. XIII. Unde nonnulli Martyris ei titulum dedere, quod hoc pacto ob Eccleſiæ defenſionem ab ejus inimicis Henrico Imperatori addictis veneno necatus dici poſſet. Sunt etiam qui docent, Subdiaconum quemdam ad necandum Victorem II. Papam toxicon miſiſſe in ejus Sacrum Calicem, ſed miraculo ſervatum fuiſſe a morte. Non eſt ſane dubium, quin & Pontifex ipſe, & plures ejus Prædeceſſores, ac Succeſſores modico admodum tempore vixerint. Quæ res tunc adeo multos turbavit, ut hujus Divinæ providentiæ cauſas a variis Doctoribus perquiſierit Alexander Papa II. & varias adduxerit S. Petrus Damiani Seculi XI. Scriptor Lib. I. Epiſtola XVII. Hinc autem perfidus, ac maledicus Cardinalis Benno anſam ſumpſit blaterandi, quod a degradato Pſeudopapa Theophylacto, ſeu Benedicto IX. & Gerardo Brazuto adjutus Hildebrandus, qui fuit poſtea S. Gregorius VII. intra tredecim annos veneno ſuffocaſſet ſex Romanos Pontifices, atque ita ſibi viam ad Papatum aperuiſſet. Verum hæc adeo aperta mendacia ſunt, ut neque Henricus IV. nec Venericus Vercellenſis, nec quis alius Henricianus Epiſcopus, aut Apologus auſus fuerit uti ipſis mendaciis, calumniiſque adverſus laudatum Pontificem, uti ſcitiſſime obſervat Chriſtianus Lupus, Tomo V. Operum editionis Venetæ in Victoris II. Pontificis Concilium Florentinum.

II. Præguſtationis in Miſſa Pontificali ritus, & quidem faciendæ a Sacriſta, ad quem pertinet Hoſtiam, vinum, & aquam ad ipſam Miſſam præparare, docet Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. LXXXI. *Sacriſta portat Calicem cum pyxide Hoſtiarum, & parvo Cochleari, coopertum velo ſirico, & portat Calicem cum tribus Hoſtiis, unam pro Sacramento, & duas pro proba, & in Papæ præſentia facit probam de vino, & de pane &c.* Proba idem eſt ac præguſtatio, ut diximus Tom. I. hujus Operis, ubi ritum ſolemnis convivii fieri olim ſoliti a Summo Pontifice explicavimus, occurritque ea vox paſſim in mſs. Codicibus Pontificalibus, præſertim vero in Vaticano, Num. 4727. apud eruditum Dominicum Georgium Tomo III. in Appendice monumentorum ad ſuam Romani Pontificis Liturgiam, Num. V. Præcipit itaque Vaticanus Codex labente Seculo XIV. exaratus, ut dum Symbolum cantatur, unus Acolythorum recipiat ampullas parvas, quas cooperire debet eum manicis Superpellicei, ac præcedente Subdiacono, accedat ad buffetum vini, & aquæ, & ibi recipiat vinum, & aquam in ipſis ampullis prius diligenter mundatis; inde Subdiaconus, & Acolythus revertantur ad Altare, & Subdiaconus collocet ampullas in cornu dextro Altaris.

III. Ex præſcripto ejus Codicis Pontificalis, dum iſta fiunt, debet Epiſcopus non Cardinalis Papæ in Miſſa ſerviens, portare ad Altare Calicem cum Patena, ac Hoſtiaria deſuper, ac quodam parvo cocleari, cum quo debet poni aqua in Calicem, quæ omnia defert cooperta quodam velo ſerico magno, cujus partem unam dictus Epiſcopus tenere debet ſuper humeeum dextrum, qui dum venit ad dextrum cornu Altaris, Diaconus Cardinalis illa recipit, & ſtatim debet eligere tres Hoſtias, unam pro Papa, & alias pro proba, quas collocat ſuper Patenam, videlicet illam, quæ pro Papa, in medio Patenæ, & alias duas, a dextris, & ſiniſtris ipſius; & interim Subdiaconus ponit vinum in Calicem & poſtea Diaconus ipſum cooperit Patena, & hæc omnia debent fieri, antequam Papa accedat ad Altare poſt Offertorium, Finito autem, *Credo*, per Chorum, Papa, Mitra ei depoſita, & ſtando dicit, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*. poſtea ſedendo, & Mitra impoſita, abluit manus, deinde accedit ad Altare, & dum ibi fuerit, Epiſcopus non Cardinalis recipit duas Hoſtias, quæ ſunt pro proba in extremitatibus Patenæ, & cum ipſis tangit illam, quæ eſt in medio Patenæ pro Papa, deinde Patenam, & Calicem cum eiſdem Hoſtiis circumdat, ipſos tangendo, quo facto Hoſtias ipſas diſtribuit aſſiſtentibus; deinde Diaconus recipiens cum manipulo ſuo Patenam cum Hoſtia deſuper ambabus manibus, ipſam præſentat Papæ, & cum Papa ipſam recipit, ipſe Diaconus manum ejus oſculatur, & tunc Papa offert Patenam cum Hoſtia, dicens, *Suſcipe &c.* Interim Epiſcopus non Cardinalis recipit coclear cum aqua, quod ponit ſuper Calicem, & dum Papa obtulerit, ipſe Epiſcopus in Papam aſpiciens, dicit, *Benedicite*; & tunc Papa benedicit ipſam aquam, & ſtatim idem Epiſcopus ipſam fundit in Calicem, dicens *Deus, qui humanæ &c.* & tunc Diaconus recipiens cum Manipulo Calicem, ambabus manibus ipſum ponit ſuper Corporalia, facto prius cum eo Calice ſigno Crucis. Atque hæc ſunt, quæ pene ad verbum deſcripſimus ex mſs. Pontificali Codice Vaticano, ut vel ex eo addiſcas, antiquos eſſe profecto Romanæ Eccleſiæ ritus, quos

Digitized by Google

quos Apostolicus Cæremoniarius Augustinus Patricius nostro huic Cæremoniali inseruit.

IV. At vero ut antiquiores Offertorii ritus in hoc Commentario explicemus, Pontifex olim postquam manus suas abluerat, ad Altare accedebat, factaque Altari reverentia, recipiebat Oblationes Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Ministrorum, ut ex Ordinibus pervetustis Romanis I. & II. atque ex Amalario, & Honorio Augustodunensi notat Georgius To. I. *De Liturgia Romani Pontificis* Lib. III. Cap. XXIII. Num. V. Sane interim Archidiaconus super Altari componebat Oblatas Populi delatas a Subdiaconis Regionariis. Tum idem Archidiaconus accipiebat a Subdiacono Regionario amulam Pontificis, ideſt, vas urceolo, seu phialæ simile, in quo vinum ad offerendum continebatur, & vinum in Calicem infundebat. Alius Subdiaconus descendebat in Chorum, & accipiebat *fontem de manu Archiparaphonistæ*, ideſt, aquam, quam quartus ex Ordine Cantorum ministrare solebat; hunc enim morem commendat Amalarius Lib. III. Cap. XIX. sic scribens: *Populus offert vinum, Cantores aquam*; subditque mox; *Cantores more Levitarum antiquorum, qui omnia necessaria Tabernaculi providebant, quærant aquam ad fontem, & servent eam coopertam usque ad tempus Sacrificii, & tunc mundam eam offerant*. Joannes Abrincensis Episcopus, qui floruit Sæculo XI. in Libello de antiquo ritu celebrandæ Missæ, *Cantor*, ait, *aquam linteo coopertam in Festis Diacono deferat, quam Diaconus vino misceat*. Honorius Augustodunensis Lib. I. Cap. XXXVIII. ritum peculiarem refert, dum scribit, alterum ex Cantoribus ampullam cum vino, alterum aquam præbuisse: *Unus Cantor*, inquit, *Oblatam cum Fanone*, ideſt, mappula, *& vinum cum ampulla offert, alter aquam vino admiscendam præbet*. Archidiaconus accipiebat de manu Subdiaconi aquam, atque infundebat in Calicem in formam Crucis, ut habent Romani Ordines I. Num. XIV. II. Num. IX. III. Num. XIII. V. Num. VIII. tenebatur autem manu a Subdiacono Calix.

V. His expletis, accedebat Archidiaconus ad Oblationarium, ideſt, ad locum, ubi repositæ erant Hostiæ pro Sacrificio, a nullo tamen oblatæ, easque super Patena ad Pontificem deferebat; ita enim habet Ordo VI. Romanus, Num. IX. *Apportante sibi*, Pontifici scilicet, *Archidiacono oblatas in Patena a nullo immolatas, accipiat ex illis quantum sibi sufficere videatur, & alias Archidiacono restituat, quas ille custodiæ Ecclesiæ ad observandum committat*. Teste Amalario loco recitato, accipiebat Pontifex etiam ab Archidiacono duas oblatas, unam pro se alteram pro Diacono; idemque Archidiaconus, ut ait Ordo I. Romanus, Num. XV. *levabat Calicem de manu Subdiaconi Regionarii, & ponebat eum super Altare juxta Oblatam Pontificis a dextris, involutis ansis cum Offertorio*, scilicet Corporali velo, *quem ponebat in cornu Altaris*. Erat autem tunc mos collocandi Calicem e latere Oblatæ, non vero post tergum, ut te tis est Amalarius in fine Præfationis secundæ ad Libros de Divinis Officiis: *Calix*, inquit, *in latere Oblatæ in Altari componitur, non post tergum*. Calix unus prægrandis, quem *majorem* vocabant, super Altari poni solebat. Vetuit vero Gregorius Papa II. in Epistola Decretali ad S. Bonifacium Episcopum Moguntinum, anno DCCXXVI. data, ne duo, vel tres Calices in Altari ponerentur, cum Missarum Solemnia celebrantur. Porro, ut ait Micrologus Cap. *x*. *ita juxta Romanum Ordinem in Altari componenda sunt, ut Oblata in Corporali posita, Calix ad dextrum latus Oblatæ ponatur, quasi Sanguinem Domini susceperus, quem de latere Dominico profluxisse credimus*.

VI. Ad hæc inter Decreta Liturgica Romanorum Pontificum in ms. Codice Reginæ Svecorum Sæculi XII. quod in suo celebri Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, in Appendice Monumentorum descripsit eruditus Georgius, legitur, Romanos Pontifices ex consuetudine Calicem in dextero latere, Hostiam vero in sinistro collocare, & super Calicem Corporale complicatum, non sine mystica ratione, quam ita recenset: *Quia de latere Domini exivit Sanguis, & aqua in remissionem peccatorum, ideo Romanæ Ecclesiæ Pontifices in dextero latere Calicem cum vino mixto aqua ponunt, Hostiam vero in sinistro, & pro sudario sursum involuto, super Calicem Corporale complicatum per consuetudinem mittunt*. Durandus quoque Lib. IV. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. XXX. testatur, Romæ consuetudinem fuisse, ut Calix ad dextrum latus Oblatæ poneretur, redditque hanc rationem, quia nisi Calix a latere stet, recta pars Crucis, quæ communiter fit super Hostiam, & Calicem, non producitur solummodo super Hostiam, quod tamen fieri debet. Verum subdit, commune alibi fuisse, ut Hostia inter Sacerdotem, & Calicem poneretur. Sunt & alii Scriptores, qui & hunc ritum recensent. Sed audiamus Romanum Ordinem XIV. Auctore Gajetano, Capite LXXI. ubi describit ritum Missæ solemnis, quæ a Romano Pontifice celebratur: *Deinde ponat*, Pontifex, *Hostiam super Corporale cum Patena ad partem sinistram, & Patenam ad manum dextram juxta Corporale*. In nostro hoc Cæremoniali nihil certi de collocatione Hostiæ super Corporali traditur, ut observat laudatus Georgius, qui etiam putat, *Sæculo XV. factum videri, ut Romanus Pontifex Hostiam ad latus sinistrum Calicis non collocaret, sed ante pedem Calicis in medio*.

VII. Juxta recentiorem ritum Papa, sive Episcopus, aut alius Sacerdos celebrans Missarum Solemnia, postquam Calicem obtulerit, ac dixerit, *Offerimus tibi Domine &c.* Diaconus accipit Patenam, eamque tradit in manibus Subdiaconi, qui illam involutam velo, stans post Celebrantem, & Diaconum, tenet usque ad *Pater noster*, uti constat ex hoc nostro §. & ex Cæremoniali Episcoporum Lib. II. Cap. VIII. Numero LXIII, atque ex Rubricis Missalis. Sed sciendum, alium fuisse antiquum ritum; nam Patena ab initio Canonis usque ad ejus medium manibus tenebatur ab Acolytho, qui eam velo involutam tenebat ante pectus, stans retro Altare, & in medio Canone eam Subdiacono tradebat. Docet id quidem nos Ordo I. Romanus, Num. XVII. his verbis: *Quando inchoat Canonem, venit Acolythus, sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens Patenam ante pectus suum in parte dextra usque in medium Ca-*

no-

Digitized by Google

nouem. Ex præscripto Ordinis III. Romani, Num. XVI. finito Canone, Subdiaconus Regionarius stabat ante Altare cum Patena post Archidiaconum, quam in medio Canone Subdiaconus sequens accipiebat per Acolythum, qui scilicet Acolythus, quando inchoabat Pontifex Canonem, veniebat, sub humero habens sindonem in collo ligatam, & tenebat Patenam in dextera parte ante pectus suum. Ubi autem dixisset Papa, *& ab omni perturbatione securi*, vertebatse Archidiaconus, & accipiens Patenam, osculabatur eam, & dabat Diacono tenendam. Ordo Romanus VI. Num. X. in fine ait, Acolythum post Secreta, Patenam, & Fistulam habentem stare infra Subdiaconos. Cæterum non inficior, Sæculo XIII. immutatum fuisse hunc ritum, Patenamque a Subdiacono teneri consueviſse, uti hactenus servatum est; testem siquidem hujus rei habemus inter alios Durandum Sæculi XIII. Scriptorem, qui ritum ipsum recenset in suo Divinorum Officiorum Rationali, Lib. IV. Cap. XXX. Num. XXIX. & XXXI.

§. X.

De secunda Thurificatione usque ad Præfationem.

Interim unus Acolythorum cum thuribulo, & navicella accedit ad cornu Epistolæ Altaris, & cum Papa dixerit, *Veni Sanctificator &c.* offert naviculam Diacono Latino, & thuribulum Papæ, qui imponit incensum, dicens: *Per intercessionem &c.* Deinde Pontifex, accepto thuribulo de manu Diaconi, incensat primo Oblata, Diacono pedem Calicis tenente, deinde Altare more consueto; & demum in cornu Epistolæ reddit thuribulum Diacono; & accepta Mitra, stans ibidem a Diacono prædicto incensatur; & mox accedentibus Ministris, & Nobili cum aqua, tertio lavat manus more consueto. Interim vero Diaconus Evangelii, ut Pontificem iucensavit, primum incensat Episcopum, & Diaconos Cardinales assistentes juxta Altare, & Pontificem in suis locis stantes, postea omnes Cardinales, omnes Reges, & magnos Principes, siqui adessent; deinde Episcopos assistentes, incipiens ab illis, qui de Libro, & Candela serviunt; alii namque post Pontificem inter Altare, & Solium circulum faciunt; deinde dat thuribulum uni ex Subdiaconis cum Superpelliceo adstanti, qui incensat primo Diaconum Evangelii stantem medium inter alios duos Diaconos assistentes, postea Prælatos omnes paratos, deinde alios more consueto.

COMMENTARIUS.

I. TEstis est Amalarius, qui Sæculo Christi IX. claruit, in fine secundæ Præfationis, *De Ecclesiasticis Officiis*, Romæ juxta primævum ritum non consuevisse thurificari Oblata, idemque affirmat Micrologus, Cap. IX. ubi non modo Amalarium, sed & ipsum Ordinem Romanum citat: *Romanus Ordo præcipit, ut incensum semper præcedat Evangelium, cum ad Altare, sive in Ambonem portatur; non autem concedit, ut Oblatio in Altari thurificetur, quod & Amalarius in prologo Libri sui de Officiis, Romanos devitare fatetur; quamvis modo a pluribus, imo pene ab omnibus usurpetur*. Certe in I. Romano Ordine altum silentium est de thurificatione Oblatorum, cujus tamen deinde Romanus Ordo II. Num. IX. in fine mentionem facit his plane verbis: *Post Oblationem ponitur incensum super Altare, & Pontifex inclinans se paululum ad Altare, respicit Scholam, & annuit, ut sileant & convertit se ad populum dicens*, Orate. Ordo quoque Romanus VI. Num. X. diserte mandat, *ut Oblatione Altari superposita, accipiens Diaconus Calicem ab Archidiacono, super Altare continuo ponat; tunc Episcopus benedicens Hostias, & dicens*, Veni Sanctificator Omnipotens Æterne Deus, benedic hoc Sacrificium tibi præparatum, qui vivis, & regnas in secula seculorum; *convertat se, & sumat incensum a Custode Ecclesiæ; ponensque in thuribulum, offerat illud Altari, detque Archidiacono &c.*

II. In Missa Illyrici apud Martene in Opere, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Lib. I. Cap. IV. Articulo XII. Ordine IV. ritus thurificandi Oblata post precem, *Veni Sanctificator &c.* in hunc modum describitur: *Postea accipiens Episcopus thus a Diacono, ponat in thuribulum, Per intercessionem Gabrielis Archangeli stantis a dextris Altaris incensi, & omnium Electorum suorum incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere*. Mox subjicitur: *Oratio dicenda, dum, incenso misso in thuribulum, ipsum thuribulum super panem, & Calicem circumducitur*. Post Orationem additur: *Circumiens autem Altare cum inceuso Episcopus, aut Presbyter, dicat: Incensum istud a te benedictum ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua*. Sequitur: *Dirigatur oratio, sicut incensum in conspectu tuo Domine*. Postremo habetur: *Quando odor incensi porrigitur Sacerdoti, & Fratribus, dicat unusquisque eorum: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris &c.* Quamvis hodie ex Rubricis Missalis ubi ad thurificandum Oblata, thus in thuribulum immittit Celebrans dicat, *Per intercessionem S. Michaelis Archangeli*; in memorata Illyrici Missa, ac in aliis multis, quas memoravi in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, legitur *S. Gabrio-*

Digitized by Google

brielis Archangeli, eaque videtur genuina lectio, cum uti habetur ex Evangelio S. Lucæ, non Michael, sed Gabriel Archangelus stans a dextris Altaris apparuerit.

III. Quicquid autem de ea re sit, quam fuse explicavimus in memoratis Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, in Sacramentario Gregoriano Sæculi XII. postquam preces super Oblata recensitæ sunt, e vestigio sequuntur aliæ, quæ ad thurificationem Oblatorum pertinent. Meminit inter alios hujusmodi thurificationis Honorius Augustodunensis, fusiorque est in ea explicanda Innocentius III. Lib. II. *Mysteriorum Missæ*, Cap. LII. Legendus Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano, Cap. LIII. ubi minute omnia, quæ ad ipsum Oblatorum, & Ministrorum thurificationis ritum pertinent, traduntur. Cæterum thurificatione Altaris expleta, Pontifex *in coru Epistolæ reddit thuribulum Diacono, & accepta Mitra, stans ibidem a Diacono prædicto incensatur*, ut ait hic noster §. qui plane concinit memorato Romano Ordini sic dicenti: *Facta thurificatione prædicto modo, tradit thuribulum Diacono, dicendo illam Orationem*, Accendat Dominus &c. *& Diaconus osculando manum Pontificis, accipiens ipsum thuribulum, thurificat ipsum Pontificem, & tradens thuribulum servandum Thuriferario, aptet vestes Pontificis, prout fuerit opportunum.* Mandat tum etiam idem Ordo, ut *aptatis Pontificis vestibus, recipiat Diaconus thuribulum de manu Thuriferarii, & thurificet Altare per circuitum, primo a parte dextra, deinde a sinistra, postea thurificet Capellanum, qui servit Pontifici*. Posse ait etiam Diaconum *thurificare Prælatos, & digniores personas, siquæ interfuerant Missæ; deinde vero reddere thuribulum Thuriferario, qui thurificet ipsum Diaconum, & alios Ministros, & reliquos adstantes, prout videbitur faciendum*.

IV. Juxta præscriptum nostri §. Pontifex post thurificationem lavat manus, quod & in Missis privatis Sacerdotes faciunt. Videtur hæc manuum lotio post thurificationem, recentioris esse instituti, præteritur enim in Ordinibus antiquis Romanis, frequentarique passim cœpit sub initium Sæculi XIV. non tamen ab omnibus in Ecclesia Romana, ut ex citato Romano Ordine XIV. addiscimus, qui ita inquit: *Pontifex vero postquam thuribulum Diacono reddiderit, potest ad majorem munditiam abluere digitos suos in dextra parte Altaris, Capellano fundente aquam cum pelvibus, quamvis hoc non servetur communiter in Ecclesia Romana*. Durandus, qui sub finem Sæculi XIII. scripsit, nihil habet de lotione manuum post thurificationem; sed ea expleta a Celebrante, Orationem illam, *Suscipe Sancta Trinitas &c.* statim recenset, ut videre est in illius Rationali Divinorum Officiorum, Lib. IV. Cap, XXXII. Num. I. Sed recepta sensim est consuetudo a Seculo XIV. ut ea lotio manuum fieret non modo a Pontifice, & Episcopis, sed & ab omnibus Sacerdotibus in Missis privatis, Psalmi versiculos, *Lavabo inter innocentes &c.* interim recitantibus. Non inficior, commendari in vetustis Romanis Ordinibus hujusmodi manuum lotionem, & uti notat Georgius Lib. III. *De Liturgia Romani Pontificis* Cap. XXV. Num. XIV. legitur illa post acceptam oblationem Laicorum.

§. XI.

De Secretis Orationibus usque ad Elevationem.

Finitis Orationibus Secretis, Pontifex positis ambabus manibus hinc inde super Altare, incipit cantando, *Per omnia sæcula sæculorum*; & cum dicit, *Sursum corda*, elevet aliquantulum manus, & disjunctas teneat; cum dicit, *Gratias agamus*, altius elevat; & cum dicit, (1) *Deo nostro*, jungit ambas manus ante faciem, & caput devote inclinat; deinde iterum disjungit manus, & disjunctas tenet usque ad finem Præfationis; qua finita, jungens iterum manus ante pectus, dicit, *Sanctus &c.* Clerici vero Capellæ in tempore accendunt octo intorticia, quæ per Cæremoniarium dantur Acolythis Apostolicis, & ipsis deficientibus, Auditoribus, quæ ipsi post Episcopos assistentes per ordinem stantes accensa tenent, usque post Communionem Pontificis, & omnium aliorum se communicantium.

COMMENTARIUS.

I. SEcreta Oratio in Missa dicitur, quod, ut plerisque veterum Rituum concinnatoribus placet, ea secreto dicatur. Secretam Orationem ejusdem esse antiquitatis, atque Orationes in exordio Missæ post Introitum, ac in fine post Communionem, notat inter cæteros Georgius Lib. III. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. XXIV. Num. I. & seqq. viderique possunt quæ de ipsa Oratione, aliisque ritibus in Pontificali solemni Missa servandis scripsimus in nostris ad Cæremoniale Episcoporum Commentariis Lib. II. Cap. VIII. Extremæ ejusdem secretæ Orationis conclusio, est formula, *Per omnia sæcula sæculorum &c.* quæ voce excelsa, atque cum cantu ex antiquo ritu in Solemni Missa pronunciatur. Sed audiamus Ordinem XIV. Romanum, Cap. LIII. ubi cæremoniæ a Celebrante Pontifice in dicenda Præfatione sic recensentur: *Pontifex autem postquam dixerit secretas Orationes, deponat manus super Altare, & elevata*

(1) Ita in Romana Editione, & bene, in Veneta vero I. & Colonensi perperam legitur; *Et cum dicit deinde; Nostro jungit &c.*

Digitized by Google

vata voce dicat, Per omnia ſæcula ſæculorum &c. *& cum dixerit*, Surſum corda, *ſurſum elevet manus, & proſequatur Præfationem; qua completa, jungat manus ad pectus, & dicat*, Sanctus, Sanctus &c. *ſubmiſſa voce cum Miniſtris adſtantibus. Poſtea Capellano præſtante ſibi Librum Miſſalem, oſculetur Imagines, quæ debent eſſe depictæ in eodem Libro ante Canonem Miſſæ*. Multa ſcitu digna tradit mox idem Ordo de ritibus ſervandis in Canone Miſſæ, de quibus videri inter alios poſſunt Innocentius III. & Gulielmus Durandus, Stephanus Durantus, Joſephus Vicecomes, Joannes Bona Cardinalis, Edmundus Martene, Lebrun, Georgius, aliique Scriptores.

II. Quamvis autem in noſtro §. præſcriptum ſit, ut opportune *Clerici Capellæ in tempore accendant duo intorticia, quæ per Cæremoniarium dentur Acolythis Apoſtolicis, & deficientibus ipſis, Auditoribus, quæ ipſi poſt Epiſcopos aſſiſtentes per ordinem ſtantes accenſa tenent uſque poſt Communionem Pontificis, & omnium aliorum ſe communicantium*; in vetuſtis tamen Romanis Ordinibus, quos legi, nihil de hoc ritu præſcribitur, quum poſterioribus temporibus obſervari hic conſueverit, ejuſque meminit ms. Codex Vaticanus 4726. his verbis: *Item dum Papa dicit Præfationem, parari debent ſex, vel octo intorticia, & accenſa miniſtrari Capellanis bonoris, vel Commenſalibus, ſive Auditoribus, ſingulis ſingula, nec debent ea dimittere uſque ad Communionem Papæ, ac etiam Diaconi, & Subdiaconi*. Nunc magna intorticia, ſeu funalia cerea per Clericos Capellæ Pontificiæ accenſa teneri, notat quidem Georgius Libro IV. *De Liturgia Romani Pontificis* Cap. I. Num. 11. Sed revera octo illa intorticia celebrante Summo Pontifice tenentur hodie a Præſulibus Rom. Curiæ, quos Votantes Signaturæ juſtitiæ appellant, quique proprie ſunt Acolythi Papæ; deficientibus autem ipſis Acolithis, jam non Auditores, ſed Abbreviatores de Parco majori præfata octo intorticia ſuſtinent.

§. XII.

De elevatione Euchariſtiæ uſque ad Communionem.

Cum elevatur Sacramentum, poſito per aliquem incenſo, Acolythus incenſat more conſueto. Poſt elevationem autem Sacramenti, mox Sacriſta cum velo circa collum, ut ſupra, accipit calamum quendam aureum cum ſuo ſtilo, panno ſericeo involutum manu dextra, & ſiniſtra quendam Calicem, quem parte dicti veli a collo pendente cooperit, & præcedente Acolytho, cui ampullas vini, & aquæ coopertas, ut prius, dederat, & ſub una axilla pateram conſuetam, ſub alia vero axilla pateram auream parvam cum anſa; præeuntibus duobus ſervientibus armorum, ad credentiam Pontificis vadunt; ubi Sacriſta accepto in una magna patera vino a Credentiariis ſibi porrecto, quod ante præguſtaverat, lavat diligenter, & abluit Calicem, calamum etiam, pateram parvam auream, ampullas vero vino & aqua evacuat, & recenti vino & aqua implet, (1) quæ omnia Credentiarii prælibant, & mox ordine, quo venerant, revertuntur. Sacriſta autem omnia ſuper Altare ponit in cornu Epiſtolæ. Cum Pontifex dicit, *benedicis, & præſtas nobis*, Diaconus Evangelii Latini detegit Calicem; & Pontifice dicente, *Per ipſum &c.* ſignante Calicem digitis dextræ manus, pedem Calicis tenet, & Hoſtia ſuper corporalia repoſita, tegit Calicem, & ad ſuum locum poſt Pontificem revertitur. Tum Pontifex, poſitis ſuper Altare manibus disjunctis, incipit cantando, *Per omnia &c.* & cum dicit, *Pater noſter*, elevat manus ante pectus, & eas ſic uſque ad finem tenet. Cum dicit, *Et dimitte nobis*, Subdiaconus Patenam tenens, facta Altari reverentia, vadit ad cornu Epiſtolæ, & Patenam dat Diacono Evangelii; velum vero Cæremoniarius ſuper credentiam Sacriſtæ reponit. Cum Papa dicit orationem, *Libera nos &c.* Diaconus Evangelii Patenam ipſam tradit Pontifici, qui ſe cum ea, oratione finita, ſignet more conſueto, & eam ſupponat Hoſtiæ. Diaconus vero Calicem detegat, ſuper quem Pontifex Hoſtiam frangat, & particulam illam, quæ in dextra manu reſtat, ſuper Calicem paululum elevatam tenens, dicit canendo, *Per omnia &c. Pax Domini &c.* & ſignat ter cum particula ſuper Calicem, deinde eam in Calice deponit. Tum dicit ſubmiſſa voce, *Agnus Dei*; & cum Pontifex Altare deoſculatus, dicit, *Pax tecum*, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, oſculato prius Altari, a Pontifice pacem accipit, oſculando ipſum in ore, deinde in pectore. Simili modo duo Diaconi Cardinales aſſiſtentes a Pontifice pacem accipiunt, ipſum primo in ore, deinde in pectore oſculando, Altare autem non oſculantur. Diaconus autem Evangelii a Pontifice nunc pacem non accipit, ſed poſtquam ipſum Papa communicaverit, accepta pace a Pontifice. Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, præcedente Cæremonia-

(1) Ita in 1. Veneta editione & Coloniensi, in Romana vero ſic legitur: *De quibus; credentiarii iterum probam faciunt.*

Digitized by Google

niario, defert pacem aliis Cardinalibus, Regi, & Nobilissimo cuique, si adsunt, ordine suo; deinde primo Episcopo assistenti, videlicet ei, qui de Libro servit, qui aliis pacem subministrat; posthæc uni ex Subdiaconis in Superpelliceo, qui pacem prosequitur Prælatis paratis cum Vicecamerario, si sit Protonotarius, & aliis more consueto.

COMMENTARIUS.

I. AB ipsis Ecclesiæ incunabilis Eucharistiam post Consecrationem in altum tollere, & populo ostendere, consuetum fuisse, docet eruditus Stephanus Durantus Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XL. ubi testimonia recenset ex Patribus, & Græcis Liturgiis depromta, quæ, uti monet doctissimus Joannes Cardinalis Bona, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIII. Num. II. de Latinis nihil probant. Verum tametsi, eodem Bona observante, nil de Eucharistiæ elevatione in Missa post verba Consecrationis perhibeant Sacramentarium Gregorianum, Alcuinus, Amalarius, Florus, ceterique vetustiores, altumque præterea de eo ritu silentium fiat in antiquioribus Ordinibus Romanis; antiquior nihilominus est ipsa elevatio, quam hæretici comminiscantur; qui ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi Oecumenico IV. anno MCCXV. primum introductam contendunt. Varii enim Scriptores, qui ante Innocentium Papam III. ejusque Concilium claruerunt, luculentissima de eo ritu exhibent testimonia, quæ inter alios descripsit Georgius Lib. IV. Cap. V. Num. V. & seqq. Multa etiam de eodem ritu sacræ Hostiæ elevandæ congessit eruditus Thiersius Lib. II. de expositione Sanctissimæ Eucharistiæ, Cap. VI.

II. Agit & de hoc ritu Romanus Ordo XIV. Cap. LIII. sic inter alia inquiens: *Teneat Hostiam cum digitis utriusque manus, & proferat distincte, ac devote verba Consecrationis; quibus dictis, ipse primo adoret inclinato capite Sacrum Divinum Corpus; deinde reverenter, & attente ipsum elevet in altum, adorandum a populo, & adoratam Sacram Hostiam deponat in loco suo; & attendat, quod ex tunc utriusque manus pollicem cum indice junctum teneat, nec disjungat ipsos digitos usque post Communionem, nisi quando ipsum oportet contingere Sacram Hostiam, vel signa facere.* Agit tum de elevatione Calicis, cujus ritum sic enarrat: *Deposita Hostia, ut dictum est, dicendo,* Simili modo &c. *accipiat Calicem ipsum discopertum, ut prius, teneat cum utraque manu paulisper elevatum super Altare, & cum dicit,* benedixit, *deposito super Altare Calice, faciat super ipsum Calicem Crucem cum dextra manu, tenendo eum cum sinistra; quo facto, resumens cum utraque manu, & elevans paululum ad Altare, prosequatur verba Consecrationis usque ad illum locum,* remissionem peccatorum. *Quibus finitis, inclinato paululum capite adoret Sacrum Domini Sanguinem, & elevet adorandum a populo, ut supra de Corpore dictum est. Nec oportet, quod vel Corpus, vel Sanguinem diu teneat elevatum, sed post brevem moram deponat, ita tamen, quod elevationes, & depositiones faciat cum debita reverentia, & maturitate.* Juxta Rubricas Missalis Celebrans, Eucharistiam post Consecrationem elevaturus jam non *inclinato capite*, ut ait laudatus Ordo Romanus, sed *genuflexus eam adorat*, nempe unico genu, ut statim, & facilius surgere possit, juxta notata a Gavanto in ipsam Rubricam, quæ legitur Parte II. Titulo VIII. Num. V.

III. Concinit Rubricæ Missalis Ordo Missæ Pontificalis in die Natalis Domini Urbano VIII. Pontifice Maximo exaratus, ex cujus præscripto Pontifex celebrans, *prolatis verbis Consecrationis, statim Hostiam consecratam adorat genuflexus; surgit, ostendit populo, reponit super Corporalia, iterum adorat, & non disjungit pollices, & indices, nisi quando Hostia tractanda est, usque ad ablutionem digitorum. Tunc detecto Calice a Cardinali Diacono, dicit,* Simili modo &c. *ambabus manibus accipit Calicem &c. Prolatis verbis Consecrationis, deponit Calicem super Corporali, & secrete dicens,* Hæc quotiescumque &c. *genuflexus adorat, surgit, & ostendit populo, deponit, Diaconus cooperit, & iterum adorat &c.* Sane postquam usus parva Palla linea Calicem cooperiendi obtinuit, jam munus Diaconi fuit, & nunc est, ut discooperiat, & cooperiat Palla Calicem ante & post Consecrationem juxta tradita a Cæremoniali Episcoporum, Lib. II. Cap. VIII. §. LXX. Ceterum Durandi ætate, labente scilicet Seculo XIII. non unum omnium fuisse Ecclesiarum elevandi Calicis discoopertí usum, ex eodem Durando addiscimus, qui Lib. IV. sui Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. XLI. affirmat, quasdam Ecclesias habuisse duas Pallas Corporales, & ibi Calicem coopertum cum altera earum elevatum fuisse; alias vero Ecclesias unam tantum Pallam habuisse, in iisque Calicem fuisse elevatum discoopertum absque velamine. Legendus Georgius Lib. IV. *De Liturgia &c.* Cap. VII. Num. XIV. ubi post allata varia de ea re Scriptorum loca, concludit, *in nonnullis locis moris fuisse, ut numquam Calix in Sacrificandi ratione cooperiretur, in aliis vero regionibus, aut Corporali, aut Palla cooperiretur; quumque mos elevandi Calicem post Consecrationem obtinuisset, in quibusdam regionibus Palla coopertus elevabatur, in quibusdam vero discoopertus.*

IV. Spectant hæc ad notitiam antiquitatis, quam turpe est a Cæremoniariis Apostolicis ignorari, eaque nos adnotavimus ad illustrandum magis magisque nostrum §. ex cujus præscripto, *cum elevatur Sacramentum, posito per aliquem incenso, Acolythus incensat more consueto.* Quamvis autem nulla de hoc ritu mentio fiat in antiquis Romanis Ordinibus, in usu tamen erat Seculo XIV. inclinante, uti constat ex Ordine Missæ Pontificalis descripto in Codice Vaticano, Num. 4726. eo tempore exarato, qui ita inquit: *Dum ipse Dominus noster Papa elevat Corpus Christi, unus de Acolythis stat semper juxta cornu Altaris cum thu-*

Digitized by Google

thuribulo fumigante, donec Calix fuit elevatus; qua elevatione facta, dictus Acolythus debet recedere ab inde. Recenſet eundem ritum alius Miſſæ Pontificalis Ordo ejuſdem ætatis in Vaticano Codice, Num. 4727. exaratus, ſic dicens: *In elevatione Corporis, & Sanguinis Domini, Thuriferarius debet incenſare*. Atque hic ritus præſcriptus etiam eſt non modo in Cæremoniali Epiſcoporum, ſed in Rubricis quoque Miſſalis Romani, Parte II. Tit. XIII. Num. VIII. ubi agens de Miſſa ſolemni, hæc habet: *Thuriferarius genuflexus in cornu Epiſtolæ ter incenſat Hoſtiam, cum elevatur, & ſimiliter Calicem, poſito incenſo in thuribulo abſque benedictione*. Sane fit hæc thurificatio ad majorem reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti, & quidem tribus vicibus in utraque elevatione, nimirum cum Celebrans adorat, cum elevat, & cum deponit, ut in ipſam Rubricam notat Gavantus, ejuſque illuſtrator Meratus.

V. Omiſſis aliis ritibus, qui ad Miſſam Pontificalem, ſeu ſolemnem pertinent, quique paſſim a Scriptoribus rerum Liturgicarum explicati fuere, ac a nobis quoque in Commentariis ad Cæremoniale Epiſcoporum; non omittendum cenſemus ritum oſculi in Miſſa, quæ ſolemni apparatu a Summo Romano Pontifice celebrari ſolet. Ex præſcripto quidem noſtri §. *cum Pontifex Altare deoſculatus, dicit*, Pax tecum, *Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, oſculato prius Altari, a Pontifice pacem accipit, oſculando ipſum in ore, deinde in pectore &c.* Si veterem diſciplinam ſpectemus, jam non una fuit primis Chriſti Seculis Eccleſiarum de danda pace inter divina Myſteria conſuetudo; aliæ enim Eccleſiæ, & præſertim Orientales, uti addiſcimus ex Lib. II. Apoſtolicarum Conſtitutionum, Cap. LXI. & ex Concilio Laodiceno, Can. XIX. pacis oſculum mutuum inter Fideles dandum præſcribebant *poſt oblationem*; qui quidem mos fuit etiam Gallicanæ Eccleſiæ, ſtatim ante Præfationem, ut ex Liturgia Gallicana colligitur, quem recenſet eruditus Georgius Lib. IV. Cap. XVI. Num. II. ubi etiam notat, jam alias nonnullas Eccleſias anno CDXVI. hunc morem uſurpare cœpiſſe, qua de re Decentius Eugubinus Epiſcopus Innocentium I. Romanum Pontificem conſuluit, qui in Epiſtola XXV. ad eundem data, Cap. I. ſic reſpondit: *Pacem igitur aſſeris ante confecta Myſteria quoſdam populis imperare, vel ſibi inter ſe Sacerdotes tradere, cum poſt omnia, quæ aperire non debeo, pax ſit neceſſario indicenda, per quam conſtet, populum ad omnia, quæ in Myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe, pacis concludentis ſignaculo demonſtrantur*. Docet ergo, dum hæc reprehendit Innocentius, qui tunc fuerit Eccleſiæ Romanæ mos, nempe, ut poſt confecta Myſteria, ideſt, finito jam Canone, cum *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, pronunciandum eſſet, pacis oſculum eſſet tradendum.

VI. His concinit Ordo I. Romanus, Num. XVIII. ubi ait, poſt immiſſam Oblatam a Pontifice in Calicem, cum dixerit, *Pax Domini &c. Archidiaconum dare pacem Epiſcopo priori, deinde ceteris per ordinem, & populis*. Ordo II. Num. XII. eadem tradit ac primus. Tertius quoque cum ſuperioribus convenit, qui etiam Num. XVI. clarius exponit, pacis oſculum datum fuiſſe ab Archidiacono priori Epiſcoporum interim dum Pontifex Oblatam in Calicem immitteret, ac proferret, *Fiat immixtio &c.* En ejus verba, quæ ſtatim ſequuntur: *Sed interim Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori, qui & ultra dabit juxta ſe ſtanti, ac deinde per ordinem ceteri, atque populus oſculantur ſe invicem in oſculo Chriſti*. Amalarius item Lib. III. Cap. XXII. refert, pacem datam fuiſſe ſimul ac Oblata in Calicem miſſa fuerat. Pax igitur danda erat poſt verba illa, *Pax Domini &c.* quod uti dictum eſt, ab Innocentio Papa I. ſtatutum fuerat, cui inhærent varii Auctores citati a Georgio loco citato. Ceterum variari hic mos Seculo XI. in Eccleſia Romana cœpit; nam ut habet Ordo Romanus V. Num. X. Archidiaconus a Celebrante primum non accipiebat pacem, ſed duo Presbyteri: *Venienteſque*, ait, *duo Presbyteri, unus hinc, & alius inde, faciant cum eo pacem, deinde Archidiaconus, & redeat ad Sedem*. Ordo VI. qui additamenta quædam continet Eccleſiis extra Italiam particularia, Num. XII. pacem ab Epiſcopo accipiendam monet per Presbyterum: *Expleta autem benedictione*, inquit, *veniens Presbyter accipiat ab Epiſcopo, eandem ceteris oblaturus*.

VII. Juxta ritum Vaticani Codicis Seculo XI. exarati, cujus meminit Georgius citato loco, Num. III. poſt precationem, *Fiat commixtio, & Conſecratio &c.* oſculabatur Celebrans Altare, dicens, *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c.* deinde vero ſe convertebat ad circumſtantes, pacem ferens, & oſculabatur quos volebat, dicendo: *Habete vinculum caritatis, & pacis, ut apti ſitis ſacris Myſteriis*. Illi vero pacem ab ipſo accipientes, invicem oſculando ajebant: *Pax Chriſti, & Eccleſiæ abundet in cordibus noſtris*. Similia leguntur in aliis antiquis Miſſalibus; verum teſte Micrologo Cap. XXIII. Celebrans ubi dabat pacem adſtanti, dicebat, *Pax tecum*, eique reſpondebatur, *Et cum ſpiritu tuo*. Quicquid ſit de hujuſmodi formulis, ſub Seculi XII. finem teſtatur Hugo Victorinus Lib. II. Cap. XL. receptum morem, ut Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono oſculum porrigeret: *In hujus pacis ſignum*, inquit, *Sacerdos prius oſculum porrigit Diacono, & Diaconus Subdiacono, & ille ceteris*. Innocentius III. Lib. VI. Capite V. oſculum pacis a Celebrante traditum fuiſſe Diacono innuere videtur his verbis: *Ad quod utique deſignandum Sacerdos præbet oſculum oris miniſtro, qui reverenter inclinans, pectus oſculatur ipſius, & Planetam extendit*. Adhæret Innocentio Durandus Libro IV. Cap. LIII. ubi etiam obſervat, in quibuſdam Eccleſiis morem fuiſſe ſua ætate, labente ſcilicet Seculo XIII. *ut Sacerdos facta commixtione, & finita Communione, accipiat pacem ab Euchariſtia, ſive Corpore Domini, vel ſecundum alios, ab ipſo ſepulchro, ideſt, Calice, vel Altari, & mox præbet oſculum miniſtro, ſcilicet Diacono*. Tum mox: *Diaconus vero dat pacem aliis, & alii inter ſe*. Ad hæc addit: *Ipſe vero Diaconus pacem a Sacerdote accipiens, reverenter ſe inclinat, & pectus oſculatur ipſius, & Patenam extendit &c.*

VIII. At vero in Ordine Romano XIV. Auctore

Digitized by Google

ctore Gajetano, cui in multis noſtrum Cæremoniale concinit, Cap. LXXI. Diaconus Evangelii non accipit pacem, aliis ferendam, a Pontifice, qui eam dat Epiſcopo, vel Presbytero Cardinali aſſiſtenti, poſt dictam primam Orationem ad Communionem, capite inclinato ad Altare. Hæc ejus verba: *Hic elevat ſe, & oſculatur Altare, dans pacem Epiſcopo, vel Presbytero Cardinali, qui ſervit ei, dicendo*: Pax tecum. *Reſpondetur*: Et cum ſpiritu tuo. In Ordine Miſsæ Pontificalis deſcriptæ in Codice mſ. Vaticano, Num. 4727. inclinante Seculo XIV. *Dum Papa dixerit*, Agnus Dei, *Epiſcopus Cardinalis recipit pacem ab eo, oſculando ipſum in ore, & pectore, qui debet dare ceteris, primo aſſiſtentibus Cardinalibus, non tamen Diacono, qui dixit Evangelium, eo quod habet a Papa poſt Communionem recipere, deinde ceteris Cardinalibus, & aliis Prælatis.* Atque hæc ſunt, quæ hic §. noſter præſcribit. Juxta Ordinem Miſsæ Pontificalis in die Natalis Domini, Urbano VIII. Pontifice Maximo exaratum, Oratione, *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c.* completa, *Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, accedens ad dexteram Pontificis, ſimul cum eo oſculatur Altare, & adhæret ad faciem Pontificis, qui oſculatur eum, dicens illi*: Pax tecum. *Epiſcopus Cardinalis reſpondet*: Et cum ſpiritu tuo. *Deinde diſcedens dat pacem reliquis Cardinalibus. Duo autem Diaconi Cardinales aſſiſtentes, ſinguli ſeorſum accedunt ad Pontificem adhuc expectantem ante Sacramentum, & accedentes ad illum, ab eo oſculantur, & accipiunt pacem, dicente Pontifice*: Pax tecum; *& illis reſpondentibus*: Et cum ſpiritu tuo. *Pontifex data pace, & facta reverentia, genuflectens coram Sacramento, capite detecto, diſcedit ab Altari, et cum omnibus aſſiſtentibus vadit ad Sedem eminentem, Cardinali Diacono, qui miniſtrat, et Subdiacono remenentibus ad Altare.* Atque hic eſt ritus, quem paſſim Cæremoniarii Apoſtolici recenſent.

§. XIII.

De Communione Pontificis celebrantis, & Miniſtrorum uſque ad purificationem.

Poſtquam Pontifex pacem dederit Epiſcopo, & Diaconis Cardinalibus aſſiſtentibus, capite diſcooperto aſcendit ad Sedem eminentem, quem ſequuntur Epiſcopus, & Diaconi Cardinales præfati, & alii Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro, & candela accenſa, & ibi ſtans detecto capite & inclinato Pontifex verſus Altare, aliis Cardinalibus, & Epiſcopis aſſiſtentibus in locis ſuis, & officiis ſuis miniſtrantibus, Diaconus Evangelii apud Altare detecto capite Patenam cum Sacramento reverenter accipiens, & ambabus manibus tenens, eam in altum uſque ad oculos elevat; & primo vertit ſe a latere ſuo dextro, videlicet Epiſtolæ, uſque ad medium circulum, ideſt, ut ejus renes ſint ad Altare, & per eandem viam revertitur, ut prius erat; ſecundo a ſiniſtra parte uſque ad medium; deinde procedens verſus cornu dextrum, videlicet Evangelii, ubi Subdiaconus expectat genuflexus, Patenam cum Sacramento ſumma reverentia ei tradit, & mox Subdiaconus ſurgit, & Diaconus genuflectit, quouſque Subdiaconus diſcedat, & portet Sacramentum ad (1) ſiniſtram manum Papæ, altero Cæremoniariorum ejus fimbrias attollente, & Pontifex advenienti Sacramento profunde ſe inclinat, & illud reverenter adorat. Cum Subdiaconus pervenit ad Pontificem, ſtet ad ejus ſiniſtram erectus, & non genuflexus. Diaconus vero accipiens Calicem diſcoopertum ex Altari, eo modo ſe vertit, ut de Patena fecerat. Inde accedit cum Calice ad Pontificem ad dextrum ejus latus. Cæremoniarius ſimiliter ei fimbrias levat. Tunc Papa, dictis Orationibus opportunis, ſumit unam partem Corporis Domini, Subdiacono continuo Patenam tenente, aliam vero partem in duas partes dividit pro Diacono, & Subdiacono. Interim Sacriſta velum circa collum tenens, ut ſupra, accipit calamum aureum in ſiniſtra, & Calicem, de quibus ſupra diximus, velo coopertos in dextra, & antecedente Acolytho, ampullas vini & aquæ coopertas portante, & ſub ejus axillis duas pateras ſupradictas tenente, accedunt ad Pontificem, cui Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, capiens calamum prædictum, illum diſcooperit, & vino ex ampulla cum ſtilo intus mundat ſuper Calicem, quem adhuc tenet Sacriſta; deinde vinum infundit in pateram argenteam, imponens modicum de aqua ex alia ampulla, & dat Sacriſtæ pro credentia; & cum Pontifex Corpus Chriſti ſumſerit, Epiſcopus Cardinalis porrigit ei calamum, quem Papa ponit in Calice, in manibus Diaconi exiſtente, & Sanguinis partem ſuſgit; reſiduum cum particula Hoſtiæ dimittit pro Diacono, & Subdiacono. Tunc Diaconus Calicem dextra tenens, & calamum ſiniſtra, quem tamen de Calice non extrahit, ſtans inclinato capite, Pontificis manum dextram exoſculatus, reverenter

(1) Ita in editione Romanâ, in Veneta vero I. & Coloniensi legitur, *a ſiniſtra manu*.

Digitized by Google

ter ex ejus manibus de Corpore Chriſti communicat. Item oſculata Pontificis facie, cum Calice, calamo, & Sanctiſſimo Sacramento ad Altare revertitur, & cum calamo in ſiniſtro cornu ſtans Sanguinis partem ſugit. Interim Subdiaconum coram ſe genuflexum, & ejus dextram prius deoſculatum Pontifex de reſiduo Corporis Chriſti communicat, & ſimiliter ei oſculum pacis donat; qui ad Diaconum cum Patena elevata ad cornu Altaris accedens, & ipſe de Sanguine cum calamo ſugit; cum primo diligenter Patenam ſuper Calicem excuſſerit, curaveritque, ne aliqua particula in ea remaneat Sacramenti; ac Subdiaconus (1) unus eorum particulam in Calice exiſtentem ad labia Calicis retrahit, & eam ſumit. Impoſito deinde in Calicem vino albo, ſe purificant, & Calicem ad credentiam Sacriſtæ reſtituunt.

COMMENTARIUS.

I. EXplicanda ſunt tandem hoc loco ſingulares quidam ritus difficiles, quibus Romanus Pontifex Maximus Sacram Communionem in ſua Miſſa Pontificali ſolemni percipere vel ab antiquiſſimis temporibus conſuevit, quoſque ignorantes Cæremoniarii, ſi de iiſdem, imo etiam de aliis facilioribus interrogentur, prompte reſpondent: *Sic voluere priores*. Agendæ gratiæ eruditiſſimis Mabillonio in Commentario ad Romanum Ordinem, & Dominico Georgio, qui Tomo II. *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. IV. Cap. XVII. ordine temporum ritus ipſos antiquos, immutatis identidem nonnullis, demonſtrare conati ſunt. Ergo primævo, ac ſolemni ritu Romanus Pontifex poſt immiſſam in Calicem, dicto, *Pax Domini &c.* Oblatæ particulam, uti habetur ex Ordine Romano Num. XVIII. dabat pacem Archidiacono, qui eam dabat antiquiori Epiſcopo, quæ deinde ab eo cæteris per ordinem, & populis dabatur. Accedebat vero interim Pontifex ad Sedem parieti Presbyterii ad ejus hemicyclum affixam in conſpectu Altaris, cujuſmodi in quibuſdam vetuſtis Urbis Eccleſiis Sedes haſce marmoreas adhuc ſpectamus. Tunc etiam Primicerius, Secundicerius Notariorum Apoſtolicorum, & Primicerius Defenſorum cum omnibus Regionariis, & Notariis, qui omnes in Clericorum numerum adſcripti erant, aſcendebant ad Altare, & ſtabant quiſque in Ordine ſuo a dextris, & a ſiniſtris. Archidiaconus auferebat Calicem cum Sacro Chriſti Sanguine ex Altari, & eum dabat Subdiacono Regionario, qui Calicem illum tenebat juxta cornu dextrum Altaris. Accedebant etiam ad Altare cæteri Subdiaconi cum Acolythis, qui ſacculos, ideſt, linteas mappulas portabant, ac brachia cum iis extendebant, ad recipiendas Oblationes, quas in ſacculos illos demittebat Archidiaconus. Sinus ſacculorum explicabant Subdiaconi ſtantes a fronte. At Oblationibus ex Altari per Archidiaconum ſublatis, idem Archidiaconus annuebat Cantorum Scholæ, ut diceret, *Agnus Dei &c.* & ſtatim accedebat ubi conſiſtebant Subdiaconi Regionarii cum Patena.

II. Patena interea, in qua Pontificis Oblatæ erant, deferebatur *juxta Sedem a duobus Subdiaconis Regionariis ad Diaconos, ut frangant*; qui quidem aſpicientes in faciem Pontificis expectabant, denec eis annueret, ut frangerent Hoſtias; ubi primum vero annuerat Pontifex, facta ei reverentia, confringebant. De Patena delata *juxta Sedem* per Subdiaconos Regionarios mentionem etiam facit Amalarius Lib. IV. Cap. XXVIII. & XXX. ubi verba ipſa Romani Ordinis profert. Cur autem a duobus Subdiaconibus ex Altari juxta Sedem deferretur, eam eſſe cauſam docet Mabillonius in Commentario prædicto ad Romanum Ordinem pag. LV. quod Patenæ tunc temporis grandiores, & ampliores eſſent, quarum unam a Sergio Papa I. datam viginti libras appendiſſe, Anaſtaſius in ejus Vita auctor eſt: *Patenam auream majorem*, inquit *habentem in gyro gemmas albas, & in medio Crucem cum hyacinthis, & ſmeragdis penſantem libras XX.* Hujuſmodi Patenas magni ponderis, gemmiſque ornatas ſæpe memorat Anaſtaſius inter Donaria Romanorum Pontificum penſantes XXV. vel XXX. libras; & in Leone III. memorat Patenæ majoris aureæ cum gemmis, & anſis duabus; quæ quidem cum tantæ magnitudinis eſſent, uſui eſſe non poterant Sacerdoti celebranti, ſed diſtribuendæ populo Euchariſtiæ deſerviebant, vocabanturque iccirco Patenæ miniſteriales, uti notat eruditus Cardinalis Bona, Lib. I. *Rerum Liturgicarum* Cap. XXV. N. III. viderique de eiſdem poſſunt quæ ſcripſimus nos in noſtris Commentariis ad Pontificale Romanum, Tom. II.

III. Confractione Oblatæ ſuper Patena juxta Sedem delata per Diaconos expleta, minor Diaconus, nempe unus ex Diaconis Regionariis accipiebat de manu Subdiaconorum Patenam, qui eam in cofractione tenuerant, & defebat ad ipſum Pontificem, ut communicaret. Ita plane nos docent Romani Ordines Primus, Num. XIX. Secundus, Num. XIII. ac Tertius, Num. XVI Romanus Ordo V. non modo Patenæ, ſed & Calicis delationem innuit, ſic inquiens Num. X. *Archidiaconus Evangelium ſcilicet qui legerat accedat ad Altare, elevetque Patenas, & donet eas Acolythis, jubeatque unam ante Presbyteros, & aliam Diaconibus coram tenere, ut frangat ſcilicet Oblatas ſuperimpoſitas. Elevat etiam & Calicem, donatque illum Subdiacono. Fractis itaque Oblatis, jubeat Diaconus Acolytho, ut deferat unam Patenam ad Sedem ante Pontificem.* Sane diſcrepat hic Ordo V. nonnihil a ſuperioribus, quia in illis habetur, ut Subdiaconi duo deferant Patenam juxta Sedem, & ad ipſam Sedem ab uno ex Diaconis deferatur, cum Pontifex communicaturus eſt. In hoc vero Ordine ſtatuitur, ut ab Acolythis Patenæ pro confractione deferantur; Patena vero, in

(1) Ita quoque in Romana editione, in aliis vero citatis verbum illud, *Subdiaconus* deeſt.

Digitized by Google

in qua Pontificis Oblata erat, ab Acolytho item ante Sedem Pontificalem deferatur. Ordo Romanus VI. cum V. convenit, si pauca excipias; prodit enim Num. XII. Diaconum sumere Calicem, *& Patenam ab Altari, Subdiacono Patenam porrigere, quam ille Acolytho ad tenendam præbeat. Ipse autem Diaconus tenens Calicem, & Fistulam, stet ante Episcopum, usquedum ex Sanguine, & Corpore Christi, quantum voluerit, sumat, & sic Calicem, & Fistulam Subdiacono commendet.*

IV. Cæterum si quando in Romana Ecclesia servatus est hic ritus, ut Acolythi, non vero Subdiaconi ex Altari Patenas cum sacris Oblatis acciperent ab Archidiacono, & ad Sedem Patenam Pontificis communicaturi deferrent, comprobari quidem potest a vetustissimo Romanæ Ecclesiæ more; constat enim ex Epistola XXV. Innocentii Papæ I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, Fermentum, nempe Sacrosanctam Eucharistiam a Romano Pontifice in solemni Missarum celebratione consecratam, diebus Dominicis, in signum communionis ad Ecclesias titulares Urbis per Acolythos mitti consuevisse. Viguisse autem Romæ hunc ritum vel longe ante Innocentii Papæ I. tempora, docet nos exemplum S. Tharsicii Romanæ Ecclesiæ Acolythi, qui, ut in Martyrologio Romano legitur, atque apud Adonem, & Usuardum, ad diem XV. Augusti, cum deferret Christi Corpus, ne illud paganis proderet, martyrium subiit. Unde non mirum videri debet, si in aliquibus Romanis Ordinibus legitur, Acolythos Patenas cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ad Sedem Pontificalem detulisse; priscum enim Ecclesiæ Romanæ morem sapit hic ritus, tametsi exploratum sit, Sæculo VIII. & IX. ut ex fide Romanorum Ordinum tradit etiam Amalarius, Patenam cum Oblatis Pontificis delatam fuisse juxta Sedem per duos Subdiaconos Regionarios, ac deinde, cum Pontifex communicaret, eam manu a Diacono sustentatam fuisse.

V. Pontifex autem cum se communicabat, uti ex Ordine I. Romano, Num. XIX addiscimus, partem ipsius Oblatæ, quam momorderat (nempe non totam sumebat Oblatam, sed particulam quamdam) sumendam relinquebat, & immittebat in Calicem manibus Archidiaconi sustentatum, dicens: *Fiat Commixtio, & Consecratio Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam, Amen. Pax tecum, Et cum Spiritu tuo*; & confirmabatur, ut ait laudatus Ordo loco citato, ab Archidiacono, sumendo scilicet Sanguinem Dominicum *pro complemento Communionis* ut inquit Micrologus Cap. XIX. Romanus Pontifex ergo bis in Calicem mittebat particulam Oblatæ, & cum dicebat, *Pax Domini &c.* sive cum ipsam Sacram Hostiam sumebat, quod & indicat Amalarius, qui floruit initio Sæculi IX. primusque fuit qui in Ordinem Romanum Commentarium conscripsit. Fuit itaque antiquus ritus, uti ex hucusque narratis colligitur, ut Romanus Pontifex communicaturus, post *Pax Domini &c.* & osculum pacis, ex Altari ad Sedem accederet, ac interim Altare Oblationibus evacuaretur, confractio pro Communicaturis fieret, Patena cum Eucharistia juxta Sedem a duobus Subdiaconis gestata sustentaretur, & annuente Pontifice, confractio super eadem Patena a Diaconis perageretur, eaque expleta, unus ex Diaconis, accepta de manu Subdiaconi Patena, eam ad Sedem deferret, ut Pontifex communicaret.

VI. Immutatum fuisse non nihil hunc ritum Sæculo XIII, testem habemus Innocentium III. qui describens Romani Pontificis morem communicandi Lib. VI. Cap. IX. hæc habet: *Summus Pontifex non statim particulam Hostiæ dimittit in Calicem, sed eam post trinum Crucis signaculum in Patenam reponit, & post osculum pacis, ad Sedem ascendens, ibique consistens, universis cernentibus, majorem partem Oblatæ suscipit de Patena, quam ei Subdiaconus repræsentat, ipsamque videntibus dividens, unamque particulam sumens, & aliam mittit in Calicem, quem tenet coram ipso Subdiaconus* (legendum Diaconus) *de quo Sanguinem haurit cum calamo. Deinde particulam unam cum osculo tradit Diacono, aliamque Subdiacono, sine osculo, quem ad Altare, ministrans ei Calicem, Diaconus osculatur, & tum Subconus particulam dimissam in Calicem sumit cum Sanguine.* Eadem fere ad verbum habet Durandus Lib. IV. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. LIV. Num. IV.

VII. Si autem recitatus locus cum priscis Romanis Ordinibus conferatur, jam nonnihil de prisco ritu immutatum invenies. In iis enim, uti observat Georgius Tomo III. *De Liturgia Romani Pontificis*, Libro IV. Capite XVII. Num. VIII. Sæculo Christi IX. duo Subdiaconi Regionarii accepta apud Altare Patenam cum Oblatis Pontificis, eam deferebant juxta Sedem, & cum Pontifex Oblatam sumpturus esset, Patena a Diacono ante Sedem tenebatur. Ab Innocentio autem Papa III. traditur, Patenam a Subdiacono manu sublentatam fuisse, dum Papa Sacram Hostiam sumeret. Immutatus etiam erat ritus in tradenda Communione Ministris. Ipse enim Innocentius, Lib. IV. *De Mysteriis &c.* Cap. XXV. tradit, Presbyteros Cardinales in Missa solemni Pontificali de manu Pontificis sumere Communionem; sed non explicat, an veteri more Eucharistiam eis in manus traderet, aut in os, & an genuflexi, vel stantes communicarent. Porro ex recitato superius Innocentii loco observat Mabillonius in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Cap. VIII. Num. XI. non dubium esse, quin Pontifex Eucharistiam tradendo Diacono, eumque, ut dicit Innocentius, osculando, dixerit: *Pax tecum*; respondente Archidiacono, *Et cum Spiritu tuo.*

VIII. Sane consuevisse olim Fideles, suscepta Eucharistia, Episcopum, seu Sacerdotem, a quo eam acceperat, osculari in Oriente, notavit jam idem Mabillonius loco citato. Certe S. Hieronymus in epistola LXII. adversus Joannem Hierosolymitanum ita ad rem nostram ait: *Quisquamne tibi invitus communicat? Quisquamne exerta manu vertit faciem, & inter sacras epulas Judæ osculum porrigit?* Paulus Diaconus Emeritensis in Libro de Vitis Patrum, de Fideli Episcopo loquens, *Unde*, ait, *communica, & da nobis osculum.* Sed audiamus Innocentium III. qui ita ritum ipsum enarrat: *Diaconus, & qui superioris sunt Ordinis, cum percipiunt Eucharistiam, osculum suspiciunt ab*

Digitized by Google

ab Episcopo; Acolythus, & qui sunt inferiorum Ordinum, non suscipiunt. Subdiaconus vero, quia character hujusmodi, quondam inter non Sacros, nunc autem inter Sacros Ordines reputatur, in perceptione Corporis non sucipit osculum a Pontifice, sed in perceptione Sanguinis suscipit osculum a Diacono. Quod etiam apud Græcos Sacerdos, *qui Missam celebrat, osculatur volentem communicare*, habetur ex quodam Tractatu Fratrum Prædicatorum apud Stevartium. Legendus Martene Lib. 1. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. x. ubi varios Communionis ritus recenset, & inter alios etiam osculi.

IX. His omissis, præstat nunc audire Ordinem XIV. Romanum Auctore Gajetano, Capite LXXI. ubi post relatam Orationem illam, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c.* hæc habet de communione Celebrantis, & Ministrorum: *Hic elevet se, & osculetur Altare, dans pacem Episcopo, vel Presbytero Cardinali, qui servit ei dicendo*: Pax tecum. *Respondetur*: Et cum Spiritu tuo. *Hic Papa dimittit totum Sacramentum in Altari, & vadit ad Sedem suam, & stando detecto capite expectet Subdiaconum cum Patena, & Hostia, & Diaconum Cardinalem cum Calice, & Sanguine, & istis stantibus, sicut decet, cum prædictis coram eo dicat hanc Orationem*, nempe *Domine Jesu Christe Fili Dei vivi &c.* itemque aliam: *Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe &c.* usque ad finem; qua finita, ut ait idem Ordo, *hic cum reverentia accipit de Patena majorem partem Hostiæ, & dicat*, Panem Cœlestem &c. *Hic tenens partem prædictam Hostiæ cum quatuor digitis super Sanguinem, & Calicem, dicit reverenter tribus vicibus*, Domine non sum dignus. *Postea signet se cum ipso Corpore, & reverenter sumat totum illud, quod est extra digitos prædictos, & quod infra digitos remanet, ponat in Calice, cum Sanguine dicens*, Fiat commixtio, & Consecratio &c. *Subsequenter dicat*, Corpus Domini nostri custodiat &c. *Demum accipiat calamum de manu Episcopi Cardinalis, & tenens ipsum cum ambabus manibus, ponat eum in Calice, dicendo*, Quid retribuam Domino &c. *Hic sumat de Sanguine Christi, sugendo cum dicto calamo. Deinde dicat*: Sanguis Domini nostri &c. *Postea det dictum calamum supradicto Diacono Cardinali, non removendo ipsum de Calice, & tersis digitis cum Perfusorio, quod ibi offert Episcopus Cardinalis, postquam communicaverit, dicat Orationem*, Quod ore sumpsimus Domine &c. *subsequenter aliam orationem*: Corpus tuum Domine &c. *Deinde recipiat partem unam Hostiæ, quæ est in Patena, & ponat in ore Diaconi Cardinalis supradicti, dicendo*: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen. *Subsequenter recipiat ipsum ad osculum pacis. Postea recipiat aliam particulam Hostiæ, quæ in Patena remansit, & ponat in ore Subdiaconi, dicendo*: Corpus Domini Jesu Christi, *ut supra. Demum sedeat in Sede sua, & perfundat supra scyphum aureum.*

X. Similia legere est in variis Missæ Pontificalis Ordinibus ex Codicibus Vaticanis ab erudito Georgio descriptis, & in Ordine XV. Romano Auctore Amelio Cap. LXXXII. qui quidem si cum præsenti §. Cæremonialis ab Augustino Patricio concinnati conferantur, non nisi in paucis, ac levibus quibusdam rebus discrepant. Hodiernum vero ritum accurate descripsit Angelus Rocca in Commentariolo de Sacra Summi Pontificis Communione, Pauli V. ævo exarato, ubi etiam iconem fronti ipsius Libelli præfixit. Sed ceteris omissis, lubet ritum ipsum integrum hoc loco describere ex recentiori Ordine Missæ Pontificalis in die Natalis Domini, Urbano Papa VIII. exarato, qui post Orationem Dominicam, & illam, quæ incipit, *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis &c.* hæc opportune ad rem nostram habet.

1. Pontifex submittit Patenam Hostiæ, Diaconus Cardinalis discooperit Calicem, Pontifex genuflectit, surgit, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem per medium, dicens, *Per eundem &c.* partem, quæ in dextera est, ponit super Patenam, deinde ex parte, quæ in sinistra remansit, frangit particulam, dicens: *Qui tecum vivit &c.* usque, *Deus*. Aliam mediam partem cum sinistra ponit super Patenam, & tenens dextera particulam super Calicem, & sinistra Calicem, dicit: *Per omnia &c.* Respondetur, *Amen*. Cum ipsa particula signat ter super Calicem, dicens, *Pax Domini &c.* ℟. *Et cum spiritu tuo*. Particulam ipsam submittit in Calicem, secrete dicens: *Hæc commixtio &c.* Diaconus Cardinalis cooperit Calicem, Pontifex genuflectit, surgit, & inclinatus Sacramento, junctis manibus, & ter pectus percutiens, dicit: *Agnus Dei*. Deinde junctis manibus super Altare inclinatus dicit: *Domine Jesu Christe, qui dixisti &c.* Qua oratione completa, Episcopus Cardinalis assistens, accedens ad dexteram Pontificis, simul cum eo osculatur Altare, & adhæret ad faciem Pontificis, qui osculatur eum, dicens illi: *Pax tecum*. Episcopus Cardinalis respondet: *Et cum spiritu tuo*. Deinde discedens dat pacem reliquis Cardinalibus. Duo autem Diaconi Cardinales assistentes singuli seorsum accedunt ad Pontificem adhuc expectantem ante Sacramentum, & accedentes ad eum, ab eo osculantur, & accipiunt pacem, dicente Pontifice, *Pax tecum*; & illis respondentibus, *Et cum spiritu tuo*, Pontifex data pace, & facta reverentia genuflectens coram Sacramento, capite detecto, discedit ab Altare, & cum omnibus assistentibus vadit ad Sedem eminentem, Cardinali Diacono, qui ministrat, & Subdiacono remanentibus ad Altare.

2. Cum Pontifex pervenerit ad Sedem, ubi stans expectat Sacramentum, Diaconus Cardinalis, qui ministrat in Altari, facta genuflexione coram Sacramento, surgens ponit stellulam super Hostiam, & accipiens Patenam cum Sacramento elevatam aliquantulum, factis circulis consuetis a sinistra in dextram, & a dextera in sinistram, tradit Subdiacono, qui genuflexus ad supremum Altaris gradum, stat coram eo in medio, expectans Patenam cum Sacramento, quam Subdiaconus accipit ambabus manibus coopertis linteo pretioso ab illius collo pendente, & discedens vadit ad Sedem eminentem ubi est Pontifex, qui inclinatus, flectens genua, cum accesserit Subdiaconus cum Sacramento, statim surgit. Subdiaconus cum venerit cum Sacramen-

Digitized by Google

cramento ad Sedem, se retrahit ad sinistram Pontificis, ibi stans. Diaconus Cardinalis, qui est in Altari, postquam tradiderit Patenam cum Sacramento Subdiacono, eo recedente, surgit, & stat in cornu Epistolæ in Altari, quousque Subdiaconus pervenerit ad Sedem eminentem, tunc accedit ad medium Altaris, & facta genuflexione coram Sacramento Sanguinis Christi, qui est in Calice, surgens, panniculo pretioso cooperit Calicem, quem aliquantulum elevans, & factis circulis, sicut dictum est supra de Patena, discedit, & vadit ad Sedem eminentem, ad quam cum pervenerit, Pontifex genuflexus Sanguinem adorat, & statim surgit. Diaconus Cardinalis retrahit se ad dexteram Pontificis, & ibi stat. Tum Episcopi assistentes accedunt ad Pontificem cum Missali, & Candela, & ipse dicit Orationem: *Domine Jesu Christe Fili Dei vivi &c. Perceptio Corporis &c.* quibus dictis, Pontifex manu sinistra accipit unam partem Hostiæ consecratæ ex Patena, quam Subdiaconus ante eum tenet, dicens: *Panem cælestem &c.* & manu dextera percutiens ter pectus suum, dicit: *Domine non sum dignus*. Deinde signans se cum ipsa particula dicit: *Corpus Domini &c.* Postquam devote susceperit particulam, dicit: *Quid retribuam Domino &c.* Deinde accipiens calamum aureum de manu Episcopi Cardinalis assistentis, imponit illum intra Calicem, in quo est Sanguis, quem Diaconus semper retinet coram Pontifice, dum aliquantulum Sanguinis suxerit Pontifex.

3. Post sumptionem Sanguinis Diaconus accipit calamum de manu Pontificis cum sinistra non extrahens illum e Calice, sed aliquantulum se retrahens. Accedente vero Subdiacono cum Patena, super quam remansit alia particula Hostiæ consecratæ, Pontifex mox accipit illam particulam, & frangit in duas partes, priore communicat Diaconum Cardinalem, qui ei ministrat ad Altare, Diacono osculante Pontificis manum, antequam accipiat Sacramentum. Similiter accedit Subdiaconus, & osculata Pontificis manu, accipit a Pontifice aliam particulam Sacramenti. Quibus communicatis, Pontifex recipit eos ad osculum oris, & tantisper ibi immoratis, ambo revertuntur ad Altare, Diacono deferente Calicem cum reliquo Sanguinis, & calamo intra Calicem. Qui ubi pervenerint ad Altare, Subdiaconus extersa Patena super Calicem, eum diligenter a particulis purificat. Deinde Diaconus prius per calamum sugit partem aliquam Sanguinis, qui remansit in Calice. Deinde Subdiaconus sugit reliquum Sanguinis, & unus ex iis digito, aut extremitate calami trahens particulam ad labium Calicis, eam reverenter sumit, & purificatur. Interim Pontifex stans apud Sedem, ut prius, dicit: *Quod ore sumpsimus &c. Corpus tuum Domine &c.* His dictis, Pontifex purificat se cum alio Calice, ministrante Cardinali Episcopo assistente, digitos autem non abluit.

4. Cum primus Diaconus Evangelii, & Subdiaconus communicati Sanguinem apud Altare sumpserunt, Diaconus ad Solium Pontificis revertitur, & stans ad ejus sinistram cantat in tono, *Confiteor Deo &c.* quo finito, ad Altare revertitur, & Pontifex interim Episcopo assistenti coram eo Librum tenente, dicit eodem tono; *Misereatur tui &c. Indulgentiam &c.* Tum remoto Libro, nihil dicens, Cruce populum signat, & Subdiaconus cum Pixide Communionis pro populo paratæ, ad Pontificem humiliter inclinatum ascendit, quem sequuntur duo Auditores cum mappula, quam hinc inde ante Pontificem tenent usque ad finem Communionis. Pontifex stans, acceptamque Pixidem de manibus Subdiaconi, sinistra tenens, cum dextera singillatim particulas ex Pixide retrahit, & tradit omnibus communicandis, dicens singulis, *Corpus Domini &c.* Cardinales Diaconi communicandi ante Communionem osculantur dexteram Pontificis, & post Communionem osculantur eumdem in ore. Diaconus Cardinalis Evangelii juxta Altare dat in Calice purificationem Cardinalibus communicatis, aliis vero dat Sacrista, vel Diaconus Græcus.

XI. Hactenus Ordo Missæ Pontificalis in die Natalis Domini, Urbano VIII. Pontifice exaratus, quo magis magisque ritus Communionis Papæ celebrantis, ejusque Ministrorum, ac aliorum plurium illustrantur, qui in hoc nostro §. continentur, quosque antiquos quidem, & non jam postremis temporibus, ut somniant hæretici, adinventos jam supra ostendimus. Sed ut ipsos magis magisque explicemus, quod *die Natalis Domini Diaconi Cardinales, & omnes alii Officiales Papæ debent communicare de Sacramento Altaris*, & quidem in solemni Missa Pontificis de ejus manu, edicit nostrum Cæremoniale in fine hujus Capitis, §. XVI. Quod vero Celebrantes non modo Diaconum, & Subdiaconum, verum etiam Viros illustres aliquando communicarent de eadem Hostia, quam obtulerant, insigne nobis exemplum suppeditat Chronicon Casinense Lib. IV. Cap. XXIV. in persona Paschalis II. qui post initam cum Henrico V. Imperatore pacem, celebrans, *cum ad Hostiæ confractionem venisset, partem ipse accipiens, partem Imperatori contradens, dixit: Sicut pars ista vivifici Corporis divisa est, ita divisus sit a Regno Christi, & Dei quicumque pactum istud dirumpere tentaverit*. Cujus facti mentionem facit Sugerius in Vita Ludovici Grossi. Diaconum vero, ac Subdiaconum communicatos fuisse ex eadem Hostia Celebrantis, præter Romanos antiquos Ordines, qui hoc affirmant, veteres etiam Scriptores docent, inter quos Joannes Episcopus Abricensis apud Menardum pag. 276. tradit, Episcopum ex particula suæ Oblatæ *communicasse se, Diaconum, & Subdiaconum*. Teste Honorio Augustodunensi Lib. I. Cap. LXIII. Episcopus *in tres partes Oblatam dividit, una sibi retenta, duas Diacono, & Subdiacono tribuit; quia Dominus fracto pane, unam partem sibi, duas Cleophæ, & Lucæ divisit*. Hunc morem etiam, ut Episcopus Diaconum, & Subdiaconum in Missa Pontificali cum parte suæ Oblatæ communicaret, testatur Innocentius III. Lib. VI. Cap. VII. eaque consuetudo in Missa solemni apud nonnullas Ecclesias perdurabat, etiam Durandi ævo, ut ipse tradit Lib. IV. sui Rationalis Divinorum Officiorum Capite LIV. Num. III.

XII. Ad Calicis Communionem quod attinet, notat eruditus Martene, Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. Num. XI. Sacerdotes quidem, alioque Altaris Ministros

Digitized by Google

ſtros ex puro Sanguine conſueviſſe communicari, reliquos autem Fideles ex Sanguine vino infuſo. Conſtat id quidem ex vetuſtis Ordinibus Romanis, & ex conſuetudinibus S. Benigni Divionenſis; ad eumque ritum reſpicere videtur Fortunati locus in Vita S. Marcelli Pariſiorum Epiſcopi, qui adhuc Subdiaconus, cum aquam in vinum tranſmutaſset, Prudentius Epiſcopus *juſſit ex ipſo urceo in Calicem Sacrum fundi, unde univerſus populus, Miſſa celebrata, Communionem accepit*. Hujus conſuetudinis cauſam duplicem fuiſſe, ait Martene; multitudinem ſcilicet communicantium, cui conſecrati vini non parva quantitas vix ſufficere potuiſſet; & nonnullorum veterum opinionem exiſtimantium, vinum ex contactu ſpeciei conſecratæ ſanctificari, & conſecrari; quæ quidem erronea opinio quam late olim propagata fuerit, probant ea teſtimonia, quæ refert Clariſſimus Mabillonius in prævio Commentario ad Ordinem Romanum, Cap. XII. quibus multa alia adjecit Martene loco citato. Ceterum Romæ quoque viguiſſe hunc morem in Miſſa Pontificis Sanguinem haurire ex Calice tamen diverſo, in quo vinum commiſci ſolebat, perſpicue declarat Ordo III. Romanus, Num. XV. ſic inquiens: *Ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice Sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in Calicem majorem, ſive in ſcyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem ſacro vaſe confirmetur populus; quia vinum etiam non conſecratum, ſed Sanguine Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum*. Quicquid ſit de hac ſententia, Calix, quo utebatur populus, dicebatur *Calix major*, vel *Scyphus*, & alio nomine Calix miniſterialis.

XIII. Teſte laudato Martene citato loco, Numero XIV. participando Sacro Calici triplex olim extitit ratio, vel enim pretioſum Sanguinem cum calamo ſugebant, vel Calicem ipſum ori admovebant, vel denique Corpus Dominicum Sanguine intinctum accipiebant. Tertium hunc modum damnare quidem ait Martene, Concilium Bracharenſe III. Can. I. interdicens Sacerdotibus, *Euchariſtiam vino madidam pro complemento Communionis porrigere*. Sed aperte damnat Concilium, *Euchariſtium vino madidam*, non Sanguine pro Communionis complemento tradi. Nam alias Concilium Turonenſe apud Burchardum Libro V. Cap. IX. eum ritum diſerte approbat ſic docens: *Sacra Oblatio intincta debet eſſe in Sanguine Chriſti, ut veraciter Presbyter poſſit dicere: Corpus, & Sanguis Domini proficiat tibi*. Et ſane Seculo XII. communem hunc uſum fuiſſe omnium fere Eccleſiarum, probat mox idem Martene ex Epiſtola Ernulfi Roffenſis Epiſcopi ad Lambertum, quæ extat Tom. II. Spicilegii Dacheriani, in qua ita reſpondet ad hanc Lamberti quæſtionem: *Cur hodierna Eccleſiæ conſuetudo alio, & pene contrario ritu cenſeat porrigi Corpus Dominicum, quam a Domino in Cœna Diſcipulis ſuis fuerit diſtributum. Id enim quotidianus Eccleſiæ prætendit uſus, ut tribuatur Hoſtia Sanguine intincta, cum a Domino prius Corpus, deinde Sanguis porrectus fuiſſe memoretur &c.* Quem ritum *nova conſuetudine* introductum Ernulfus multis tuetur, & propugnat argumento ex effuſionis periculo deducto, quod tandem ſic concludit: *Ne ergo polluamus Sanguinem noſtræ redemptionis, ne tanquam impietatis manibus effundamus poculum humanæ ſalutis, a Religioſis Viris provide actum eſt, ut Dominici portiuncula Corporis, non ſicca, ſicut Dominum egiſſe novimus, porrigatur, ſed Domini infuſa Sanguine Fidelibus tribuatur. Quo pacto evenit, ut ſecundum Salvatoris præceptum ejus carnem edat, Sanguinem bibat, periculum evadat, quem in tanta re offendere oppido formidat*. Afferri poſſent & alia de hoc ritu inſignia monumenta, quæ videri poſſunt apud laudatum Martene.

XIV. Ergo ut de aliis modis hauriendi Sanguinem agamus, uſitatus paſſim fuit antiquitus ille ſugendi Sanguinem ipſum per calamum, ſeu fiſtulam, vel cannulam auream, vel argenteam, cujus paſſim mentionem faciunt Ordines antiqui Romani, inter quos Ordo VI. Num. XII. ita habet: *Ipſe autem Diaconus tenens Calicem, & fiſtulam, ſtet ante Epiſcopum, uſque dum ex Sanguine, & Corpore Chriſti, quantum voluerit, ſumat, & ſic Calicem, & fiſtulam Subdiacono commendet*. Adhibitas fuiſſe ipſas fiſtulas Romæ ad uſum Communionis, teſtis eſt Leo Oſtienſis in fine Libri III. Chronici Caſinenſis, ubi inter donaria Victoris Papæ III. ad Sacrificii uſum, fiſtulam unam auream cum angulo, & alias argenteas enumerat. Dicta eſt etiam ipſa fiſtula alio vocabulo, *ſiphon*, uti videre eſt apud Anaſtaſium in Vita Adriani Papæ: *Obtulit Calicem majorem fundatum cum Siphone penſantem libras* XXX. Siphones enim, uti notat Joannes Bona Cardinalis, Lib. I, *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXV. Num. IV. ſunt tubi, ſive fiſtulæ, quibus aqua in fontibus emittitur. In aliis quoque Eccleſiis viguiſſe eundem ritum, teſtem inter alios habemus Conradum Epiſcopum in Chronico Moguntino, ubi de Miſſæ apparatu ſcribens, ſic habet: *Erant fiſtulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ*. Adhibitas fuiſſe a Monachis fiſtulas ad ſugendum Chriſti Sanguinem e Calice, docet nos Liber Uſuum Ordinis Ciſtercienſis Cap. LIII. ubi agens de ritu Communionis in Miſſa ſolemni, fiſtulam inquit neceſſariam non eſſe, cum ſoli Miniſtri communicant, cum vero plures communicant, fiſtula uti eos debere; quam etiam peracta communione, ab utraque parte ſugendo, Sanguine Domini evacuari jubet. Ceterum memoratus Bona teſtatur, in aliis antiquis Monachorum Ritualibus uſum fiſtulæ præſcribi Sacerdoti, & Miniſtris, ceteriſque omnibus communicare volentibus. Antiqua Carthuſianorum Statuta fiſtulam ipſam, calamum vocant: *Ornamenta*, inquiunt, *aurea, vel argentea, præter Calicem, & calamum, quo Sanguis Domini ſumitur, in Eccleſia non habemus*.

XV. Fiſtula itaque, qua hodie utitur Summus Pontifex ad ſugendum Chriſti Sanguinem, communis olim & aliis fuit, etiam laicis, duravitque uſque ad Concilium Conſtantienſe, quo ob Huſſitarum, & Bohemorum hæreſim, uſus Calicis ſublatus laicis fuit; nam alias in Romana præſertim Eccleſia in Miſſarum Solemniis Romani Pontificis viguiſſe morem Communionis tradendæ ſub utraque ſpecie, elicitur ex Ordine XV. Romano, Cap. LXXXV. ubi Romanæ Eccleſiæ ritus de hujuſmodi ſub utraque ſpecie

Digitized by Google

Communione usque ad Martini V. Pontificatum describitur. Exinde, ut dictum est, ob hæresim Hussitarum, & Bohemorum, sublatus mos fuit tradendi Calicem laicis ex præcepto Apostolicæ Sedis, atque datus est tantummodo Diacono Evangelii, & Subdiacono Epistolæ in solemni Romani Pontificis Missa. De sublato Romæ per hæc tempora usu Calicis in die Paschæ, Nicolaus de Cusa S. R. E. Cardinalis Tom. II. Epistola VII. de amplectenda unitate Ecclesiæ ad Bohemos scripta anno MCDLII. die XI. Octobris, aliquando laicis Eucharistiam datam fuisse sub utraque specie tradit, sed raro, & non aliter, quam solemniter per Pontificem, & in ejus præsentia; additque, iccirco asservari Romæ magnos Calices ad eum usum, ac deinde subjicit: *Nam solus Pontifex Romanus usque ad proxima tempora, in Festo Paschæ, laicos, quibus ipse sua manu Corpus Domini tradidit, permisit accedere ad susceptionem Sanguinis de manu Diaconi; sed nequaquam alios laicos in Parochiis, ad susceptionem Sanguinis reperimus admissos.* Hinc anno MCDLXVIII. narrante Augustino Patricio Auctore nostri hujus Cæremonialis in descriptione adventus Friderici III. Imperatoris Romam ad Paulum Papam II. idque confirmante Jacobo Cardinali Papiensi Lib. VII. Epistola CXXX. Paulus ipse Pontifex laudatum Fridericum unica tantum specie communicavit, ut & Diaconum, & Subdiaconum tunc communicavit, ob gliscentem Hussitarum hæresim: *Communicavit Summus Pontifex*, inquit Patricius, *Altaris Sacramentum cum Imperatore, Diacono, & Subdiacono de pane tantum; de Calice autem, etsi consuetudo sit, communicantes cum Pontifice participare; propter insurgentem tamen Hussitarum, ac Bohemorum damnatam hæresim, quæ Calicis potationem ad salutem necessariam putat, præter Pontificem, bibit nemo.*

XVI. Ceterum priscæ consuetudinis vestigium Romani Pontifices jam usque ad nostra hæc tempora religiose retinent, quippe qui adhuc etiam, quotles solemniter celebrant, Diaconum, & Subdiaconum de sacro Calice participare sinunt. Sed & ipse Martinus V. post Concilium Constantiense, uti narrat ex coævis testibus Guillelmus Lindanus, Libro IV. *Panopliæ Evangelicæ*, Capite LVI. populum Romæ sub utraque specie communicavit. Scribit præterea hic Auctor, per Concilium Constantiense sublatam haudquaquam fuisse utriusque speciei Communionem, ubi antiquo more vigeret, nempe in quibusdam Orientalibus Ecclesiis, & aliquibus Septentrionalibus, quibus addi ii possunt, qui ex privilegio Eucharistiam sub utraque specie sumendi veniam a Romanis Pontificibus impetrarunt. Porro Francorum Reges etiam nunc in die eorum Coronationis sub utraque specie communicant, sacrumque Sanguinem calamo hauriunt, ut docet Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum. Teste Raynaldo ad annum Christi MDXXX. Carolus V. dum in Romanorum Imperatorem Bononiæ coronatus est, sub unica tantum specie Communionem cum aliis Principibus laicis sumpsit, Diaconus vero Evangelii, & Subdiaconus Epistolæ Sanguinis poculum ex Calice Pontificis, ut mos est, hauserunt. In Pontificali quoque Romano, quod nos perpetuis Commentariis illustravimus, Tomo I. ubi agitur de Benedictione, & Coronatione Regis, præscribitur Communio sub unica tantum specie, & purificatio cum vino ex Calice. Plura his addere supervacaneum est, videri enim possunt memorati superius Mabillonius, Martene, Georgius, aliique docti Viri, qui hanc rem tractarunt, sed videndus præ cæteris ceterorum omnium doctissimus Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. in celeberrimo Opere, *De Sacrificio Missæ*, Parte IV. Sectione I. §. CCCLXI. ubi de querelis Bohemorum, de disceptationibus ea de re in Concilio Tridentino habitis, deque Calicis usu post Tridentinum Concilium laicis in Germania a Pio IV. concesso, deque eo a Pio V. & Gregorio XIII. justis de causis interdicto, solide eruditeque differit, sicuti & de sumtione Sanguinis per Diaconum, & Subdiaconum in Missa solemni Romani Pontificis.

XVII. Reliquum est, ut causas explicemus, quibus Romanus Pontifex Maximus alium in communicando morem observat, differt enim ejus communicandi mos triplici, uti dictum est, de causa. I. ratione loci. II. ratione modi. III. ratione quantitatis. Differt ratione loci, quia ubi ceteri Celebrantes, sive sint simplices Sacerdotes, sive etiam Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, ad Altare consecrant, & ad Altare communicant. Summus autem Romanus Pontifex licet ad Altare consecret, non ibi tamen se communicando Sacrificium consummat, sed ad Solium, seu ad Sedem Pontificalem. Dicto namque tertio, *Agnus Dei*, dataque pace, juxta ritum jam superius explicatum, ab Altari discedit, & ad Solium e regione Altaris se confert, suis allociatus assistentibus, relictis ad ipsum Altare Cardinali Diacono, & Apostolico Subdiacono, ut Mysteria Sacrosancti Sacrificii mox ad Solium deferant, ubi consummandum est. Differt etiam Papæ Communio ratione modi, quia non de Calice immediate haurit Sanguinem, sed, ministrante Diacono, per aureum calamum in Calicem immissum Sanguinem sugit. Ratione denique quantitatis differt, quia nec totam Hostiam sumit, sed tantum medietatem, altera medietate relicta, quam postea in duas partes partitur, pro Diaconi, & Subdiaconi Communione. Et similiter de Calice non totum exugit Sanguinem, sed portionem tantummodo, aliam in Calice relinquendo cum parva particula Hostiæ jamdudum immissa, a Diacono, & Subdiacono sumendam.

XVIII. Hæc sunt, quæ ex antiquo ritu, qui adhuc viget, servantur in Communione Summi Pontificis, quæque, uti veteres æque ac recentiores Scriptores notarunt, suo non vacant mysterio. Cur apud Sedem, & non apud Altare communicet Romanus Pontifex Maximus, non omnes eandem causam afferunt. Ea de re scripsit inter alios eruditissimus Angelus Rocca in suo Commentario, quem inscripsit, *De sacra Summi Pontificis Communione Sacrosanctam Missam solemniter celebrantis*, legiturque Tomo I. Operum, cui etiam præfixit tabellam iconibus ære incisis insignitam, quæ Summum Pontificem, Sacrosanctam Eucharistiam cum Diacono & Subdiacono sumpturum, nec non per-

Digitized by Google

perſonas illas, quæ ſacræ Communioni aſſiſtere ſolent pro iis rebus, quæ ad talem actionem pertinent, ſubminiſtrandis repræſentat. Non deſunt, qui hoc communicandi ritu Incarnationem Verbi, Divinitatem ſcilicet ad Humanitatem adeuntem repræſentari ajunt, eaque eſt reſponſio nonnullorum Cæremoniariorum, ubi de eo ritu interrogantur; ægreque ferunt, quod quidam, ubi de ratione Sacrarum Cæremoniarum conſuluntur, nihil aliud reſpondeant, quam pauca hæc dumtaxat verba: *Sic voluere priores*. Verum quicquid ſit de hac reſponſione, allata ſuperius opinio jam adeo inanis eſt, & a recta ratione aliena, ut ad eam confutandam, multis non opus ſit verbis. Nam præterquam quod in ipſo Euchariſtiæ Sacramento Divinitas & Humanitas Salvatoris noſtri indiſſolubili extant unione; eadem item repræſentatio fieret, dum Euchariſtiæ Sacramentum communicantibus ad Altare datur, & cum ad proprias ægrotorum ædes defertur, ut ſcite obſervat laudatus Rocca Quæſito 11. citati Operis.

XIX. Innocentius III. Lib. VI. *Myſteriorum Miſſæ*, Cap. IX. ideo Pontificem ad Sedem communicare cenſet, quia *Chriſtus in Emaus coram duobus Diſcipulis fregit, & in Hieruſalem coram decem Apoſtolis manducavit &c.* Guillelmus Durandus, Lib. IV. Rationalis Divinorum Officiorum, Capite XIV. recitata Innocentii opinione, aliam de ipſo ritu rationem involucris verborum comprehenſam in medium affert; rei tamen ſumma hæc eſt: *Sicut Summus Pontifex eſt Chriſti Vicarius, & caput omnium, qui in Eccleſia degunt militanti; ita Chriſtum Eccleſiæ caput, perfectius, ac ſublimius repræſentans, ad ſublimiorem locum communicare ſolet*. Sed haſce opiniones tum Innocentii Papæ, tum Durandi pluribus idem Rocca refellit, rejectiſque etiam aliorum ſententiis, probabilius ſibi videri ait, Pontificem quidem ad Altare conſecrare, & frangere Hoſtiam, ad Sedem vero communicare, *non ut panis benedictionem, & fractionem in Emaus præſtitam, manducationemque in Hieruſalem celebratam illo exprimat ritu, ſed ut Communionem in Cœnaculo poſt cœnam ultimam ſuper Triclinio, vel ſtratis lectis ..... a Chriſto Redemtore noſtro inſtitutam aliqua ex parte referat*. Sed & hæc ratio quanti hac in re ſit ponderis, cuique ad judicandum relinquo, utorque iiſdem plane verbis, quibus idem Rocca rationem a Guillelmo Durando allatam confutavit.

XX. Porro Commendat jam laudatus Auctor opinionem S. Bonaventuræ, qui Tomo I. Operum in Expoſitione Pſalmi XXI. Chriſti Paſſionem hoc ritu exprimi autumat, quia cum Chriſtus omnibus videntibus paſſus ſit, ita Pontifex, omnibus videntibus, Euchariſtiam ſumit: *Chriſtus in communi, & omnibus videntibus, paſſus eſt. Unde Papa quando ſumit Corpus Chriſti in Miſſa* (ſolemni) *ſumit omnibus videntibus; nam ſedens in Cathedra convertit ſe ad populum*. Adhæret & huic Sententiæ religioſiſſimus Hieronymus Criſpi, Archiepiſcopus primum Ravennæ, tum Ferrariæ, in diſſertatione Myſteriorum Evangelicæ Legis, ac Sacramenti Euchariſtiæ, & Miſſæ, pag. 226. & ſeqq. ubi exponens Romani Pontificis morem in communicando, triplicemque ejus differentiam, ratione ſcilicet loci, modi, ac quantitatis, ita plane docet: *Inficias ire quiverit nemo, quin Summus, & Romanus Pontifex, utpote Chriſti Vicarius in terra, præ ceteris Pontificibus magis expreſſe Chriſti Domini perſonam repræſentet, atque in ejus ſolemni Miſſa Chriſti Domini Sacrificium. Porro, quemadmodum iſtud Sacrificium ut incruentum Chriſtus Dominus peregit intra Conclave Cœnaculi, & veluti in ſecreto, quum ſe ipſum ſub ſpeciebus panis & vini ſacrificavit, & immolandum Fidelibus reliquit; & ut cruentum conſummavit in Calvario, loco omnibus patenti, a terra in Cruce exaltatus, ut omnia traberet ad ſe ipſum: ita utrumque Sacrificium Summus Pontifex per hanc ſuam particularem cæremoniam, propriumque ritum adamuſſim repræſentat: Sacrificium ſcilicet incruentum, & quodammodo ſecretum, dum ſecretis verbis conſecrat ad Menſam Altaris, veluti intra interiora Cœnaculi; cruentum vero, dum Sacrificium conſummat elevatus ad Solium, eique adhærens, tanquam exaltatus in Cruce, & quidem palam, & in publico, dum hoc facit, ad populum converſus. Dum ergo Summus Pontifex ab Altari pergit ad Cathedram, ibi conſummaturus, Chriſtum Dominum præfigurat, qui de Cœnaculo perrexit ad Paſſionem, & de Cœna, ubi Sacrificium incruentum ſecreto celebravit, pervenit ad Crucem, in qua cruentum Sacrificium velut in Cathedra, omnibus videntibus, Paſſione ſua conſummavit*.

XXI. Hactenus memoratus Criſpi diu verſatus in praxi cæremoniarum Capellæ Papalis, cum enim eſſet Sacræ Romanæ Rotæ Auditor; pluries munus Apoſtolici Subdiaconi obivit, Pontifice Clemente XI. Confirmat eruditus Scriptor ſuam ſententiam recitato ſuperius loco Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ, ac deinde ita ad noſtram rem ſubdit: *Dum vero ibidem Pontifex in Cathedra ſtans, & veluti erectus in Cruce Sanguinem ſugit ex calamo, liquido demonſtrat, eo myſterio id fieri, ut populus recordetur, Chriſtum Dominum, pro amaritudine aceti calamo ſibi oblati, Sanguinis ſui dulcedinem nobis in eodem Sacramento reliquiſſe, ut ſic perpetuo memoriæ commendaremus illud Scripturæ*: Currens autem unus, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei. *Quodque demum de Sacrificio ſuo partem faciat Diacono, & Subdiacono, clare repræſentat illud, quod Chriſtus Dominus in ultima Cœna fecit; dum*, accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens &c. & accepto Calice ſimiliter dixit &c. *Comprobatur etiam hoc facto vetus conſuetudo Fidelium a Chriſto Domino derivata, communicandi ſub utraque ſpecie, licet nunc laicis Communio hæc juſtis de cauſis fuerit ab Eccleſia ſapientiſſime interdicta*.

XXII. Nequis vero autumet recentem eſſe ritum, ut Summus Pontifex in ſolemni Miſſa, quam ipſe celebrat, non ad Altare, ſed ad Sedem communicet, tradunt profecto hunc ritum antiqui Romani Ordines, præſertim vero Ordo X. Num. XV. ubi monet, Feria VI. in Paraſceve, communicare Papam, *non ad Sedem ſolemniter ſed tantum eo die ante Altare, ob humilitatem reverentiæ Dei, & Paſſionem Chriſti*.

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

De purificatione, manuum lotione, Antiphona, & Oratione post Communionem, & solemni benedictione.

Cum primum vero Pontifex Subdiaconum communicaverit, Episcopus Cardinalis assistens imponens ex ampulla vinum in Calicem, quem Sacrista portavit, dat Papæ ad purificandum. Quo purificato, Sacrista cum Calice illo, & patera argentea ad credentiam suam redit, & prior Presbyterorum Cardinalium ampullam vini manu dextra, & pateram auream manu sinistra ab Acolytho accipiens, Pontificis digitos, super ipsam pateram vinum effundendo, abluit, & reddita Acolytho ampulla, pateram cum vino ad Altare reportat, consignatque Ministris, & ad locum suum redit: Episcopus vero Cardinalis album panniculum, quod purificatorium appellant, sibi ad hoc a Sacrista assignatum, Pontifici tradit, cum quo digitos tergit, deinde Acolytho illud restituit cum ampullis ad credentiam Sacristæ reportandum. Pontifex autem, facta purificatione, Mitram accipit, & sedens, quarto lavat manus ordine supradicto, Nobiliori aquam ministrante. Interim duo primi Episcopi assistentes præcedunt ad sinistrum cornu Altaris cum Libro, pulvino, & candela; & Pontifex lotis, tersisque manibus surgens, descendit a Sede eminente ad Altare, ubi ante gradum inferiorem deposita Mitra per Diaconum Evangelii, accedit ad Altare, osculatur illud in medio, vadit ad cornu Epistolæ, ubi Liber paratus est, & dicit Postcommunionem. Tum redit ad medium Altaris, & illo osculato, versus ad populum, stans dicit, *Dominus vobiscum*; & interea dum respondetur, *Et cum spiritu tuo*, vadit ad Librum, ubi dicit, *Oremus*, & Orationem; qua in totum finita, cum respondetur, *Amen*, revertitur ad medium Altaris, illud osculatur, & iterum ad populum dicit, *Dominus vobiscum*; & responso dato, *Et cum spiritu tuo*, Diaconus Evangelii stans post Papam, medius inter duos Cardinales assistentes cantat, *Ite Missa est*, versus ad populum, ut Pontifex. Interim Subdiaconus non Epistolæ, sed alius accipit Crucem, & eam portat ante Pontificem, inter ipsum, & populum. Responso, *Deo gratias*, Pontifex stans inclinato capite in medio Altaris, dicit: *Placeat tibi &c.* Quo dicto, benedicit populo solemniter, dicens: *Sit Nomen Domini benedictum &c.*

COMMENTARIUS.

I. JUxta præscriptum Ordinis VI. Romani, Num. XIII. peracta Communione, sedebat Pontifex, & *tres Acolythi genu flexo ante eum, aquam manibus ministrabant*. Juxta Ordinem Romanum XIV. Auctore Gajetano, Cap. LIII. facta Communione, recipiebat Pontifex *modicum de vino in Calice, infundente illud Subdiacono, & illud sumebat ad abluendum os suum. Postea dicendo illas orationes*: Quod ore sumpsimus &c. & Corpus tuum &c. *tenens super Calicem digitos utriusque manus, quibus tetigit Hostiam, abluebat ipsos modicum, Subdiacono iterum infundente vinum, antequam illud sumeret, abluebat iterum eos digitos cum aqua, quam infundebat Capellanus cum pelvibus, & ipsa aqua projiciebatur in loco mundo. Pontifex ablutis digitis prædicto modo cum aqua, abstergebat os cum panno terforio, quem ei porrigebat is, qui Mitram servabat. Postea sumpto vino, quod erat in Calice, tergebat os suum cum eodem panno*. Licet autem in hoc nostro §. nihil dicatur de perfusione per Pontificem bibenda, diserte tamen memoratus Ordo Romanus ejus ritus meminit præsertim Cap. LXXI. ubi ita inquit: *Subsequenter lavet sibi manus, & sedendo expectet Subdiaconum, qui sibi apportet Calicem cum vino, quem Calicem Papa recipiat cum duabus manibus, & de vino cum Calicem sumat ad lavandum sibi os, quantum placet*.

II. Porro nostro §. nonnihil concinunt duo Missæ Pontificalis Ordines, inclinante Sæculo Christi XIV. exarati in duobus ms. Codicibus Vaticanis, in quorum primo, qui inscriptus est Numero 4726. præscribitur, ut secundus Episcopus Cardinalis accedat ad Pontificem sedentem, & ei ministret vinum in scypho deaurato, super quo Pontifex abluit digitos, ac idem Episcopus Cardinalis referat eundem scyphum ad Altare. His actis, deferatur aqua Pontifici per Nobiliorem in Sacello ad abluendas manus, ac tertius Episcopus Cardinalis, vel antiquior Presbyter Cardinalis juvet ipsum Nobilem in perfusione aquæ. Insuper præscribitur, ut lotis manibus, deferatur per Episcopum aliquem non Cardinalem Calix vacuus, cum quo Pontifex vinum, & aquam recipiat, ut moris est. Ordo alter Num. 4727. monet, ut primus Episcoporum Cardinalium post illum, qui Pontifici præsto est, accedat ad Pontificem, accipiat ampullam vini in dextera, & scyphum ex auro in sinistra, in quem vinum infundat super digitos Pontificis, & ablutione peracta, referat scyphum cum vino superfuso ad Altare, ac tradat illum

Digitized by Google

illum Subdiacono. Interim Pontifex abluat manus, & Episcopus non Cardinalis genuflectat coram eo, discooperiat Calicem, quem accipit Pontifex, & ipse Episcopus ei ministret ampullam vini, & aquæ, de quibus facta prægustatione per eum, Pontifex sumit, ac deinde restituit Calicem eidem Episcopo, qui ad locum suum illum refert. De ritu hodierno hujus perfusionis, atque purificatione, & manuum lotione memoratus toties Ordo Missæ Pontificalis in die Natalis Domini Urbano VIII. Pontifice exaratus hæc habet: *Peracta Communione Pontifex ministrante priore Presbyterorum Cardinalium, cum vino digitos abluit in Patena: deinde sedet accepta Mitra, lavat manus more c nsueto.*

III. Egimus nos de hac perfusione cum vino post Communionem in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, sed lubet etiam hoc loco nonnulla de eo ritu adnotare. Extat Innocentii III. Decretalis Epistola scripta Clericis S. Petri Magalensis, & relata in Cap. *Ex parte, De Celebratione Missarum &c.* qua consultus ab ipsis Clericis, I. an Sacerdos post Sacramenta sumpta, perfundere manus debeat, II. cum quo liquore, III. utrum illam perfusionem debeat sumere, IV. an post illam sumptam debeat seu possit iterum celebrare, in hæc verba respondit: *Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.* Quia scilicet Sacramentum Eucharistiæ sumendum est a jejunis, ut fuse ostendimus nos Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXIX. Trullanum. Innocentio III. Papæ succinit S. Thomas Parte III. Quæstione LXXXI. Articulo V. ad X. ubi ita scribit: *Ea nempe de causa, quia vinum ratione suæ humiditatis est ablutivum; & ideo sumitur post susceptionem hujus Sacramenti ad abluendum os: ne aliquæ reliquiæ remaneant, quod pertinet ad reverentiam Sacramenti.* Affert mox in hujus ritus testimonium, laudati Pontificis locum, & deinde subjicit: *Et eadem ratione perfundit Sacerdos vino digitos, quibus Carpus Christi tetigerat.* Durandus quoque de vino ipso perfusionis meminit Lib. IV. sui Rationalis, Cap. LIV. & agunt demum de vini, & aquæ perfusione in Calicem inter alia Concilium Colonienſe anno Domini MCCLXXX. habitum Can. VII. Nemausense, anno MCCLXXXIV. *De Sacramento Eucharistiæ.* Cæterum morem fuisse antiquitus apud Græcos, & in quibusdam etiam Occidentis Ecclesiis, ut Celebrantes, & Fideles post sumptam Communionem aliquid degustarent, pluribus probat eruditus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Capite IV. Articulo X. Num. XV.

IV. Facta perfusione, ac *lotis, terſisque manibus*, ut ait hic noster §. *surgens*, Pontifex scilicet, *descendit a Sede eminente ad Altare, ubi ante gradum inferiorem deposita Mitra per Diaconum Evangelii, accedit ad Altare, osculatur illud in medio, vadit ad cornu Epistolæ, ubi Liber paratus est, & dicit Postcommunionem.* Postcommunio, versus nempe e Divina Scriptura, & utplurimum ex Psalmis petitus, qui nunc a Sacerdotibus Celebrantibus in Missis privatis post purificationem Calicis, & manuum ablutionem dicitur, & in Missa Pontificali, & solemni cantari solet a Choro post sumptam a Pontifice, & ab Episcopis Communionem, ut habetur Lib. II. Cæremonialis Episcoporum, Cap. VIII. §. LXXXIX. olim *Antiphona ad Communionem* dicebatur, nunc vero in editis Missalibus Postcommunio nuncupatur. Appellata est olim quidem Antiphona ad Communionem, quod primitus Psalmus integer eo modo, quo Antiphona ad Introitum cantabatur, nempe cum *Gloria Patri*, &, *Sicut erat*, & cum versu ad repetendum, sive respondendum, dum Pontifex populum communicaret, a Choro cantaretur, & cantus perdurabat, usque dum Communio expleta esset. Utplurimum vero post unum, aut duos versiculos repetebatur Psalmus, qui decantatus erat post Antiphonam ad Introitum ut prodit Liber Antiphonarius S. Gregorii, & Antiphonarius ex ms. Codice Bibliothecæ Cardinalis Gentilis, quem eruditus Georgius retulit in Appendice Monumentorum ad insigne Opus: *De Liturgia Romani Pontificis.*

V. Ritum canendæ Antiphonæ in Ecclesia Romana memorant prisci Romani Ordines, quorum primus Num. X. sic habet: *Mox ut Pontifex cœperit in Senatorio communicare, statim Schola incipit Antiphonam ad Communionem per vices cum Subdiaconibus, & psallunt, usque dum communicato omni populo, annuat Pontifex, ut dicant*, Gloria Patri, *& tunc repetito versu quiescunt.* Hinc patet, quod ad hunc locum notavit Mabillonius Tomo II. Musei Italici in calce paginæ 15. Antiphonam, quæ hodie *Communio* dicitur, olim Psalmo decantando præmissam fuisse; quod Micrologus diserte habet in Capite XIX. Communione expleta Schola Cantorum ad signum Subdiaconi Regionarii per Crucis signum in fronte claudebat psalmum cum *Gloria*, & versum repetebat. Ita enim idem Ordo innuit Num. XXI. *Ille vero*, Pontifex scilicet, *contemplans populum, si jam communicati sint, & annuit ei*, nempe Subdiacono Regionario, *& ille vadit ad humerum, aspicit ad primum Scholæ, faciens Crucem in fronte sua, annuit ei dicere* Gloriam, *& ille*, idest primus Scholæ, *resalutat, dicit*, Gloria, Sicut erat, *& versum.* Eadem paucis confirmat Ordo II. Romanus Num. XV. itemque Ordo III. Num. XVIII. ubi fusius idem ritus narratur his verbis: *Cum cœperit Pontifex Clerum, sive populum communicare, Schola incipit Antiphonam ad Communionem psallere, ac deinde nutu Pontificis*, Gloria, Sicut erat, nunc, & semper, *Subdiacono faciente Crucem in fronte, ut ex hoc signo intelligat Prior Scholæ, quando post Communionem debeat Gloriam Sanctæ Trinitati dicere, paratus etiam versum repetitionis subjungere.* Addit & his alia idem laudatus Georgius Tomo II. *De Liturgia &c.* Lib. II. Cap. XXII. Num. III. & seqq. Juxta recentiorem ritum Ordinis Missæ Pontificalis in die Natalis Domini Urbano VIII. Pontifice Maximo exarati, Pontifex, lotis manibus, *descendit ad Altare, Auditoribus fimbrias elevantibus. Extrahitur illi Mitra ad gradus Altaris per Diaconum Evangelii, & ascendens ad cornu Epistolæ, legit Communionem, dicens*: Viderunt omnes fines terræ &c.

VI. Absoluto hoc ritu, Pontifex, ut ait §. no-

Digitized by Google

§. noſter, *redit ad medium Altaris, & illo oſculato, verſus ad populum ſtans dicit*, Dominus vobiſcum; *& interea dum reſpondetur*, Et cum ſpiritu tuo, *vadit ad Librum, & dicit*, Oremus, *& Orationem*. Concinit his Ordo Romanus Pontifice Urbano VIII. exaratus: *Accedit* inquit, *ad medium Aliaris, & illo oſculato, verſus ad populum dicit in tono*: Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo; *& rediens ad cornu Epiſtolæ dicit*, Oremus. Præſta quæſumus &c. Oratio ipſa, quæ & *Poſtcommunio* nuncupatur, jam a primis temporibus recitari conſuevit in Eccleſia Romana, legiturque paſſim in Codice Gelaſiano, & in Sacramentario S. Gregorii ex editione Romana, & Pamelii. Pertinebat quidem ipſa Oratio ad Communionem, & continebat gratiarum actionem de percepta Euchariſtia. Huc enim ſpectat S. Auguſtinus, qui in Epiſtola CXLIX. alias LIX. ad Paulinum ſcribens, ita inquit: *Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit*. Ad hanc Auguſtini Epiſtolam reſpicit Amalarius in ſua Egloga, Cap. XXIX. ſic inquiens: *Poſt communionem, hanc Orationem Auguſtinus poſtulationem vocat. Poſt Communionem namque dicit, quia poſtquam populus communicat, hæc ſequitur*. In Sacramentario S. Gregorii per Menardum edito, & in aliis antiquis Codicibus relatis ab erudito Martene, hæc Oratio appellatur *ad complendam*, quod *complere* in Libris Liturgicis ſignificet, rem Divinam Oratione, ſeu Collecta concludere, & complere, ut Scriptores Liturgici paſſim notant, præſertim vero laudatus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, loco citato, Num. II. in fine.

VII. Nunc ut priſcum ritum de hac Oratione dicenda a Pontifice in Eccleſia Romana enarremus, in medium proferimus Ordinem I. Romanum, ex cujus præſcripto Pontifex ſedebat in Sede uſquequo finita eſſet Antiphona ad Communionem, deinde accedebat ad Altare, & directus ad Orientem, *Dominus vobiſcum*, proferebat, ſe tamen, dum hanc Orationem diceret, ad populum non vertebat. Verba laudati Ordinis Num. XXII. hæc ſunt: *Finita autem Antiphona*, ad Communionem ſcilicet, *ſurgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ante Altare, dat Orationem ad complendum, directus ad Orientem. Nam in iſto loco, cum*, Dominus vobiſcum, *dixerit, non ſe dirigit ad populum*. Meminit & ejus ritus Amalarius Lib. III. Capite XXXVI. ubi hæc habet: *Hunc morem tenet Sacerdos, ut poſt omnia Sacramenta conſummata, benedicat populo, atque ſalutet. Deinde revertitur ad Orientem, ut ſe commendet Domini Aſcenſioni*. In Egloga quoque, Capite XXX. in fine, ſic de eo ritu ſcribit: *Expleta Communione, & Antiphona, tunc ſurgit Dominus Papa, & veniens ad Altare, ſalutat, altius dicens*: Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde dat Orationem*. Licet in antiquioribus Ordinibus Romanis, & apud vetetes Scriptores reticeatur oſculum Altaris, antequam Pontifex dicat, *Dominus vobiſcum*, meminit tamen ejus ritus Innocentius III. Lib. VI. Cap. XI. his verbis: *Peracto Orationis myſterio, Pontifex cum Miniſtris ad Altare procedit, & Altare deoſculans, ultimam Orationem exequitur*. Eadem de oſculo Altaris tradunt Rubrica Miſſalis, & Cæremoniale Epiſcoporum Lib. II. Cap. VIII. §. LXXIX.

VIII. Oratione finita, cum reſpondetur, *Amen*, ait noſter §. *revertitur*, Pontifex, *ad medium Altaris, illud oſculatur, & iterum ad populum dicit*, Dominus vobiſcum, *& reſponſo dato*, Et cum ſpiritu tuo, *Diaconus Evangelii ſtans poſt Papam medius inter duos Cardinales aſſiſtentes cantat*, Ite Miſſa eſt, *verſus ad populum, ut Pontifex*. De hac formula, *Ite Miſſa eſt*, diximus jam in Commentariis noſtris ad Cæremoniale Epiſcoporum, ſed ſciendum hoc loco eſt, quod de eo ritu docent antiqui Romani Ordines, ex quorum præſcripto Diaconus, cui S. R. E. Archidiaconus mandabat, ad nutum Pontificis, converſus ad populum, alta voce pronunciabat, *Ite Miſſa eſt*; & populus reſpondebat: *Deo gratias*. Ita plane habent Ordines I. II. & III. Teſte Joanne Cardinale Bona initio Libri I. Rerum Liturgicarum, & Lib. II. Cap. XX. Num. III. idem eſt *Miſſa*, ac *miſſio*, ſive *dimiſſio*; ideoque Diaconus dimittens populum, dicit: *Ite Miſſa eſt*. Græci quoque in fine Liturgiæ *Apolyſin* canunt, ideſt, dimiſſionem; nam peracta Communione, Sacerdos dicit ſecreto Orationem pro gratiarum actione, & Diaconus poſtea hortatur populum ad gratias agendas, eumque dimittit his verbis: *In pace procedamus*. Reſpondet Chorus: *In Nomine Domini*. Etiam Ethnicos, Sacrificiis peractis, licentiam abeundi a Sacerdotibus accepiſſe, qui certa formula licere cunctis diſcedere, alta voce indicabant, ex Apuleo docet laudatus Bona Cardinalis loco citato.

IX. Tandem, dum verſus ad populum Diaconus, *Ite Miſſa eſt*, alta voce pronunciat, *interim Subdiaconus, non Epiſtolæ*, ut ait noſter §. *ſed alius accipit Crucem, & eam portat ante Pontificem, inter ipſum & populum*; reſponſo autem *Deo gratias*, ut idem §. ſubdit, *Pontifex ſtans inclinato capite in medio Altaris dicit*: Placeat tibi &c. *quo dicto benedicit populo ſolemniter, dicens*: Sit nomen Domini benedictum &c. Si priſcum Romanæ Eccleſiæ ritum ſpectemus, Pontifex cum ſacris Miniſtris, dicto per Diaconum, *Ite miſſa eſt*, ſtatim ab Altari recedebat, & in Secretarium ad ſe exuendum revertebatur, ubi in egreſſu e Presbyterio omnes benedictionem a Pontifice petebant; quo autem ordine rediret, ex celebri veterum Romanorum Ordinum teſtimonio addiſcimus, inter quos Ordo I. Num. XXI. hæc habet: *Tunc* (nempe poſt, *Deo gratias*) *ſeptem cereoſtatata*, ideſt, candelabra, *præcedunt Pontificem, & Subdiaconus Regionarius cum thuribulo ad Secretarium. Deſcendente autem illo in Presbyterium, Epiſcopi primum dicant*: Jube Domne benedicere. *Reſp.* Benedicat nos Dominus. *Reſp.* Amen. *Poſt Epiſcopos Presbyteri, deinde Monachi, deinde Schola, deinde Milites Draconarii, ideſt qui ſigna portant; poſt eos Bajuli, poſt eos Cereoſtatarii*, ideſt Ceroferarii, *poſt quos Acolythi, qui rugam*, ideſt, januam cancellorum Presbyterii, *obſervant, poſt eos extra Presbyterium Cruces portantes, deinde Manſionarii juniores, & intrat Secretarium*. Eadem leguntur paulo contracta in Ordinibus Romanis II. & III. in quibus nulla prorſus mentio illius Orationis, *Placeat tibi Sancta Trinitas*

Digitized by Google

tas &c. & ſolemnis benedictionis, quæ dari per Pontificem, & Celebrantes ſolet in Miſſa.

X. Teſtatur tamen Cardinalis Bona, Libro II. *Rerum Liturgicarum* Cap. XX. Num. III. ſe eam Orationem, *Placeat tibi &c.* ſcriptam inveniſſe in omnibus ferme Miſſalibus exaratis etiam ante annum Chriſti milleſimum. Hinc non mirum, ſi illius Orationis mentionem faciat Micrologus, qui Cap. XXII. ait: *Finita Miſſa, dicit*, Sacerdos ſcilicet, *Placeat tibi &c.* Porro ſolemnem benedictionem, cujus meminit noſter §. ex recentiori dari ritu, animadvertit Cardinalis Bona loco citato, Num. IV. At vero ipſum ritum laudat quidem Innocentius Papa III. Libro VI. Cap. XIV. ex quo etiam diſcimus alium ſui temporis ritum, cujus mentionem facit citato loco Cap. XIII. nempe oratione poſt Communionem finita, datum fuiſſe per digniorem ex aſſiſtentibus oſculum Menſæ Altaris, & armo Pontificis dextero. De utroque ritu meminit etiam Durandus in ſuo Rationali, Lib. IV. Capite LVIII. ubi ita inquit: *In Romana Eccleſia tres humerum Pontificis oſculantur in ſignum reverentiæ, videlicet Primicerius Notariorum in principio, Diaconus in medio, & Sacerdos in fine Miſſæ.* Ordo Miſſæ Pontificalis ex Vaticano Codice Num. 4726. monet, ut Epiſcopus Cardinalis Pontifici aſſiſtens oſculetur Pontificem ſuper Crucem Pallii in dextro humero, antequam Pontifex dicat: *Dominus vobiſcum.* De hujuſmodi oſculo nulla mentio in Ordine Romano XIV. neque in hoc noſtro Cæremoniali ab Auguſtino Patricio concinnato, imo neque in recentibus Libellis Miſsæ Pontificalis. Ceterum memoratus Durandus Lib. II. Cap. LIX. meminit quidem formulæ benedictionis ſolemnis dari ſolitæ in Miſsa Pontificali, & verſiculorum, *Sit nomen Domini &c.* qui ei benedictioni præmittuntur; ejuſque ritus, ſicut & Orationis, *Placeat tibi &c.* meminit etiam Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite LXXI. his verbis: *Cantato*, Ite Miſsa eſt, *per Diaconum Cardinalem prædictum non recedendo de Altari, benedicat*, Pontifex ſcilicet, *populum*: Sit nomen Domini benedictum. *Reſp.* Ex hoc nunc &c. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit Cœlum, & terram. Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *Reſpondetur*, Amen. *Poſtea ſecrete dicat hanc Orationem*: Placeat tibi Sancta Trinitas &c. Sane juxta præſcriptum noſtri §. primo dicit Pontifex, *Placeat tibi &c.* poſtea benedicit populo ſolemniter; id quod etiam ex Rubricis Miſſalis præſcriptum eſt.

§. XV.

De promulgatione Indulgentiarum uſque ad finem, & de Communione fieri ſolita per Diaconos Cardinales, omneſque alios Officiales Papæ non Sacerdotes in ejus ſolemni Miſſa Natalis Domini.

Data benedictione per Pontificem, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens ad ſiniſtram Pontificis, verſus ad populum pronunciat Indulgentias ſub his verbis: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter, Dominus N. Divina providentia Papa Octavus dat, & concedit omnibus hic præſentibus plenariam Indulgentiam*, vel *tot annos, & totidem quadragenas de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta. Orate Deum pro felici ſtatu ſuæ Sanctitatis, & Sanctæ Matris Eccleſiæ.* Interim dum Indulgentia hujuſmodi pronunciatur, Diaconus Evangelii extrahit Papæ Pallium, & illud ſupra Altare reponit. Cardinales etiam, & Prælati omnes paramenta ſua deponunt, & conſuetum habitum accipiunt. Pontifex vero ſic paratus ad Palatium revertitur cum baldachino, aſſociatus a Cardinalibus in Cappis. Diaconi tamen parati ex decenti more deberent comitari Pontificem Miſſalibus indumentis adhuc paratum uſque ad Cameram ſuam. Et nota, quod hac die Domini Diaconi Cardinales, & omnes alii Officiales Papæ non Sacerdotes debent communicare de Sacramento Altaris.

COMMENTARIUS.

I. MAndat hic §. noſter, ut data per Pontificem ſolemni benedictione, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens ad ſiniſtram Pontificis pronunciet populo ex præſcripta forma Indulgentias. Indulgentiam Pontificis nomine promulgari in Miſſa Pontificali, docent non uno in loco Romani Ordines XIV. & XV. Annunciantur poſt Sermonem, qui, ſi in Miſſa poſt Evangelium non fuerit habitus, pronunciatur tunc ad populum Indulgentia, *per Epiſcopum Cardinalem de mandato Papæ*, ut habet Ordo Miſſæ Pontificalis ex Vaticano Codice, Num. 4727. exarato inclinante Seculo XIV. Licet autem publicatio Indulgentiæ fieri debeat per Epiſcopum Cardinalem Papæ aſſiſtentem, teſte tamen Burchardo in ms. Diario ad annum MCDLXXXVII. ubi agit de Miſſa Pontificali celebrata die Natalis Domini, *finita Miſſa, Indulgentiam plenariam publicavit Cardinalis Senenſis, qui Evangelium cantaverat in Miſſa, quia Vicecancellarius, qui aſtetit Pontifici in Miſſa, & propterea illam publicare debuerat, noluit eam publicare.* Ex præſcripto noſtri §. *interim dum Indulgentiæ hujuſmodi pronunciatur, Diaconus Evangelii extrahit Papæ Pallium, & illud ſuper Altare reponit.* Sed monet tamen idem hoc noſtrum Cæremoniale, Lib. III. Cap. XV. extrahendum a Diacono Pal-

Digitized by Google

lium Pontifici, cum Pontifex in fine compleverit omnia, ac nisi tamen iturus sit ad benedictionem dandam, vel ad supplicationem peragendam, quia tunc Pallium defert. In Ordine Missæ sub Urbano Papa VIII. exarato præscribitur, ut perlecto per Pontificem Evangelio in fine Missæ, extrahatur ei Pallium, & Manipulus per Diaconum Evangelii, & super Altare reponantur. Ideo vero ex nostro §. præscriptum est, ut post solemnem benedictionem Pallium Pontifici extrahatur, quia tunc Evangelium in fine Missæ non jubebatur, id quod a nobis jam alias notatum fuit. Ceterum teste Burchardo loco citato, publicata Indulgentia, *Papa dixit Evangelium S. Joannis*, In principio erat Verbum &c. *& male, cum dictum fuit in Missa, sed debuit dicere Evangelium secundæ Missæ*. Juxta Rubricas Missalis jussu Pii Papæ V. editi anno MDLXX. *in tertia Missa Nativitatis Domini*, in fine scilicet illius Missæ, *dicitur Evangelium de Epiphania: Cum natus esset Jesus &c.* quia scilicet Evangelium, *In principio erat Verbum &c.* in ipsa tertia Missa ex antiquo ritu dici solet. Hinc Ordo Missæ Pontificalis sub Urbano Papa VIII. scriptus, ita præscribit: *Deinde*, idest post datam benedictionem, *in cornu Evangelii dicens*, Dominus vobiscum &c. *& signando Librum, postea se in fronte, ore, & pectore, interim legit ex Libro*, Sequentia &c. Cum natus esset.

II. Reposito super Altari Pallio, *Cardinales etiam*, ut ait noster §. *& Prælati omnes paramenta sua deponunt, & consuetum habitum accipiunt; Pontifex vero sic paratus ad Palatium revertitur cum baldachino, associatus a Cardinalibus in Cappis; Diaconi tamen parati ex decenti more deberent comitari Pontificem Missalibus indumentis adhuc paratum usque ad Cameram suam*. His concinunt passim Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, inter quos Burchardus ad annum MCDLXXXVII. ubi agit de solemni Missa celebrata a Pontifice in Festo Natalis Domini, alius ritus meminit, sic dicens: *Cardinales, & Prælati deposuerunt paramenta, & acceperunt Cappas. Postea ostensus est Vultus Sanctus præter consuetudinem; quo viso, Papa rediit ad Palatium &c.* Jam non semper associatum fuisse Pontificem usque ad Cameram suam, ut ait hic noster §. notarunt non uno in loco memorati Apostolici Cæremoniarii, & ut alios omittam, Burchardus ad annum MCDLXXXIX. ubi nempe agit de Festo Nativitatis Domini, sic inquiens: *Tum Pontifex, dimisso in Altari Pallio, rediit ad Palatium associatus a Cardinalibus in eorum Cappis usque sub portam S Petri, ubi Cardinalibus omnibus, Palatinis demptis, dedit licentiam*. Rediisse olim Pontifices, absolutis Missarum solemniis, in Secretarium, solemni processione Episcoporum, ac Secularis, & Regularis Cleri, ac etiam Militum Draconariorum, atque Cantorum, jam diximus supra ex testimonio pervetusti Ordinis I. Romani.

III. Restat ut extrema nostri §. verba enarremus: *Nota quod hac die*, idest Natalis Christi, *Domini Diaconi Cardinales, & omnes alii Officiales Papæ non Sacerdotes debent communicare de Sacramento Altaris*. Festum Natalis Domini unum fuisse e tribus anni solemnitatibus in quibus Fideles omnes communicare tenerentur, postquam scilicet in desuetudinem abiit communicandi ritus quotidie, sicut & ille communicandi diebus Dominicis, docet Joannes Belethus in sua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. CXX. *In primitiva*, inquit, *Ecclesia præceptum erat, ut singulis diebus Corpus Domini sumeretur; postea vero crescente numero Fidelium, ut singulis diebus Dominicis, unde etiam nunc in Græcia sub anathemate punitur, qui a tribus diebus Dominicis non communicaverit. Modo autem nos tenemur in tribus solemnitatibus, nimirum Paschate, Pentecoste, & Natali*. Trinam hanc per annum Communionem, quam tertio loco notat Belethus, districte præceptam a Concilio Agathensi anno DVI. constat ex ejus Canone XVIII. quo decernitur, *ut seculares, qui Natale Domini, Pascha, & Pentecosten non communicantur, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*. Vide plura de hac re apud Edmundum Martene, Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. Num. II. ubi varia in eandem disciplinam Conciliorum ac Patrum Decreta recenset.

IV. Juxta Romanos antiquos Ordines, postquam Pontifex se communicaverat, sacros Ministros omnes, a dignioribus incipiendo, sanctissima Eucharistia reficiebat, uti notat Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. IV. Cap. XVIII. Num. IV. Primum ergo Episcopos stans apud Sedem communicabat, deinde Presbyteros, postea Diaconos, omnes acclines stantes, tradendo scilicet eis in manus sacram particulam, quam ipsi sibi in os ingerebant. Osculabantur hi faciem Pontificis juxta primævum Ecclesiæ ritum, de quo superius diximus. Subdiaconi quoque, licet a Pontifice apud Sedem Eucharistiam perciperent, percipiebant tamen ritu diverso ab Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, qui Eucharistiam manibus, illi vero ore sumebant, & Pontificis manum, non faciem osculabantur. Ita plane docent Romani Ordines antiquiores, ex quibus etiam addiscimus, non modo Episcopos, Presbyteros, Diaconosque, verum etiam ceteros omnes communicantes, post acceptum Sacrum Christi Corpus, Christi quoque Sanguinem hausisse. Ceterum Pontifex postquam Diaconos communicaverat, descendebat de Sede, deducentibus eum Primicerio Notariorum, & Primicerio Defensorum & pergebat extra Presbyterium in *Senatorium*, idest ad locum, ubi Primores laici consistebant, ad porrigendum eis Eucharistiam, iis vero Archidiaconus Sacrum Calicem ministrabat. Accedebat etiam Pontifex in partem mulierum, ut earum aliquot communicaret. Interim Episcopi, & Presbyteri, nutu Pontificis pergebant ad communicandum populum, sequebanturque Diaconi, qui Calicem porrigebant, & communicantes cum *pugillari*, idest fistula, Christi Sanguinem fugebant. De fistula hujusmodi, & Calice, ex quo populus Christi Sanguinem hauriebat, jam a nobis dictum superius fuit.

V. Spectant hæc antiquos Ecclesiæ Romanæ ritus, quorum nonnulli Seculo XIV. in usu erant, uti addiscimus ex Ordine Romano XV. Cap. XI. ubi de tertia Missa Nativitatis Domini loquens, hæc habet: *Nota, quod in ista Communione, & in*

Digitized by Google

& in die Paſchæ parantur tres Calices magni, unus pro Conſecratione, alius, cum quo Papa vinum bibit, alius pro communicantibus poſt ſumtionem Euchariſtiæ. Rurſus Capite LXXXV. ubi agit de Communione in die Sancto Paſchæ, ſciendum monet, *quod iſta die, ſi Dominus Papa celebrat, omnes Diaconi communicant in Capella Papæ, necnon & Notarii, & Capellani ipſius Domini Papæ, ac Clerici, & laici.* Communicabant tunc quidem ſub utraque ſpecie, ut Caput ipſum LXXXV. legenti patet. Id quod nos jam alias diximus.

CAPUT XV.

De traditione Enſis, & Pilei.

Si Pontifex hac die traditurus eſt Enſem (1) cum Pileo alicui Principi, vel Nobili in Romana Curia præſenti, ſi illum in Matutinis non dedit, finita Miſſa, Pontifex aſcendit Sedem ſuam eminentem, coram quo genuflectit Princeps, vel Nobilis, circumſtantibus Dominis Cardinalibus, & tenente ante Pontificem uno ex Clericis Cameræ Enſem cum Pileo prædicto, Pontifex eum alloquitur hoc modo: (conſuevit hoc aliquando fieri in Camera Papæ, poſtquam ipſe fuit paratus in corona Cardinalium) *Solent Romani Pontifices in præclara Natalis Domini celebritate, &c.* ut ſupra in benedictione Enſis. His dictis, Pontifex tradit Enſem cum Pileo Principi, vel Nobili prædicto, qui, illis acceptis, Pontificis pedem oſculatur devote, & gratias agit. Tum Enſem cum Galero hujuſmodi tradit uni ex familiaribus ſuis, ipſe autem in ordine, & loco ſuo vadit ante Pontificem, & ipſum uſque ad Cameram Papagalli comitatur, præcedente ſemper immediate ante eum illo, qui Enſem cum Pileo portat. Deinde deduci debet Nobilis ipſe ab omnibus Prælatis Palatii, & familia Papæ, & ab Oratoribus, & Baronibus Urbis, ac aliis Nobilibus amicis ſuis uſque ad domum habitationis ſuæ hoc ordine. Primo equitabunt familiares, & Curiales omnes in brevibus, deinde Scutiferi Papæ, quos ſequuntur Barones Romani, & Oratores, deinde Comites, & Duces, ſiqui ſint; poſt hos ſervientes armorum, & poſt eos Enſem cum Pileo geſtans, quem immediate ſequitur ille, cui datus eſt Enſis, medius inter duos ſeniores Prælatos Palatii. Deinde ſequuntur alii Prælati Palatii, & Prælati Oratores, & alii ſucceſsive, Cubicularii, & alii Capellani, & Togati. Cum deductus ipſe domum pervenerit, ibidem in loco convenienti ſe firmet deducentes verſus, & capite detecto agat gratias ſingulis Prælatis illis, cum ante ipſum equitant recedentes, caput inclinando, & poſt receſsum omnium Prælatorum caput tegat, & domum ſuam intret, & recedant omnes. Ordo prædictus obſervatus fuit in die Nativitatis Domini anni milleſimi quadrageſimi octuageſimi quinti, Pontificatus Domini Innocentii Papæ Octavi anno primo, qua per præfatum Pontificem Enſis cum Pileo datus fuit Illuſtriſſimo Domino Franciſco de Aragonia filio quarto nato Ferdinandi Siciliæ Regis, ad præſtandum obedientiam nomine Regis Genitoris ſui Summo Pontifici, cum quibuſdam aliis Prælatis, & Dominis Romam miſſo, qui in Matutinis cum cæremoniis prædictis cantavit quintam Lectionem, & finita Miſſa deductus fuit de Palatio per Prælatos Palatii, & alios Curiæ, Cubicularios, & Scutiferos Papæ, ac Ducem Amalfitanum, Comites Morcovii, & Montis Agani, Oratoreſque quamplures uſque ad Palatium Urſinorum in Campo Floræ, quod Reverendiſſimus Dominus Joannes de Aragonia Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis ejus germanus ſecundo natus, ad cujus dextram ipſe DominusFranciſcus continuo equitavit, inhabitabat. Si vero Enſis prædictus daretur alicui Regi in Curia præſenti, deduci debet ab omnibus Cardinalibus, & tota Romana Curia. Si vero cui Enſis dandus eſt, in Curia non eſt, Clericus Cameræ, qui eum ad Miſſam ante Crucem portavit, eodem modo, & ordine eum finita Miſſa reportat ad Palatium Papæ uſque ad Cameram papagalli.

COMMENTARIUS.

I. Actum a nobis jam fuit de Enſe, & Pileo in nocte Nativitatis Domini dando, & benedicendo ſupra Tomo I. Titulo VII. Cap. VI. Nonnihil etiam de eadem re dictum eſt præſenti hoc Tomo, ſupra Capite, quod inſcriptum eſt, *De Matutinis nocte Nativitatis Shriſti. Papa præſente.* Quod ait hic noſter §. de ordine ſervato anno MCDLXXXV. quo in die prædictæ Nativitatis Domini per Innocentium Papam VIII. *Enſis cum Pileo datus fuit Illuſtriſſimo Domino Franciſco de Aragonia filio quarto nato Ferdinandi Siciliæ Regis &c.*

(1) Ita in editione Veneta I. & Colonienſi legitur; in Romana vero, *cum Cappello*.

Digitized by Google

&c. desumtum plane est ex ms. Diario Joannis Burchardi Cæremoniarum Apostolicarum Præfecto, qui ad annum MCDLXXXIV. postquam descripsit sub die XXII. Decembris adventum laudati filii Regis Siciliæ, & Neapolis, ritumque in ejus exceptione servatum, hæc habet de Lectione ab eodem cantata in Matutinis Noctis Natalis Christi : *Incæpto Responsorio quartæ Lectionis, conduxi Illustrissimum Franciscum de Aragonia dicturum quintam Lectionem de loco suo retro pulpitum, in quo fieri solet sermo in Cappella, ubi ei imposui Superpelliceum, & Ense desuper ipsum cinxi, tum Pluviali ipsum indui, ut moris est, & Capellum ei imposui, qui deinde, servatis cæremoniis consuetis, dixit quintam Lectionem, qua finita, juxta pulpitum prædictum, dimissis paramentis prædictis, rediit ad locum suum.*

II. Teste eodem Burchardo mane Sabbati XXV. dicti mensis Decembris, *incipiente anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi* MCDLXXXV. juxta computum scilicet Ecclesiasticum, celebrata solemni Missa per Pontificem in Basilica Vaticana, *postquam Sanctitas sua ad Cameram rediit*, Palatii nempe Vaticani, *associatus fuit a Prælatis, Cubiculariis, & Scutiferis Sanctitatis suæ a Palatio prædicto usque ad domum Ursinorum, quam modo præfatus Franciscus de Aragonia inhabitat; idem Franciscus, qui equitavit a sinistris Reverendissimi Domini Cardinalis de Aragonia Fratris sui, & post eos Prælati Palatii, & alii ordine consueto honorantes ipsum propter Ensem a Sanctissimo Domino nostro sibi donatum.* Notanda porro hic ea varietas. Augustinus Patricius Auctor nostri hujus Cæremonialis scribit, donatum Ense, ac Pileo Filium Regis, equitasse ad *dextram* Cardinalis, cum alias Burchardus describat, equitasse *a sinistris*. Sane sæpe contigit, ut servati præsertim ritus, aliter narrentur, scribanturque, ac servati fuerunt, exemplumque habemus, ut alios omittam, apud eundem Burchardum, qui ubi recenset ritus servatos in Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini, quibus memoratus filius Regis Siciliæ interfuit, hæc habet de loco ipsi in Capella assignato : *Assignavi eidem Illustrissimo Francisco locum, si recte memini, supra ultimum Diaconum Cardinalem Reverendissimum Dominum Cardinalem Ascanium, licet ipse Ascanius postea dixerit, præfatum Don Franciscum post ipsum Cardinalem locatum fuisse.* De speciali non nisi Pontificis licentia interfuerunt ipsis Vesperis filius Regis, ejusque Collegæ Oratores Patris sui ad Papam, *quod nondum obedientiam Sanctissimo Domino nostro præstitissent, propter quod alias ipsis in publicum venire non licuisset*, ut Burchardus notavit.

III. Quicquid sit, ut ad nostrum §. revertamur, *si Ensis prædictus daretur alicui Regi in Curia præsenti, deduci debet ab omnibus Cardinalibus, & tota Romana Curia*, quia nempe alius est Rex, alius vero filius Regis; majores enim illi, quam huic exhibendi honores sunt, maxime vero Romano Imperatori, ut aliquando actum fuit cum Friderico III. qui Romæ a Paulo II. Pontifice anno MCDLXVIII. Ensem & Pileum habuit ab eodem Pontifice benedictos, cum quibus deinde solemni cum pompa per Urbem equitavit, quam enarrat Augustinus Patricius in descriptione adventus ipsius Friderici. Romam ad Paulum II. Papam. Porro etsi juxta præscriptum nostri §. Princeps qui Ense & Pileo donatur a Pontifice, *illis acceptis, Pontificis pedem osculatur*; tradit nihilominus in suo ms Diario Burchardus Lantgravium Hassiæ, qui anno MCDXC. eo munere ab Innocentio VIII. donatus fuit die Festo Natalis Domini, exosculatum fuisse illi *manum primo, deinde pedem*. Sed audiamus integrum ritum, quem ita idem Burchardus Cæremoniarius Apostolicus recenset : *Apportante D. Gaspare Blondo Cameræ Apostolicæ Clerico Ensem cum Capello desuper posito, & conducto per me coram Sanctitate sua, de mandato, Lantgravio præfato, & coram eo genuflexo, Sanctitas sua legit ex Libro verba,* Solent Romani Pontifices &c. *quibus finitis, accepto Ense cum Capello, tradidit illos præfato Lantgravio, Capellum ab Ense non amovendo, quos Lantgravius recipiens, manum primo, deinde pedem Papæ osculatus est, brevibus verbis Sanctitati suæ gratias agens, & descendens de Solio Lantgravius cum Ense, & Capello, quos inferius tradidit D. Theodorico Militi suo servitori coram se deferendum.*

IV. Nostrum §. magis magisque illustrant, quæ memoratus Burchardus mox subjicit. Postquam dixit, Lantgravium, Milite suo Ensem ante ipsum deferente, associatum fuisse, usque ad Cameram papagalli, hæc habet : *Exinde idem Lantgravius associatus fuit a Prælatis Palatii, Cubiculariis, & Scutiferis Papæ, Marchione Baden Oratore Imperiali, ac Archiepiscopi Moguntinensi, & Ducis Saxoniæ Oratoribus, usque ad hospitium Angeli prope Campum Floræ, inter Gubernatorem Urbis, & Archiepiscopum Arelatensem equitans, ubi singulis gratias egit.* Addit mox, ex familiis Cardinalium nullum ei equitationi interfuisse, licet Cardinales polliciti fuissent, *partem familiæ suæ ad honorandum Lantgravium mittere.* Porro summi honores delati quidem Romæ fuere Federico Secundo genito Ferdinandi Regis Siciliæ, ubi Papa Alexander VI. anno MCDCXII. in Festo Nativitatis Domini, Ensem cum Pileo, quem, finita solemni Missa ejus diei, ascendens Solium benedixit, *dedit eum Illustrissimo D. Federico coram se genuflexo sub verbis annotatis*, Solent Romani Pontifices &c. ut testatur Burchardus, subdens etiam, expletis illis verbis, Papam recepisse ipsum Principem *ad osculum pedis, manus, & oris*, & voluisse, *quod ipsi Cardinales omnes collegialiter usque ad Palatium Apostolicum habitationis suæ associarent, quia sic nuper fuerat de ipsorum Cardinalium consilio ordinatum, sicque factum est.* Describit mox hic Apostolicus Cæremoniarius solemnem equitationem, qua Princeps ipse Federicus donatus Ense, & Pileo, domum suam rediit : *Venimus*, inquit, *per pontem S. Angeli via recta ad Campum Floræ, domum de Maximis, Minervam, ad Apostolos, Interfuerunt* XVIII. *Cardinales, qui bini bini sibi succedentes mutuo equitarunt; inter Reverendissimos Dominos Senensem, & Camerarium in ultimo loco equitantes Princeps medius, & immediate ante ipsum Miles Ensem cum Pileo gestans more solito &c.* Extant tum apud ipsum Burchardum, tum apud alios alia exempla, quæ non est opus describere.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De Vesperis in Vigilia Nativitatis Christi, Papa in crastinum non celebraturo.

Si Sanctissimus Dominus Noster in die Nativitatis Christi non celebraret, Vesperis tamen, & Missæ interesse vellet, Vesperæ hoc modo dicuntur. Hora competenti Papa indutus in Camera papagalli, Amictu, Alba, Cingulo, & Stola, Pluviali albo, & Mitra pretiosa venit ad Capellam more consueto, orat ante Altare Mitra deposita. Finita oratione, surgit, & reassumpta Mitra, ascendit ad Solium, ubi sedens accipit Cardinales ad reverentiam. Deinde deposita Mitra surgit, & stans versus ad Altare secrete dicit: *Pater noster*. Quo finito, alte incipit: *Deus in adjutorium*; & cum incipitur Psalmus, sedet, & accipit Mitram, & omnes alii sedent. Prior Presbyterorum Cardinalium incepto Psalmo vadit ad scabellum, & assistit Pontifici, & sic omnes sedent usque ad Capitulum. Cum incipitur Capitulum, Papa surgit cum Mitra, & omnes alii surgunt. Cum incipitur Hymnus, extrahitur Mitra Pontifici, qui stat usque ad inchoationem Antiphonæ ad *Magnificat*. Interim dum Hymnus dicitur, unus Acolythorum extra cancellum Capellæ dimittit Cappam, & capit Superpellicium, & redit ad Capellam (1) stans cum Clericis Cæremoniarum. Incepta Antiphona ad *Magnificat*, Papa sedet, accipit Mitram. Acolythus Superpellicio indutus accedit ad Pontificem cum thuribulo, & navicella, & Presbytero Cardinale assistente ministrante, Pontifex ponit incensum more consueto. Interim duo ex Auditoribus præveniunt ad Altare, & hinc inde stantes elevant anteriorem partem superioris mappæ Altaris, & illam plicant usque ad medium, vel circa. Cum incipitur, *Magnificat*, Papa cum Mitra ascendit ad Altare, duobus Auditoribus fimbrias elevantibus, & Cardinalibus, atque Episcopis Assistentibus, Auditore ad Mitram serviente, & secretis Cubiculariis ipsum comitantibus. Cum Papa pervenerit ad Altare, (2) extrahitur ei Mitra, osculatur Altare in medio, & assistens Presbyter Cardinalis ministrat Papæ thuribulum. Papa incensat more solito Altare. Incensato Altari, Papa reddit thuribulum Presbytero Cardinali, qui dat Acolytho; accipit Mitram, & redit ad Solium; in quo stans cum Mitra incensatur per Presbyterum Cardinalem stantem ante gradus Solii. Deinde Acolythus incensat Presbyterum Cardinalem, & alios duos Assistentes, & successive omnes Cardinales alios, & alios in Capella existentes more solito. Cum primum vero Papa recedit de Altari, illi duo Auditores mappam Altaris, ut prius erat, explicant, alii duo fimbrias Papæ elevant usque ad Solium. Interim cum dicitur, *Magnificat*, duo alii Acolythi extra cancellum Capellæ, dimissis Cappis, Superpelliciis induuntur, redeunt ad Capellam, & cum Cæremoniario se locant. Finita Antiphona ad *Magnificat*, præcedente Cæremoniario, duo Acolythi præfati cum candelabris, & candelis accedunt ante gradus Solii Papæ, medium inter se habentes Clericum Cæremoniarum. Papa surgit, & deposita Mitra dicit, *Dominus vobiscum*; quasi versus ad Altare, *Oremus*. Interim accedunt ante Pontificem duo primi Episcopi assistentes, primus cum Libro, alius cum candela, & Papa dicit orationem; & cum dicit in fine orationis, *Per omnia secula seculorum*, illi duo Episcopi assistentes cum Libro, & candela ad suum locum revertuntur. Cum Papa dicit, *Dominus vobiscum* secundo, Acolythi factis debitis reverentiis revertuntur ad Altare, ubi candelabra ad suum locum reponuntur. Interim unus Subdiaconorum accipit Crucem, quam portat ante Pontificem. Finito, *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*, Papa stans dat benedictionem, dicens: *Sit Nomen Domini &c.* & non Indulgentias. Papa benedicente, unus Protonotariorum genuflexus supra scabellum ante Pontificem tenet auriphrigium sinistri lateris Pluvialis Papæ in transversum ante umbilicum Pontificis. Pontifex data benedictione sedet, accipit Mitram, & vadit ad Faldistorium, ubi genuflexus orat cum Mitra; surgit, & redit ad Cameram Auriphrigium Pluvialis hinc inde Diaconi assistentes nunc, & in omnibus Solemnitatibus; aliis vero diebus aliquis ex Protonotariis Apostolicis Auriphrigii fimbrias simul junctas a latere Pontificis defert; fimbrias vero posteriores aliquis Princeps, vel Nobilis ex Laicis.

NOTA

Quæ diximus supra in Commentariis ad Caput inscriptum, *De Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi, Pontifice in crastinum celebraturo*, si pauca excipias, spectant & hujus quoque Capitis explicationem, ea itaque consulenda.

CA-

(1) Ita in 1. Editione Veneta, & Colonienſi; in Romana vero legitur: *Et locat ſe cum Clericis &c.*
(2) Ita in Editione Romana, in aliis vero citatis, ita ſequitur, *in medio deponitur ei Mitra, & aſſiſtens &c.*

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De Missa in die Nativitatis Christi, Papa præsente non celebrante.

In die Nativitatis Christi, Pontifice non celebrante, unus Episcoporum Cardinalium rem divinam peragit hoc ordine. Hora competenti perveniet ad Ecclesiam, seu Capellam Cardinalis celebraturus, & paramenta accipiat eo ordine, ut supra in prima Dominica Adventus est expressum, sic paratus Pontificis adventum expectans. Pontifex autem paratus in Camera papagalli, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali, & pretiosa Mitra, venit ad Ecclesiam, seu Capellam, more consueto orat, facit Confessionem, fit ei reverentia, & alia observantur, prout supra in prima Dominica Adventus est expressum. Finito a Cantoribus ultimo, *Kyrie eleison*, Celebrans, deposita Mitra, stans versus Altare dicit, *Gloria in excelsis Deo*, & Cardinales cum Pontifice perficiunt, *Et in terra pax &c.* Et nota, quod quando dicitur, *Gloria*, in Missa, Cardinales cum dixerint Introitum, & *Kyrie eleison*, cum Papa, non recedunt de circulo, sed expectant, quousque per Celebrantem incipiatur, *Gloria*, & cum Pontifice Hymnum Angelicum perficiunt; deinde factis reverentiis revertuntur ad sedes suas, & Pontifex sedet cum Mitra. Idem facit Celebrans, postquam & ipse compleverit cum suis Ministris Hymnum, & cum Pontifex sederit, finito a Cantoribus, *Gloria*, surgunt omnes, & Celebrans deposita Mitra stans versus ad Altare, *Oremus*, & Orationem, quæ unica est. Cum in Evangelio dicitur, *Et Verbum Caro factum est*, Papa, Celebrans, & omnes alii genuflectunt. Finito Evangelio, Celebrans stans sine Mitra versus ad Altare dicit, *Credo*. Interim Papa osculatur Librum Evangeliorum, incensatur, & Cardinales veniunt ad circulum. Non fit Sermo; alia omnia fiunt, ut in prima Dominica Adventus est expressum, excepto, *Benedicamus Domino*. Diaconus versus ad populum dicit, *Ite Missa est*; quo dicto, Celebrans cum eo vertitur ad Altare, & dicit in medio Altaris capite inclinato, *Placeat &c.* Interim Cæremoniarius petit a Pontifice Indulgentiam, quam Celebranti notificat. Papa dat benedictionem more consueto. Interim Celebrans stans in cornu Epistolæ detecto capite versus ad Pontificem, data benedictione, (1) versus ad populum pronunciat Indulgentias, dicens: *Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus N. divina providentia Papa X. dat, & concedit omnibus hic præsentibus septem annos, & totidem quadragenas de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. Orate Deum pro* (2) *felici statu suæ Sanctitatis, & Sanctæ Matris Ecclesiæ*. Tunc versus ad Altare illud in medio osculatur, dicens: *Dominus vobiscum. Sequentia Sancti Evangelii*. Vadit ad Faldistorium sine Mitra, ubi exuitur a Ministris omnibus sacris vestibus, accipit Cappam, & vadit in pace. Interim etiam Pontifex ad Cameram suam revertitur. Quod si Pontifex ab Ecclesia, vel Capella recederet, antequam Celebrans sacras vestes deposuerit, debent duo sui Ordinis Cardinales ipsum expectare, & extra Ecclesiam deducere.

NOTA

Occurrit sæpe in his Commentariis differere de Divinis Officiis, Papa præsente, & non celebrante, peragendis, longumque esset in unaquaque celebritate ritus ipsos enarrare, quos addiscere licet ex aliis locis jam a nobis explicatis, præsertim vero ex iis, quæ supra in prima Dominica Adventus nostrum hoc Cæremoniale præscripsit. Sed & huc quoque faciunt quæ de aliis solemnibus Papæ Missis diximus.

CAPUT XVIII.

De Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi, Papa absente.

Si vero Pontifex Maximus infirmus, aut alias impeditus Vesperis hujus Vigiliæ, & Missæ diei interesse non posset, hoc ordine peragitur Officium pro Vesperis. Episcopus Cardinalis crastina die celebraturus, prævenit ad Ecclesiam, & facta oratione ante Altare, sedet in Faldistorio ante Altare præparato. Diaconus Capellæ, aut alius assistens, & Ministri, seu Capellani ipsius Cardinalis usque ad numerum novem, omnes sunt induti Cottis, Pontifici Sacra facturo stanti ante Fal-

(1) Ita in Veneta 1. & Coloniensi Editione; in Romana vero ita legitur: *Celebrans stans detecto capite in medio Altaris versus ad populum &c.* (2) Ita in Editione Romana, in aliis vero citatis legitur, *pro sublimi &c.*

Digitized by Google

Faldistorium per Scutiferos exuitur Cappa, & per Assistentem Capellæ, & alios Capellanos, sive Ministros induitur Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Stola, quæ pendeat a spatulis, Pluviali, & Mitra pretiosis, ac Anulo Pontificali. Paramenta omnia per Ministros ex Altari ordinate portantur. Sic indutus Pontifex expectat adventum Cardinalium; deinde obtenta per Cæremoniarium a Reverendissimis Dominis Cardinalibus de inchoandis Vesperis licentia, detrahitur per Capellanum de Mitra servientem illi Mitra, qui surgit, & versus ad Altare, dicit secrete, *Pater noster*; quo finito, alte incipit: *Deus in adjutorium*; a Cantoribus, *Domine ad adjuvandum &c.* Incepto Psalmo, sedet in Faldistorio, & Mitra ei imponitur. Cum incipitur Capitulum, surgit, stat cum Mitra versus ad Altare. Finito Capitulo, extrahitur ei Mitra, & stat sine ea usque ad finem Hymni, versus, ut erat. Cum incipitur Antiphona ad *Magnificat*, sedet Celebrans, imponitur ei Mitra, & Cæremoniarius, accepto thuribulo cum navicella, accedit ad Celebrantem, qui, ministrante Assistente, imponit incensum in thuribulum more consueto, & cum incipitur, *Magnificat*, cum Mitra surgit, & factis reverentiis Cardinalibus, vadit ad Altare, ante cujus infimum gradum deponitur ei Mitra, & facta reverentia Altari, ascendit, & illud in medio osculatur; accipit deinde thuribulum de manu assistentis, & incensat Altare more consueto; quo incensato, imponitur ei Mitra, & redit ad Faldistorium, factis prius Altari, & Cardinalibus, consuetis reverentiis. In Faldistorio stans cum Mitra incensatur ab Assistente; deinde deponitur ei Mitra, & Assistens, præcedente Cæremoniario, Celebranti facta reverentia, & Altari, incensat Cardinales per ordinem, Episcopos, Presbyteros, deinde Diaconos, postmodum alios more consueto. Finito, *Magnificat*; Celebrans sedet, & imponitur ei Mitra. Finita Antiphona post *Magnificat*, deponitur ei Mitra, qui surgens, & stans ante Faldistorium versus ad Altare dicit, *Dominus vobiscum*, et Orationem diei convenientem. Interim duo Capellani medium inter se habentes Capellanum Librum tenentem stantes versis faciebus ad Celebrantem, duo candelabra tenent cum faculis ardentibus usque ad finem Orationis; & cum replicatur post Orationem, *Dominus vobiscum*, inde discedunt, & Cæremoniarius candelabra ad sua loca reponit. Dicto, *Benedicamus &c.* imponitur Celebranti Mitra, cum qua facta reverentia Cardinalibus, & Altari, vadit ad medium Altaris; stans versus ad Altare dicit: *Sit Nomen Domini &c.* & benedicit more solito, & non dantur Indulgentiæ. Data benedictione, factis reverentiis, ut supra, cum Mitra revertitur ad Faldistorium; exuitur Ornamentis, quæ super Altare reponuntur; induitur Cappa, & domum redit.

COMMENTARIUS.

I. JAm non raro accidit, infirmitate detentum Pontificem, vel alias impeditum solemnibus Vesperis, Missisque, sive aliis Divinis Officiis, non posse interesse. Multis id comprobari posset exemplis, quæ passim leguntur in ms. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, in quibus etiam ritus notantur, quibus ipsa Divina Officia celebrari absente Pontifice debent, ut alia omittam, in quibus hoc unum dicitur, celebrata Officia ipsa Divina fuisse more consueto, ritu scilicet in hoc nostro §. præscripto. Audiendus Burchardus, qui in suo ms. Diario ad annum MCDLXXXVIII. sic inquit: *Feria quarta xxjv. Decembris Vigilia Nativitatis Christi Reverendissimus Dominus Vicecancellarius paratus Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Stola, Pluviali, Pectorali ex perlis, Mitra, & Annulo Pontificali, in Basilica S. Petri, Papa absente, Cardinalibus præsentibus fecit Officium Vespertinum ordine consueto.* Similia legere est in aliorum Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis, & si excipias pauca, jam non alii in hoc §. præscripti sunt ritus in celebrandis Vesperis a Cardinali in Capella, absente Papa, quam qui in Cæremoniali Episcoporum leguntur, quod jam nos perpetuis Commentariis illustravimus.

II. Sane Pectorale ex perlis, cujus meminit in recitato loco Burchardus, ut notat Macrius in suo Hierolexico, appellatur gemma illa, quæ in Pontificali celebratione ponitur pendens ante pectus Episcopi, ita ut fibulam Pluvialis cooperiat; vel in fine aperturæ collaris Casulæ. Significari ait antiquum Summi Sacerdotis *Rationale*, ideoque eam hoc nomine in quodam ms. Cæremoniali appellari. Est ritus plane antiquus, ut Pluviale, quod etiam Cappam vocabant, gemma illa fulgeret; etenim Baldricus Abbas Burgulienſis, qui floruit Sæculo XI. carmine ludens apud Ducheſnium Tomo IV. in Adelam Comitissam, quæ pro sacro apparatu in Ecclesiasticis Officiis Cappam, seu Pluviale illi promiserat, eam monet, ut Cappam ipsam ei mittat, quæ bene undique ornata sit auro, præsertim vero gemmis ad pectus.

Et refer, o Domina, scribenti præmia
Cappam,
Cappam, quæ frigium rutilans circumferat
aurum,
Cappam, quæ gemmis amictu pectus honestet.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc obiter dicta sunt, quæ fusius explicata, videri possunt in citato Opere nostro Commentariorum ad Cæremoniale Episcoporum Lib. I. Cap. VII. pag. 105.

CAPUT XIX.

De Matutinis Nativitatis Christi, Papa absente.

Cum vero Sanctissimus Dominus noster in hac nocte ad Matutina non venit, hora competenti Cardinalis primam Missam celebraturus, in sua Cappa lanea consueta accedit ad Faldistorium juxta Altare in loco, modo suo consueto præparatum, habens penes se novem Capellanos Cottis indutos, ubi cum aliquantulum quieverit, per Cæremoniarium impetrata a Reverendissimis Dominis Cardinalibus licentia incipiendi, Cardinalis Officium faciens surgit, & detecto capite stans versus ad Altare dicit secrete, *Pater noster*; deinde alte, *Domine labia mea aperies &c.* ℟. *Et os meum &c. Deus in adjutorium.* ℟. *Domine ad adjuvandum &c.* & stat capite aperto, quousque perficiatur Invitatorium, Psalmus, & Hymnus. Incœpto primo Psalmo, sedet, similiter faciunt omnes Cardinales, Prælati, ac Officiales. Cum dicitur Psalmus tertius primi Nocturni, Cæremoniarius capit Librum Lectionum, & Clericus Capellæ pulpitum, & præcedente Cæremoniario, vadunt ad medium Chori inter sedes Cardinalium Presbyterorum, & Diaconorum, ubi pulpitum locant, & Librum desuper, deinde redeunt ad locum suum. Finito versu primi Nocturni, celebraturus Cardinalis surgit, & detecto capite stans verso vultu ad Altare dicit alte, *Pater noster*, quod secreto perficit, deinde dicit alte, *Et ne nos.* ℟. *Sed libera &c. Exaudi &c.* Interim Cæremoniarius candelam ceream accendit, quam & pulpito affigit, & unum ex Cantoribus cum reverentiis consuetis ad pulpitum ducit, ubi finita absolutione, Cantor ipse versus ad Celebraturum inclinato capite dicit alte, *Jube Domine benedicere*, & benedictione accepta, cantat Lectionem; qua finita, cum dicit, *Tu autem Domine*, genuflectit versa facie ad Altare, deinde ad locum suum revertitur. Eodem modo fit in omnibus Lectionibus, & Nocturnis. Celebrans primam, quartam, & septimam benedictionem dat stans nudato capite, (1) alias omnes sedendo. Data benedictione ad octavam benedictionem surgit propter Evangelium, stans discooperto capite, quousque dicitur, *& reliqua*, tunc sedet. Nonam Lectionem cantat ipse celebraturus, stans ante Faldistorium, & versa facie ad Altare; Capellanus autem suus assistens in Superpelliiceo tenet ei Librum. Cum dicit, *Jube Domine benedicere*, stat inclinato capite versus ad primum Cardinalem in Choro præsentem, qui dat benedictionem. Finita Lectione, statim celebraturus ipse incipit cantando, *Te Deum laudamus*, Cantoribus prosequentibus usque ad finem &c. Interim paratur ipse omnibus paramentis pro Missa, ut moris est. Nota tamen, quod commodius est, quando incipitur tertius Nocturnus, ut celebraturus capiat Sandalia, & dicat Psalmos, *Quam dilecta &c.* & ita sæpius observatum est. Finito, *Te Deum*, celebraturus indutus omnibus paramentis, vel si omnibus adhuc indutus non est, in illis, quibus tunc indutus est, (2) Planeta dempta, induitur Pluviali, & adstantibus duobus Ministris cum candelabris hinc inde, dicit versus ad Altare, stans ante Faldistorium sine Mitra, *Dominus vobiscum*, *Oremus*, & Orationem. Iterum, *Dominus vobiscum*, & Cantores dicunt, *Benedicamus*.

COMMENTARIUS.

I. CElebrari consuevisse Matutinum Nativitatis Christi a Cardinalibus in Capella, absente Papa, docent passim nos mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, in quibus etiam ritus notantur in ipso Matutino cantando servati. Teste Burchardo ad annum MCDLXXXVIII. ubi de eadem re agit, *in nocte*, nempe Nativitatis Christi, *Reverendissimus Dominus Cardinalis Rachanatensis Cappa sua Cardinalari in Faldistorio loco consueto in cornu Epistolæ Altaris posito peregit Officium Matutinale, Papa absente.* Tum vero mox: *Cantores stantes in Choro Cardinalium dixerunt octo Lectiones, quibus Cardinalis Rachanatensis benedixit. Nonam dixit ipse Rachanatensis in loco juxta suum Faldistorium prædictum, cui benedixit Cardinalis Parmensis in loco suo in banco Cardinalium stans. Finita nona Lectione, idem Rachanatensis stans eodem modo incœpit*, Te Deum laudamus, *quod pro*

(1) Hæc verba, *alias omnes &c.* usque ad illa, *quousque &c.* extant quidem in Romana editione, sed desiderantur in Veneta I. & Colonienſi. Illa quoque verba, *Planeta dempta, induitur Pluviali*, leguntur solum in ipsa Editione Romana, & desunt in aliis citatis.

Digitized by Google

profequuti ſunt Cantores more ſolito.

II. Sed audiendus iterum laudatus Burchardus ad annum MCDLXXXIX. ubi ritus ipſos ſervatos in cantando Matutino prædicto, abſente Papa, latius enarrat, his plane verbis: *Hora* IX. *Pontifice abſente, Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Rachanatenſis ſua Cappa indutus in Faldiſtorio in cornu Epiſtolæ loco conſueto juxta Altare in Capella majore Palatii parata ſtans ad Altare verſus, dixit*, Pater noſter; *deinde*, Domine labia &c. Deus in adjutorium &c. *& alia more ſolito*. Non omittenda quæ mox ſubjicit: *Octo Lectiones dixerunt Cantores in Choro Cardinalium, nonam dixit ipſe Cardinalis celebrans more ſolito, qui & incæpto Nocturno tertio, ſedens accepit Sandalia, dicens*, Quam dilecta &c. *Benedixit Cantoribus Lectionum, ut in Ordinario; ſibi autem pro nona Lectione benedixit Reverendiſſimus Cardinalis Beneventanus primus Presbyter Cardinalis ex illis, qui interfuerunt. Finita nona Lectione, ipſe Celebrans incæpit*, Te Deum laudamus, *Cantoribus proſequentibus. Quo incæpto, ſedit, lavit manus, & accepit omnia paramenta ordine conſueto, ita quod paratus eſſet, antequam*, Te Deum, *finiretur; quo finito, dixit*, Dominus vobiſcum. *& orationem, duobus ſuis Capellanis duo candelabra cum luminaribus juxta ipſum tenentibus. Diaconus & Subdiaconus acceperunt paramenta ſua.* XII. *Scutiferi Papæ tenuerunt* XII. *intorticia alba*, VI. *retro bancum Presbyterorum Cardinalium*, & VI. *in capite, & retro in banco Diaconorum Cardinalium*. Notat quoque Burchardus, præter Celebrantem, octo interfuiſſe Cardinales, omneſque, præter Alerienſem, in Palatio hac nocte quieviſſe, & in ipſa Miſſa, quæ finita eſt inter XII. & XIII. horas, omnia more ſolito fuiſſe obſervata; additque demum, Cantores dixiſſe Laudes ſubmiſſa voce legentes.

III. Rurſus idem Auctor in ſuo Diario ad annum MCDXC. eumdem deſcribit ritum, ubi ait, Matutinum Natalis Domini celebratum fuiſſe in Capella majori Palatii Pontificii, abſente Papa, a Cardinali Alerienſi *in Cappa ſua in Faldiſtorio prope Altare ſedente*; ſed queritur tamen, quod, quum, *Te Deum &c.* finitum eſſet, *omnibus paramentis uſque ad Planetam incluſive paratus erat, in qua dixit Orationem, & male, quia debebat loco Planetæ Pluviale pro Oratione per eum dicenda recepiſſe*. Sed hujuſmodi errores recenſent paſſim ipſa ms. Cæremoniariorum Apoſtolicorum Diaria, quod eo conſilio ſe feciſſe ipſi teſtantur, ut impoſterum præcaverentur.

CAPUT XX.

De prima Miſſa Nativitatis Chriſti, Papa abſente.

Dicto a Cantoribus, *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*, Celebraturus exuitur Pluviali, & indutus omnibus paramentis, accedit ante ſuperioris gradus Altaris cum Mitra, ubi facit reverentiam Cardinalibus. Deinde detrahitur ſibi Mitra, facit Confeſſionem, Cantores dicunt Introitum, Celebraturus accedit ad Altare, oſculatur illud, & Librum, & alia facit, ut moris eſt. Poſt finem Miſſæ dat benedictionem, & non denunciat Indulgentias.

N O T A.

Supervacaneum puto litteris & tempore abuti in hoc Capite explicando, cum nihil contineat, quod interpretationem exigat. Agit de prima Miſſa Nativitatis Chriſti, Papa abſente, quam celebrare conſuevit Cardinalis Presbyter, ut notat in ſuo Romano Ordine Paris de Graſſis, Cap. XI. ubi etiam ait, in fine Miſſæ dari quidem benedictionem, ſed nullam Indulgentiam, itemque tunc nec benedici Enſem, nec deferri.

CAPUT XXI.

Si Papa in nocte Nativitatis perſonaliter celebret.

Si autem in hac nocte Summus Pontifex velit celebrare, omnia ſervantur, quæ in Miſſa Papali ſupra deſcripſimus, niſi quod communicaret in Altari ipſe ſolus, & non in Sede eminenti, & non ſugeret Sanguinem cum calamo, ſed more communi, & non ſe purificaret, quia eſt celebraturus tertiam Miſſam, in qua communicat in Sede eminenti ſe, & Miniſtros. Item ſi vellet ſecundam Miſſam celebrare immediate, non deponeret ſacras veſtes, ſed dictis Laudibus ea ſolemnitate, qua Veſperæ cantari ſolent, inciperet ſecundam Miſſam. Tres Presbyteri venient obviam, & alia omnia conſueta ſervarentur, ſed communicaret in Altari ſolus, ut de prima Miſſa diximus.

COMMENTARIUS.

I. COnſueviſſe antiquitus Summos Romanos Pontifices, tres Nativitatis Dominicæ Miſſas, & primam quidem in nocte, alteram in Aurora, tertiam mane in diverſis Eccleſiis ſolemni pompa, ac ritu celebrare, ſuperius oſtenſum a nobis jam fuit veterum

Digitized by Google

Romanorum Ordinum auctoritate. Sed invaluit deinde mos, ut ipse Pontifex Matutino, & primæ Missæ, quæ in nocte dicitur per Cardinalem, interfit, tertiam vero ipse celebret; de qua videri possunt, quæ nostrum hoc Cæremoniale præscribit supra, in eo Capite, quod inscriptum est, *De Missa majore*, *Papa personaliter celebrante*, quæque nos in nostris ad ipsum Caput in varios Paragraphos divisum, Commentariis scripsimus. Porro sanctæ memoriæ Benedictus Papa XIII. sequutus veterum Romanorum Pontificum morem, anno I. sui Pontificatus, celebrare voluit ipse in nocte Missarum solemnia, ut testatur Vir Cl. Venantius Philippus Persanctes Cæremoniarius Apostolicus in ms. Diario ad annum MDCCXXIV. ubi rem narrat, quam nos operæ pretium duximus hoc loco describere.

II. Dum Cantores incoharunt primum Psalmum tertii Nocturni, Eminentissimi duo seniores Diaconi ad assistentiam properarunt, ut assisterent Papæ Sandalia recipienti, ac perlegenti de more Psalmos, & Orationes ad præparationem Missæ, quibus completis ad scamnum suæ promotionis redierunt, mox septimam & octavam Lectionem successive cecinerunt, fueruntque Eminentissimi Imperialis, & Alterius, qui illico in assistentia locati, assisterunt Papæ nonam Lectionem concinenti, stantibus duobus Acolythis cum candelabris, eaque de more completa, Subdiaconus Epistolam in crastinum cantaturus ei præintonavit Hymnum, *Te Deum laudamus*, quo intonato, & per Cantores completo, Papa cecinit Orationem, stantibus iisdem Acolythis cum candelabris; dispositisque interim supra mensam Altaris indumentis Missalibus, ac distributis, Papa dimissa Cappa, manus lavit, aquam Oratore Bononiæ, linteumque Cardinale Episcopo assistente ministrantibus, sumptisque a Cardinalibus, & Prælatis de more sacris indumentis, Missalia cum Succinctorio, Fanone, & Pallio recepit, Orationem cujusque indumenti propriam perlegens, thureque in thuribulo posito, supplicabundus ex Solio eminenti ad Altare properans osculatus est tres ultimos Cardinales Presbyteros a digniore incipiendo, conscendensque gradus Presbyterii Confessionem fecit, ac cætera de more prosequutus fuit cum Diacono, & Subdiacono Græcis, communicavit se solum in Altari sine fistula. Missa igitur completa, Papa ad Solium reversus, indumenta dimisit usque ad Stolam exclusive, sumptoque Pluviali, Laudes solemniter fuerunt decantatæ, omnibus sacris adhuc redimitis, Antiphonæ præintonatæ fuerunt a Subdiacono Cotta redimito Epistolam in crastinum cantaturo, eo modo, quo intonantur in Vesperis, nempe prima Papæ, secunda Cardinali Diacono a dextris, tertia Cardinali Episcopo assistenti, quarta Cardinali primo Presbytero, quinta Cardinali Diacono a sinistris. Capitulum cecinit ipse Subdiaconus, præintonavitque Hymnum Papæ, cui pariter præintonavit Antiphonam ad *Benedictus*, eaque intonata, thus in thuribulo Papa posuit, descenditque de Solio, & Altare thurificavit de more, rediitque ad Solium, & thurificatus fuit a Cardinale Episcopo assistente, quem una cum cæteris præfatus Subdiaconus de more thurificavit. Papa cecinit Orationem cum candelabris consuetis, sacrisque exutus, Mozzetta redimitus, hora XI. omnes dimisit, descenditque ad Faldistorium in medio Altaris locatum in Presbyterio, iterumque Psalmos, & Orationes Missæ perlegit, propriis Capellanis assistentibus, sumptisque Missalibus indumentis, Sacrum secundum plana voce fecit, omnibusque de more factis, Mozzetta indutus, in sedili Episcoporum assistentium locatus, audivit Missam in Aurora decantatam cum consuetis Ministris Capellæ ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Annibale Tit. S. Clementis S. R. E. Camerario, Presbytero Cardinale Albano, omnibusque de more factis, nulla habita consideratione ad præsentiam Papæ, hora pene XIV. finem habuit, sellulaque vectus Papa, ad sua se recepit, defatigatique omnes respiravimus, reversuri post horam ad novam laboris seriem. In assistentia fuerunt Eminentissimus Barberinus Episcopus, Eminentissimi Imperialis, & Alterius Diaconi, Eminentissimus Albanus Missæ Diaconus, Subdiaconus R. P. D. Rata; Vespere Cardinales fuerunt XXXI. nocte autem XXV. ad Cœnam XIX.

III. Placuit locum ipsum integrum describere, ut vel inde intelligas quanta fuerit Benedicti XIII. pietas, & diligentia in servandis antiquis Romanæ Ecclesiæ ritibus, tametsi decrepitæ esset ætatis; admiratique sunt omnes Pontificis constantiam in Divinis Officiis peragendis, aliisque incommodis sustinendis, cum alias multi ex Episcopis licet juniores, robustioresque, & non alto Ursinorum sanguine procreati, qualis erat Benedictus XIII. dedignentur suo fungi munere, ubi vel leviissimum, imaginariumve salutis incommodum pertimescerent. Novimus & nos Benedictum ipsum ab initio sui Summi Pontificatus usque ad finem, semper agentem quod erat Opus Dei.

CAPUT XXII.

De Laudibus, & secunda Missa, Papa absente.

Finita Missa, recedant omnes, & dicuntur Laudes per Cantores, & secunda Missa per Sacristam, & alia, prout supradictum est.

NOTA

Cum hæc quæ in præsenti Capite præscribuntur de Laudibus, & secunda Missa, Papa absente, quæ per Sacristam dici solet, explicata fuerint superius, supervacaneum est, hoc loco immorari, eademque sine fructu repetere. Unum dicam, legi passim in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, Laudes ipsas, & secundam Missam utplurimum per Sacristam celebrari solitam, absente Papa, dictas fuisse. Atque id quidem juxta recentiorem ritum, nam alias olim, uti jam dictum est, Romani Pontifices totum ipsi Officium peragebant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De tertia Missa in die Nativitatis Christi, Papa absente.

Cardinalis Episcopus in die Nativitatis Domini, Papa absente, tertiam Missam celebraturus, prævenit ad Ecclesiam, orat &c. prout supra de Missa in præsentia Papæ celebranda dictum est. Debent autem esse parata in credentia duo bacilia pro lotione manuum apta, argentea, non inaurata, quibus manus abluantur. Et Scutifer aquam dans, factis reverentiis Cardinalibus, & Altari, genuflexus coram Celebraturo, facit credentiam, deinde dat aquam, ut supra. Induitur Celebraturus omnibus paramentis Pontificalibus, & alia fiunt, prout supra dictum est. Induto Celebraturo, postquam Cardinales congregati fuerint, petita ab eis licentia, surgit de Faldistorio cum Mitra, & eundo versus medium Altaris, facit reverentiam Cardinalibus. (1) Deinde prosequitur ad gradum proximum ante Altare, & post eum Diaconus, & Subdiaconus. Cum fuerit ante medium Altaris, extrahitur ei Mitra per Capellanum de ea servientem, qui se ad partem retrahit. Celebrans vero, facta reverentia Altari, dicit Confessionem &c. & imponitur ei Manipulus, ut supra in alia Missa dictum est. Ascendit ad medium Altaris, & osculatur illud, deinde Librum Missalem, ut supra, ante ponit, deinde Diacono ministrante incensum, postmodum desuper signum Crucis faciens, incensat Altare, ut supra; quo incensato, imponitur ei Mitra, incensatur in cornu Epistolæ a Diacono; deinde cum Mitra, facta reverentia Cruci, vadit ad Faldistorium, deponiturque ei Mitra, & stans versa facie ad Altare dicit Introitum, & *Kyrie eleison*, uno ex suis Capellanis Librum tenente. Deinde sedet, & imponitur ei Mitra, ut supra dictum est in alia Missa per totum usque ad finem Epistolæ; qua finita, Subdiaconus Librum clausum ante pectus suum tenens, vadit ad Celebrantem, & genuflexus ponit librum super ejus genua, & manum illius supra Librum positam osculatur; & surgens, Libro Epistolarum deposito, tenet Missale Celebranti, ut supra. Interim dum dicitur, *Alleluja*, & Diaconus dum Librum Evangeliorum supra Altare posuerit, Cæremoniarius cum thuribulo, & navicella vadit ad Celebrantem, qui, ministrante Diacono imponit incensum, & signat, ut supra. Cæremoniarius autem tunc dat uni ex Capellanis Celebrantis thuribulum in dextram, & navicellam in sinistram, & duo candelabra cum luminaribus de credentia, vel Altari duobus aliis Capellanis ejusdem. Diaconus vero interea ad Altare vadit, de quo Librum accipiens, & illum ante pectus tenens, ante Altare genuflexus dicit: *Munda cor meum*. Deinde ad Celebrantem revertitur, & genuflexus coram eo dicit, *Jube Domne benedicere*; & benedictione accepta, procedit ad lectionem Evangelii ordine supradicto. Finito Evangelio, factisque reverentiis, revertitur ad Celebrantem. Subdiaconus portat deosculandum Librum Evangeliorum apertum Celebranti, & Diaconus illum incensat; & mox Celebrans versa facie ad Altare dicit, *Credo &c.* quo finito, deposita Mitra, surgit, & versus ad populum dicit, *Dominus vobiscum*. Tunc vertens se ad dextram ad Altare, dicit, *Oremus*, & Offertorium; sedetque, & deponitur ei Annulus, & Chirotheçæ; lavat manus &c. ut supra. Surgit deinde, & cum Mitra vadit usque supra gradus Altaris, & facta reverentia Cardinalibus, procedit ad medium Altaris, ubi deponitur ei Mitra, & alia facit, ut supra; & ministrantibus Diacono, & Cæremoniario, imponit incensum, benedicens, & incensans, ut supra; qui deinde incensatur a Diacono, & successive Cardinales incensantur ordine suo, & alii, ut supra. Dicto, *Agnus Dei*, Assistens Celebrantis, dimisso Libro in manibus Diaconi, venit ad manum dextram Celebrantis, & ibi ante Altare genuflectit, surgit, osculatur Altare, & pacem a Celebrante accipit, quam dat postmodum primo Episcopo, primo Presbytero, & primo Diacono Cardinalibus, successive aliis; & cum viderit Celebrantem sumpsisse purificationem, dat pacem Cæremoniario, qui perficit cursum suum, & alia fiunt, ut supra. Dicto post Orationes, *Dominus vobiscum* per Celebrantem, & *Ite Missa est* per Diaconum, Celebrans dicit, *Placeat tibi &c.* quo dicto, imponitur ei Mitra, & benedicit solemniter, dicens more consueto,

(1) Verba ista, *Deinde prosequitur &c.* usque ad illa, *extrahitur ei &c.* extant quidem in editione Romana, sed desiderantur in Veneta 1. & Colonienſi. (2) Ista verba, *Munda cor meum &c.* leguntur, & quidem recte in editione Romana, usque ad illa, *Jube Domne &c.* in Veneta 1. & Colonienſi desunt.

Digitized by Google

Sit Nomen Domini &c. & demum conversus ad populum, pronunciat Indulgentias per Papam concessas. Deinde ad sinistram manum se vertens ad Altare, osculatur illud in medio, & facta reverentia Cruci, deinde Cardinalibus cum Mitra ad Faldistorium revertitur, dicendo Evangelium Sancti Joannis, & alia quæ sunt dicenda. Interim sacris vestibus exuitur, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. PErspicua quidem sunt quæ in hoc Capite statuuntur de tertia Missa in die Nativitatis Christi, Papa absente, in Basilica Sancti Petri per Cardinalem ritu Pontificali celebranda; nihil enim differunt ab aliis solemnibus & Pontificalibus Missis, de quibus diximus in nostris Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum. Unum est quod omitti hoc loco nullatenus debet, non posse scilicet Cardinalem, & multo minus alium inferiorem in ipsa S. Petri Basilica, aliarumve Ecclesiarum Patriarchalium Urbis sine peculiari Papæ facultate celebrare, uti infra in nostro hoc Cæremoniali edicitur, Lib. III. Capite XI. quod inscriptum est, *De Bulla pro celebrando super Altari S. Petri*, quodque nos suo loco explicabimus. Est hic autem antiquus ritus, ut Bulla Cardinali daretur, quo posset Sacra facere super Aram B. Petri, ejusque meminit Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXVI. ubi agens de Circumcisione Domini, sic inter alia inquit: *Si Papa sit in Urbe hac die Circumcisionis, & non celebret, sed facit per aliquem Cardinalem celebrari in Ecclesia S. Petri, antequam Cardinalis induatur, præsentetur Bulla, quomodo Papa dispensat cum eo, quatenus possit super Aram Beati Petri, & per totam diem pendeat ante regias, & item in omnibus aliis Missis, quæ super illud celebrantur.* Eadem legere est in Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. XVII. Ceterum, etsi vox *regiæ* non raro portas Basilicæ significet, in his tamen Ordinibus passim sumitur pro cancellis Altaris, ut videre est in citato Romano Ordine XV. Cap. XXI. & XXXV. & in Ordine XIV. Capite LXXIX. quos citat etiam Mabillonius in suo ad Ordinem Romanum Commentario, Capite XX. ubi pluribus probat, regias, quæ etiam rugæ alibi dicuntur, non modo portas Basilicæ, verum & cancellos Altaris significare. Solet hodieque hujusmodi Bulla ibidem appendi, testaturque idem Mabillonius in suo Itinere Italico pag. 55. quod celebrante Cardinale Cibo Festo die S. Petri in Ara principe Vaticana anno Domini MDCLXXXVI. Missarum solemnia, *Diploma concessæ facultatis per Pontificem, cui Sacra soli facere in hoc Altari licet, affixum erat ad unam ex quatuor columnis, quæ baldachinum fulciunt.* Sed hæc nota omnibus sunt, nec opus est alia testimonia referre.

CAP. XXIV.

De die Sancti Stephani.

In die Sancti Stephani Protomartyris Officium peragit Presbyter Cardinalis in paramentis rubeis more solito. Dicitur Oratio diei sub sua Conclusione; deinde etiam dicitur Oratio pro commemoratione de Nativitate Domini etiam, sub sua conclusione, & fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. TAnta est Natalis Christi solemnitas, ut quemadmodum observat Martene, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis*, Cap. XIII. eam non uno die tantum cum omni majestate ac pompa celebrare, sibi sufficere crediderint Majores nostri, sed quo Fidelium devotioni, ac pietati facerent satis, sequentes per totam Octavam, imo ad Epiphaniam usque, dies festos adjiciendos necessarium duxerint, itaut ab omni terreno opere otiosi, toti se Deo, recolendisque ejus beneficiis consecrarent, ac spirituali lætitia animum recrearent. Hinc Concilium Turonense II. celebratum anno DLXVII. Can. XVII. ubi agit de observatione jejuniorum Monachis obcunda, *quia inter Natalem Domini, & Epiphaniam omni die Festivitates sunt*, prandium Monachis concessit. Has autem inter Festivitates primarium merito locum obtinet S. Stephani Protomartyris Natale, cujus memoriam altero post Christi Nativitatem die, seculo jam IV. solemnem fuisse, constat plane ex Sermonibus S. Gregorii Nysseni, & S. Asterii Amaseæ, Auctorum IV. Seculi; ex quibus etiam, quod uno prope vixerint Seculo ante inventionem Reliquiarum S. Stephani, addiscere licet, non ipsam Reliquiarum inventionem causam præbuisse Festo, sed primi Martyris ordinem, ac dignitatem. S. Gregorius Nyssenus in sua de S. Stephano Oratione alludit ad *heri*, & *hodie*, ut ostendat, Discipuli Festum succedere Festo Magistri: *Quam jucunda*, inquit, *lætitiæ successio. Ecce diem festum ex die festo. Heri nos Dominus universorum pavit, hodie Domini imitator. Ille pro nobis hominem induens, hic pro illo hominem exuens. Ille pro nobis fasciis involutus, hic pro illo lapidatus &c.* S. Asterius eodem ferme modo loquitur, observatque, Festum S. Stephani succedere Festo Nativitatis Jesu Christi: *Festus dies*, inquit, *festum diem excipit. Solemnis Celebritas solemnem occupat Festivitatem. Domini Natalem diem Servi bonor*

Digitized by Google

nor continuus premit. Heri Salvatorem Mundi natum esse didicimus. Hodie strenuum pugilem cernimus pro illo lapidibus obrutum.

II. Notat & hæc Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Libro II. Capite XVII. aitque, abunde ex laudatis Sermonibus significari, S. Stephani Festum a primis usque temporibus in Ecclesia fuisse celebre. In Constitutionibus quippe Apostolicis distinguitur a generali Festo, quod hebat de Communi Martyrum: *In die Stephani Protomartyris vacent.* In numero Martyrum inventus est solus, cui Festum proprium, ac peculiare tribuatur; & de Sancto, qui soli Jerosolymæ, in qua Martyrium subiit, convenire videbatur, brevi temporis spatio factum est, ut Festum ipsum cunctis Ecclesiis commune fieret, propter singularem venerationem illi habitam, quam matris loco ceteræ Ecclesiæ colebant. Sed quoniam Festum Nativitatis Jesu Christi celebrabatur in Oriente sexta die Januarii, ut pluribus docet Thomassinus Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. VI. septima die occurrebat Festum S. Stephani, quod postea ad diem XXVI. Decembris translatum est, quando Jesu Christi Nativitati dies XXV. Decembris assignata est in Oriente ad Ecclesiæ Occidentalis exemplum. Sunt qui dubitant, an S. Stephani cultus in Occidente ante Reliquiarum ejus translationem invaluerit. Sed dicendum est, antiquum esse vel in Italia cultum ipsum, cum S. Augustinus in Sermone CCCXII. antiquissimam in Anconæ Urbe Ecclesiam memoret, S. Stephani Titulo dedicatam, quæ etiam ipso Apostolorum tempore ædificata credebatur occasione unius cujusdam ex illis lapidibus, quibus S. Stephanus obrutus fuerat, quam Fidelis quidam, qui ejus Martyrio adfuerat, Anconam detulerat, juxta publicam memoratæ Regionis traditionem, de qua inter alios differit Baronius ad annum Christi CDXVI. Legendus S. Augustinus, qui etiam in Sermone II. de S. Stephano diem ejus festum designat statim post Natalem Christi diem, sic dicens: *Post besternum festivissimum diem, quo Salvatoris nostri Christi nobis Nativitas illuxit, etiam bodiernus dies Beati Martyris Stephani corona illustratur &c.* Legesis Sermonem S. Fulgentii Episcopi de S. Stephano in Breviario Romano; in Lectionibus secundi Nocturni, ubi etiam fit allusio ad *heri*, & *bodie*. Sic enim inquit: *Heri celebravimus temporalem sempiterni Regis nostri Natalem, bodie celebramus triumphalem Militis passionem. Heri enim Rex noster trabea carnis indutus, de Aula Uteri Virginalis egrediens, visitare dignatus est Mundum. Hodie Miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad Cælum.*

III. Merito igitur credendum, quod & notavit Grancolas loco citato, S. Stephanum fuisse primum e Sanctis, cui Festum in Ecclesia consecratum fuerit, quoniam hic cultus incœpit a Martyribus, quorum ipse fuit primus. Sed quoniam sciri non poterat dies mortis ejus, Jerosolymæ, ubi Martyrium perpessus fuerat, statim cœptum est post diem Natalem Jesu Christi celebrari Festum Sancti Stephani Protomartyris, stetitque in Oriente diu post Theophaniam die VII. Januarii usque ad translationem Reliquiarum, quæ die XXVI. Decembris, ut multi autumant, facta est. Haberi autem in Occidente cœpit post Natalitium Christi diem, unde in Orientem transiit, quando Natalis ab Epiphania sejunctus fuit, statutumque Festum Nativitatis Salvatoris nostri ad diem XXV. Decembris. Reliquiarum S. Stephani narratio a Presbytero Luciano scripta signat expresse diem XXVI. Decembris, qua Jerosolymam fuere translatæ, non vero III. Augusti, qua die Romæ Festum earum Inventionis celebratur, sed forsan translatio aliqua Reliquiarum laudati Martyris ea die facta Romam, Inventionis nomine insignita est, ut post alios putavit Thomassinus citato Lib. II. Cap. IX. Num. X. in fine, ubi hæc habet: *Cur autem III. Non. Sextil. celebretur Inventio S. Stephani in Romano Martyrologio, Baronius in Scholiis rationem affert. Crediderim tamen eo die, Sacra Lipsana Romam delata fuisse ea ætate, qua non admodum interesse videbatur inter Inventionem, & Translationem Sacrorum Corporum.*

IV. Ut ut autem se res habeat, antiquissima est ejus Festi celebratio in Ecclesia Romana, uti constat ex variis Ecclesiis Romæ a priscis Summi Pontificibus ejus Nomine dedicatis, inter quos S. Simplicius, ut scribit de eo Anastasius, *dedicavit Basilicam S. Stephani in Cælio Monte in Urbe Roma .... & aliam Basilicam S. Stephani juxta Basilicam S. Laurentii &c.* Apud Panvinium, & Ciaconium in Gelasio I. Papa, inter Titulos Cardinalium, nec non illorum candidatorum nomenclaturas legitur *Marcellus Presb. Card. Tit. S. Stephani in Cælio Monte*. Mentionem ejus Festi Romæ summa cum pompa a Papa celebrari soliti mentionem faciunt antiqui Romani Ordines, præsertim vero XI. Auctore Benedicto, Num. XXIV. & Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. III. Verba Romani Ordinis XI. hæc sunt: *In Festivitate S. Stephani tres Lectiones de Actibus Apostolorum*, Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine; *& tres de Sermone S. Stephani, cum suis Antiphonis, & Responsoriis. In tertio Nocturno de Natali Domini cum* III. *Psalmis, Versu, & Lectionibus, & suis Antiphonis. Matutinæ Laudes de S. Stephano. Finita Oratione S. Stephani, dicitur Antiphona*, Virgo hodie fidelis, *cum Oratione de Natali. Tertia, Sexta, & Nona de S. Stephano. Vesperæ vero de Natali Domini. Antiphona, & Oratio de S. Stephano, & S. Joanne, & aliarum Festivitatum similiter.* Notatu digna sunt, quæ mox subjicit: *Summo mane Dominus Pontifex egrediens a Palatio coronatus, cum processione honorifice vadit ad Sanctum Stephanum, ubi est Statio. Ibi cantat Missam, sicut in Natali Domini cum Laude. Qua finita, rediens ad Palatium coronatus, acceptis Laudibus a Cardinalibus, & Judicibus, & dato Presbyterio, sive manibus, & convivio celebrato, sicut supra scriptum est, sic omnes recedunt.* Manus idem est ac *Presbyterium duplum*, ut ex laudato Ordine XI. habetur, Num. XXII. ubi etiam notat Mabillonius in calce paginæ 129. *inde vulgatum mancia vocabulum pro dono clientibus facto profluxisse.* Quid autem Laus, seu Laudes olim Papæ in quibusdam celebritatibus fieri solitæ essent, jam supra non uno in loco nos explicuimus.

V. Ju-

Digitized by Google

V. Lubet nunc locum describere Romani Ordinis XII. Auctore Cencio, Cap. III. ubi ritus ipsi soliti olim servari a Papa in Festo Sancti Stephani luculentius pleniusque enarrantur. Sic ergo inquit: *In die autem S Stephani, summo mane conveniunt omnes Ordines superius prætaxati, tam Clerici, quam laici induti sericis pannis in Basilica, Diaconibus Cardinalibus, & Subdiaconibus exceptis, qui induti Dominum Papam ducunt de Camera sua ad Basilicam ipsam, ubi Cardinales universi exhibent ei reverentiam, ibique induit se Planeta alba, & descendens de Palatio usque ad porticellum, ibique invenit equum faleratum cum novo scarlati, ita tamen quod secundum consuetudinem antiquam equus ipse Domini Papæ non debet habere collum faleratum; & ascendens equum, & de manu Addextratorum Regnum recipiens, induit ipsum, sicque vadit ad Ecclesiam Beati Stephani in Cœlio Monte coronatus.*

VI. Pergit laudatus Ordo, aliaque subdit, quæ eam Celebritatem fuisse olim quammaxime illustrem, perspicue ostendunt: *Ut autem omnibus tam præsentibus, quam futuris pateat, qualiter Ordines supradicti cum Domino Papa vadunt processionaliter, sciendum est, quod, sicut scribetur inferius, ordinati incedunt, & cum eodem Domino Papa ad Palatium modo simili revertuntur. Præfectus igitur Urbis indutus, ut superius dictum est, juxta Dominum Papam incedit, & circa eum Judices Pluvialibus induti. Ante Dominum Papam aliquantulum sequestratus incedit Prior Subdiaconus Regionarius cum toalea, ut cum voluerit Dominus Papa spuere, possit illo gausape*, idest sudariolo, *os suum mundare. Et Diaconi Cardinales proximi Papæ bini incedunt; & post ipsos Subdiaconi Basilicarii, quos præcedunt tam Subdiaconi Regionarii, quam Schola Cantorum cum Græcis, qui consueverunt Evangelium, & Epistolam legere. Istos antecedunt Scriniarii, & Advocati. Ante eos Presbyteri Cardinales. Ante istos duo Præfecti Navales Pluvialibus induti. Ante hos vero portantes duodecim Vexilla, quæ bandora vocantur, & unus equus Domini Papæ faleratus, sed vacuus. Ante hos omnes minor Subdiaconus Basilicarius cum Cruce Domini Papæ. Sed Archidiaconus, & Prior Basilicæ cum ferulis debent, ut scriptum est, ordinare Processionem, & nequis ipsam interrumpat, debent discurrere, & frequenter ad propria loca redire. Archidiaconus inter Dominum Papam, & Cardinales Diaconos, Prior Basilicæ juxta Primicerium inter Diaconos Cardinales, & Subdiaconos.*

VII. Scitu digna & ea præsertim sunt, quæ post narratam huc usque Processionem, qua Pontifex in Festo S. Stephani ad ejus Basilicam pergebat, idem Ordo demum de Missa subjungit: *Cumque sic ad prædictam Ecclesiam Sancti Stephani pervenerint, depositio Regno, intrat Ecclesiam, factaque oratione, vadit ad Sacrarium, & deposita Planeta alba, induit rubeam, & celebrat Missam, sicut hesterna die*, Natalis nempe Domini, *in omnibus. Missa vero finita, resumit Planetam albam, & induit Regnum. Cetera vero fiunt, sicut prima die, excepto Presbyterio, quod sic datur &c.* De hujusmodi Presbyterio dari solito olim a Summis Pontificibus in multis, quæ in annos singulos occurrebant, Solemnitatibus, fuse eruditeque differit doctissimus Petrus Morettus in absolutissimo Opere, quod, *De Presbyterio*, inscripsit. Ceterum ex præscripto prædicti Romani Ordinis XII. *dato Presbyterio, ducitur Dominus Papa ad mensam, sicut die prima.* Ad mensam, ut idem Ordo superius in fine Capitis II. habet, *legebat unus de Diaconis Cardinalibus cum Pluviali.* Eadem fere ad verbum, & longe plura legere est in Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gajetano juxta Codicem Cardinalis Rotomagensis, Cap. LXXII. & sequenti; & in Romano Ordine XV. Auctore Amelio, Cap. XIII. ut vel hinc intelligas, servatos etiam fuisse prædictos ritus Seculo XIV. & XV. quibus ipsi Ordines exarati fuere. Porro ex citato Cardinalis Rotomagensis Cæremoniali celebrabat hac die Pontifex Missam, *depositaque Planeta, & appositio mantello super scapulas, sedens in Cathedra manibus propriis dabat Presbyterium Capellanis*, idest Ordinibus Capellæ, ut explicat eruditus Morettus in laudato Opere, Parte III. Sectione III. Numero VII. Dato Presbyterio, ut memoratum Cæremoniale subdit, pergebatur ad mensam. Nec satis, nam *illa die Capellani commensales, Acolythi, & Auditores, & Pœnitentiarii comedebant cum Papa splendide, & in collatione dabatur Presbyterium.* Idem edicit Ordo Romanus XV. Cap. XIII. ubi tamen loco Presbyterii dari ait in collatione piper.

VIII. Romanos Pontifices consuevisse ipsos in Festo S. Stephani Missarum Solemnia celebrare, expresse tradit idem Romanus Ordo XV. Cap. XIII. ex cujus etiam testimonio habemus, *si Papa non celebraret, Presbyterum Cardinalem Tituli S. Clementis Missam S. Stephani prædicti consuevisse coram Papa celebrare illa die.* Sequiori ævo consuevisse die ipsa in Capella Palatii Apostolici celebrari Missam solemnem per Cardinalem Presbyterum, & haberi ibidem Sermonem per aliquem Virum doctum, testantur passim Apostolicarum Cæremoniariorum Diaria, præsertim vero Joannis Burchardi ante editionem nostri hujus Cæremonialis ab Augustino Patricio ordinati exarata. Moris habendi Sermonis in Festo S. Stephani, meminit Ordo Romanus XIV. Cap. XCVIII. ubi inter dies & Solemnitates, quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum Solemnia *in persona celebrare*, recensens Festum S. Stephani, diserte ait, in eo Festo prædicari. Ceterum ut in citato loco etiam legitur, Romani ipsi Pontifices in certis quibusdam diebus, ac Solemnitatibus in eodem Ordine descriptis, non modo *Missarum solemnia celebrare in propria persona, sed prædicare consueverunt in eisdem diebus, & solemnitatibus in propria persona, quando placeret, & facere prædicari coram se per aliquem Cardinalem, prout sequitur.* Notatu digna sunt, quæ statim subjicit: *Non tamen per alium prædicatur coram Domino, quam per Cardinales, quando Dominus Papa celebrat.* Atque hic fuit antiquus ritus, quem supra non uno in loco ostendimus, allatis variis Romanæ Ecclesiæ monumentis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXV.

De Festo S. Joannis Evangelistæ.

In die S. Joannis Evangelistæ celebrat Presbyter Cardinalis in paramentis albis more consueto. Oratio diei dicitur sub sua conclusione; deinde fit commemoratio de Nativitate Domini, & S. Stephano sub alia conclusione; & fit Sermo his duobus diebus. Si Papa celebret, servit ei pro assistente Prior Presbyterorum Cardinalium, & non fit Sermo, nisi per ipsum Papam, aut aliquem ex Cardinalibus.

COMMENTARIUS.

I. PEculiaria Apostolorum, ac Martyrum Festa in Oriente habuisse principium, constanter asserit Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. XVIII. Certe S. Gregorius Nyssenus in funebri Oratione in laudem S. Basilii habita aserit, quod saltem in Ecclesia sua post Festum Natalis Jesu Christi, Festa S. Stephani, S. Petri, S. Jacobi, S. Joannis, S. Pauli, & S. Basilii celebrarentur. Ad imitationem itaque Orientalium, ut idem Grancolas animadvertit, Latini quoque Festo Natalis tot alia Sanctorum Festa addidere; & cum Romæ Festum Sanctorum Petri, & Pauli diei eorum mortis, quam die XXIX. Junii contigisse passim Scriptores notant, affixum esset, ita post Festum S. Stephani, Festum S. Jacobi, atque S. Joannis collocari placuit, ut patet ex veterrimo Sacramentario Gallicano apud Mabillonium Tomo I. Musæi Italici, Parte II. pag. 293. ex Lectionario Luxovienſi Num. XI. & ex Missali Gothico, Numero VI. quorum meminit eruditissimus Georgiis in suis ad Martyrologium Adonis Notis, ad diem XXV. Julii, pag. 353. Sane in cunctis Missæ duorum istorum Sanctorum precationibus, ita iidem nominantur, ut sicut Sanctus Stephanus, quia primus erat Martyr, Natalis Festum statim subsequebatur, ita etiam post Sanctum Stephanum coleretur S. Jacobus, quod primus post Sanctum Stephanum Martyr esset, & cum eo Sanctus Joannes ejus frater conjungebatur. Postquam vero translatio Reliquiarum S. Jacobi in Hispanias ad diem XXV. Julii, Festum hujus Apostoli immobile, ac perpetuum reddidit, remansit in Natali Festum S. Joannis fratris ejus, cui etiam Officium proprium statutum est.

II. Sanctum Joannem Evangelistam colit Ecclesia ipso fortassis mortis die. Si enim fides habenda est monumentis, quæ minime vacillant, mortem obiit Ephesi, ubi Ecclesiam administraverat, & Asiam omnem minorem vocatam. De eo certiorem fecit Victorem Romanum Pontificem Polycrates Ephesinus Episcopus, missis ad eum Litteris, quarum meminit Eusebius Lib. III. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXV. Idem inquit Tertullianus in Libro, *De Anima*, ac propterea male in animum induxisse quosdam, fore ut nunquam moreretur; quod Eliæ tantum, & Henoch Dei munere collatum est, ut nempe ante supremum vitæ diem alio adsportarentur, quamquam diem illum producere re ipsa dumtaxat videtur: *Translatus est Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterum morituri asservantur, ut Antichristum suo extinguant sanguine. Obiit & Joannes, quem in Adventum Domini remansurum, frustra spes erat.* Meminit quoque Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia XXVI. in Epistolam Pauli ad Hebræos Sepulchri, & Reliquiarum S. Joannis; contenditque pariter S. Hieronymus in Libro, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, S. Joannem Apostolum Ephesi occubuisse, atque illatum in tumulum prope Civitatem. Plura Oecumenicæ Synodi Ephesinæ loca hæc confirmant, & cultum illi exhibitum, Templum in eadem Urbe erectum, multos e longinquis Regionibus profectos ea loca lustrasse, opinionem quoque aliorum, quæ ibidem intervenerant, Deiparam post Filii in Cælum reditum, Ephesi cum Joanne vitam egisse. Tandem, ut alios mittam, S. Augustinus Tractatu CXXIV. in Joannem censuit, Joannem, ut cæteris usuvenit, occubuisse, at non ægre fert, aliud videri quibusdam, qui ex æstu, & motu terræ, sub qua fuerat conditus, eum etiamnum vivere, conjicie-bant, quod quidem pluribus perspectum erat: *Cui placet*, inquit, *adhuc resistat . . . & asserat, Joannem adhuc vivere, atque in illo Sepulchro ejus, quod est apud Epbesum, dormire eum potius, quam mortuum jacere, contendat. Assumat in argumentum, quod illic terra sensim scatere, & quasi ebullire videtur, atque hoc ejus anhelitu fieri . . . . quia & revera non a levibus hominibus id audivimus. Interim cedamus opinioni, quam certis documentis refellere non valemus &c.* Tradit S. Gregorius Turonensis, Lib. I. *De Gloria Martyrum*, Capite XXXVI. miraculum, de quo loquitur S. Augustinus, ad sua usque tempora perduravisse, affirmatque, pulverem illum speciem quamdam mannæ, farinæ similem fuisse.

III. Quicquid sit de hac opinione, coluit quidem summopere S. Joannem Evangelistam Ecclesia Romana, ut testantur pervetusta Templa ejus Titulo dedicata, & antiqui Romani Ordines, qui ejusdem Apostoli mentionem non in uno loco faciunt. Ordo XI. Auctore Benedicto hæc habet: *In Festivitate S. Joannis Evangelistæ tres Lectiones de Apocalypsi, & tres de Sermone S. Joannis cum suis Antiphonis, Psalmis, & Responsoriis. Quidam volunt, ejus passionem legere. In tertio Nocturno Antiphonæ, & tres Psalmi, & tres Lectiones de Natali cum suis Responsoriis. Matutinæ Laudes de S. Joanne, & commemoratio, sicut supra, prima de S. Joanne, Oratio de Natali.* In Ordine Romano XIV. Cap. XCVIII. inter plures Solemnitates, quibus consueverunt Romani Pon-

Digitized by Google

Pontifices Missarum Solemnia in persona celebrare, recensetur etiam Festivitas S. Joannis Evangelistæ, in qua etiam prædicabatur, vel per ipsos Pontifices celebrantes, quando eis placuisset, aut *per aliquem Cardinalem*; ritusque iccirco antiquus est ille, quem præscribit hic noster §. non fieri scilicet Sermonem *bis duobus diebus*, nempe S. Stephani, & S. Joannis, *nisi per ipsum Papam, aut aliquem ex Cardinalibus*. Ceterum licet in ipso S. Joannis Festo Papa per se ipsum non celebrat Missam solemnem, ex præscripto tamen nostri §. *celebrat Presbyter Cardinalis in paramentis albis*. Quod quidem & antiqui est instituti, cujus meminit laudatus Ordo Romanus XIV. Capite LXXIV. iterumque Romanus Ordo XV. Capite XV. ubi edicitur, in die S. Joannis Missam dici consuevisse ab aliquo Cardinali, ad eamque Papam venire *cum Pluviali rubeo de scarleto, & Mitra aurifrisiata*. Colore albo *utendum in principali Festo S. Joannis Evangelistæ, quod celebratur infra Octavam Nativitatis Domini*, admonent & ipsæ Rubricæ Missalis, Parte I. Titulo XVIII. Num. II.

CAPUT XXVI.

De Vigilia Circumcisionis, & ejus Festo.

In Vigilia Circumcisionis Domini fiunt Vesperæ more consueto, ad quas Papa venit albis paramentis paratus. In die celebrat Episcopus Cardinalis in paramentis albis. Dicitur tantum una Oratio, & fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. TEste Thomassino, Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. VIII. Celebritatis Circumcisionis Christi meminit primum Synodus Turonensis II. anno DLXXVII. non tamen eam prior in Ecclesiam introduxit. Notatu plane digna sunt, quæ in ejusdem Synodi Canone laudatus Auctor observat. Nam postquam ait Synodus Can. XVII. festos esse dies omnes inter Nativitatem, & Epiphaniam, tres deinde profestos enumerat, quorum postremus sunt kalendæ Januariæ. Tribus hisce diebus cani jubet Litanias in Templo, & kalendis eisdem rem divinam de Circumcisione agi paulo ante horam nonam: *Et quia inter Natale Domini, & Epiphaniam omni die Festivitates sunt &c.* Tum ita mox: *Excipitur triduum, quo ad calcandam Gentilium consuetudinem, Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur*. Quum fateatur Synodus, se Majorum vestigiis insistere, jam perspicue intelligimus, Circumcisionis Missam, vel Celebritatem, Concilii ætate antiquiorem extitisse. Octavus quidem Natalis dies peragebatur, at hoc nihil impedit, quominus Circumcisio quoque ageretur. Cum enim Ecclesia ab ultima antiquitate statas preces, diesque sacros ad sacræ scripturæ, & Mysteriorum Christi præscriptum componendos dirigendosque curaverit, fieri vix potuit, quin octavo Nativitatis die Circumcisionem solemni ritu recoleret, facem præferentibus verbis illis Lucæ Evangelistæ in Evangelio Cap. II. Num. XXI. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer*. Liquet locum illum Evangelii perlectum fuisse in Liturgia octavi diei, ideoque etiam tum Circumcisionis Missam extitisse. Enimvero Evangelio maxime distinguuntur Solemnia, Liturgiæ, ac Mysteria, quæ inibi recoluntur. Non ergo egit Turonensis Synodus, nisi de Circumcisionis Missa, quam vetustam censere videtur. Neque enim in cæteris ejus diei solemnibus precibus verba de Circumcisione fiunt, sed de octavo nati Redemptoris die. Mores autem nostri ab his non abhorrent, ac Romanum Martyrologium eundem diem promiscue vocat, tum Circumcisionis, tum Nativitatis octavum.

II. Sunt & alia, quæ in recitatum Canonem XVII. Turonensem Thomassinus observat, quibus omissis, explicandam censemus ethnicorum superstitionem, cui abstinentiam illam Synodus ipsa Turonensis II. objecit, Canone XXII. sic inquiens: *Enim vero quoniam cognovimus nonnullos inveniri sequipedas erroris antiqui, qui Kalendas Januarii solent, cum Janus homo gentilis fuerit, Rex quidem, sed Deus esse non potuit &c.* Janum nebulones hi colebant, a quo Januarius mensis nomen desumpsit, ejusque auspiciis annum inchoabant. Diu apud Christianos invaluisse hunc abusum effreni libidinum, comessationum, aliorumque excessuum licentia, ac corrupto strenas dandi & accipiendi more kalendas Januarii conspurcare, ex Sancto Augustino addiscimus, qui Sermone VII. in Appendice populum hortatur, ut iisdem diebus, vel se ab epulis abstineat, vel cibo saltem parcius utatur: *Acturus es celebrationem strenarum, sicut Paganus, lusurus alea, & inebriaturus te? Quomodo aliud credis, aliud speras, aliud amas? Dant illi strenas, date vos eleemosynas. Advocantur illi cantionibus luxuriarum, advocate vos sermonibus Scripturarum. Currunt illi ad Theatrum, vos ad Ecclesiam. Inebriantur illi, vos jejunate. Si hodie non potestis jejunare, saltem cum sobrietate prandete*. Superstitionis aliud genus execratur S. Petrus Chrysologus Ravennas Archiepiscopus Sermone CLV. de kalendis Januarii, in eosque invehitur, qui larvam inducebant, & Numina conficta repræsentantes, agentesque plurima quasi emota mente, & lymphati patrabant quæ vel ludicra, vel honesta censebant, quamvis nullam Idolorum rationem habere viderentur. Damnat Chrysologus pravum hunc morem, omnemque excusationem præcidit, quæ vel a larvatis nostri ævi allegari solet: *Nonne istis*, inquit, *amiserunt Imaginem Dei, similitudinem*

rem perdiderunt. Christi exuti sunt indumentum, qui se Simulacrorum formis sacrilegis formaverunt? Erras homo. Non sunt hæc ludicra, sed crimina. Quis de impietate ludit, de sacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit risum? Qui se Deum facit, Deo vero contradictor existit. Imaginem Dei portare noluit, qui Idoli voluerit portare personam. Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Nemo cum Serpente securus ludit. Nemo cum Diabolo impune jocatur.

III. Eadem S. Maximus persequitur Homilia in kalendis Januarii, ubi etiam aliud adducit genus sceleris, quod ab Ethnicis pariter acceptum, inter Christianos quandoque serpebat, serpitque etiamnum passim tempore bacchanalium vel apud Fideles ipsos, qui Sacramenta frequentant. Mares muliebri amictu tecti, feminas repræsentabant, feminæ mares, mutatis & ipsæ indumentis: *Non debet Fidelis Anima, quæ Angelorum consortia concupiscit, Demoniorum lusibus delectari.* Tum paucis interjectis: *An non omnia, quæ a ministris Dæmonum illic aguntur, falsa sunt, & insana? Quum vir virium suarum vigore mollito, totum se frangit in feminam, tantoque illud ambit, atque arte agit, quasi pœniteat illud, quod vir est &c.* Quod abusus hujusmodi ubique fere locorum grassarentur, conati sunt Patres, & Concilia funditus extirpare adeo ut Concilium Toletanum IV. anno DCXXXIII. eadem de causa non modo quoddam genus abstinentiæ indixerit, sed etiam vetuerit kalendis ipsis Januarii *Alleluja* cantari in solemnibus Ecclesiæ precibus, sic inquiens Can. XI. *Kalendis Januariis, quæ propter errorem Gentilitatis aguntur, omnino*, Alleluja, *non decantetur. In quibus etiam præter piscem, & olus, sicut in aliis quadraginta diebus, a ceteris carnibus abstinetur, & a quibusdam nec vinum bibitur.* Carne tantum interdictum erat ob nati, & circumcisi Divini Verbi Solemnia, ut notat Thomassinus citato loco, Num. XI. Postquam scilicet Num. X. in quosdam nostri ævi Theologos animadvertit Patrum scripta carpentes, quæ non assequuntur, illa nimirum scripta, quibus bacchanalium ludicra impia exagitarunt. Aurea Thomassini verba hæc sunt: *Hæc silentio præterire religioni habuimus, quidquid garriant nonnulli carpentes quæ præ tarditate ingenii, vel morum pravitate non assequuntur. Neque enim Patres Sancti Ecclesiæ religionem, & mores vindicantes, æstu disputationis abrepti sunt, ut illi perperam dictitant. Satius foret, animique bene constituti argumentum, inscitiam demisse fateri, dum quædam eorum loca tenebris offundi videntur, & illis, qui nobis scientia antecellunt, libenter concedere; quæ quidem animi moderatio sapientiæ cuivis præstat. Certe ejus compotes quilibet esse possunt, non penitiorum litterarum.*

IV. Inter alia Concilia, damnavit quidem Romanum sub Zacharia Papa Concilium anno Christi DCCXLIII. Can. IX. kalendarum Januarii flagitia, quæ tamen durarunt etiam post annum Christi millesimum, ac sublata demum fuere, Circumcisione ritu solemniore peracta. Teste Gajetano in Ordine Romano XIV. Cap. LXXVI, quod in Circumcisione Domini, inscriptum est, *antiquitus Romani Pontifices consueverunt in primis Vesperis hujus diei solemniter venire induti Pluviali pretioso albo, & mitra solemni* Eadem habet Romanus Ordo XV. Cap. XVII. Sed testatur mox tamen uterque Ordo, modernis temporibus id non observari: *sed solum venit*, ait Ordo XIV. *cum Pluviali de samito, & Mitra aurifrisiata.* Subditque mox: *Totum hoc stat ex voluntate Papæ.* Paris de Grassis Cæremoniarius Apostolicus in suo Romano Ordine, quem inscripsit Episcopo Albanensi S.R.E. Cardinali inter Vesperas Papales, quæ in Capella Palatii Apostolici celebrantur, Vesperas Circumcisionis recenset, earumque passim mentionem faciunt in suis mss. Diariis Apostolici Cæremoniarii, qui Grassum præcesserunt, & & subsequuti sunt. Ut alios omittam, Joannes Burchardus ad diem XXXI. Decembris anni Domini MCDLXXXVII. hæc habet: *Fuerunt Vesperæ solemnes in Capella majore Palatii, quibus Sanctissimus Dominus Noster*, Innocentius nempe VIII. *ornamentis albis paratus cum Cardinalibus interfuit, & incœpit Vesperas &c.* Rursus ad annum MCDLXXXVIII. earumdem Vesperarum meminit, quas, Pontifice absente, Cardinalis S. Clementis celebravit, sic dicens: *Feria quarta XXXJ. & ultima mensis Decembris Reverendissimus Dominus Cardinalis S. Clementis paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Cruce Pectorali, Pluviali absque Pectorali, Mitra, & Annulo Pontificali peregit Officium Vespertinum more consueto, Papa absente &c.*

V. Difficile vero dictu est, quale Officium Romæ olim fieret hac die, utrum de Octava Nativitatis, an de Circumcisione, vel de Virgine. Promiscue in Martyrologiis veteribus, *Circumcisio Domini*, & *Octava Domini* occurrit. Romanum parvum ita plane præfert: *Octava Domini, & Circumcisio.* Utrumque Festum conjunctim hac die ab Ecclesia recoli consuevisse, tradunt veterum Liturgiarum Scriptores, teste Georgio in suis ad Martyrologium Adonis Notis die I. Mensis Januarii. Ævo S. Leonis Magni Circumcisionis diem Festivum celebratum fuisse, ex ejusdem Pontificis Epistola II. conjicit quidem Ludovicus Thomassinus Lib. I. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. IV. Num. XI. Plura scitu digna de hujus diei celebritate docet Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. in suo Opere, *De Festis Domini Nostri Jesu Christi, & Beatæ Mariæ Virginis*, Parte I. Porro Sacramentarium Sancti Gregorii Octavæ Nativitatis, & Festo Circumcisionis addit solemnitatem Divini Sanctissimæ Virginis Partus, qui dicitur *Puerperium*. Ejus Collecta: *Deus, qui salutis æternæ*. Vesperæ, ut notat Grancolas, sunt Psalmi de Virgine Deipara, & antiqua extant kalendaria, ubi kalendis Januarii inscribebatur: *Natale S. Mariæ*. Asserit Micrologus, Officium totum fuisse olim de Virgine tantum; appellabaturque hoc Festum, *De Partu Virginis*, seu, *Puerperium*. Ecclesia die XXV. Decembris Officio Filii penitus occupata, in octavam diem transferebat Officium Matris. S. Bernardus in suis Sermonibus in hanc diem, mentionem facit de Circumcisione, quam Octavæ Natalis Mysterium vocat: *Ante paucos dies*, inquit, *celebravi-*

Digitized by Google

bravimus diem Natalis. Hodie celebramus sacramentum octavæ diei.

VI. Si vera sunt, quæ idem Grancolas refert, in antiquis Ordinibus Romanis Officium erat de Octava Natalis tantum, & Collecta: *Deus, qui nobis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum &c.* In aliis reperitur hodiernus usus, nempe Officium Natalis cum Officio Virginis permixtum. Primæ, & Secundæ Vesperæ sunt de Virgine cum Antiphonis ad Psalmos, *O admirabile commercium &c. Quando natus es &c. Rubum &c. Germinavit &c. Ecce Maria &c. & ad*, Magnificat, *Mirabile Mysterium &c.* quæ quidem Antiphonæ antiquæ sunt, & citantur ab Amalario Lib. IV. Cap. XXXII. & videntur compositæ ad confutandum, ac debellandum hæresim Eutychianam, legiturque propterea in ipsa Antiphona ad *Magnificat*, *non commixtionem passus, neque divisionem*. Atque hoc est Dogma Catholicum definitum in generali Concilio Chalcedonensi Eutychis errorem damnante, ac definiente, duas in Christo distinctas, & inconfusas esse Naturas. Id quod etiam canit Ecclesia in Athanasiano Fidei Symbolo, ubi de Christo dicitur, quod sit, *Unus non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ*. Explicat & ipsas Antiphonas Durandus in suo Divinorum Officiorum Rationali Lib. VI. Capite XV. Ceterum Psalmi ad Matutinum sunt illi recitati in Nocte Nativitatis Christi; in Lectionibus autem secundi Nocturni Sermo Sancti Leonis Eutychianos oppugnat, qui utramque Naturam in Christo commixtam, & confusam esse audebant asserere. In Homilia tertii Nocturni S. Ambrosius ait, solum Jesum Christum ex natis de femina terrenæ corruptelæ non sensisse contagia, quia scilicet de Spiritu Sancto conceptus, & de Virgine natus. Oratio hujus Festi, *Deus qui salutis æternæ*, extat in omnibus Ritualibus, ut notat Grancolas, & ad Partum refertur Virginis, *per quam meruimus Auctorem Vitæ suscipere*. Sed ne quid omittamus, quod in hoc Officium idem Auctor scite observat, ad quintum Responsorium Matutini habetur, *Confirmatum est cor Virginis, in quo Divina Mysteria concepit*, quod non est intelligendum juxta sententiam visionariorum quorundam, qui Jesum Christum affirmabant a Virgine non in visceribus, sed in corde conceptum, licet Angelus dixerit, *Concipies in utero.* Hoc igitur Responsorium significat, Virginem concepisse Mysterium in corde suo per fidem verbis Angeli præstitam. Ad octavum Responsorium, *Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de Cælo pleno*, jam non sibi vult Ecclesia quod & visionarii interpretati sunt, e Cælo scilicet pluisse lac in ubera Virginis, sed mirum illum modum voluit explicare, quo Virgo lactabat Filium, quem mirabili quoque modo conceperat.

VII. Ad Missam quod attinet, Joannes Belethus, qui claruit Seculo Christi XII. duas hac die Missas dici consueviſse affirmat in sua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. LXXI. alteram nempe de Virgine, alteram de Octava Natalis, ne scilicet duo illa objecta confunderentur. Idipsum testatur Durandus, Lib. VI. Cap. XV. sic dicens: *Hac die duo Festa concurrunt, scilicet Parientis, & Partus; unde & duæ Missæ celebrantur; prima de Parturiente*, scilicet de Beata Virgine, in qua dicitur: *Introitus*, Vultum tuum &c. *Secunda est de Partu, scilicet de Filio, in qua dicitur Introitus*, Puer datus est nobis; *vel in aliis Ecclesii*, Dum medium silentium; *unde & in quibusdam Gradualibus Officium utrumque intitulatum invenitur; & ideo quia hoc Festum est de Beata Virgine, fit hodie Statio apud Ecclesiam Sanctæ Mariæ transtyberim, quamvis quidam scripserunt, quod fit apud Sancta Sanctorum, pro eo quod Caro circumcisionis Domini ibi dicitur conservari*. Hodie in Missa Collecta tantum de Virgine est, reliqua vero de Octava Natalis. Teste Amelio in Ordine Romano XV. Cap. XVII. *hanc Missam Romani Pontifices semper consueverunt celebrare, nec fit commemoratio de Sanctis propter Rubricam Clementis Sexti*. Certe inter solemnitates, quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum solemnia in persona celebrare, Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCVIII. recenset Festum Circumcisionis Domini, in quo etiam ait, tunc prædicandum, antiquusque propterea est ritus ille, cujus noster §. meminit, cum ait, in ipso Festo dici tantum unam Orationem, & fieri Sermonem.

VIII. Cautum vero est ex Ordine Romano XIV. Cap. LXXVI. & Ordine XV. Cap. XIII. *ut si Papa sit in Urbe, & non celebret, sed facit dici Missam per aliquem Cardinalem in Ecclesia S. Petri, antequam Cardinalis induatur, præsentetur Bulla, quomodo Papa dispensat cum eo, quatenus possit celebrare super Aram S. Petri, & per totam diem pendeat ante regias, & ita in omnibus aliis Missis, quæ super illud celebrantur*. Notante Mabillonio in sua ad recitatum locum Romani XV. Ordinis observatione, etsi hæc vox *regiæ*, non raro portas Basilicæ significet apud alios Auctores, in his tamen Libris passim sumitur pro cancellis Altaris, in quibus etiam nunc appendi solet Bulla, seu diploma Pontificis, quo Cardinali facultas conceditur celebrandi in Ara principe Vaticana, cum soli Summo Pontifici Sacra facere in hoc Altari liceat. Ejus ritus mentionem passim faciunt Cæremoniarii Apostolici, ubi referunt Missas in memorata Ara a Cardinalibus celebratas; itemque Mabillonius in suo Itinere Italico Tomo I. Musei Italici pag. 55. *Festo S. Petri*, inquit, *Missa solemnis in Ara principe Vaticana a Cardinale Cibo celebrata est. Diploma concessæ facultatis per Pontificem, cui soli Sacra facere in hoc Altari licet, affixum erat ad unam ex quatuor columnis, quæ baldachinum fulciunt*. Sed hæc eadem jam supra notavimus Lib. II. in Commentario ad Caput XXIII. quod inscriptum est, *De tertia Missa in die Nativitatis Christi, Papa absente*, dicemusque alia fusius infra, Lib. III. Titulo I. Cap. XI. quod est, *De Bulla pro celebrando super Altare Sancti Petri*. Fit id quidem in signum reverentiæ, quæ Summo Romano Pontifici exhibetur; simileque obsequium exhibetur etiam Episcopis juxta ritum in Concilio Antissiodorensi præscriptum, Can. X. ubi edicitur, ut in Altari, in quo Episcopus Missam celebravit, presbytero non liceat eo die Sacrum facere.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De Vigilia & Festo Epiphaniæ Domini.

In Vigilia Epiphaniæ Domini fiunt Vesperæ Papales, quibus Papa ornamentis albis paratus interesse solet. In die Missa more solito dicitur, quam celebrare solet Episcopus Cardinalis in paramentis albis. Dicitur una Oratio tantum; & cum Diaconus cantans Evangelium dicit, *& procidentes adoraverunt eum*, cantando genuflectit; quibus dictis, surgit, & perficit. Simili modo genuflectit Papa, & omnes alii; & fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. EPiphaniæ Festum, cujus mentionem faciunt S. Philippi Heracleæ Episcopi, & Martyris Acta apud Ruinartium, celeberrimum facit triplex Christi apparitio, seu manifestatio, adoratio scilicet ejus per Magos, Baptismus Christi in Jordane, & primum miraculum, quod Christus patravit in Nuptiis Canæ Galileæ. Triplicem hanc Christi manifestationem semper hac die recoluisse videtur Ecclesia Latina, ut patet ex Hymno Prudentii, & ex aliis pluribus veterum Scriptorum monumentis, quos recenset Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. VII. Habuit jam olim Epiphania propriam Vigiliam, & quidem cum jejunio, licet plerique fideles populi ob gaudium, & lætitiam Nativitatis Domini ab eo abstinerent, ut testatur Joannes Abrincensis in suo Libello, sic inquiens: *Vigilia vero Epiphaniæ, quam plebes diverse colunt; alii enim jejunant, & alii prandent; nobis jejunandum congruum videtur.* S. Petrus Damiani, Lib. I. Epistola XXXV. affirmat, in Vigilia Fpiphaniæ jejunandum esse, vini, & olei usu concesso; cujus novitatem jejunii quibusdam impugnantibus respondet, Sanctum Gregorium in suo Sacramentario Missam de ipsa Vigilia propriam constituisse, idque argumentum esse servati in ea Vigilia jejunii, cum nulla habeatur Missa sine jejunio. Conqueritur autem, quod Missa hujus Vigiliæ ad Horam Tertiam celebretur, non vero ad Horam Nonam, ut fit in aliis Vigiliis: *Cum nusquam repererint Vigilias dici, in quibus Missæ debeant absque jejunio celebrari*. Plura de hoc jejunio notavit inter alios Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. XXIX. ubi etiam observat, per hujus Vigiliæ Missam videri potius probari Festum diem, quam diem jejunii, cum Missa ad Tertiam diceretur.

II. Quicquid sit de hujusmodi jejunio, agit de Vigilia Epiphaniæ Romanus Ordo XI. Num. XXVII. ex cujus præscripto Officium erat Natalis Domini, fiebatque Statio ad Sanctum Petrum, ubi etiam Vesperæ cantabantur, ac ritus varii peragebantur, qui deinde in desuetudinem abiere. Facit & de hujusmodi Vesperis mentionem Ordo Romanus XII. Cap. V. iremque Romani Ordines XIV. & XV. in quorum altero sic legimus, Cap. XVIII. *In Epiphania Domini Vesperæ non consueverunt mandari; tamen modo mandantur Vesperæ, & Papa portat Pluviale pretiosum album, & inchoantur Antiphonæ per Papam, & Cardinales*. Primas non modo, sed & secundas Vesperas celebratas fuisse a Pontifice in Festo Epiphaniæ, docet Ordo Romanus XIV. Cap. LXXVII. *In utrisque Vesperis*, inquiens, *Papa interest cum Pluviali de scarleto rubeo, & Mitra aurifrisiata*, Eadem habet Ordo XV. Teste Paride Grasso in suo Ordine apud Edmundum Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XI. pag. 601. *in Epiphaniæ Vigilia fiunt Vesperæ, & Papa, & Cardinales, ut in Vigilia Circumcisionis, induti sunt*, Papa scilicet paramentis, & Mitra pretiosis, & Cardinales Cappis rubeis. Atque hic est ritus, quem passim memorant mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, quorum loca non est opus hoc loco describere.

III. Ad Missam quod attinet, eam, ut ait hic noster §. *celebrare solet Episcopus Cardinalis in paramentis albis*. Juxta antiquum morem, cujus mentionem facit Romanus Ordo XI. Num. XXVII. Summus Pontifex in ipsa die Epiphaniæ, *Missam honorifice cum Laudibus debet cantare, & accipere Coronam, & coronatus redire ad Palatium, & agere, sicut in aliis coronis*. Quod *hanc etiam Missam Antistites Urbis celebrare consueverunt, & de communi cursu semper faciunt, nisi infirmitate, aut nimio frigore detenti*, testantur Jacobus Cardinalis Gajetanus in Ordine Romano XIV. Cap. LXXVII. & Amelius in Ordine XV. Cap. XVIII. Nostro §. concinit Paris Grassus in suo Ordine Cap. XI. ubi ita inquit: *In die Epiphaniæ Missam in Basilica celebrat Episcopus Cardinalis cum paramentis, ut in die Circumcisionis. Papa cum pretiosis Pluviali & Mitra, & Cardinales cum Cappis rubeis.* Celebrari consuevisse hanc Missam in Basilica S. Petri per Cardinalem Episcopum, Papa præsente, appensa prope Altare Bulla facultatis celebrandi ad ipsum Altare, de qua alias nos diximus, mentionem faciunt passim Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, inter quos Burchardus ad diem VI. Januarii, anno Christi MCDLXXXVI. postquam dixit, solemnem Missam ipsa die celebratam fuisse in Basilica S. Petri per Cardinalem Andegavensem, Papa præsente, ita mox subdit: *Appensa fuit una Bulla licentiæ celebrandi antiqua de anno primo Domini nostri Innocentii*, nempe Octavi ejus nominis, *de qua tamen fienda heri sero Caudatarium dicti Cardinalis aviseveram*. Cardinalis iste Andegavensis est Joannes Episcopus Albanensis, qui etiam anno MCDLXXXVIII. ut refert idem Burchardus in memorato Epiphaniæ Festo, Missam *celebravit solemniter in Basilica Principis*

Digitized by Google

Apostolorum, *Papa*, *& Cardinalibus præsentibus*. Alia id genus exempla occurrunt passim in Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis.

IV. Porro cautum est ex nostro §. ut cum Diaconus cantans Evàngelium, dicit: *& procidentes adoraverunt eum*, cantando genuflectat, surgatque postea, & Evangelii lectionem perficiat: *Simili modo*, ait idem noster §. *genuflectit Papa*, nempe apud Solium suum, ut notat citato loco Grassus, *& omnes alii*, sed exceptis tamen Ceroferariis, & Subdiacono, qui Evangelii Codicem tenet, ut docent Rubricæ Missalis, & notarunt jam Cæremoniarii ipsi Apostolici in mss. Diariis. Evangelium, quod incipit, *Cum natus esset Jesus*, in quo leguntur verba illa, *& procidentes &c.* extat in antiquissimis Libris Missalibus, quos Liturgici Auctores recensent.

CAPUT XXVIII.

De Festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

§. I.

De præparatione, benedictione, & distributione Candelarum.

Festum Purificationis B. Mariæ Virginis non habet Vesperas solemnes præcedentes. In die autem Officium peragitur hoc ordine. Et primo ordinantur candelæ in loco convenienti benedicendæ, & distribuendæ per illos, ad quos spectat, videlicet duo cerei magni ponderis viginti librarum, vel circa deaurati depicti, & alius minor etiam pulchre ornatus ponderis duarum librarum, vel circa, quem Pontifex in Processione in manu portat. Item faculæ ceræ albæ pro Cardinalibus, Regibus, & Maximis Principibus, ponderis trium librarum quælibet, vel circa. Item faculæ in numero sufficienti pro Oratoribus, & Prælatis ceræ communis, ponderis duarum librarum quælibet. Item faculæ unius libræ in numero sufficienti, pro Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Cameræ, Acolythis, Cubiculariis, Cæremoniariis, Scutiferis Papæ, & aliis Officialibus. Item faculæ mediæ libræ in numero copioso pro populo. Advertantur (1) etiam Credentiarii Papæ, quod in mane ordinent in loco, ubi candelarum distributio fiet, in angulo super Altare, vel in alio loco condecenti vasa, & aquam pro lavandis manibus Papæ cum mantili, & gremiali, ac medulla panis. Præparent etiam Clerici Capellæ in loco convenienti duo candelabra, & cum luminaribus vas aquæ benedictæ cum aspersorio, & thuribulum cum navicella. Item (2) ferre parent baldachinum pro Processione habenda pro Pontifice. Deinde hora congruenti Papa indutus Amictu, Albo, Cingulo, Stola, Pluviali rubro, & Mitra simplicibus, venit ad Capellam, vel Ecclesiam, ubi candelæ sunt benedicendæ; & facta Oratione ante Altare, cum sederit, Cardinales faciunt reverentiam in Cappis consuetis. Duo ultimi remanent in assistentia Papæ, & Diaconi duo assistentes vadunt ad capiendum paramenta, & illis revertentibus, illi duo ultimi vadunt ad sedes suas, & ibi capiunt paramenta. Cardinales alii interim in locis suis, & Prælati extra Capellam capiunt paramenta violacei coloris statui suo, & ordini convenientia. Diaconi Cardinales portant Planetas plicatas ante pectus. Quibus omnibus paratis, Pontifex benedicit candelas more solito. Solent tamen, quando Papa benedicit, & distribuit candelas in parva Capella, ad evitandam (3) presionem, Cardinales, & Prælati, & alii Officiales omnes accipere paramenta, & Cottas in Camera paramenti, & venire cum Papa parati vestibus, non tamen supplicantium more; & tunc Cardinales cum paramentis supradictis faciunt reverentiam prædictam Pontifici. Papa vero, ministrantibus Episcopis Librum, & candelam, & assistentibus duobus Diaconis Cardinalibus more solito, stans detracta Mitra, benedicit candelas versus ad illas, submissa voce legendo, dicens: *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*. *Domine Sancte Pater &c.* cum quatuor sequentibus, prout in Ordinario. Incepta quinta Oratione per Pontificem, vocatur Prior Presbyterorum Cardinalium, accedunt (4) ad Pontificem cum eo duo Acolythi Superpelliceis induti, unus cum thuribulo & navicella, alius cum vase aquæ benedictæ, & asperforio. Finita benedictione, imponit incensum in thuribulum more consueto, deinde accepto asperforio de manu Presbyteri Cardinalis, stans sine Mitra, aspergit tertio candelas, & deinde incensat, ducens ter thuribulum. Sedet post hæc,

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero 1. & Colonienfi, *admiscentur*. (2) Ita in Romana editione, in aliis, *tum*, & deinde legendum *Ferrii*: (3) Sic in eadem Romana, in aliis vero, *frequentiam*. (4) Ita etiam in Romana, in aliis, *accedit ad Pontificem: cum eo duo Acolythi &c.*

Digitized by Google

hæc, & imponitur ei Mitra. Tum Prior Epiſcoporum Cardinalium accedit ad Papam, & accipit duos magnos cereos de manu Camerarii, vel ejus locum tenentis, cui Clerici Cameræ eos ſubminiſtrant, & illos dat Domino Papæ cum debitis reverentiis, oſculando primo cereum, deinde manum Pontificis, cum Pontifex eos tangit; qui cerei deinde dantur ad mandatum Papæ duobus Nobilibus, quorum alter, dignior videlicet, vadit ad dextram, alter ad ſiniſtram Papæ; & ibidem ſtantes eos tenent uſque ad finem Miſſæ. Poſt magnos cereos datur Pontifici alius cereus minor ornatus, quem deinde ſervat unus ex Cubiculariis Cameræ, & iſto utitur Papa in toto Officio. Cum Papæ cerei dantur, Cantores incipiunt, *Lumen ad revelationem*. Cereos omnes diſtribuendos debent miniſtrare Clerici Cameræ ſtantes, a loco, ubi ſunt candelæ, uſque ad Papam, & illos dare ad manum Diaconi Cardinalis Papæ aſſiſtentis a parte candelarum, qui illas Papæ miniſtrat. Ut vero Papa accepit ſuas candelas, duo Auditores a Credentiariis Papæ mappulam aſſumentes, eam per Cardinales aſſiſtentes gremio Pontificis imponunt, & hinc inde genuflexi illam tenent; & Pontifex incipit diſtribuere aliis, primo Dominis Cardinalibus ſecundum ordinem, incipiendo a ſeniore, ideſt ab eo, qui ſibi cereos dedit, & Cardinalibus Officialibus, videlicet Vicecancellario, Camerario, & Pœnitentiario dat duas candelas pro quolibet. Celebraturus autem cum primum candelam ſuam acceperit, vadit ad Faldiſtorium ſuum apud Altare, & accipit paramenta omnia pro Miſſa conſueta, ſicque paratus expectat Pontificem more ſolito. Cardinales cum candelas accipiunt, manum Papæ oſculantur, deinde genu, alii vero Prælati parati ter ante Pontificem genua flectentes, accepta candela, oſculantur genu tantum. Nota, quod Pœnitentiarii oſculantur pedem tantum, & ſimiliter in Dominica Palmarum. Omnes vero alii, quicumque ſint, genuflexi coram Pontifice, accepta candela, oſculantur ejus pedem. Diſtributio autem fit ſecundum ordinem conſuetum Curiæ, ita tamen quod Prælati præferantur parati Oratoribus laicis, & Clericis non paratis, quorumcumque Oratores ſint, & quibuſcumque etiam aliis Principibus, exceptis illis, qui inter (1) Cardinales, ſeu in plano ſupremo Solii Papæ locum habent. Illi autem ſtatim ſequuntur Cardinales (2) ante aſſiſtentes Papæ, & alios quoſcumque Prælatos.

COMMENTARIUS.

I. CRedidit jam Cardinalis Baronius repeti poſſe primordia hujus Solemnitatis a Gelaſio I. Pontifice, qui Romæ Lupercalia ſuſtulit, quamvis pudendæ quædam eorum reliquiæ ſupereſſent. Oratio illius, qua Lupercalia exagitat, edita eſt in Conciliorum Collectione, & in Annalibus Eccleſiaſticis. Vehemens quidem eſt hujuſmodi conjectura, quum Februa, unde Februarius menſis eſt appellatus, Sacra fuerint, & expiationes Romanorum, ut obſervat Thomaſinus Lib. II. *De dierum Feſtorum celebratione*, Capite XI. Num. II. Sunt præterea, qui exiſtimant Feſtum Purificationis Deiparæ, quod Græci occurſus, ſive occurſationis, antiquiores Sacramentorum Libri Feſtum S. Simeonis appellant, primam ſui originem debere Juſtiniano Imperatori, qui exorta Conſtantinopoli lue graviſsima, ut Divinum Numen ſedaret, hoc Feſtum primum inſtitui mandaverit. Ita plane tradunt Nicephorus Lib. XVII. *Hiſtoriæ*, Cap. XXVIII. & Cedrenus, quibus conſentit Uſuardus in Martyrologio ad diem II. Februarii, ſicſcribens: *Hypapante Domini, & Purificatio B. Virginis, quod Feſtum tempore Juſtiniani Imperatoris apud Byzantium, ſeu Conſtantinopolim ſumpſit exordium*. Id anno Chriſti DXLII. factum ſcribit Sigebertus, Cedrenus Juſtiniani anno IX. Theophanes anno XV.

II. Verum enim vero longe aute Juſtiniani tempora inſtitutum fuiſſe hoc Feſtum, aſſerit eruditus Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XV. probatque ex Sermone, quem S. Gregorius Nyſſenus de occurſu Domini compoſuit, ubi inter alia hæc habet: *Etenim quando circa tempus, quod eſt Archetypum, ut ſic dixerim, præſentis Feſti, is qui forma Divina præditus erat, & formam ſervi ſumpſerat, mediator inter Deum, & homines factus, Legis præceptum exequens, quadraginta dies natus, infans ſempiternum illud Verbum una cum Genitrice conveniente, atque præſcriptam Hoſtiam portante ad Templum pergebat..... cujus hodie nos Myſterii memoriam celebrantes &c.* Itaque quod ajunt illi Auctores, non de ſimplici hujus Feſti inſtitutione, ſed de tempore, quo primum Conſtantinopoli celebrari cœpit, intelligendum eſt, uti addiſcere licet ex Theophane, Lib. XVI. Hiſtoriæ, & ex Landulpho Sagace in Vita Juſtiniani, ubi ita inquit: *Anno quintodecimo Imperii Juſtiniani, menſe Octobri facta eſt mortalitas Byzantii, & eodem anno Hypapante ſumpſit initium, ut celebraretur apud Byzantium die ſecunda Februarii*. Sed & in Eccleſia Latina jam longe ante Juſtiniani tempora Purificationem Beatæ Mariæ peculiari Feſto celebratam fuiſſe, conſtat ex iis, quæ infra dicemus; imo ſcribit Stephanus Baluzius in Notis ad Capitularia Regum

(1) Ita in Veneta I. editione, & Colonienſi; in Romana vero legitur, *inter bancum Cardinalium, ſeu in plano &c.*
(2) Ita in editione Romana, in aliis vero citatis legitur, *aut aſſiſtentes &c.*

Digitized by Google

gum Francorum, pag. 1177. solum hoc ex omnibus Beatæ Mariæ Festis olim excultum fuisse cui deinde addita est Assumptio, tum Conceptio, Præsentatio, Annunciatio &c. tametsi in antiquis Gallicanis Missalibus a Cardinale Thomasio vulgatis, nec in vetustissimo Lectionario Luxovienſi, in quibus Asſumptionis Festivitas reperitur, nulla Purificationis Deiparæ Virginis mentio reperiatur.

III. Observat hæc eruditus Martene loco citato, Num. I. subditque mox Num. II. duo præsertim in hac Festivitate singularia occurrere, Cereorum scilicet benedictionem, & Processionem, de qua dicemus nos infra in Commentario ad §. sequentem. Quod benedictionem spectat, teste laudato Martene, Num. V. nulla de ea fit mentio apud Amalarium, Valfridum, & vulgatum Alcuinum, qui Cereos tantum a Papa dari asserit. Sed neque in Gelasiano, Gregoriano, Gellonensi, aliisque supra nongentos annos scriptis Sacramentariis aliquid ea de re extat. In antiquo Missali Ecclesiæ Turonensis annorum circiter CM. unica Oratio *ad luminaria benedicenda* reperitur, quam hic exhibere operæ pretium ducimus, non enim extat in hodiernis Romanis Missalibus: *Deus, verum lumen, æternæ lucis propagator, & auctor, infunde cordibus tuorum Fidelium perpetui luminis claritatem, ut quicumque in Templo Sancto gloriæ tuæ præsentium luminum adornantur lucernis, omnium vitiorum contagiis expiati, in Templo cælestis habitationis tuæ cum fructu bonorum operum tibi valeant præsentari.* Plures alias orationes in benedictione cereorum recitatas ex variis antiquis mss. Codicibus refert idem Martene Ordine I. & sequentibus.

IV. Juxta §. nostri præscriptum, *Festum Purificationis B. Mariæ Virginis non habet Vesperas præcedentes.* Fit tamen earum mentio in Ordine Romano XIV. Cap. LXXVIII. ubi agens de benedictione cereorum, quæ fit in die Purificationis Beatæ Mariæ ita inquit: *Tantummodo Missa mandatur; tamen Cardinales in primis Vesperis veniunt, & incipiunt Antiphonas.* Et paulo post: *In primis Vesperis Papa venit cum Pluviali simplici de samito, & Mitra aurifrisiata.* Eadem habet Ordo Romanus XV. Cap. XIX. ubi etiam addit, Cardinales in ipsis Vesperis adhibere *paramenta alba.* Porro in antiquis mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis nulla habetur mentio hujusmodi Vesperarum, sicut nec in Ordine Romano Paridis Grassi, Cap. II. ubi agit de Vesperis Papalibus totius anni, & de numero, ac locis ubi ipsæ celebrantur. Quod autem attinet Officium ipsa Purificationis Deiparæ die in Sacello Pontificio peragendum, diserte illud recensent antiqui Romani Ordines, quorum loca nos infra referemus. Ex præscripto nostri §. præparatis cereis, & in loco convenienti positis, hora congruenti Papa *indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali rubro, & Mitra simplicibus, venit ad Capellam, vel Ecclesiam, ubi candelæ sunt benedicendæ, & facta oratione ante Altare, cum sederit, Cardinales faciant reverentiam in Cappis consuetis &c.* Juxta Ordinem XIV. Romanum, Cap. LXXVII. prius fiebat benedictio, & distributio candelarum, & deinde exhibebatur Papæ per Cardinales reverentia, & post reverentiam, Cardinales non modo, sed & Prælati paramenta convenientia accipiebant: *Benedictione completa, aspergantur cerei aqua benedicta, & thure adolentur per eundem Presbyterum Cardinalem*, qui scilicet cereos benedixit. *Deinde distribuantur cerei, ut infra. Nam Papa indutus Manto rubeo tenens Mitram de vernello in capite venit ad locum præparatum ad hoc more consueto cum duobus Diaconibus. Tunc facta reverentia consueta per Cardinales Presbyteros, & post reverentiam paratis omnibus tam Cardinalibus, quam aliis &c.*

V. Eadem pene habet Romanus Ordo XV. Cap. XX. quod inscriptum est, *De benedictione candelarum*, ubi etiam ritus ipse luculentius enarratur his verbis: *Completa ergo benedictione, Dominus noster Papa in Camera paramenti induit se Albam, sive Romanam Camisiam, Stolam, & Pluviale rubeum de samito cum aurifrisiis, sive perlis, & Mitra alba de garnello; & cum pervenerit ad Capellam, orat ante Altare, aliquantulum accumbens super Cathedram, & scabellum paratum ad illud. Quod si non sit ibidem Capella, accedet ad Cathedram suam, & ibi sedet. Postea veniunt Cardinales, & Prælati non parati*, cum Cappis scilicet laneis, ut habent Libri Cæremoniales infra citandi, *ad reverentiam Papæ, ut alias est consuetum fieri; qua facta reverentia, vadunt Cardinales, & cæteri Prælati ad recipiendum paramenta sua violacea, vel Indii coloris. Presbyteri, & Diaconi Cardinales induunt Superplicium, Amictum latum, & Planetam; Episcopi vero Pluviale, necnon & ceteri Pralati similiter Pluvialia coloris violacei, quibus paratis, paratur una tobalea per Sacristam de lino super genua Papæ, quam tenent duo Capellani ab utroque latere, aut duo Acolythi flexis genibus, unus a dextris, alius a sinistris &c.* Paucis immutatis, eundem ritum recensent Cæremoniales mss. Codices Piersanctinus, & Brunonis Joannis de Davantria in eo Capite, quod inscriptum est, *De Officio Missæ, & aliis, quæ fiunt in die Purificationis Beatæ Mariæ, sive Papa celebret, sive coram eo celebretur per Cardinalem, aut alium Prælatum.*

VI. Spectant hæc antiquum ritum, nam alias ex hoc nostro §. prius Cardinales, cum Papa sederit, faciunt ei reverentiam in Cappis consuetis, factaque reverentia, *capiunt paramenta violacei coloris statui suo, & Ordini convenientia, quibus omnibus paratis, Pontifex benedicit candelas more solito*, [qui scilicet non ita pridem invaluerat; nam alias Romanus Ordo XV. citato Capite XX. diserte ait, benedictionem ipsam candelarum fieri consuevisse *summo mane per juniorem Presbyterum Cardinalem qui esse debet indutus Rochetto, Alba, Amictu, Stola, & Pluviali albi coloris, & Mitra simplici de garnello, cum aqua benedicta, incenso, & Sociis indutis cum Superpliceis, & duobus Ceroferariis cum faculis accensis benedicit candelas, prout in Missali, & Pontificali Romano continetur.* Idipsum confirmatur ex laudatis superius mss. Codicibus, Piersanctiono, atque Davantriano, in quibus ita legitur: *Sciendum est, quod in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis cerei benedicuntur per Presbyterum*

Digitized by Google

terum juniorem Cardinalem, & antequam Papa veniat ad Capellam, fit per Cardinalem benedictio, & facta benedictione, asperguntur cerei aqua benedicta, & thure adolentur per eundem Presbyterum Cardinalem. Porro peracta benedictione, veniebat Papa ad Capellam, in qua aderant Cardinales, qui, ut dictum est, Pontifici in Solio sedenti reverentiam præstabant & deinde paramenta accipiebant.

VII. Ceterum fateri cogimur, jam longe ante Ordinem Romanum XV. & XIV. moris Romæ fuisse, ut ipso Purificationis Deiparæ Festo Cardinales candelas benedicerent, quas deinde Pontifex distribuebat. Audiendus est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. XXXIX. ubi ita celebritatem ipsam notatu dignam recenset: *In Purificatione Beatæ Mariæ leguntur Sermones ejusdem Festivitatis. Mane Statio ad Sanctam Mariam Majorem. Exeunt XVIII Imagines a Diaconis, & cum Clericis, & populo veniunt ad S. Adrianum, ubi fit Collecta. Sed Dominus Pontifex descendit ad S. Martinam cum Episcopis, & Cardinalibus, & ceteris Scholis. Ibi cum omnibus induitur. Quidam Cardinales benedicunt cereos adductos a Curia, & Cubiculariis. Pontifex egreditur inde, & ascendit Sedem ante Ecclesiam, quos ita expendit. Prius dat Episcopis, deinde Cardinalibus, postea Diaconibus, & aliis Ordinibus, & populo &c.* At vero non multo post mutatus fuit hic ritus ex Ordine Romano XII. Auctore Cencio, ex cujus præscripto, non quidem Pontifex, sed junior Presbyter Cardinalis in Festo Purificationis cereos benedicebat. Sic enim laudatus Ordo XII. ait Cap. v. *In Purificatione Beatæ Mariæ Virginis Dominus Papa vadit ad S. Martinam cum Cardinalibus in mane, & ibi cantat Tertiam. Deinde induit se in Ecclesia usque ad Dalmaticam, & induto Manto, apponit Mitram, omnesque Cardinales induunt se, ibique Vastararii cum Ostiariis Basilicæ Sacri Palatii repræsentant cereos ad benedicendum, quos minor Presbyterorum Cardinalis in ordine benedicit.* Tum postquam dixit, Ecclesiam S. Petri dare *quindecim*, sive, ut alibi legitur, *decem, libras cereas pro bis cereis*, ita subjicit: *Et bis factis, Dominus Papa exit ab Ecclesia cum Cardinalibus, & ascendit Sedem, quæ est præ foribus illius Ecclesiæ, & manu propria populo cereos porrigit. Deinde vadit ad Porticum ad Ecclesiam S. Adriani, & ascendit Sedem, quæ est post Altare, ibique cantat Sextam.*

VIII. His juxta antiquum ritum notatis, devenio ad nostrum §. ex cujus præscripto, *paratis omnibus, Pontifex benedicit candelas more solito*, recitatis scilicet quinque orationibus, ut vel in antiquis Missalibus leguntur ad diem 11. Februarii in Festo Purificationis Beatæ Mariæ, licet non desint antiqui mss. Codices allati ab erudito Martene, in quibus aliæ orationes ad candelas benedicendas dicerentur. Quidquid sit, *incepta quinta Oratione per Pontificem*, ait noster §. *vocatur prior Presbyterorum Cardinalium, accedunt ad Pontificem cum eo duo Acolythi Superpelliceis induti, unus cum thuribulo, & navicella, alius cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio. Finita benedictione imponit incensum in thuribulum more consueto: deinde accepto aspersorio de manu Presbyteri Cardinalis, stans sine Mitra, aspergit tertio candelas, ducens ter thuribulum &c.* Benedictas candelas consuevisse vel olim aspergi aqua benedicta, & thure adoleri, non obscure innuunt antiqui Romani Ordines, variique mss. Codices a laudato Martene allati. Ejus ritus mentionem passim faciunt in suis mss. Diariis Cæremoniarii Apostolici, inter quos Burchardus ad annum MCDXC. quo Innocentius VIII. Ecclesiam regebat, die 11. Februarii ita scribit: *Papa stans benedixit candelas ad sinistram suam in angulo Capellæ repositas, ac alias omnes, quæ ad dictam Capellam, tam extra, quam intra cancellum adsportatæ fuerunt, faciens singulis vicibus in benedictione signum Crucis, primo versus candelas Capellæ, deinde versus alias extra cancellum.* Sane invaluerat Sæculo XV. mos ut præter candelas, quæ Cameræ Apostolicæ impensis ad Capellam deferebantur, aliæ quoque a privatis ad eandem deferrentur, quas Papa benedicebat, eumque morem servandum etiam statuit Congregatio Cardinalium deputata a Gregorio XIII. initio Pontificatus ad reformationem Sacrorum Rituum, atque Cæremoniarum Capellæ Pontificiæ, sic inter alia inquiens: *Non videtur prohibendum, ne in Capellam deferantur aliæ candelæ, quam illæ, quas Sanctissimus Dominus noster deferri faciet pro benedicendo.* Idque testatur in suo ms. Diario accuratus Mucantius.

IX. Peracta benedictione, ex præscripto nostri §. *Prior Episcoporum Cardinalium accedit ad Papam, & accipit duos magnos cereos de manu Camerarii, vel ejus locum tenentis, cui Clerici Cameræ eos subministrant, & illos dat Domino Papæ cum debitis reverentiis, osculando primo cereum, deinde manum Pontificis, cum Pontifex eos tangit.* Juxta antiquum morem, cujus meminit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. v. Pontifex cantata Sexta in Ecclesia S. Adriani, sedens accipiebat *faculam accensam a Priore Episcoporum*; eoque absente, *a Priore Presbyterorum*. Dari debere Papæ cereum, non tamen accensum, a Priore Episcoporum, docet quidem Ordo Romanus XIV. Cap. LXXVIII. his verbis: *Prior Episcoporum Cardinalium, deposita Mitra sua, stans Papæ sedenti in Faldistorio, & cum Mitra Faculam non accensam, quæ aliis major est, nihil dicendo, dat, osculando manum Papæ.* Primus, qui de duobus cereis dandis Papæ mentionem facit, fuisse videtur Petrus Amelius in Ordine Romano XV. ubi hæc habet: *Prior Episcoporum Cardinalium, vel, si absit, Subprior, sic descendendo, Mitra deposita, stans ante Papam, sedente eo in Sede sua, cereum recipit de manu Camerarii, vel alicujus Episcopi Papæ assistentis, & stans dictum cereum de cera alba grossiori aliis & majori non accensum, nihil dicendo, dat Papæ, & iterum alium eodem modo dat Papæ.* Duo ipsi cerei, ut habet hic noster §. *deinde dantur ad mandatum Papæ duobus Nobilibus, quorum alter, dignior videlicet, vadit ad dexteram, alter ad sinistram Papæ, & ibidem stantes, eos tenent usque ad finem Missæ.* Varia hujus ritus exempla legere est in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, testisque est Baccius in Vita S. Phi-

Digitized by Google

S. Philippi Nerii Lib. I. Cap. XVI. Num. X. Paulum IV. Pontificem Maximum in benevolentiæ argumentum hujusmodi cereos ad ipsum Philippum in nostra S. Hieronymi Charitatis Domo degentem misisse: *In benevolentiæ argumentum duos ad eum cereos deferendos curavit, ex iis nempe, qui in die Purificationis B. Virginis in Pontificio Sacello ardere consueverunt.*

X. Post magnos cereos datur Pontifici, ait noster §. *alius cereus minor ornatus, quem deinde servat unus ex Cubiculariis Cameræ, & isto utitur Papa in toto Officio. Cum Papæ cerei dantur, Cantores incipiunt*, Antiphonam scilicet, *Lumen ad revelationem gentium &c.* cujus mentionem faciunt antiqui variarum Ecclesiarum mss. Ordines allati a toties memorato Viro Clarissimo Edmundo Martene in Opere, De *antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* in fine Capitis XV. quibus adde Ordines Romanos XI. & XII. in quibus recensentur preces, quæ hodieque leguntur in Missali Romano. Sane in laudato Romano Ordine XII. Auctore Cencio, dum Pontifex accipit faculam, & quidem accensam, ut Ordo ipse præscribit, *a Priore Episcoporum, &, si non est præsens, a Priore Presbyterorum, Schola cantat Hymnum*. Lumen ad revelationem, *cum Psalmo*, cum Cantico scilicet Zachariæ quod legitur in Evangelio S. Lucæ, Cap. I. incipitque, *Nunc dimittis Servum tuum Domine &c.* Juxta variorum Ordinum præscriptum dicebatur ea Antiphona cum cerei accendebantur: *Candelis accensis*, ait ms. Codex Ecclesiæ Narbonensis annorum circiter 700. *Cantor incipiat sequentem Antiphonam*, Lumen ad revelationem &c. *& Chorus cantet eam totam; qua finita, Cantor incipiat Psalmum*: Nunc dimittis; *& post quemlibet ℣. repetitur.*

XI. Ad candelarum distributionem quod attinet, jam multa notarunt Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis, in quibus etiam varias controversias, ac lites recensent ob præcedentiam in iis recipiendis. Sed & de hac re nonnihil infra dicemus in Commentario Capitis XXX. quod inscriptum est, *Ordo distribuendi candelas*, ubi prolixum Francisci Mucantii locum describemus. Quammaxime vero ad hunc præsentem §. facit, quod Mucantius ipse ad annum MDLXXIII. scripsit, sic ad rem nostram inquiens: *Candelæ fuerunt datæ a Sanctissimo Domino Nostro*, nempe Gregorio XIII. *singulæ singulis, exceptis Cardinalibus Decano, Celebrante, & Officialibus, videlicet Vicecancellario, Pœnitentiario, Camerario, Signaturæ Prælatis, & aliis similibus, quibus datæ fuerunt binæ, quamquam in Cæremoniali ordinario fiat mentio de tribus tantum Officialibus. Super quo in futurum statuendum erit, quid erit observandum*. Ceterum quod accessum Pontificis spectat in hoc Festo ad Capellam, de quo primum loquitur hic noster §, operæ pretium duxi ad calcem hujus Commentarii describere quod notavit idem accuratissimus Apostolicarum Cæremoniarum Magister Franciscus Mucantius in suo ms. Diario ad annum ipsum MDLXXIII. qui fuit primus Gregorii Papæ XIII. Sic enim ait.

I. Die Martis 2. Februarii in Festo Purificationis Beatæ Virginis Papa venit ad Capellam Sede vectus, ac paratus Pluviali rubro, & Mitra ex solis margaritis ornata. Antequam exiret Cameram paramenti, Abbreviatores de Parco majori osculati fuerunt pedem Sanctitatis suæ, parati Cottis supra Rochettos, eo quod fuerunt noviter admissi in Capella, & datus eis locus post Acolythos cum facultate deferendi Cappam, & Cottas, prout Acolythi, ex gratia illis per Sanctissimum Dominum nostrum concessa, ac prius de loco, & habitu eis dando in Congregatione Cæremoniarum matura discussione præhabita. Quibus se opposuerunt Advocati Consistoriales, dicentes, id nequaquam eis concedi debere in eorum præjudicium, quippe cum in ordine Processionis Sacratissimi Corporis Christi ipsi Advocati, & Cubicularii præcedant in digniori loco. Verum his non obstantibus, visum fuit Sanctissimo Domino Nostro eis locum dari post Acolythos immediate, eo quod in Officio Acolythorum, & illorum vices, cum opus fuerit, supplere habeant, hac tamen conclusione adjecta, ut hoc privilegium Clericis tantum competat, & minime uxoratis.

2. Itaque osculato pede Sanctissimi, Cardinale Farnesio eos introducente, iverunt in ordine, & habitu prædicto cum Acolythis ipsis, scilicet Acolythis subsequentibus in loco digniori, omnibus etiam Officialibus, idest Subdiaconis, Auditoribus Rotæ eodem habitu indutis præter Subdiaconum Crucem portantem, qui venit cum Cappa, prout in tali solemnitate consuetum est. Prælati autem, idest, Archiepiscopi, & Episcopi deposuerunt eorum Cappas extra crates ferreas Capellæ, capiendo Pluvialia, & Mitras. Cardinales autem venerunt Cappis violaceis, vestibus autem subtanis rubeis induti, de quo ego per duos dies ante præmoneram R. P. Sacristam, qui jam dederat ordinem cursoribus, ut venirent cum Cappis etiam rubeis, sed talis ordo fuit revocatus; nam fuerat jam resolutum, in tali actu deferendas esse violaceas, prout semper fuerunt delatæ. Est enim Officium benedictionis candelarum feriale, licet verum quia hoc anno incidit tale Festum ante Septuagesimam, & etiam extra diem jejunii, visum fuit conveniens, ut saltem Cardinales deferrent subtanas rubeas, licet aliqui Cardinales antiqui, inter quos Illustrissimus Cardinalis Farnesius, hoc reprehenderent, dicentes, omnino debuisse deferri etiam subtanas violaceas, & vere idem sensit Paris de Grassis in suo Cæremoniali in Capitulo de hac festivitate; addens, quod etiam Papa ad hunc actum, antequam capiat paramenta, non debet venire serico vestitus, sed cum bireto, & caputio, seu superhumerali laneo. Poterit igitur in futurum hoc certius firmari. Ipsi Reverendissimi Cardinales præstita obedientia Sanctissimo, acceperunt paramenta violacea eorum ordini convenientia more solito.

XII. Hactenus Franciscus Mucantius Apostolicarum Cæremoniarum Magister, Vir doctus, Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimus, & in sacris Ritibus summe versatus, ideoque non mirum videri debet, si frequenter ex illius ms. Diario loca describo, tum præsertim, quod ex eodem Scriptore addiscere licet plurium novorum Rituum originem, ac quorumdam quoque veterum abolitionem, auctoritate Summorum Pontificum, & potissimum Gregorii XIII. pro temporum ratione factam.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De lotione manuum Pontificis, Processione, & candelarum projectione in populum.

Finita distributione, portatur aqua ad abluendas manus Papæ per Nobiliorem Curiæ, comitantibus ipsum Servientibus armorum, & Magistro Sacri Palatii, seu Hospitii, quem etiam duo Auditores præcedunt, quorum unus mappulam ad tergendum manus portat more consueto; & portatur cum aqua supra vas ipsum medulla panis pro mundandis manibus Papæ per Credentiarios, ut supra, parata, & Prior Episcoporum Cardinalium adjuvat infundentem aquam manibus Papæ, ut consuevit. Lotis manibus, accedunt ante Pontificem duo Acolythi cum candelabris, & luminaribus, & deponitur Mitra Papæ; qui surgit, & Episcopis assistentibus ex more Librum ministrantibus, dicit cantando: *Oremus*, & Diaconus a dextris dicit: *Flectamus genua*; & omnibus versus Altare genua flectentibus, alius (1) Diaconus a sinistris statim continuat: *Levate*. Surgunt omnes, & Papa cantat Orationem, *Exaudi Domine &c.* prout in Ordinario, sub concluſione, *Per Christum Dominum nostrum*. Qua finita, Papa sedet, & accipit Mitram, & Priore Presbyterorum Cardinalium, & Acolytho ministrantibus, imponit incensum pro (2) Processione more consueto, & Cantores incipiunt Antiphonam, *Cum appropinquaret Dominus*. Accenduntur candelæ, & fit Processio more solito usque ad locum paratum, unde Papa projicere debet candelas populo. Deinde ad Ecclesiam, sive Capellam, ubi Missa dicenda erit, hoc modo proceditur. Scutiferi Papæ, quos sequuntur alii more consueto, prout supra in die Nativitatis Christi dictum est. Papa, Cardinales, & alii omnes debent propriis manibus suas candelas portare ardentes a loco, ubi incœperit Processio, usque ad locum, ubi Missa erit dicenda. Cum autem perventum fuerit ad locum, ubi candelæ per Papam populo sunt projiciendæ, manent omnes extra locum suo ordine, & cum Pontifice intrant Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferarii, Clerici Cameræ ministrantes candelas, Episcopi assistentes Papæ, & Cardinales, qui voluerint intrare pro loci capacitate. Cantores apud ostium extra cantant. Alii Episcopi omnes parati stant hinc inde ordinate extra dictum locum, quousque Papa candelas populo projecerit. Papa venit sub baldachino, quod per Nobiliores Curiæ more consueto portatur.

COMMENTARIUS.

I. LOtio manuum Pontificis celebrari jam semper consuevit cum magnis cæremoniis, quas jam nos non uno in loco explicuimus. Fieri eam consuevisse post candelarum distributionem per Nobiliorem notant passim Apostolici Cæremoniarii in suis Diariis. Teste Burchardo ad annum MCDXC. ubi recensetritus celebritatis Purificationis Deiparæ, *finita distributione*, candelarum, *lavit manus*, Pontifex scilicet Innocentius VIII. *Domino Alexandro de Alexandris Oratore Regis Neapolitani aquam infundente, ac Vicecancellario adjuvante*. Rursus ut idem Auctor scribit ad annum MCDXCI. *aquam*, lavandis scilicet manibus Papæ, *dedit Dux Soræ*. Atque, ut alios omittam, teste Mucantio ad annum MDLXXIII. *finita distributione, aquam manibus ministravit Orator Franciæ, adjuvante Priore Episcoporum Cardinalium.* Sed neque omittendum quod idem Scriptor mox subjicit: *Pontifex lotus surrexit, & cantavit orationem, sed non fuit per Diaconum Cardinalem a dextris dictum*, Flectamus genua, *nec per alterum a sinistris*, Levate; *quia erat ante Septuagesimam, quo casu non debet dici, ut est in Rubrica Missalis novi, quod advertit Illustrissimus Cardinalis Carrafius sacrarum litterarum, & Cæremoniarum studiosissimus.*

II. Sed hoc obiter dicto, quod Processionem spectat in Festo Purificationis Deiparæ haberi solitam cum cereis accensis, antiqua profecto illa est in Ecclesia Romana, ejusque meminit Gelasius I. Pontifex Maximus in Libello adversus Andromachum. Hinc quod nonnulli Auctores tradunt, Sergium Papam, qui claruit labente seculo VII. præcepisse, Litanias fieri in die Præsentationis Domini in Templo, stare minime potest, neque etiam gesta Romanorum Pontificum, quæ ad id probandum citant, plane evincunt, sed tantum, ut Processio, quæ in Purificationis Deiparæ Festo fieri consueverat, in aliis Beatæ Mariæ Solemnitatibus celebraretur; vel quæ nullo prius determinata erat in loco, deinceps ab Ecclesia S. Adriani ad Beatam Mariam Majorem procederet; uti inter alios observat Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c*, Cap. XV. Num. II. ubi etiam locum Libri Pontificalis refert, qui in laudati

(1) Ita in editione Romana, perperam autem in Veneta 1. & Colonienſi legitur, *aliis Diaconis.* (2) Ita in eadem Romana editione, in citatis vero aliis legitur *Supplicatione*, iſtoque verbo utuntur ſemper loco Proceſſionis.

Digitized by Google

Sergii Papæ Vita sic inquit: *Constituit autem, ut diebus Annunciationis, Nativitatis, & Dormitionis S. Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat.*

III. Antiquam esse hujusmodi Processionem, & a Romana Ecclesia ad alias derivatam, prisci etiam Patres docent, inter quos S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus, qui medio circiter Seculo VII. floruit, Sermone I. hæc scribit: *Agitur autem hæc Festivitas mense Februario, quem Romani adhuc Pagani a Februo, idest Plutone sic vocaverunt, quem potentissimum purgationis credebant, februare enim purgare dicimus; quo mense lustrabatur Civitas, & Diis Manibus offerebant Sacrificia, quorum auxilio, & virtute totum Orbem se subjugasse putabant. Quam lustrandi consuetudinem congrue, & religiose Christiana mutavit Religio, cum eodem mense, idest, hodierna die in honorem S. Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, non solum Clerus, sed & omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis, & diversis Hymnis lustrantes circumeunt, non jam in memoriam terreni Imperii quinquennem, sed ob recordationem Cælestis Regni perennem, quando juxta Evangelicam parabolam omnes Sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi Sponso Christo obviantes, abeo in thalamum æternæ felicitatis sunt introducendi.* Ildephonso æqualis fuit S. Eligius Episcopus Noviodunensis, ejusque Sermo in Purificationem super-est, ubi quæ a Toletano Præsule attulimus, fusius repetit. Hortatur nos in suo Sermone II. ut Deo Patri Filium offeramus, tanquam scelerum expiationem, & per hanc ab ipso crimina nostra deleantur, dum ei cum Simeone occurrimus, accensas lampades præferentes, puras scilicet a scelere manus, & pectus divinarum rerum amore flagrans: *Cum Domina nostra eum oblaturi, aut cum Simeone susceperi, cum cereis, & Hymnis, puritate mentis, atque lucidis operibus splendidi.*

IV. Similia legere est apud Bedam in Libro, *De temporum ratione*, Cap. X. sed digna notata sunt, quæ de ista Processione ex Historia S. Dunstani narrantur ab Osberto Monacho ejus Discipulo in ipsius Vita apud Surium ad diem XVIII. mensis Maji, Cap. I. Ipso nempe Purificationis Festo populus in Templo accensas faces gestabat, quas ad Aram obtulerat; nimbus repente decidens omnes extinxit, ac postea cæleslis quidam ignis cereum matris S. Dunstani accendit, qui aliis admotus accendit pariter cæteros: *Pater Dunstani cum Matre ad Dei servitium properabant, amb cereos, quos pro ritu ipsius diei offerrent, deferentes. Jam Missæ Officium celebrari cæperat, & immensus populus immensa luminum claritate refulgens in Domo Dei laudibus Divinis intendebat &c.* Unusquisque accensum cereum ferebat oblatum prius ad Aram, ut ad memoriam revocaret Verbum Divinum, clarissimum revera *Lumen ad revelationem Gentium*, quod singuli cum Deipara Patri offerebant, se ipsi quoque Deo dicantes, tanquam lucis filios, illudque Pauli Apostoli implentes, qui in Epistola sua scribit: *Ut filii lucis ambulate.*

V. Itaque ab Ecclesia instituta fuit Processio in memoriam illius diei, quo Christo cum Matre, & Josepho obviam venerunt Simeon, & Anna gratulantes, & benedicentes Deum, ut habetur Lucæ Capite II. Unde hujus Solemnitatis Officium exorditur Ecclesia ab Invitatorio: *Ecce venit ad Templum Sanctum suum dominator Dominus; gaude, & lætare Sion occurrens Deo tuo.* Cujus occursus mysterium ut rite celebretur, instituta est solemnis Processio cum luminaribus ad eum usum benedictis, quo Fideles Christo salutis suæ causa in mundum venienti occurrentes, & eum pio affectu, & grati animi complexu excipiant, ac venerentur, lucentium candelarum symbolo profitentur Fidem suam de veritate Humanitatis, & Divinitatis ejus; Carnis sanctitatem pura cera, Divinitatis gloriam lumine ex benedictione indito significantes, ac simul eidem gratiarum actiones, & laudis Hymnos accinunt de cordibus suis, quod venerit *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis suæ Israel*; confitentes, se de ejus plenitudine omnem gratiam sanctificationis, & doctrinæ cælestis accepisse, sicut de igne cerei Sacerdotalis, qui Christum repræsentat, omnes omnium cerei lumen concipiunt, atque in tanti beneficii gratiam ei sua corda sinceræ charitatis igne ardentia offerunt. Atque hæc libuit demum describere ex Libro eruditissimi Jacobi Eveillon, qui inscriptus est, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. VII. neque enim mystice probatorum Auctorum explicationes in Ecclesiasticis ritibus spernendæ penitus sunt, tum præsertim quod ipsas explicationes passim legamus non modo apud veteres Patres, verum etiam in ipsis Ecclesiæ orationibus.

VI. Quoniam vero ad calcandam præcipue Gentilium superstitionem, ut supra adnotavimus, hæc Processio instituta est, hinc olim Summi Pontifices ex Ecclesia S. Adriani ad S. Mariæ Majoris Basilicam nudis pedibus procedebant, ut patet ex Ordine antiquo Romano XI. Auctore Benedicto, Num. XXIX. ubi ritus istius Processionis sic recensetur: *Diaconus dicit*: Procedamus cum pace. *Schola respondet*: In Nomine Christi. *Tunc Subdiaconus Regionarius levat Crucem Stationalem de Altari, plane portans eam in manibus usque ad Ecclesiam. Cum autem venit foras, levat eam sursum, quam fert ante Pontificem in Processione, usque ad S. Mariam Majorem. Primicerius in manu læva retro regendo Pallium Pontificis cum Cantoribus cantat Antiphonam*: Adorna thalamum tuum Sion. *Pontifex cum aliis dicit Psalmos, & sic procedens discalceatus ante arcum Nervæ, intrat per Forum Trajani, & exiens arcum Aureæ in porticu absidata ascendit per directum juxta Eudoxiam, & transiens per Silicem Domum Orphei, ascendit per Titulum Sanctæ Praxedis usque ad S. Mariam Majorem; ibique finita Antiphona a Schola, Subdiaconus Regionarius more solito portat Crucem ad Altare, & facit Litaniam, respondente Schola cum Acolythis; & Dominus Papa cantat Missam, sed non cantatur*, kyrie eleison, *propter Litaniam.*

VII. Sed audiamus ritum ipsum ex Ordine Romano XII. Auctore Cencio, qui Cap. V. quod inscriptum est, *Quid Dominus Papa facere debeat*

Digitized by Google

beat in Purificatione B. Mariæ Virginis, ſic Proceſſionem ipſam deſcribit: *Notandum, quod decem & octo ſunt in Urbe Diaconatus, quorum Clerici poſtquam Miſſas in eiſdem celebraverint, a ſingulis Diaconibus Imagines accipiendo, venient cum Imaginibus iſtis, & populo proceſſionaliter cantando ad Eccleſiam Sancti Adriani. Quibus in eadem Eccleſia coadunatis, cum Schola incipit Antiphonam*, Exurge Domine, *interim Dominus Papa diſcalceat ſe, & omnes, qui ſunt induti, vadunt cum eo in Proceſſione, & Dominus Papa reaccipit planellos*, calceos ſcilicet, quos antea depoſuerat, quoſque iterum deponet, ut mox idem Ordo teſtatur; interim autem ita pergit: *Completa vero a Primiceriis Antiphona, Dominus Papa dicit*, Oremus; *& Diaconus*, Flectamus genua; *& alii Diaconi*, Levate; *& Dominus Papa dicit Orationem de Collecta*, ſcilicet, *Preces populi tui &c.* Alia aſſignatur Oratio in Sacramentario Gregoriano, & in aliis mſs. Codicibus a Martene allatis, nempe, *Erudi quæſumus Domine plebem tuam &c.* Eſt autem Oratio ad Collectam illa, quæ dicitur in loco, ubi fit Collecta, ſeu Conventus ad Proceſſionem, ideoque ex præſcripto ejuſdem XII. Ordinis, *Finita Oratione, Diaconus dicit*, Procedamus in pace; *& omnis Chorus reſpondet*: In Nomine Chriſti.

VIII. His completis, verba ſunt prædicti Ordinis, in quo ritus, de quo in præſenti agimus, egregie enarratur, *Imagines præcedunt Dominum Papam proceſſionaliter cantando uſque ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Majoris, & Dominus Papa ſequitur Proceſſionem; cumque venerit ad portam ipſius Eccleſiæ, exuit planellos, & nudis pedibus vadit cum aliis in Proceſſione uſque ad prædictam Eccleſiam Beatæ Mariæ Majoris*. Sciendum mox monet, Papam in omnibus Proceſſionibus, in quibus pedes vadit, pedibus diſcalceatis incedere, una tantum excepta in Exaltatione Sanctæ Crucis, ſcilicet menſis Septembris, ſtatimque ſubjicit: *Cum autem Dominus Papa ad Eccleſiam S. Mariæ venerit, Primicerius cum Schola Cantorum in Introitu ipſius Eccleſiæ cantat*, Te Deum laudamus &c. *& deinde Dominus Papa intrat Sacrariam, & exuit Planetam, ubi Schola Mappulariorum, & Cubiculariorum habent aquam calidam paratam ad abluendos pedes Domini Papæ, & Dominus Papa, ablutis pedibus, calceat Caligas, cum Sandaliis pro Miſſa cantanda, & induit Planetam albam, & aurifriſiatam Mitram*. Agit & de ipſa Proceſsione Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano Cap. LXXVIII. ubi etiam advertendum ait, *quod ſi Proceſsiones hujuſmodi fierent Romæ per Papam, & ſolemniter in locis ubi Papa his tribus diebus*, ſcilicet Purificationis, Cinerum, & Palmarum, *eſſet celebraturus, Papa paratus eſſet ſolemniter etiam in Proceſsione paramentis Pontificalibus, & cum Pallio, & iret diſcalciatus ipſe, & omnes Cardinales, & Prælati in Proceſsione ſaltem in hac die Purificationis ab Eccleſia S. Adriani uſque ad Sanctam Mariam Majorem, & in die Cinerum ab Eccleſia Sanctæ Suſannæ uſque ad Sanctam Sabinam, ubi eſt Statio*.

IX. Translata Avenionem Sede Pontificia Sacri Ritus Romæ longo uſu probati in deſuetudinem abiere, adeo ut reſtituta Urbi Romæ ipſa Pontificia Sede, nequaquam reſtituti ſint illi. Aliter loquitur Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, ac memorati huc uſque. Capite ſiquidem XXI. ubi de Proceſſione agit haberi ſolita in die Purificationis Deiparæ, Proceſſionem ipſam ad Capellam reſtringens, antiquos ritus omnino omittit: *Movetur*, inquit, *Proceſſio, & Dominus Papa indutus Pluviali rubeo cum perlis aurifriſiis, depoſito alio poſt diſtributionem cereorum, vel Palmarum in die ſua, cum Mitra aurifriſiata, quam in Proceſſione candelarum, ſeu Palmarum deponit, & tenet faculam accenſam, ſeu Palmam ſuo die, in manu ſiniſtra, atque vadens cum dextra ſignat. Omnes etiam alii tenent faculas accenſas, vel Palmas in Proceſſione paramentis violaceis parati, cum Mitris in Capite gradiuntur, & Papa incedit aliquantulum poſt Capellam proceſſionaliter ſub pallio*, ideſt baldachino, *quatuor militibus pallium deferentibus cum manipulariis*, legendum forte mappulariis, *ſi ſit in Urbe, aut quatuor de nobilioribus Viris, vel clientibus armorum, in illorum abſentia, ſicque pergit ad Regias; & primo ad dexteram partem, ſecundo ad ſiniſtram veniendo, projicit candelas populo, & poſtea regreditur ad Sedem ſuam &c.* Eadem fere ad verbum legere eſt in ms. Cæremoniali Joannis Davantriæ, & in ms. Codice Pierſanctiano, ubi ipſam Proceſſionem recenſent.

X. Ritus projiciendi candelas in populum in ipſa Pontificia Proceſſione, primus, ni fallor, mentionem fecit recitatus Romanus Ordo XV. eique concinunt memorati ms. Codices Pierſanctianus, & Davantriæ: *Et primo ad partem dextram, ſecundo ad ſiniſtram veniendo, projicit*, Pontifex ſcilicet, *candelas communes populo ex aliquo loco alto, vel Cathedra*. Projectionem ipſam candelarum fieri ſolitam ex loco alto per Pontificem in prædicta Proceſſione, memorant paſſim Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis mſs. Diariis, inter quos Joannes Burchardus ad annum MCDXC. ubi recenſet Feſtum Purificationis Deiparæ, *Facta eſt*, inquit, *Proceſſio uſque ad Lodiam extra Aulam magnam Palatii, ubi Pontifex projecit candelas populo*. Duraſſe hunc ritum uſque ad Pontificatum Gregorii XIII. qui ritum ipſum tandem ſuſtulit, & quidem initio ſui Pontificatus, teſtatur Mucantius in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXIII. ubi ad diem II. Februarii, ſic inter alia inquit: *Nec fuit facta projectio candelarum in Atrium poſt Proceſſionem, prout alias fieri ſolebat etiam juxta traditionem Libri Cæremonialis; & hæc ex nova reformatione, cujus Capita apud me ſunt, quæ ſuo loco his Diariis adnectam*. Sane teſte eodem Mucantio inter alia Capita reformationum ſacrorum Rituum, & Cæremoniarum Capellæ factarum a Congregatione Cardinalium deputata a laudato Pontifice, Pontificatus ſui initio, anno ſcilicet MDLXXIII. unum fuit: *Projectio candelarum ad populum videtur omnino tollenda*; ad vitandum ſcilicet populi tumultum, qui occupandi candelas gratia excitabatur, multique iccirco opprimebantur. Eandem ob cauſam, inſolentiæ ſcilicet populi, ſublatos fuiſſe & alios ritus, notant priſci æque ac recentiores Scriptores.

Digitized by Google

§. III.

De Missa in Festo Purificationis Deiparæ, & ritibus in ea servandis.

Projectis candelis, Processio revertitur eo ordine, quo venit, vel, si alibi celebrandum est, quam ubi candelæ benedictæ sunt, proceditur usque ad Capellam, ubi Missa erit dicenda, & Officiales, & Prælati omnes extra cancellum Superpellicea, & paramenta deponunt, & Cappas accipiunt, cum quibus intrant Capellam. Cardinales autem intrant cum paramentis, quæ deponunt intus in suis locis, & extinguuntur candelæ omnes, exceptis duobus cereis Papæ, quos illi duo Nobiles deputati continuo tenent ardentes. Papa cum fuerit ante inferiores gradus Altaris, ubi Missa dicenda erit, si in illa Capella candelas non benedixit, genuflectit in Faldistorio, & deposita Mitra, orat more consueto. Cum surgit, extrahitur sibi Pluviale rubrum, & Stola violacea, & accipit Stolam, & Pluviale alba pretiosa. Si vero ibidem candelas benedicit, quum prius ibi oravit, cum primum ante Altare fuerit, deponit paramenta simplicia prædicta, recipit alba, & pretiosa, & ibidem ante Altare cum celebraturo Cardinale facit Confessionem, & incipitur Missa. Finita Confessione, accepta Mitra pretiosa, ascendit ad Sedem eminentem, non fit ei amplius reverentia, & Presbytero Cardinale assistente ministrante, imponitur incensum. Cardinales interim veniunt ad circulum, incensatur Altare, deinde Papa, qui post dicit Introitum, & alia more solito. Finito, *Gloria in excelsis &c.* Presbyter Cardinalis assistit, ut moris est. Antequam incipiatur Evangelium, accenduntur omnes cerei, & per Papam, Cardinales, & Prælatos, & alios omnes accensi tenentur in manibus usque ad finem Evangelii; deinde redduntur servitoribus, qui eos ardentes tenent usque Postcommunionem. Dicitur tantum una Oratio, & ordinarie non fit Sermo. Ministri utuntur Dalmatica, & Tunicella.

COMMENTARIUS.

I. Solemni finita Processione, de qua diximus in Commentario ad præcedentem §. consueviſſe olim Summos Pontifices Missam cantare in Basilica S. Mariæ Majoris, ubi, terminata ipsa Processione, Subdiaconus Crucem, quam gestarat, in Altari ponebat, testis est Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XXIX. *Pontifex*, inquit, *cum aliis dicit Psalmos, & sic procedens discalceatus ..... ascendit per Titulum S. Praxedis usque ad S. Mariam majorem; ibique finita Antiphona a Schola, Subdiaconus Regionarius more solito portat Crucem ad Altare, & facit Litaniam, respondente Schola cum Acolythis, & Dominus Papa cantat Missam, sed non cantatur*, Kyrie eleison, *propter Litaniam*. Sane quod in ipsa Processione Pontifex pedibus nudis incederet, ex præscripto Romani Ordinis XII. Cap. V. Num. XII. Papa ubi intrabat Sacrarium Basilicæ S. Mariæ Majoris, *Schola Mappulari rum, & Cubiculariorum* habebant *aquam calidam paratam ad abluendos pedes Domini Papæ, & Dominus Papa, ablutis pedibus*, calceabat *Caligas cum Sandaliis pro Missa cantanda*, & induebat *Planetam albam, & aurifrixiatam Mitram*. Tum etiam mox subdit, Diaconum Cardinalem, & Subdiaconum, *exutis Planetis*, plicatis scilicet, ut alias dictum est, induere *Dalmaticas*, & ita cum Processione ire ad Altare majus, & ibi celebrari Missam *de more*, a Papa scilicet, uti notatum a nobis jam superius fuit.

II. Missæ celebratæ per Papam in Purificationis Festo meminere etiam Romani Ordines, XIV. Auctore Gajetano, & XV. Auctore Amelio, Cap. XXI. ubi ritus etiam ipsius Missæ describit, sic inquiens: *Si Papa celebrat, dicta Oratione*, quæ dici scilicet solita erat post Processionem, *vadit ad Revestiarium, si sit; si non, ad Cathedram suam longe ab Altari paratam a parte sinistra Altaris, & deponit Mitram albam, & planam, similiter & Pluviale cum Stola, & remanet cum Alba, prout prius, lectis*, Quam dilecta, *& Orationibus illis debitis; & cum dicuntur, calceatur Sandalibus; quibus expletis, lavat manus, & induitur sacris, & pretiosis albis vestibus. Similiter omnes Cardinales, & Prælati alii juxta ordinem suum, videlicet Episcopi Pluvialia, Prerbyteri Casulas, Diaconi Tunicellas, & Dalmaticas, prout moris est, quibus utantur per totam Missam. Receptis paramentis per Papam, traditur sibi Mitra nobilis, & solemnis, qua utitur per totam Missam, & postea venit ad Altare. Veniendo debent ei occurrere tres Presbyteri Cardinales juniores ad osculum oris, & pectoris juxta ordinem suum. Deinde coram Altari facit Confessionem more solito, & antequam faciat Confessionem, deponitur sibi Mitra per Diaconum a dextris; & thurificato Altari, reponitur ei, assistentibus Capellano a parte dextra, & Diacono a sinistra. Subdiaconus vero remittat Pontifici Manipulum, dum Pontifex facit Confessionem, osculando ei manum; quo facto, recipiat Librum Evangeliorum, stet juxta gradum Altaris in sinistra parte, alii Ministri stent retro Papam. Facta Confessione, postquam dicat,* Deus

Digitized by Google

Deus tu conversus, *Cardinalis, qui servit in officio Capellani, accipiat de manu Thuriferarii naviculam cum thure, quam ille porrigere sibi debet inter Pontificem, & Altare, & Pontifex ponat thus in thuribulo, Capellano naviculam, Thuriferario thuribulum offerentibus Pontifici; quo facto, dicit Pontifex,* Deus tu conversus &c. *& sic accedat ad Altare, duobus Acolythis pannos anteriores elevantibus modicum, & inclinatus ante Altare dicit Orationem,* Aufer a nobis &c. *& osculetur Altare, & Librum Evangeliorum, quem apertum in eo loco, in quo est Evangelium legendum in Missa, offerre debet ei Subdiaconus, & osculatum per Pontificem demittit clausum super Altare; quo osculato, signet se Pontifex Sanctæ Crucis signo.*

III. Quamquam hi ritus generales sint in omnibus Missis solemnibus Papæ, placuit nihilominus eos hoc loco describere, sicut & ceteros quos idem Ordo Romanus XV. recenset his verbis: *Tunc Chorus incipiat Introitum Missæ, & Pontifex vertat se ad dexteram partem Altaris, & accipiens thuribulum de manu Diaconi lecturi Evangelium, incenset Altare, incipiens ab ejus medio contra suam faciem, & prius incenset partem dexteram, postea sinistram; & deinde a sinistro latere redeat ad dexteram, incensando anteriorem partem Altaris, quo incensato reddat thuribulum Diacono, qui osculari sibi debet manum in dando, & recipiendo,* scilicet thuribulo. *Non thurificatur Papa in Altari, sed in Sede per assistentem Episcopum, vel Presbyterum Cardinalem, facta prius ei reverentia per omnes Cardinales. Diaconus vero, incensato Pontifice, incensat deinde Altare per circuitum, sed prius Papa recipit prædictum Diaconum ad osculum oris, & pectoris, consequenter omnes Diaconos juxta ordinem suum, & ultimus parat sibi Pallium, & subtus capita Fani a parte anteriori, & sic Capellani, & alii Diaconi deducunt Papam ad Sedem suam. Tunc Diaconus incenset. Quo facto, legat Introitum Missæ super Altare cum Sacrista, si sit Episcopus, vel cum alio Episcopo, qui servit sibi in officio Archipresbyteri. Cumque Pontifex ad Sedem suam venerit, stans super scabellum, dicat sine cantu cum Cardinali Introitum,* kyrie eleison. *Cetera fiunt prout sunt notata, quando Papa celebrat.* Similia leguntur in mss. Cæremoniali Davantriæ, & in Codice mss. Piersanctiano, in quibus pariter notatur, *quod in prædicta Missa servit Papæ in officio Capellani prior Episcoporum Cardinalium, & semper cum in Missis, quæ per Papam celebrantur, ipse Episcopus Cardinalis servit Papæ in dicto officio, ipse Episcopus sedet super Faldistorium suum ad dexteram partem Sedis Papæ super alios Episcopos Cardinales, qui sedent in eadem parte. Sed quando fit Sermo, aut cantatur Evangelium, ipse vadit ad sedendum in ordine aliorum Episcoporum in loco suo, nisi Papa celebraret, aut faceret Sermonem, quia tunc haberet Sedem in ordine Diaconorum Cardinalium, scilicet ante illum, qui Papam* (legendum, *Papæ*) *assistit a dextris.*

IV. Constat vero ex citatis mss. Codicibus & ex antiquo Romano Ordine XV. Auctore Amelio, Cap. XXII. celebrari etiam consuevisse in ipso Purificationis Deiparæ die Missarum Solemnia per Cardinalem, præsente Pontifice, his plane ritibus: *Si vero Papa non celebret illa die, statim datis cereis, & finita per eum Oratione,* Exaudi quæsumus &c. *vadit coram Altari ad faciendum more solito Confessionem, incipiendo,* Introibo ad Altare Dei, *cum illo, qui celebrat existente a sinistris, versa facie ad Papam, junctis manibus cum Ministris suis duobus Diaconis Cardinalibus Papæ assistentibus, uno a dextris, & alio a sinistris, Papa etiam vultu, & sine Mitra erga Celebrantem. Qua Confessione facta, & data absolutione, Papa vadit ad Sedem suam, & stando dicit Introitum Missæ cum Cardinalibus ante ipsum in modum coronæ semper remanentibus, duobus Diaconis juxta latera sua, vel aliquo Episcoporum de sibi assistentibus non Cardinalibus Librum inter manus tenentibus, & dicto etiam ibidem,* kyrie, *Papa sedet in Sede sua.* Præterea ex præscripto laudati Romani Ordinis, cui & memorati Codices in omnibus fere consentiunt, ante Confessionem omnes Cardinales deponunt paramenta, sacra scilicet, & resumunt Cappas laneas, & etiam omnes Subdiaconi Auditores, & Capellani &c. Addit mox idem Romanus Ordo, Prælatos secundum morem antiquum debere receptis candelis paramenta deponere, sed suo tamen ævo consuevisse illos in Processionibus semper Papam Sacris indutum vestibus associare post eum, antecedentibus Cardinalibus, & quando Cardinales deponunt paramenta, ipsos etiam ait debere deponere. Tum vero subjungit: *Est honestius, ut Prælati stent parati etiam per totam Missam inclusive, si Papa celebret, &, si non, saltem quandiu Cardinales tenebant paramenta.*

V. Ceterum quod nostrum §. quammaxime illustrat, illud profecto est, quod idem Ordo XV. & laudati Codices docent de ritu accendendi cereos, illosque manu tenendi accensos ad ipsius Missæ Evangelium per Papam, Cardinales, & alios: *Incepto Evangelio, etiamsi Papa celebraret, Cardinalis Diaconus in sinistra parte assistens recipit cereum accensum de manu Militis, vel Domicelli Papæ stantis etiam a parte sinistra, & ponit eum in manu Papæ, ipsam manum deosculando, in dando, & recipiendo, & ipsum tenet Papa accensum, & Cardinales etiam, & omnes alii suos in manibus suis accensos tenent cereos, sive candelas, quousque Evangelium sit cantatum; quo finito, prædictus Diaconus de manu Papæ cereum recipit, & eum accensum Domicello, seu Militi reddit; & etiam Cardinales, & ceteri Prælati suis servitoribus tradunt suos cereos accensos usque ad finem Missæ tenendos, sicut antequam Evangelium legeretur, tenebant, hoc excepto, quod quando debet incipi Sermo, si fit, quod non est consuetum modernis temporibus,* ut memoratus Romanus Ordo inquit, *omnes cerei debent extingui, sed, statim finito Sermone, iterum accendi, & debent teneri per Militem accensi, seu Domicellum Papæ, & alios Servitores Cardinalium, & aliorum Prælatorum usque ad finem Missæ,* Porro, ut ajunt Cæremoniale Davantriæ, & Piersanctianus Codex, *anno Nativitatis Domini* MCCCLVI. *in Festo Purifica-*

Digitized by Google

cationis Beatæ Mariæ Dominus Innocentius Papa Sextus fuit gravatus a gutta, sive podagra adeo quod non potuit exire Cameram suam illa die, & ideo in dicto Festo non fuerunt vocati Cardinales ad Vesperas, neque ad Missam, nec fuerunt datæ candelæ eis per Papam in Missa.

VI. Dicta hactenus spectant ritus, qui servabantur ante editionem nostri Cæremonialis ab Augustino Patricio ordinati, secundum cujus præscriptum peragi solent Sacræ Cæremoniæ in Capella Summi Pontificis, licet nonnihil variatum aliquando ab iis sit a Cæremoniariis Apostolicis sequioris ævi. Ut ut ea se res habeat, teste Burchardo ad annum MCDXC. ubi enarrat ritus servatos in Missa Purificationis Deiparæ Innocentio VIII. Pontifice, *dicta est Missa more solito, & non fuit Sermo. Candelas duas magnas Papæ tenuit Franciscus Cibo a dextris, & Antonius Mirandolæ Comes a sinistris. Ad Evangelium Papa, Cardinales, & alii tenuerunt candelas suas similiter, & ad Elevationem Sacramenti. Interim tamen errore Scutiferorum fuerunt extinctæ, sed ab Elevatione usque Postcommunionem Celebrantis, Scutiferi tenuerunt candelas ipsas ardentes, tunc eas extinxerunt.* Forte quod aliquando negligeretur ritus ipse tenendi per Papam, & Cardinales candelas accensas, dum in prædicta Missa caneretur Evangelium, & Sanctissimi Sacramenti fieret Elevatio, hinc est, quod Congregatio Cardinalium deputata a Gregorio XIII. Pontifice anno MDLXXIII. ad reformationem sacrorum Rituum, & Cæremoniarum Capellæ, teste Mucantio in suo ms. Diario Pontificatus laudati Gregorii, inter alia statuit, *quod cum dicitur Evangelium, & elevatur Sanctissimum Sacramentum, Sanctissimus Dominus Noster, & Reverendissimi Cardinales, & Prælati teneant candelas accensas in manibus, & dicto Evangelio, & elevato Sanctissimo Sacramento respective, extinguantur.*

VII. Passim jam in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis legi Missam celebratam hac die *more consueto*, sed negari nequit, quin fere semper erratum, vel saltim variatum aliquid fuerit. Audiendus, ut ceteros omittam, Franciscus Mucantius, qui ad annum Domini MDLXXIII. qui primus fuit Pontificatus Gregorii XIII. ubi agit de Missa hujus Festi, rem narrat, quam censui & in hoc loco describere. Sic autem inquit: *Missam celebravit Reverendissimus Dominus Cardinalis de Santa Cruce, qui statim, receptis suis candelis, secessit in Sacristiam ad se parandum paramentis albis. Cætera processerunt more consueto in Cæremoniali descripto, sed aliquantulum fuit alteratum pro loco Abbreviatoribus dando. Cubicularii enim Cameræ Sanctissimi, qui hactenus soliti erant sedere super gradibus Presbyterii continuando post Acolythos, nolebant inde discedere, sed tandem inviti locum cesserunt.* Subjicit mox memoratus Mucantius: *Aliqui tamen ex eis id molestius ferentes contra me clamabant, ac querebantur, quod eos jam diu ante præmonueram, talem locum ipsis non convenire, prout in Congregatione fuerat resolutum, ut notavi supra in prima Dominica Adventus. Ipsi autem tunc noluerunt parere, satisque notum erat eisdem, hoc mane Abbreviatores fuisse admissos a Sanctissimo, nec posse alium locum illis dare, quam & ego in Aula paramenti R D. Ludovico Blanchetto Magistro Cubiculi significaveram. Itaque debuissent sponte a tali loco abstinere, ne contingeret postea, ut contigit, eos inde amoveri. De loco autem eorum in futurum erit considerandum.* Sed hujusmodi controversias passim legere est in jam memoratis Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis.

§. IV.

De Festo Purificationis Deiparæ in Dominicam Septuagesimæ, vel Sexagesimæ incidente.

Si Festum Purificationis caderet in Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, benedictio, & distributio candelarum cum Processione fiunt, ut prædictum est; Missa autem fit de Dominica, & Festum Purificationis transfertur in secundam Feriam sequentem.

COMMENTARIUS.

I. QUod ait hic noster §. jam longe ante nostri Cæremonialis editionem statuerat Romanus Ordo XV. Cap. XIX. ubi agit de Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, his verbis: *Sciendum*, ait, *quod si istud Festum cadat in Septuagesima, aut Sexagesima, transfertur usque in diem Lunæ*, Officium nempe, & Missa, nam alias Benedictio, & distributio candelarum cum Processione omnino fieret in ipsa Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, si in eam Festum ipsum incideret, uti ex pluribus exemplis probari posset, quæ passim leguntur in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis. Sed audiendus iterum laudatus Ordo XV. qui iterum agens de Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, Capite CIV. sic inter alia inquit: *Sciendum est, quod anno* MCCCLXXXI. *a Nativitate, tempore Sanctissimi Domini Urbani Sexti, anno Pontificatus sui quarto Festum Purificationis venit in Dominica Septuagesimæ, & propter concursum & devotionem Romanorum, & candelas petentium, fuit ordinatum, quod candelæ darentur, & quod fieret Officium de Dominica, & non de Beata Virgine. Sed salva reverentia, non debuit fieri, quoniam Festum cedit Dominicæ, & tantum valent candelæ die Lunæ, quantum die Dominica.* Verum receptus est mos antiquus, ut nimirum Festum ipsum Purificationis Deiparæ in Dominicam Septuagesimæ, vel alius pri-

Digitized by Google

privilegiatæ incidat, transferatur quidem in diem ſequentem Officium, & Miſſa; benedictio autem, & diſtributio candelarum in ipſa Dominica peragatur. Hinc anno Domini MCDLXXXIII. Pontificatu Sixti IV. teſte Jacobo Maphæo in ſuo Diario, *Purificationis ſolemnitatem, quæ in Sexageſimæ Dominicam incidit, juſſit Pontifex in diem ſequentem transferri, & in eodem die vetus mos candelarum ſervatus &c.*

II. Addi his poſſent & alia mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria, in quibus idipſum edicitur; ſed iis omiſſis, ſatis eſt hoc loco adnotare, quod Congregatio quoque Cardinalium deputata anno MDLXXIII. a Gregorio Papa XIII. ad reformationem Sacrorum Rituum, & Cæremoniarum Pontificiæ Capellæ, uti legitur apud Mucantium in ms. Diario Pontificatus ejuſdem Gregorii, ſtatuit quidem, *ut ſi Feſtum Purificationis venerit in die Dominico in Septuageſima, vel ſimili; fiat benedictio, & diſtributio candelarum, & Miſſa celebretur de Dominica.* Sed addit mox tamen: *Niſi in Eccleſiis Beatiſsimæ Virgini Mariæ dicatis, in quibus celebretur de Feſto, cum commemoratione Dominicæ.* Porro vel juxta Rubricas Miſſalis Romani, Parte IV. Titulo XIV. Num. III. *ſi hoc Feſtum venerit in Dominicis, Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, fit tantum candelarum benedictio, diſtributio, & proceſsio, & dicitur Miſſa de Dominica, Miſſa vero Feſti transfertur in ſequentem diem*; ex Decreto ſcilicet Clementis VI. uti notat Gavantus in citatam Miſſalis Rubricam, ubi etiam mox addit, excipi Eccleſiam dicatam in honorem Virginis, de qua eo caſu erit Miſſa, cum commemoratione Dominicæ, uti habetur in antiquo Cæremoniali Epiſcoporum Clementis Papæ VIII. juſſu edito anno MDC. Sed cenſet tamen idem Gavantus, ſenſum Cæremonialis eſſe de Eccleſia ſub Titulo Beatæ Virginis, qua ratione, ſicut dicitur Officium de ea ibidem, ita dici debet & Miſſa. Ceterum ſiquis urgeat, Textum illum de quacumque Eccleſia intelligi debere, duæ tunc Miſſe erunt cantandæ juxta Rubricam Romani Miſſalis, Parte I. Titulo VI. qui eſt, *De translatione Feſtorum.*

III. Admonitum autem hic velim lectorem, quod legitur in citato Cæremoniali Epiſcoporum Clementis VIII. juſſu edito, deſiderari in poſtrema ejuſdem editione facta auctoritate Benedicti Papæ XIII. quod nos in duos Tomos diviſum perpetuis Commentariis illuſtravimus. In hoc itaque Epiſcoporum Cæremoniali, quod, cæteris rejectis, omnino tenendum eſt, Lib. II. Cap. XVI. Num. XVII. ita legitur: *Sed, ſi hujuſmodi Feſtum*, Purificationis ſcilicet, *veniret in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, non mutantur paramenta Altaris, nec Epiſcopi, ſed remanent eadem violacea, & Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, quia fit Miſſa de Dominica ſecundum regulam in Rubricis Miſſalis ſub hoc Feſto poſitam, & candelæ amplius non accenduntur, neque ad Evangelium, neque ad elevationem Sanctiſsimi Sacramenti.* Atque hæc, teſte Gavanto, fuit vel olim praxis Patriarchalium Eccleſiarum Urbis, in quibus candelæ non conſueverunt accendi ad Evangelium, & elevationem, ubi Miſſa de Dominica diceretur. Notandum autem, ut idem Auctor monet, *quod in Capella Papæ nunc ſemper ibi Miſſa fit de Beata Virgine, cujus nomine dicata eſt Capella, ex Decreto Clementis VIII. licet occurrat in Septuageſima.*

CAP. XXIX.

Sequitur de Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, Pontifice abſente.

Si vero Pontifex nollet, vel non poſſet Officio hodierno intereſſe, nec candelas benedicere, ac diſtribuere, Presbyter Cardinalis celebraturus prævenit ad Eccleſiam hora convenienti, & poſtquam duo ad minus Cardinales advenerint, Celebraturus vadit ad Faldiſtorium, accipit omnia paramenta violacei coloris, uſque ad Dalmaticam incluſive, omiſſis tantum Chirothecis, Pluviale violaceum, & Mitram ſimplicem, & Annulum Pontificalem, & accedit ad medium Altaris, ubi medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſtans, depoſita Mitra, verſus ad candelas benedicendas dicit: *Dominus vobiſcum. Oremus. Domine Sancte Pater*, cum quatuor ſequentibus Orationibus, prout in Ordinario; quibus dictis, miniſtrante Diacono, imponit incenſum, aſpergit deinde candelas, tum incenſat, prout ſupra dictum eſt. Quo facto, ponitur Faldiſtorium ad medium Altaris, ubi ſedet Celebrans, accepta Mitra, renibus Altari verſis, & tunc Cardinales omnes, & Prælati, & Officiales omnes paramenta, & Superpellicea ſuo Ordini congruentia accipiunt, videlicet Cardinales in locis ſuis ſtantes, alii vero omnes extra Capellæ cancellum. Omnibus ſic paratis, accedunt ad Celebrantem Cardinales, deinde Prælati, bini, & bini cum Mitris in capite, & cum primi duo Cardinales cum Celebrante fuerint, deponunt Mitras. Idem facit Celebrans, & ſurgit. Miniſtrantibus igitur Vicecamerario, & Clericis Cameræ, vel in eorum abſentia, Magiſtro Domus Palatii, & aliquibus Cubiculariis candelas, Prior Cardinalium dat candelam Celebranti ſine aliqua deoſculatione. Deinde Celebrans ſine Mitra ſtans, dat Priori, & ſucceſſive omnibus Cardinalibus ſingulas candelas. Interim diſtributione incipiente, Cantores cantant Antiphonam, *Lumen ad revelationem*. Sedet deinde Ce-

Digitized by Google

Celebrans, accepta Mitra, & extenditur illi per Ministros mappula, quam duo ex Cappellanis suis Superpelliceo induti hinc & inde genuflexi tenent, & Celebrans distributionem prosequitur, dans primo Prælatis detectis, & inclinatis aliquantulum capitibus coram eo stantibus, deinde aliis omnibus non paratis successive coram eo genuflexis singulas candelas. Cardinales, & Prælati parati omnes, neque candelam, neque manum dantis osculantur, sed cum reverentia tantum candelas recipiunt, alii vero omnes genuflexi, recepta candela, Celebrantis manum osculantur. Finita distributione, Celebrans sic sedens lavat manus, tum deposita Mitra (1) surgit, & amovetur Faldistorium. Tunc stans in medio Altaris, versus ad Crucem in Altari positam, dicit cantando absolute, *Oremus*. Diaconus: *Flectamus genua*. Subdiaconus: *Levate*. Tunc prosequitur Celebrans Orationem, *Exaudi quæsumus Domine &c.* prout in Ordinario. Qua completa, ministrante Diacono, Celebrans imponit incensum, & omnes suas candelas accendunt; deinde ordinatur Processio ad locum, ubi candelæ populo projici debent, hoc modo. Procedunt Scutiferi Cardinalium, & alii laici, deinde Scutiferi Papæ cum minoribus Nobilibus, post eos Procuratores Ordinum, Secretarii, & Advocati mixtim, Cubicularii, Oratores Principum, & magni Nobiles, Cantores, Acolithi Papæ, Clerici Cameræ, Auditores, Subdiaconi Apostolici, unus Capellanus Celebrantis cum thuribulo, & navicella, Subdiaconus Capellæ Crucem ferens, ita quod figura Crucifixi ante se respiciat, non retro, medius inter duos Capellanos Celebrantis Superpelliceis indutos, duo candelabra cum candelis ferentes; post eum Pœnitentiarii Papæ, Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi Cardinales, deinde Celebrans medius inter Capellanum suum assistentem Pluviali indutum a dextris, & Diaconum Capellæ a sinistris, & fimbrias Pluvialis sui hinc inde elevantes; post eum alii Capellani sui Superpelliceis induti, deinde Protonotarii, & alii Togati. In Aula juxta locum prædictum fit Statio. Celebrans vero cum suis Ministris Cardinalibus, qui voluerint, locum ascendit, & candelæ populo projiciuntur. Deinde eo ordine, quo venerint de Capella, revertuntur, deponunt paramenta omnes, & suas Cappas accipiunt. Celebrans autem apud Faldistorium deponit Pluviale, sedensque accipit Chirothecas, & surgenti imponitur Casula, Mitra, & Annulus Pontificalis. Cum accedit ad Altare, facit Confessionem, & incipitur Missa more consueto, & dicitur tantum una Oratio. Ad Evangelium Celebrans suam candelam ardentem in manu tenet. Idem faciunt Cardinales, Prælati, & alii omnes in Capella existentes. Finito Evangelio restituuntur candelæ servitoribus, & per eos tenentur ardentes usque Postcommunionem Celebrantis, tunc extinguuntur. Omnia alia fiunt more consueto, & non fit Sermo.

COMMENTARIUS

I. JAm aliquando contigit, ut impedito Pontifice die ipso Purificationis Deiparæ, nulli Cardinales interfuerint Capellæ, ideoque nec eis facta ulla fuerit candelarum distributio in Missa. Testantur id quidem Cæremonialis ms. Codex Davantriæ, & ms. Codex Pierfanctianus, sic ajentes: *Sciendum est, quod anno Nativitatis Domini MCCCLVI. in Festo Purificationis Beatæ Mariæ Dominus Innocentius Papa Sextus fuit gravatus a gutta, sive podagra, adeo quod non potuit exire Cameram suam illa die, & ideo in dicto Festo non fuerunt vocati Domini Cardinales ad Vesperas, neque ad Missam, nec fuerunt datæ candelæ eis per Papam in Missa*. Alia in hoc Commentario adjungere supervacaneum puto, cum & illa, quæ superius diximus, faciant ad hujus Capitis explicationem. Projectio candelarum, quæ ex præscripto hujus Capitis fieri in populum deberet, etiam ubi, Papa absente, Cardinalis officium perageret, sublata jam fuit ex reformatione Cæremonialis in multis Capitibus facta auctoritate Gregorii Papæ XIII. de qua nos superius alias diximus.

CAP. XXX.

Ordo distribuendi candelas.

Ordo autem distributionis candelarum est iste. Veniunt Cardinales primo digniores, deinde alii. Si Imperator adest, illi primo Pontifex dat candelam, postquam ipse suas accepit, & deinde Priori Episcoporum Cardinalium, tunc Regi, si adest, inde secundo Cardinali, tunc alteri Regi, si adesset, & demum aliis Cardinalibus, & Principibus, qui inter illos sedent, ordine quo sedent; quod

(1) Ita in Romana editione, in Veneta 1. & Colonienſi deeſt, *ſurgit &c.*

Digitized by Google

quod etiam ſervatur in Ramis Palmarum, ſecus autem in Cineribus, (1) & in Paraſceve in adoratione Crucis, quia poſt omnes Cardinales dantur cineres Principibus laicis, etiam Imperatori, & Regi, & aliquando, ut legi, poſt omnes Prælatos paratos, (2) ac Imperator, & Reges ipſi poſt omnes Cardinales in Paraſceve Crucem venerantur, adorant, atque oſculantur; tunc magni Principes, qui (3) inter bancum Cardinalium ſedent, locum habere ſolent, vel etiam illi, qui in plano Solii Papæ ſedent. Epiſcopi aſſiſtentes, Vicecamerarius, ſi eſt paratus, Prælati Oratores parati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Pœnitentiarii parati, Oratores Principum non parati, & cum eis Senator, & Conſervatores, ſi Romæ ſint, Protonotarii, Generales Ordinum, Nobiles ad gradus Solii Papæ ſtantes, Subdiaconi Apoſtolici, Auditores, Clerici Cameræ, Acolythi Papæ, Cubicularii ſecreti, Clerici Cæremoniarum, Diaconus, & Subdiaconus Capellæ, Cubicularii extra Cameram, Advocati, & Secretarii mixtim, Procuratores Ordinum, Cantores Papæ, Capellani Celebrantis, Caudatarii Cardinalium, Scutiferi Papæ, Magiſtri Oſtiarii, Officiales, & Cives Romani, deinde alii omnes, ultimo ſervientes Armorum, qui, dum fit diſtributio, debent aſſiſtere circa Solium Pontificis, & curare, ne fiat tumultus, aut impetus in Pontificem.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam in hoc noſtro §. præſcriptus ſit ordo, qui ſervari debet in Pontificia Capella, ubi in Feſto Purificationis Deiparæ diſtribuendæ candelæ ſunt, variatum tamen fere ſemper ab eo fuit, uti legi in mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, qui lites paſſim, & contentiones recenſent eam ob cauſam excitatas. Ante editionem hujus Cæremonialis ab Auguſtino Patricio concinnati, referente Petro Amelio in ſuo Romano Ordine XV. Cap. xx. Prior Epiſcoporum Cardinalium, qui cereum Papæ porrigebat, primus omnium ab eodem cereum accipiebat, *& oſculabatur dextrum genu Domini Papæ, & ſic inde omnes Cardinales faciebant, primo Epiſcopi, ſecundo Presbyteri, tertio Diaconi, & Prælati aſſiſtentes, & conſequenter omnes Prælati induti genu oſculabantur; Camerarius vero, Notarii, Auditor Contradictarum, & Corrector, etiamſi aliqui ipſorum eſſent Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, quia non conſueverunt venire induti, ſed cum Cappis laneis, & etiam Capellani tam Commenſales, qui debebant eſſe cum Superpelliceis, quam alii Capellani, nec non Pœnitentiarii, & breviter omnes familiares Papæ, & laici, & quicumque alii non familiares, & ſi eſſet Rex, flexis genibus recipiebant cereum de manu Papæ, & ipſo recepto, oſculabantur pedem, & non genu.* Monet & mox Amelius, ſuo ævo conſuevisse Regem recipere cereum, *ſicut ſedet poſt Priorem Epiſcoporum Cardinalium, & ita in Ramis Palmarum, & Cinerum.* Imperatorem quoque, ſi eſſet præſens, cereum recipere poſt Priorem ipſum Cardinalium Epiſcoporum, atque oſculari pedem, & non genu; poſt eundem quoque Priorem, ſi aliquis intereſſet Patriarcha, candelam & ipſum recipere de manu Papæ, & ſi Rex adeſſet, poſt Regem candelam recipere Subpriorem Epiſcoporum, atque in ejus abſentia, Priorem Presbyterorum, & tunc Patriarcham: ſi vero plures intereſſent Patriarchæ, quemlibet eorum recipere cereum poſt *Cardinalem, qui eum antecedit*, quia ſcilicet, ut Amelius tradit, *ſemper debent ſtare Patriarchæ inter duos Cardinales in Proceſſionibus, & in Miſſis.*

II. Multa de ipſa candelarum receptione notarunt poſt hujus Cæremenialis editionem Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis mſs. Diariis, in quibus etiam paſſim recenſent, dum ſcilicet de Feſto Purificationis Deiparæ loquuntur, lites, & controverſias circa præcedentiam exortas ob hujuſmodi candelarum receptionem. Sed audiamus Mucantium ordinem ipſum diſtributionis candelarum ſic in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXIII. referentem.

1. Facta benedictione (inquit laudatus Auctor) candelarum Cardinales, & Prælati venerunt ordine conſueto, ſed aliqualiter erratum ab Epiſcopis in redeundo; debent enim reverti per Presbyterium, non autem per eandem viam, ut multi fecerunt. Venientes autem debent venire per planum veſtibuli, ne fiat confuſio. Erit igitur advertendum pro alia vice, & in Cineribus, & in Palmis. Ultimi parati fuerunt Pœnitentiarii, quamquam eis fuerat per errorem ordinatum, ne venirent, etiam de ordine Illuſtriſſimi Cardinalis Moroni Decani, qui putabat, ita fuiſſe reſolutum in Congregatione, ſed non ſic erat; ſed ſolum fuit reſolutum, quod, celebrante Papa, non debent præſtare obedientiam, ut ſupra adnotavi in die Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, de quo cum ad dictum Cardinalem Moronum, & etiam ad Sanctiſſimum retuliſſem, revocarunt dictum ordinem, & ſic venerunt. Oratores cum aliis ſtantibus apud Solium venerunt poſt omnes paratos, & poſt Vicecamerarium, ante Protonotarios, Abbreviatores venerunt immediate poſt Acolythos ad capiendum candelam. Medicus Papæ venit poſt duos Cubicularios Secretos aſſiſtentes, quamquam olim ſoleret venire poſt Caudatarios Cardinalium. Quod an deceat, erit conſiderandum. Cubicularii ſecreti venerunt ante Cubicularios Cancellariæ.

2. Alii vero extra Cameram mixti, poſt ipſos Cubicularios Cancellariæ, cum quibus contendunt de præcedentia, licet tempore recordationis Papæ Pii V. contra eos fuerit judicatum ab Illuſtriſſimis Cardinalibus deputatis, videlicet Morono, Farneſio, & Vitellio tunc viven-

(1) Verba iſta, *& in Paraſceve in adoratione Crucis* leguntur in editione Romana, & deſiderantur in *Veneta* 1. & Colonienſi.
(2) Iſta quoque verba, *ac Imperator &c.* uſque ad *oſculantur*, deſunt quoque in citatis editionibus *Veneta* 1. & Colonienſi, & habentur in Romana. (3) Ita in Romana editione, in citatis aliis legitur, *qui inter Cardinales &c*

Digitized by Google

te, sed ut censeo potius de facto, quam de jure, ut etiam supra notavi in apostilla in Dominica prima Adventus. Essent igitur iterum eorum differentiæ firmandæ. Post Cubicularios debent venire Advocati, & Secretarii, sed non venerunt, imo discesserunt, nec amplius fuerunt visi hoc mane, ægre ferentes, locum esse datum Abbreviatoribus ante ipsos, quod Pontifici displicuit. Solus adfuit Procurator Fiscalis, qui accepit candelam, sed non vidi quando. Post Scutiferos intromiserant se quidam auxiliantes, ut vocant, Cubiculi Papæ, & habuerunt candelas ante Ostiarios, & Parafrenarios, licet in rotulis antiquis eos numquam viderim descriptos, sed certe non videtur incongruum, ut tali loco & ipsi accipiant, cum sint de intimis familiaribus Sanctissimi.

3. Dum facta est distributio cereorum, Vicecamerarius, seu Gubernator Urbis, qui est R. P. D. L. Taberna simplex Protonotarius, stetit semper prope Solium Pontificis præsens distributioni, quia noluit sedere in scamno Protonotariorum, & supra ipsos, ut debebat, dum alii Prælati sunt parati Pluvialibus, & Mitris, licet eum de hoc præmonuerim in Anticamera Papæ, sed noluit obedire, excusans se, quod ita fuit servatum per prædecessorem suum R.P.D. Montem Valentem, quem ordinem jam introductum ipse nolebat alterare; sed allegare inconveniens, non est solvere, ut dicunt nostri Legistæ. Duos cereos magnos tenuerunt Orator Venetorum a dextris, & Orator Urbini a sinistris, qui licet debeant stare immediate apud duos Diaconos Cardinales assistentes, tamen Orator Franciæ noluit de loco cedere. Itaque ipse Orator Venetorum coactus fuit cum illo cereo inferius stare, & quidem indecenter, quod, ut arbitror, pallus est, ne cum dicto Oratore Franciæ cervicoso contenderet. Distributio facta est satis quiete, & ordinate respectu præteritorum annorum, ut omnes dixerunt. Atque hæc sunt, quæ tradit in suo Diario Mucantius.

CAPUT XXXI.

De die Cinerum.

1. Dies Cinerum, vel Feria quarta Cinerum, dicta est vel apud antiquos Scriptores prima Quadragesimæ dies ob Cinerum cæremoniam, quia ipsa die ex antiquo ritu, ut infra ostendemus, benedicuntur, & Fidelium capitibus imponuntur. Si pervetustam Ecclesiæ disciplinam spectemus, non est dubium quin ipsa Cinerum cæremonia ad publicos peccatores reconciliandos olim pertinuerit, eaque potissimum initio Quadragesimæ, sive illa die Dominica, sive Feria IV. ante Dominicam I. inciperet, perageretur. Id testantur non modo omnes antiqui Libri Pontificales, Ritualesque longe ante annum millesimum exarati, sed & varii etiam Conciliorum Canones, & Pontificum statuta jam alibi in Operibus nostris notata, præsertim vero in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum Lib. II. Cap. XVIII. Audiendum præ ceteris Concilium Agathense, cujus in rem nostram apud Rheginonem Lib. I. Cap. CCXCI. & apud Burchardum Vvormatiensem Lib. XIX. Cap. XXVI. hæc sunt verba: *In Capite Quadragesimæ omnes Pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse, vultu, & habitu proclamantes. Ibi adesse debent Decani, idest Archipresbyteri Parochiarum, idest Presbyteri Pœnitentum, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ, pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Post hæc in Ecclesiam eos introducat, & cum omni Clero septem Pœnitentiæ Psalmos in terram prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, juxta quod Canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris suspiriis, eis denunciet, quod sicut Adam projectus est de Paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia abjiciuntur. Post hæc jubeat Ministris, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant. Clerus vero prosequatur eos cum Responsorio*: In sudore vultus tui vesceris pane &c. *ut videntes Sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non parvi pendant pœnitentiam. In sacra autem Domini Cœna rursus ab eorum Decanis, & eorum Presbyteris, Ecclesiæ liminibus repræsententur*. Atque hic obiter nota, quam diversa sit nostrorum temporum disciplina ab antiquis Ecclesiæ institutis, & quam culpandi sint molliores Casuistæ Sacramentalium Confessionum exceptores, qui publicis peccatoribus enormissimorum scelerum reis levissimas pœnitentias injungunt. Sed de hoc abusu videri possunt, quæ diximus nostro Tomo I. Conciliorum in Appendice ad Canonem XI. Nicenum.

II. Quicquid autem sit de hoc abusu, quem Viri docti, & christianæ disciplinæ studiosi nostra hac tempestate deplorant, certe prisci Patres, atque Concilia cinerem constanter cum pœnitentia conjungunt. Tertullianus in Lib. *De pœnitentia*, pœnitentem cinere consperſum describit: *Exomologesis*, inquit Cap. IX. *prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare &c.* Rursus Cap. XI. pœnitentem ait, extra lætitiam oportere *diversari in asperitudine sacci, horrore cineris, & oris de jejunio unitate*. Ut alia ejusdem Patris loca omittam, ita plane scribit in Libro, *De pudicitia*, Capite V. *Adsistit idololatres, adsistit homicida. in medio eorum adsistit & mœchus. Pariter de pœnitentiæ officio sedent, in sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu ingemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant Matrem*. Ad eum ritum alludens Optatus Milevitanus in suo Opere adversus Donatistas, eosdem sugillat, quod sacras Vir-

Digitized by Google

Virgines pœnitentiæ addixerint cineribus ſuis: *Jam conſecratos Deo adſperſiſtis immundis cinæribus crines*. S. Ambroſius ad Virginem lapſam ſcribens, eidem inter alia præſcribit, *ut totum corpus incuria maceretur, cinere adſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat*. Denique S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Lib. II. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XV. animadvertit adhiberi cinerem initio pœnitentiæ, ut intelligamus, pulverem, ac cinerem ob crimina nos eſſe, & merito Divinam juſtitiam in eos, qui ſceleribus obnoxii ſunt, ſententiam mortis tuliſſe, quæ vitæ hujus ſpatio tantiſper differtur: *Cineres adſperguntur, ut ſint memores, quia cinis, & pulvis ſunt*. Et paulo poſt: *Per favillam cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando pervenimus*.

III. Cinerum cæremonia coſecrata fuiſſe jejuniorum primordia ineunte Quadrageſima, eamque cæremoniam Pœnitentes dumtaxat ſpectaſſe, ex antiquis Ritualibus, ac Synodis, plerique Auctores docent. Siquis autem roget, quandonam primum Fideles, qui a publicis Pœnitentibus ſejungebantur, ſacris cineribus initio ipſo Quadrageſimæ conſperſi fuerint, aliquod pœnitentiæ ſpecimen & ipſi præbentes? Dicam cum eruditiſſimo Thomaſſino Libro II. *De dierum Feſtorum celebratione*, Cap. XIII. non levem eſſe conjecturam, Fideles ſponte quoſque ſua cum publicis Pœnitentibus conjungi una voluiſſe, ut aut conſolando, aut precibus, aut exemplo eos iuvarent, & ipſi interea pœnitentia etiam expiarentur. Extant ſimilia apud Patres ejus rei exempla; teſte ſiquidem S. Auguſtino, in Africa poſt ſacram Synaxim in die Cœnæ Domini lavabant cum Catechumenis Fideles, ut participes fierent omnium, quæ Baptiſmo initiandi egerant, ſe ad illum parantes; eademque ratione, ut Epiphanius, & Chryſoſtomus memoriæ prodiderunt, Orientales Chriſtiani, dum Catechumeni ſacro fonte perfundebantur, noctu in Epiphaniæ celebritate, aquam illam Eccleſiæ precibus conſecratam domos quique ſuas religioſe adſportabant. Huc accedit quod S. Auguſtinus ait, non tantum publicæ pœnitentiæ obnoxios, & ab Eccleſia ejectos ob nefaria flagitia, Pœnitentes dicendos eſſe, ſed & ceteros quoque Fideles omnes, nam omnes culpis obſtringimur, & Pœnitentia egemus. Porro veriſimillimum eſſe ait idem Thomaſſinus citato loco, Num. XV. *Seculis XII. & XIII. publica Pœnitentia fere abrogata, quoslibet, Quadrageſima ineunte, ſacro cinere conſpergi, & aliis Pœnitentiæ ritibus expiari majori contentione voluiſſe, ſi minus tunc primum eos adhibere cœperint*.

IV. Eſſe vero antiquum ritum, ut Epiſcopi, ac Presbyteri, ut ſontes Pœnitentia, & jejuniis expiaturi venirent in partem earundem afflictationum, & jejunium unam, vel alteram hebdomadam celebrarent, ne jure illud Evangelii eis objici poſſet, quod olim de Phariſæis Chriſtus dixit, qui cum onera graviſſima aliis imponerent, ipſi ne levia quidem ſibi ſumerent, docet laudatus Burchardus Vvormatienſis Lib. XIX. ſui Decreti, Cap. XXXIII. ubi hunc locum recenſet Pœnitentialis Theodori Cantuarienſis: *Quotieſcumque*, inquit, *Chriſtiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus, & nos communicare cum iis debemus in jejunio unam, aut duas ſeptimanas, aut quantum poſſumus, ut non dicatur nobis, quod Sacerdotibus Judæorum dictum eſt a Domino*: Væ vobis Legiſperitis, qui aggravatis homines, & imponitis ſuper humeros eorum onera gravia, & importabilia, ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas. *Nemo enim poteſt ſublevare cadentem ſub pondere, niſi inclinaverit ſe, ut porrigat ei manum. Neque ullus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare, niſi fœtoribus particeps fuerit. Ita quoque nullus Sacerdotum, vel Pontifex, peccatorum vulnera curare poteſt, animabus peccata auferre, niſi præſtante ſolicitudine, & oratione lacrymarum. Neceſſe eſt ergo, Fratres chariſſimi, vos ſolicitos eſſe pro peccantibus, quia ſumus alterutrum membra*.

V. Hinc jam non modo Epiſcoporum, vel Presbyterorum eſt in eorum calamitatibus dolere, verum etiam ceterorum omnium Chriſtianorum. Omnes enim membra ejuſdem corporis ſumus; his vero ægritudo cum aliis partibus communis eſt, quod maxime locum habeat oportet in eo corpore, cujus mens charitas eſt, & dilectio. Ut igitur cum pœnitentibus jejunia colebant Sacerdotes, ita cum eiſdem ſacros cineres ceteri adhibuerunt, ut pœnitentis animi, & doloris pro ſuis quique flagitiis argumenta præberent, & ut alios ad meliorem frugem converſos ſolarentur, ac delinirent. Quicquid ſit de hiſce rationibus, certum illud eſt, Seculo XI. in uſu fuiſſe cæremoniam imponendi cineres initio Quadrageſimæ Fidelium capitibus. Id enim expreſſe conſtat ex Concilio Beneventano, quod celebravit Urbanus II. Pontifex Maximus anno MXCI. cujus Canon IV. hæc habet: *Omnes tam Clerici, quam laici, tam viri, quam mulieres die illo cinerem ſupra capita ſua accipiant*. Afferri poſſent & in hanc rem alii Canones, qui & ejuſdem ritus meminere; ſed ſupervacaneum eſt eos deſcribere, tum præſertim, quod de eodem ritu jam diximus nos non uno in loco, & quidem non modo in noſtris Commentariis ad Cæremoniale Epiſcoporum, verum etiam in iis, quibus Romanum Pontificale illuſtravimus.

§. I.

De benedictione, & diſtributione Cinerum.

Prima die Quadrageſimæ, quæ Cinerum appellatur, in mane Sacriſta paret ſuper Altare vas cum cineribus mundis factis ex ramis olivarum anno præterito benedictis. Item credentiam Papæ ordinare debet, ſuper angulo Altaris duas lances pro lavandis manibus Papæ cum mappa, & unum mantile pro gremiali. Dein-

Digitized by Google

de hora competenti prævenit ad Ecclesiam Cardinalis celebraturus, & in Faldistorio in loco consueto sibi parato omnia paramenta Pontificalia accipiat, demptis Chirothecis, & Annulo Pontificali. Pontifex autem indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, Pluviali rubeo, & Mitra simplici venit ad Capellam, & more solito facit orationem ante Altare in Faldistorio, ascendit ad Solium, sedet, & fit ei a Cardinalibus reverentia more consueto; & postquam duo Diaconi Cardinales ultimi reverentiam fecerunt, assistunt Papæ, & duo Diaconi assistentes vadunt ante Sedem Diaconorum Cardinalium, ubi capiunt paramenta sua. Idem faciunt Cardinales omnes in locis suis stantes. Duo primi Diaconi, ubi acceperunt paramenta sua, revertuntur ad assistendum Papæ, & alii duo vadunt ad loca sua, & etiam capiunt paramenta. Interim etiam omnes Prælati, & Officiales sua paramenta, & Cottas accipiunt extra cancellum Capellæ; & unus Subdiaconus in convenienti loco induitur Amictu, Alba, Cingulo, & & Tunicella violacea. Omnibus Cardinalibus paratis, Cantores incipiunt Antiphonam, *Exaudi nos Domine &c.* Tunc accedit ante Pontificem Subdiaconus Apostolicus, ut supra dictum est, paratus, portans lancem cineribus plenam detectam, quam de Altari Sacrista, sive Cæremoniarius sibi dedit, & ad dextram Pontificis genuflectit, ibidem dictam lancem cum cineribus tenens, quousque Papa omnibus cineres imponat. Tunc accedunt duo Episcopi assistentes cum Libro, & candela, & Papa benedicens cineres, sedens cum Mitra dicit Antiphonam, *Exaudi nos Domine*; qua repetita, deposita Mitra, surgit, dicens: *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum Spiritu tuo*. *Oremus*. *Omnipotens Sempiterne Deus*, cum tribus Orationibus sequentibus, prout in Libro. Excepta quarta Oratione, vocatur ad Pontificis dextram Prior (1) Presbyterorum Cardinalium, & duo Acolythi Superpelliceis induti, unus cum thuribulo, & incenso, alius cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, qui ambo etiam ad dextram Pontificis locantur post Presbyterum Cardinalem assistentem. Finitis Orationibus, Papa, ministrante Presbytero Cardinale assistente, imponit incensum, aspergit cineres, deinde incensat. Tunc Cantores incipiunt, *Immutemur habitu &c.* Prior Episcoporum juxta antiquam consuetudinem Pluviali indutus sine Mitra, velut aliquando servatum fuit, & Bonifacius Nonus statuit; nunc vero celebraturus Cardinalis jam omnibus ornamentis Sacris pro Missa dicenda indutus, demptis tamen Chirothecis, & Annulo Pontificali, accedit ad Papam, & sine Mitra solus de tecto capite, facta Papæ reverentia, stans coram eo supra scabellum, nihil dicens, imponit Papæ sedenti cineres supra caput in formam Crucis. Deinde descendit de scabello, amovetur scabellum, sedet Papa, imponitur ei Mitra, & accedunt duo Auditores portantes mantile, quod a Credentiariis Papæ acceperunt, illud hinc inde tenent super gremia Papæ, qui illi Cardinali, a quo cineres accepit, inclinato capite coram se stanti dat cineres, dicens: *Memento homo &c.* Et nota, quod si Imperator, aut Rex sit præsens, accipit cineres immediate post Cardinales omnes, & osculatur pedem Papæ; & similiter alii Principes, qui sedent inter Cardinales, recipiunt cineres post eos. Non idem servatur in distributione Candelarum, & Palmarum, quia hi accipiunt, prout sedent. In isto autem actu, qui humilitatem præfefert, Principes Sacerdoti se inclinant, & illis cedunt. Cardinalis autem, si est ille, qui est celebraturus, acceptis cineribus, revertitur ad Faldistorium suum prope Altare, ubi sedet, & accipit Chirothecas, & Annulum Pontificalem, & imponitur ei Mitra; sicque manet usque ad perfectam distributionem. Accedunt post successive omnes alii Cardinales, & Prælati, & alii, unus post alium, & a Papa cineres accipiunt, ut in Candelis. Si autem qui dedit Papæ cineres, est Prior Cardinalium, postquam accepit cineres, revertatur ad locum suum, & Celebrans in loco suæ receptionis, & in habitu suæ dignitatis accipit cineres, & deinde revertitur ad Altare, & capit omnia paramenta, vel, ut aliqui volunt, accipit cineres cum Planeta, statim post Priorem Cardinalium. Acceptis cineribus, Cardinales inclinati osculantur genu, alii (2) etiam Prælati parati genuflexi, osculantur genu, alii vero non parati genuflexi osculantur pedem Papæ, postquam cineres ab eo acceperint. Datis cineribus, Papa adhuc cum Mitra sedens abluit manus more consueto, prout etiam supra in Purificatione dictum est. Deinde detracta Mitra surgit, & assistentibus ante eum duobus Ce-

ro-

(1) Ita in editione 1. prima Veneta, & Colonienſi; in Romana vero legitur non recte, *Presbyterorum Episcoporum Cardinalium*. (2) Ita in editione Romana, in citatis autem legitur: *Alii etiam Prælati parati genuflexi osculantur pedem Papæ, postquam &c.*

Digitized by Google

roferariis more ſolito cantat, *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum Spiritu tuo*. *Oremus*. *Concede nobis Domine &c.* ſub concluſione, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, ut in Ordinario.

COMMENTARIUS.

I. IMponendi cineres capitibus Fidelium ritum primo Quadrageſimæ die ſuam traxiſſe originem a publicis pœnitentibus, qui, ut Deo, & Eccleſiæ reconciliarentur, pœnitentiam in cinere, & cilicio accipiebant, jam dictum a nobis ſuperius eſt. Sæculo XII. conſueviſſe Romæ Fidelibus omnibus in ipſo die primo Quadrageſimæ imponi cineres, ſunt teſtes antiqui Romani Ordines, XI. Auctore Benedicto, Num. XXXIV. & XII. Auctore Cencio, Cap. VIII. quorum alter ritus etiam meminit benedicendi cineris, & quidem per juniorem Presbyterum Cardinalem in Eccleſia S. Anaſtaſiæ ad quam cum Cardinalibus Papa primo Quadrageſimæ die equitabat, ibique cinerem accipiebat per manum Prioris Epiſcoporum Cardinalium, dabatque ipſe deinde aliis: *Feria quarta*, inquit landatus Ordo XII. *in capite Quadrageſimæ Dominus Papa circa mediam Tertiam equitat cum Epiſcopis, & Cardinalibus ad Sanctam Anaſtaſiam, & receptus in Proceſſione a Clericis ipſius Eccleſiæ, intrat Sacrarium, & induit ſe cum Cardinalibus, & aliis Ordinibus. Interim autem cinis benedicitur a juniore Presbytero Cardinale. Deinde Dominus Papa vadit cum Cardinalibus, & Schola Cantorum ad Sedem poſt Altare, & præſentato ei cinere, Prior Epiſcoporum imponit ei cinerem, dicens hæc verba*: Memento, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Poſtmodum vero Dominus Papa imponit cinerem Epiſcopis, Cardinalibus, & aliis Ordinibus*.

II. Multa ſunt in recitatum hactenus locum obſervanda, ſed operæ pretium primo ducimus nonnulla de cineribus ipſis, eorumque benedictione adnotare: *Prima die Quadrageſimæ*, ait noſter §. *quæ Cinerum appellatur, in mane Sacriſta paret ſuper Altare vas cum cineribus mundis factis ex ramis Olivarum anno præterito benedictis*. Fieri cineres ex ramis Palmarum benedictis anno antecedenti, tradunt antiqui Libri Rituales, ac præſertim Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXIX. ubi etiam fit mentio antiqui ritus eundi Pontificis ad Eccleſiam S. Anaſtaſiæ juxta præſcriptum Romanorum Ordinum XI. & XII. *Illa die*, inquit Ordo XIV. *ſi Papa fuerit in Urbe, conveniunt omnes ad S. Anaſtaſiam; ſed antequam veniat Dominus Papa, ſiunt cineres ibi de palmis præteriti anni, & benedicuntur a juniori Presbytero Cardinali cum Miniſtris paratis in Albis tantum. Tunc Dominus Papa vadit ad dictam Eccleſiam, comitante eum tota Curia, & dicit ibi Sextam, quia antequam deſcendat de Palatio, debet dicere Tertiam*. Variat nonnihil Romanus Ordo XV. Amelii, Cap. XXIV. cujus hæc ſunt verba: *Hac die fiunt cineres de ramis Palmarum Olivarum anni præteriti per Sacriſtam, vel ejus Clericum, qui Capellæ curam gerit. Secundum Dominum Jacobum Gajetani, benedicuntur per juniorem Presbyterum Cardinalem cum Miniſtris Albis tantum paratis, & ipſe paratus cum Pluviali, incenſo, & aqua benedicta, antequam Papa exeat de Camera ſua, illos benedicit*. Eadem tradunt ms. Cæremonialis Liber Davantriæ, & Codex ms. Pierſanctianus, quorum loca ſupervacaneum eſt deſcribere. Benedicendos cineres factos *de ramis Olivarum, ſive aliarum arborum præcedenti anno benedictis*, præſcribunt Rubricæ Romani Miſſalis Parte IV. Titulo VI. Num. II. ubi Gavantus hanc myſticam rationem explicat: *Ut ſicut cineres ad humiliationem deſtribuuntur, ita & per humilitatem ſpem habeamus futuræ gloriæ, quam deſignavit Proceſſio Palmarum*. Debere cineres ipſos eſſe aridos, non autem in modum luti, declaravit Sacra Rituum Congregatio, teſte eodem Gavanto. In quibuſdam Eccleſiis, ut refert Grancolas in Commantario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. XLIII. ponebantur cineres in patina terrea, ut melius oſtenderetur, quod homo, qui recipiebat cineres, de terra eſt, & in terram revertetur. Fuit hic quidem Biſuntinæ Eccleſiæ ritus, ut teſtatur ejuſdem Eccleſiæ Pontificale apud Edmundum Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Cap. XVII. in Obſervationibus ad varios mſs. Ordines, quos ibidem deſcribit de ritibus Feria quarta in Capite Jejunii olim ſervatis, notatque inter alia, benedictionem cinerum, quæ ad Altare vulgo fieri ſolet, in quibuſdam Eccleſiis fieri conſueviſſe ſuper menſam ſeparatam, & ad hunc uſum præparatam, in qua etiam, uti idem Auctor affirmat, & teſtatur quoque Grancolas loco citato, Lugdunenſis Eccleſia una cum cineribus apponit virgas, congruum pœnitenti inſtrumentum, atque puniendis peccatis aptiſſimum.

III. Cæterum, ut Romanos ritus Pontificiæ Capellæ explicemus, a translatione Romanæ Sedis Avenionem invaluit mos, ut Papa cinerum cæremoniam in Capella Palatii ſui peragat, ad quam, ut inquit noſter §. *Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, Pluviali rubeo, & Mitra ſimplici venit, & more ſolito facit Orationem ante Altare in Faldiſtorio, aſcendit ad Solium, ſedet, & fit ei a Cardinalibus reverentia, more conſueto*. De hac die loquuntur paſſim Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis Diariis. Audiendus præ ceteris Mucantius, qui ad annum MDLXIII. ita Gregorii Papæ XIII. ad Capellam acceſſum deſcribit. *Die XXIV. Februarii in die Cinerum Sanctiſſimus Dominus noſter venit ad Capellam paratus Pluviali rubeo, & Mitra ſimplici ſine ullis gemmis, nec margaritis, quod mihi parum conveniens viſum fuit, nempe cum in Capella præſtetur obedientia, pro qua decet Pontificem habere Mitram aliquanto precioſiorem, licet Officium ſit Feriale, ſecus quando non præſtatur obedientia, ut in diebus Commemorationis Defunctorum, Matutinis tenebroſis, Paraſceve, & ſimilibus, ideo judicio meo debuiſſet hodie geſtare duas Mitras, illam quidem ſimplicem in*

Miſſa

Digitized by Google

Missa, & toto Officio, alteram vero ornatam solis margaritis in eundo, & redeundo, & in obedientia recipienda. Sanctitas sua processit, ac rediit pedibus suis, non autem in Sede, prout fuerat pridem resolutum in Congregatione. Subdiaconus Apostolicus portavit Crucem Cotta super Rochettum indutus, quod ego reprehendi, debuit enim cappatus portare, & mox Cappam in Sacristia deponere, & ita a Prædecessoribus meis adnotatum reperivi. Idem Subdiaconus statim deposita Cruce in Capella paravit se in Sacristia Tunicella, prout dicitur in Cæremoniali, sed, ut mihi videtur, minus congrue, ex quo in hujusmodi Officio, utpote Feriali Cardinales Diaconi, & Diaconus, & Subdiaconus Capellæ utuntur Planetis replicatis, & si Papa hac die celebraret, ipse Subdiaconus eadem Planeta replicata uteretur. Erit ergo in Congregatione discutiendum. Ita laudatus Mucantius. Ceterum reverentiæ fieri solitæ hac die a Cardinalibus Papæ in Solio sedenti meminit etiam Romanus Ordo XV. ubi etiam nostro §. concinens ita mox subdit: *Facta reverentia solita Papæ per Cardinales, & alios Prælatos, omnes Cardinales, & alii Prælati vadunt ad recipiendum parati, videlicet Diaconi Cardinales Cottam, Amictum latum, Planetam, Presbyteri Cardinales similiter & Planetam, Episcopi vero Cardinales, & omnes alii Prælati similiter, & Pluvialia violacei coloris recipiunt. Quibus paramentis per Cardinales receptis, & per omnes Prælatos, extenditur quædam tobalea linea, quam Sacrista porrigere debet per duos Capellanos, super genua Papæ, flexis genibus ipsam tenentes, uno a dextris, & alio a sinistris.* Tobalea ista linea, mantile illud est, quod, ut ait noster §. præparari debet pro gremiali usui Summi Pontificis cinerem imponentis.

IV. Mandat præterea noster §. ut omnibus Cardinalibus paratis, Cantores incipiant Antiphonam, *Exaudi nos Domine &c.* quæ quidem legitur in antiquis Missalibus, & mss. variarum Ecclesiarum Ordinariis, ac præsertim in Ordinario Ecclesiæ Argentinæ apud Edmundum Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XVII. Ordine VIII. Meminit & hujus Antiphonæ Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto Num. XXXIV. quam tamen ubi Pontifex cinerem dabat, cantare solitus erat *Primicerius cum Schola*. In aliis Ordinibus nulla prædictæ Antiphonæ mentio expressa habetur. Quod vero edicitur in nostro §. ut Subdiaconus Apostolicus indutus Amictu, Alba, Cingulo, & Tunicella violacea accedat ante Pontificem, *portans lancem cineribus plenam detectam, quam de Altari Sacrista, seu Cæremoniarius sibi dedit, & ad dextram Pontificis genuflectat, ibidem dictam lancem cum cineribus tenens, quousque Papa omnibus cineres imponat*; desumptum videtur ex Ordine Romano XV. Cap. XXIV. ex cujus præscripto, *tertius Capellanus, vel Prior Subdiaconorum, indutus Planeta violacei coloris recipiens pelvim cum cineribus de manu Sacristæ, coram Papa, flexis genibus a parte dextra Papæ tenet basinum de argento prædictum cum cineribus, qui debent dari Papæ &c.* Eadem fere habet ms. Cæremoniale Davantriæ, & ms. Codex Piersanctianus: *Et Subdiaconus Papæ*, inquiunt, *indutus sit, sicut cum dicit Epistolam, cum Dalmatica violacei coloris, & coram Papa flexis genibus teneat bassinum argenteum, in quo sunt cineres, & debet stare ad manum dextram Papæ &c.* Bassinus, seu bacinus, idem est ac pelvis, ut videre est apud eruditum Dufresne verbo, *bassinus*.

V. Genuflexo ad dextram Pontificis Subdiacono, ut ait noster §. *tunc accedunt duo Episcopi assistentes cum Libro, & candela, & Papa benedicens cineres, sedens cum Mitra, dicit Antiphonam*, Exaudi nos Domine; *qua repetita, deposita Mitra, surgit, dicens*, Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, *cum tribus orationibus sequentibus, prout in Libro*. Juxta antiquos Romanos Ordines, quibus adhæret Ordo Romanus XV. Auctore Amelio fiebat cinerum benedictio per juniorem Presbyterum Cardinalem, ut dictum superius fuit, sed mutata videtur demum fuisse hæc disciplina per nostrum hoc Cæremoniale ab Agustino Patricio ordinatum, ex cujus præscripto ipse Pontifex benedicit cineres, recitatque Orationes, quæ non modo in recentioribus Romanis Missalibus, sed in antiquis etiam Ordinariis leguntur, quæ recenset Martene loco citato, tametsi in nonnullis Ritualibus aliæ quoque extent Orationes, ac preces, quas non opus est hoc loco describere. Porro quod ait idem noster §. aspergi cineres aqua benedicta, & incensari per Pontificem post recitas Orationes, vetus est quoque institutum, cujus mentionem faciunt varii mss. Ordines allati a Martene, quibus addi & potest Romanus Ordo XIV. Cap. XXIV. Aspersis aqua benedicta cineribus, & incensatis, *tunc*, ut habet §. noster, *Cantores incipiunt*, Antiphonam scilicet, *Immutemur habitu &c.* desumtam ex Prophetia Joelis, legiturque passim in memoratis toties antiquis Ordinariis, & in Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Num. XXXIV. ex cujus tamen præscripto dicebatur ipsa Antiphona post datos cineres, ut dicemus inferius.

VI. Cæremoniali nostro admonente, *Prior Episcoporum juxta antiquam consuetudinem, Pluviali indutus sine Mitra, velut aliquando servatum fuit, & Bonifacius Nonus statuit, nunc vero celebraturus Cardinalis jam omnibus ornamentis sacris pro Missa dicenda indutus, demptis tamen Chirothecis, & Annulo Pontificali, accedit ad Papam, & sine Mitra solus detecto capite, facta Papæ reverentia, stans coram eo supra scabellum, nihil dicens, imponit Papæ sedenti cineres supra caput in formam Crucis*. Quod olim Prior Episcoporum in Ecclesia S. Anastasiæ imponeret Papæ cinerem *ad sedem post Altare*, dicens hæc verba, *Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, diserte docet Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. VIII. Ex præscripto Romani Ordinis XIV. Cap. LXXIX. in ipsa quidem S. Anastasiæ Ecclesia imponebatur Papæ *cinis benedictus a Priore Episcoporum, si præsens est; sin autem, a Subpriore* (1) *Presbyterorum*; sed nulla tamen in ipso Ordine fit eorum verborum mentio

(1) Legendum forte, *a Subpriore Episcoporum*, aut, *a Priore Presbyterorum*, ut in Ordine Romano XV. Capite XXIV. superius in Commentario relato.

Digitized by Google

mentio dicendorum Pontifici, dum eidem cinis imponeretur. Quicquid autem de hoc silentio sit, expresse monet Romanus Ordo xv. nihil esse dicendum Papæ cinerem accipienti. En ejus verba, quibus etiam ritus antiquus recensque refertur: *Assistentibus duobus Diaconibus more solito, uno a dextris, & alio a sinistris, paratis, & deposita Mitra Papæ per Diaconum Cardinalem a dextris sibi assistentem, Prior Episcoporum Cardinalium, si est præsens, sin autem, Subprior Episcoporum, aut Prior Presbyterorum, & sic descendendo, stando, & nihil dicendo, imponit cineres super caput Papæ ad modum Crucis, inclinante Pontifice caput, & sedente.* Jam non improbo novum ritum, quo nihil dicendo celebraturus Cardinalis cinerem Papæ imponit, sed non possum non commendare antiquum morem, dicendi & ipsi Pontifici cinerem accipienti, *Memento &c.* tum præsertim quod hodieque in sua ipsius inauguratione coram eo stupa incendi solet, clamante Cæremoniario, *Pater Sancte sic transit gloria mundi*, uti diximus Tomo I. suo loco.

VII. Ubi accepit Pontifex cineres, ex nostri §. præscripto, *sedet Papa, imponitur ei Mitra, accedunt duo Auditores, portantes mantile, quod a Credentiariis Papæ acceperunt, illud binc inde tenent super gremia Papæ, qui illi Cardinali, a quo cineres accepit, inclinato capite coram se stanti dat cineres, dicens &c.* Docet Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XVII. in Observationibus ad varios Ordines de Feria quarta Cinerum, citans pag. 153. Ordinem Romanum XI. Auctore Benedicto Canonico, & Ordinem XII. Auctore Cencio, quod *Romæ cineres discalceatus Summus Pontifex, Cardinales, & alii accipiebant*; sed pace tanti Auctoris, nihil de hocce ritu habent memorati Ordines, sed ajunt dumtaxat, Pontificem post datum cinerem, & cantata per Primicerium cum Schola Antiphona, *Exaudi nos Domine*, facta Collecta, in Ecclesia scilicet S. Anastasiæ, discalceatum, & omnes alios cum Processione pervenisse ad S. Sabinam. Sed audiamus Romanum Ordinem XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXIX. ubi post acceptum a Papa cinerem, ita subjicit: *Demum Dominus Papa ipse imponit cineres super capita eorum*, Cardinalium scilicet, & aliorum plurium, *dicens*: Memento homo &c. *Postea per Priorem Diaconorum ordinatur Processio. Si Dominus Papa vult pergere pedes, debet se induere vestimentis Missalibus, usque ad Dalmaticam, post impositionem cinerum debet se discalceare, & indui nigra Casula, & pergere processionaliter usad S. Mariam Scholæ Græcorum, & usque ad S. Sabinam, ubi Statio est, pedibus discalceatis. Interim Scholenses cantent per viam Antiphonam* (nempe) *Immutemur habitu*, ut habet Ordo XI. Romanus, *demum sequuntur Litaniæ. His factis, Dominus Papa, ablutis pedibus ad S. Sabinam in Sacristia, & recalceatus dicit Nonam, deinde procedit ad Altare ad Divina peragenda.*

IX. Similia legere est in Ordine XV. Romano, Auctore Amelio, Cap. XXXVII. ubi ritus ipse hucusque descriptus, expressius refertur his plane verbis: *Notandum, quod si Dominus Antistes velit pergere pedes, debet se induere vestimentis Missalibus usque ad Dalmaticam inclusive, antequam cineres recipiat. Post impositionem cineris, debet se discalciare per suos Cubicularios, & indui nigra Casula, vel violacea, & pergere processionaliter usque ad Sanctam Mariam Scholæ Græcorum, & usque ad S. Sabinam, ubi est Statio, pedibus discalceatis. Interim Schola, seu Cantores cantent per viam Antiphonam. Demum sequuntur Letaniæ prout sunt in Politico.* Liber Politicus, seu Pollicitus, est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, de quo alias diximus. Pergit autem Amelius in suo citato Ordine XV. atque ita habet: *His finitis*, Litaniis scilicet, *Dominus Papa, ablutis pedibus ad S. Sabinam secrete in Sacristia per Cubicularios suos Subdiaconos, & Commensales aqua parata calida cum herbis odoriferis per prædictos Cubicularios ..... calceatur Sandaliis violaceis sine perlis, legendo Nonam, &*, Quam amabilia tabernacula tua Domine Deus virtutum; *perinde induitur sacris violaceis paramentis, & sine perlis, & sic procedit ad Divina peragenda, prout est moris.* Varia sunt, quæ in descriptis hactenus locis observare studiosus poterit Lector, interque alia illud, Pontificem post cinerum impositionem se discalceasse, & nudis pedibus, solemni cum Processione perrexisse ad Ecclesiam Sanctæ Sabinæ, ubi Statio fiebat.

IX. Hactenus dictis lubet adjungere locum Romani Ordinis XII. Auctore Cencio Cap. VIII. in quo & alii præter recensitos referuntur Ritus digni ut & ipsi hic describantur. Sic autem inquit: *Prior Episcoporum imponit ei*, Pontifici scilicet, *cinerem, dicens hæc verba*: Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Postmodum vero Dominus Papa imponit cinerem Episcopis, Cardinalibus, & aliis Ordinibus. Quibus expletis, Primicerius cum Schola Cantorum incipit Antiphonam*, Exurge Domine, adjuva nos. *Qua completa, Dominus Papa dicit*, Oremus, *& Diaconus*, Flectamus genua; *& alius Diaconus deinde*, Levate; *& Dominus Papa dicit Orationem de Collecta, videlicet*, Preces populi tui; *qua finita, junior Diaconorum Cardinalium dicit*, Procedamus cum pace, *& omnis Chorus respondet*: In Nomine Christi..... *Deinde præcedentibus in ordine suo, Dominus Papa nudis pedibus cum Psalmodia sequitur Processionem usque ad S. Sabinam, & ipsum præcedit Crux sua, quam portat unus de Subdiaconibus suis. & Crux S. Petri, quam portat Prior Subdiaconus regionarius. Cumque intraverit Ecclesiam, intrat Secretarium, & Mappulariorum, & Cubiculariorum Schola habent ibi aquam calidam paratam ad abluendum pedes ipsius.* Sed nequid omittamus de antiquis ritibus in ea Processione servatis, sciendum etiam quod mox subdit idem Ordo XII. ait enim, *quod in introitu Ecclesiæ Acolythi debent recipere Crucem S. Petri, & portant usque ad Altare, cum Subdiaconis regionariis faciendo Litaniam; & pedibus ablutis, Dominus Papa paratus ad Altare accedit.* Dicebat tum Pontifex Missam, de qua opportuniori loco inferius dicemus, una cum variis ritibus in ea Missa servatis, sicut & de equitatione solemni post Missam a S. Pio Papa V. de qua infra in fine Commentarii ad II. §. Ca-

Digitized by Google

§. Capitis hujus dicemus ex testimonio Auctoris, qui eo tempore claruit, estque is Franciscus Mucantius sub Gregorio XIII. Apostolicarum Cæromoniarum Magister.

X. Explicatis hucusque variis antiquis ritibus, qui in desuetudinem penitus abierunt, ut ea quæ in nostro §. statuta sunt, nunc enarremus, adnotandum monet, *quod si Imperator, aut Rex sit præsens, accipit cineres immediate post Cardinales omnes, & osculatur pedem Papæ, & similiter alii Principes, qui sedent inter Cardinales, recipiunt cineres post eos.* Subdit mox, non idem servari *in distributione candelarum, & Palmarum, quia hi accipiunt, prout sedent; in isto autem actu, qui humilitatem præsefert, Principes Sacerdotibus se inclinant, & illis cedunt.* Sed puto, sicut ritum, ita & hanc rationem recens fuisse adinventam; nam alias, Romanus Ordo xv. Auctore Amelio, Capite XXIV. postquam dixit, quod Prior Episcoporum Cardinalium, si est præsens, vel Subprior ipsorum Episcoporum, aut Prior Presbyterorum, post impositum capiti Papæ cinerem, *genuflexus ponit caput suum inter genua Papæ, & Papa eodem modo ponit cineres super caput ejus, dicens,* Memento homo, *postea genu osculatur dextrum Papæ;* ita statim subjicit: *Nota, quod si sit Imperator, vel Rex, post ipsum recipit cineres, & pedem Papæ, & non genu osculatur. Deinde omnes Cardinales, primo Episcopi, secundo Presbyteri, tertio Diaconi, & omnes alii Prælati, qui sunt parati, genu Papæ osculantur in receptione cinerum. Patriarchæ post. Camerarius vero Papæ, Notarii, Auditores Contradictarum, & Corrector, etsi aliquis ipsorum esset Episcopus, vel Prælatus, quia non consueverunt venire parati, sed cum Cappis laneis, & Capellani tam commensales, quam continui alii, qui debent esse in Cottis, nec non Pœnitentiarii, & breviter omnes alii familiares, etiamsi esset Rex, Dux, aut Comes, flexis genibus recipiunt cineres a Papa, & ipsis receptis, osculantur pedem Papæ, & non genu.* Rursus sciendum ait idem Romanus Ordo xv. loco citato, *quod si Rex esset præsens, cineres recipit post Priorem Episcoporum Cardinalium, prout dictum est; sed filii Regum, si etiam interfint, eodem modo, quo sedent inter Cardinales, cineres recipiunt, & Patriarchæ etiam.* Cautum præterea est ex eodem Ordine Cap. XXXI. *ut si Rex recipit cineres, sit indutus sacris vestibus, & Mitra alba;* itemque Cap. XXXII. de Patriarcha cautum est, *ut qui semper sedere debet inter Episcopos Cardinales, debeat candelas, & cineres recipere post Priorem Episcoporum, quod si Rex esset, immediate post, ante omnes alios.*

XI. Addit & alia memoratus Ordo xv. cui etiam in multis concinunt Cæremoniale ms. Davantriæ, & ms. Cæremonialis Codex Piersanctianus, quorum tamen ritus mutati nonnihil deinde fuere a nostro Cæremoniali ab Augustino Patricio concinnato. Sed negari haud potest, quin & ipsum nostrum Cæremoniale in aliquibus quoque mutatum fuerit, vel disertius explicatum. Sane teste Mucantio in ms. Diario Pontificatus Gregorii XIII. anno MDLXXIII. in die Cinerum, qui eo anno incidit in diem XXIV. Februarii, *præstita obedientia per Cardinales in Cappis, iisdemque paratis more solito, Papa benedixit cineres, & mox sedens capite detecto, illas de manu Cardinalis Missam celebraturi recepit sine ulla verborum prolatione. Deinde recepta Mitra, incœpit illos distribuere, primo ipsi Celebraturo, mox Decano, & aliis successive,* Cardinalibus scilicet, & aliis pluribus, qui recensentur in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, præsertim incitato Diario Mucantii, qui ita paulo post subdit: *Ordo distributionis fuit, prout in die Purificationis. Oratores, & alii stantes cum illis apud Solium venerunt post omnes paratos etiam Pœnitentiarios, & post Gubernatorem non paratum, qui sedit in scamno Protonotariorum, & supra eos, dum Episcopi manserunt parati. Medicus Papæ non venit in loco ei antiquitus competenti, videlicet post Caudatarios Cardinalium, sed cum Cubicullariis.* Ex quibus discimus, non modo nostrum Cæremoniale variare non raro ab antiquis Romanis Ordinibus, verum etiam ipsa sequioris ævi Romanorum Pontificum Diaria ab ipso Cæremoniali, imo & alterum ex eisdem Diariis ab altero sæpe sæpius differre.

XII. Insuper juxta præscriptum nostri §. ex editione Romana anni MDLX. *acceptis cineribus, Cardinales inclinati osculantur genu, alii etiam Prælati parati genuflexi osculantur genu, alii vero non parati genuflexi osculantur pedem Papæ, postquam cineres ab eo acceperint.* In editione I. Veneta anni MDXVI. & Colonienſi anni MDLVII. ubi dictum est, *acceptis cineribus, Cardinales osculantur genu,* sequitur: *alii etiam Prælati parati genuflexi osculantur pedem Papæ, postquam cineres ab eo acceperint.* Quod quidem merito correctum est, *quandoquidem Episcopi parati, & consecrati semper osculantur genu, non pedem,* ut, notavit idem Mucantius loco citato, ubi iccirco ait, anno ipso MDLXXIII. Episcopos assistentes, & alios Episcopos paratos, omnes genuflexos osculatos fuisse *genu Pontificis, non pedem, licet in Cæremoniali habeatur, ipsos Episcopos paratos osculari debere pedem; sed male id cavetur &c.* Siquis autem hic roget, quodnam Papæ genu, dextrumne, an sinistrum osculari ipsi Cardinales, & Prælati parati debeant, dicam, quod in hanc rem notavit idem Mucantius loco citato, ubi ita inquit: *Cardinales, receptis cineribus, osculabantur genu sinistrum utplurimum, exceptis paucis, inter quos fuit Cardinalis Moronus Decanus, qui osculatus fuit genu dextrum, & admonuit me, ut idem observari facerem ab aliis, quia regulariter non præbetur osculum reverentiæ Pontifici, nisi in latere dextro, sive manus, sive genu, sive pedes sint osculandi. Verum licet hoc significaverim alteri ex Auditoribus Rotæ, qui assistebant Pontifici pro mappa substinenda, qui regulariter solent monere accedentes ad Pontificem in similibus actibus, nihilominus noluit id facere; dicebat enim, hoc factum fuisse, quia genu dextrum Pontificis erat cinere consperſum, cum Pontifex continuo datis cineribus manum suam dexteram cineroſam super eo reclinaret. Unde Cardinales, ne os cineribus deturparent, incœperunt osculari genu sinistrum,*

Digitized by Google

quamquam magis conveniat genu dextrum oſculari. Ita Mucantius Cæremonialium Papalium Præfectus, qui etiam ad rem ita concludit: *Cardinales autem oſculantur regulariter manum; ſed hodie, quia manus dextera eſt cineribus perfuſa, oſculantur genu.*

§. II.

De Miſſa hujus diei, & variis ritibus in ea ſervatis.

His finitis, Prælati, & Officiales omnes extra cancellum, Cardinales vero intus in locis ſuis dimittunt paramenta & accipiunt Cappas ſuas conſuetas; & Pontifex, facta Oratione ante Altare, facit cum Celebrante Confeſſionem, & more conſueto incipitur Miſſa. Finita Confeſſione, Papa aſcendit Sedem eminentem, & Presbytero Cardinale miniſtrante, imponit incenſum in thuribulo. Preſbyter Cardinalis revertitur ad locum ſuum inter alios Cardinales, incenſatur Altare, deinde Celebrans, poſtea Papa. Interim Cardinales veniuut ad circulum more conſueto. Incenſato Papa, Presbyter Cardinalis vadit ad circulum inter alios Cardinales, & Papa dicit Introitum, & *Kyrie eleiſon*. Cum dicitur *Dominus vobiſcum*, ante Orationem, Papa deſcendit ad Faldiſtorium, ubi abſtracta Mitra genuflectit, & ſic manet uſque ad finem omnium Orationum. Idem facit, antequam incipiatur Verſus, *Adjuva nos*, ſic manens uſque ad finem Verſus. Similiter dicto per eum, *Sanctus*, uſque, *Per omnia ſecula*, ante, *Agnus Dei*, & ad omnes Orationes poſt Communionem, & tunc omnes alii, qui ſunt in Capella, genuflectunt, præter Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, qui non genuflectunt, niſi ad Verſum, *Adjuva nos*. Ad Introitum, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, fit circulus per Cardinales. Patena tenetur per Subdiaconum, incenſantur omnes poſt Offertorium, Pax datur, & alia fiunt, prout in aliis Miſſis, & fit Sermo. Dicuntur quinque Orationes, prima de die ſub ſua concluſione, ſecunda, *A cunctis*, tertia, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c.* quarta contra Paganos, quinta pro Papa. Et nota, quod poſt ultimam Orationem in fine Miſſæ dicitur Oratio ſupra populum ſub ſua concluſione, & Diaconus ſurgens, vertenſque faciem ad populum dicit: *Humiliate capita veſtra Deo*, ad quam Papa, & omnes alii manent genuflexi, quouſque dicitur, *Per omnia ſæcula &c.* Tunc Pontifex ſurgit, & accepta Mitra, aſcendit ad Solium, ubi deponitur ei Mitra. Interim Subdiaconus venit cum Cruce ante Papam, qui, dicto per Diaconum, *Benedicamus Domino*; & reſponſo, *Deo gratias*, dat benedictionem. Deinde revertitur ad Cameram.

COMMENTARIUS.

I. JUxta veterem Romanæ Eccleſiæ morem, cujus, ut notatum ſuperius fuit, mentionem faciunt complures Romani Ordines, facta a Pontifice ſolemni cinerum benedictione, & impoſitione in Eccleſia S. Anaſiæ, ſolemnis inſtituebatur Proceſſio ad Eccleſiam S. Sabinæ, in qua Summus ipſe Pontifex, cum Cardinalibus, diſcalceatis pedibus, pergebat, ibique Miſſarum ſolemnia celebrabat: *Cum venerit ad Eccleſiam*, inquit Ordo XI. Romanus, Num. XXXIV. *Subdiaconus regionarius, depoſita Cruce, cum Letania vadit ad Altare, reſpondentibus Scbola, & Acolythis, ubi Dominus Papa cantat Miſſam ſine*, kyrie, *propter Litaniam*; ideſt propterea quod dictum ſit, *Kyrie eleiſon*, in præmiſſa Litania, uti conſtat ex eodem Romano Ordine XI. Num. XXXV. ubi hæc extant verba: *Quando efficitur Collecta, ad Miſſam non cantatur*, kyrie, *quia Regionarius dixit in Litania*. Porro Proceſſiones ſolemnes præcedebat olim Collecta, ideſt, coadunatio Clericorum in una Eccleſia, ut ex ea quaſi agmine facto in locum Stationis procedatur; ſic dicta, quod eo in loco, ut notat Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum, Cap. V. Clerus cum populo colligatur ad faciendam Proceſſionem ſolemnem. Et quia in loco, ubi fiebat Collecta, Oratio ſuper populum fundebatur ante Proceſſionem, inde fit, quod hujuſmodi Orationes etiam Collectæ appellantur, quoniam *ſuper collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Eccleſia in aliam ad Stationem faciendam*, ut loquitur Micrologus Cap. III. *Sic in capite jejunii illa oratio*, Concede quæſumus, *apud S. Anaſtaſiam ſuper collectam populi dicitur, qui Stationem apud S. Sabinam celebraturus eſt*. Sed hujuſmodi Collectæ fiebant præcipue in Quadrageſima, & in ſingulis triduis Quatuor Temporum, propterea quod illis diebus ſolemnis Proceſſio celebrabatur. At quia forte privata erat aliis temporibus Proceſſio, nullæ Collectæ aſſignantur in veteri Indice Collectarum, atque Stationum, quem inferius idem Mabillonius exhibet. De Collectis, quæ ſæculo XII. in uſu erant, ita habet laudatus Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. XXXV. *Collecta ſit ſecunda Feria, quarta, & ſexta, & Sabbato per totam Quadrageſimam, & in Quatuor Temporibus totius anni, & in quinta Feria ad S. Mariam trans*

Digitized by Google

Tiberim, *& ad S. Apollinarem*. De ipsis Collectis videri possunt & alii Romani Ordines, atque eruditi Auctores, qui veteres Missæ ritus peculiari Tractatu explicant.

II. Quod Missam spectat, quæ Cinerum die, ut dictum est, celebrabatur olim a Pontifice in Ecclesia S. Sabinæ, dignus notatu est ritus, qui in ipsa Missa observabatur. Teste siquidem laudato Ordine Romano XI. Num. XXXIV. *Ante Communionem stat Subdiaconus regionarius juxta Altare, dicens alta voce*: Crastina die veniente, Statio erit in Ecclesia S. Georgii Martyris ad Velum aureum. *Respondet Schola*: Deo gratias; *& sic postea Primicerius cantat Communionem. Finita Missa, Acolythus debet tollere papyrum* (ellychnium scilicet in lucernis, & cereis adhibitum, ut videre est apud Dufresne in Glossario, verbo, *papyrus*) *& intingere in oleo candelæ, & diligenter extergere, & portare ad Palatium ante Pontificem, dicens*: Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit. Ille vero dicit*: Hodie fuit Statio ad Sanctam Sabinam, quæ salutat te. *Pontifex respondet*: Deo gratias. *Acolythus repræsentat ei papyrum, qui osculatur eum pro devotione Sanctæ, & dat eum Cubiculario. Cubicularius reponit, & diligenter observat usque ad mortem Pontificis. Et sic fit in omnibus Stationibus. Ad mortem facit ex eis pulvillum, & ponit sub capite ejus in Sepulchro*. Porro Stationis vox ambigua, uti jam observat Mabillonius loco citato, aliquando pro jejunio voluntario, quandoque pro statu orantium usurpatur, occurritque in utraque significatione passim apud Tertullianum, aliosque Auctores antiquos. Hoc loco sumitur pro concursu populi ad locum indictum, idest, ad Ecclesiam, in qua Processio Clericorum consistebat statis diebus ad statas preces faciendas. Antiquus quippe in Urbe ritus fuit, ut certis diebus Clerus Romanus in unam aliquam Ecclesiam conveniret supplicationis causa, ubi Sacra fiebant, aliaque Divina Officia celebrabantur.

III. Celebrem fuisse Stationem ipsam, quæ Feria quarta Cinerum fieri ex veteri ritu consuevit in Ecclesia S. Sabinæ, ubi & Missarum Solemnia celebrabantur, docent passim antiqui Romani Ordines, inter quos Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXIX. ait, in prima hujus Missæ Oratione non dici *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*. Paulo ante jam dixerat, solitum fuisse Papam *hac die ad Missam unam tantum Orationem cantare, & in omnibus Dominicis diebus, sed in Ferialibus, quando celebrat, dicere tres Orationes, videlicet, Orationem diei, & Orationem*, A cunctis, *& Orationem* Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum &c. Concinit memorato ipsi Romano XIV. Ordini Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. XXV. *Notandum*, inquit, *quod secundum Dominum Jacobum Gaytani, in hac Missa non debet dici, nisi una tantum Oratio, licet modernis temporibus consueverunt dici tres. Item in prima Oratione dicitur*, Dominus vobiscum, *& non*, Pax vobis. Clementem Papam VI. decrevisse, ut tres memoratæ Orationes dicerentur in Missa hujus diei, docet nos Codex ms. Piersanctianus. *Notandum*, ait, *quod in principio hujus Missæ, videlicet tempore Domini Clementis Papæ VI. consueverunt dici tres Orationes, videlicet Oratio diei, Oratio*, A cunctis, *& Oratio*, Omnipotens Sempiterne Deus, qui vivorum dominaris &c. *licet secundum Dominum Jacobum*, Gajetanum scilicet Auctorem Ordinis XIV. Romani, *non debet dici, nisi una tantum Oratio, scilicet*, Præsta quæsumus Domine fidelibus &c. Eadem fere habet ms. Cæremoniale Davantriæ, sic inquiens: *Sciendum est autem, quod ipsa die consueverunt dici secundum modernos, scilicet tempore Domini Clementis VI. tres Orationes in principio Missæ, & quatuor in fine, licet secundum Dominum Jacobum non debeat dici, nisi una tantum in principio, & duæ in fine*. Sane licet ex præscripto nostri §. præter tres memoratas, & aliæ duæ dicendæ sint Orationes, nempe, *quarta contra Paganos, quinta pro Papa*; ex Rubricis tamen Missalis Romani tres prædictæ Orationes tantum dicuntur.

IV. Quoniam vero Quadragesimale tempus est tempus luctus, & pœnitentiæ, hinc Majores nostri provide statuerunt, ut frequenter eo tempore adgeniculationes fierent, vel etiam ab ipso Pontifice, ubi solemni Missæ interesset: *Cum dicitur*, Dominus vobiscum, *ante Orationem*, inquit noster §. *Papa descendit ad Faldistorium, ubi abstracta Mitra, genuflectit, & sic manet usque ad finem omnium Orationum. Idem facit, antequam incipiatur Versus*, Adjuva nos, *sic manens usque ad finem Versus. Similiter dicto per eum*, Sanctus, *usque*, Per omnia secula, *ante*, Agnus Dei, *& ad omnes Orationes post Communionem, & tunc omnes alii, qui sunt in Capella, genuflectunt, præter Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, qui non genuflectunt, nisi ad Versum, Adjuva nos*. Atque hi antiqui ritus sunt quidem, quos recenset, explicatque Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXIX. his verbis: *Notandum, quod in Tractu, qui hac die cantatur, quando pervenitur ad Versum*, Adjuva nos, *dictus Dominus Papa, deposita Mitra, stat genuflexus in Sede sua, quandiu cantatur ille Versus. Si Papa non celebraret, sed alius coram eo, debet ire ad Cathedram cum scabello coram Altare paratam, & ibi stat, quandiu Versus ille cantatur, deposita Mitra, & ipso finito, debet redire ad Sedem suam, reposita Mitra; & etiam dicto*, Sanctus, *si non celebret, statim debet accedere ad eandem Cathedram, & ibi stare usque ad* Agnus Dei, *cum Mitra, & dum dicit*, Per omnia, *redit ad Sedem suam*. Addit mox etiam Ordo laudatus XIV. hoc idem fieri a Papa non celebrante, quandocumque dicuntur primæ, & ultimæ Orationes in Missis de Feria, Vigiliis, aut diebus Quatuor Temporum, sive solemniter celebretur, aut ferialiter: *Quandiu enim Orationes dicuntur, semper stat flexis genibus, ut supra, cum Mitra in capite, nisi ex devotione speciali deponere vellet, & Orationibus finitis, dum dicitur*, Per Dominum, *vel quando vult, surgit, & revertit ad Cathedram suam*. Eadem est legere totidem verbis in Romano Ordine XV. Cap. XXV. & aliis sequentibus, itemque in Cæremoniali Davantriæ, & Codice Piersanctiano.

V. Sed audiamus nunc ritus, quos iidem Ordo Romanus, & mss. Codices referunt servandos in Missa, quam solemniter Pontifex Feria

Digitized by Google

ria ipsa quarta Cinerum celebraret, præsertim vero a Diacono, & Subdiacono: *Dum Papa legit Tertiam cum Capellanis suis*, inquit ipse Romanus Ordo XV. Cap. XXIX. *ipse Diaconus vadit ad Sedem suam, habens Cottam, Amictum latum, & Albam cum Cingulo, & Stolam super humerum sinistrum, & cum eo Subdiaconus etiam cum Alba, & Manipulo indutus induunt Antistitem, ut moris est. Quo solemniter induto more solito, antequam descendat de Cathedra, Diaconus, & Subdiaconus Planetas recipiunt, & alii Cardinales, quas levare debent a parte anteriori super brachia usque ad pectus medium, ita quod aliqnantulum dependeat infra ante pectus.* Notandum mox subjicit, *quod Subdiaconus, antequam legat Epistolam, deponit Planetam, & dicta Epistola, eam recipit, & Librum portat Missalem ante Papam, osculato prius pede.* Cum Cantores autem incipiunt cantare, *Domine non secundum peccata*, Diaconus Cardinalis, ut idem Ordo loquitur, recepto prius Manipulo in brachio sinistro de manu Capellani sibi in prædicta Missa servientis, surgit, & exuit Planetam, & plicatur ei ad modum Stolæ per Ministros suos, & Clericos, quam tunc portat super humerum sinistrum, & firmantur capita Planetæ ad latus dextrum inter cinctorium, & sic tenet eam per totam Missam, quousque ipse, & Subdiaconus communicaverint de manu Papæ, & Sanguinem sumpserint super Altare, prout est fieri consuetum; & statim facta Communione, ipse induit Planetam ad modum aliorum Diaconorum Cardinalium, & sic etiam tenet, usquequo Papa dederit benedictionem; qua data, Planetam deponit, & Subdiaconus etiam, & remanent cum Albis, prout erant, quando Papam induerunt, & sic expoliant Papam, quo facto, deponunt paramenta.

VI. Spectant recitati hactenus ritus ad Solemnem Missam, quam vel labente Sæculo XIV. quo exaratus fuit laudatus Ordo Romanus XV. solitus erat Papa Feria quarta Cinerum celebrare. Explicandi nunc sunt alii ritus, qui servari solent in Missa ejusdem diei, Papa non celebrante, sed tamen præsente. Ergo datis cineribus Pontifex, ut in antecedenti §. dictum est, dicit Orationem, *Concede nobis Domine &c.* qua finita, ut inquit hic noster §. *Prælati, & Officiales omnes extra cancellum, Cardinales vero intus in locis suis dimittunt paramenta, & accipiunt Cappas suas consuetas; & Pontifex facta Oratione ante Altare, facit cum Celebrante Confessionem, & more consueto incipitur Missa.* Luculentius profecto exponit hunc ritum Romanus Ordo XV. Cap. XXXIV. sed ait tamen, deponi a Cardinalibus post Introitum Missæ paramenta, & sumi laneas Cappas, a Prælatis vero statim receptis cineribus paramenta deponi. Hæc ejus verba: *Item sciendum, quod si Papa non celebret, datis cineribus, & lotis manibus, & finita Oratione per eum*, Concede nobis quæsumus præsidia, *Papa vadit coram Altari ad faciendum more solito Confessionem cum illo, qui celebrat, qui stat inclinatus ante pectus junctis manibus ad latus sinistrum Papæ, duobus Diaconibus antiquioribus sibi assistentibus, uno a dextris, & alio a sinistris. Papa incipit*, Introibo ad Altare

Dei; *qua Confessione facta, Papa vadit ad Sedem suam, & stando, & sine Mitra dicit Introitum Missæ cum Cardinalibus more solito; quo finito, Papa sedet in Sede sua. Deponunt deinde omnes Cardinales paramenta sua, & recipiunt Cappas suas laneas. Prælati vero alii statim, receptis cineribus, paramenta deponunt.*

VII. Concinunt vero & nostro huic §. quæ idem Romanus Ordo XV. Cap. XXXV. subjicit, dum primo notandum monet, *quod ille, qui celebrat coram Papa in hac die, & etiam in alio tempore, quando est Missa de Feria, Vigilia, aut quatuor Temporibus, sive solemniter celebretur, aut Ferialiter, & etiam secrete, dum dicit primas, & ultimas Orationes, descendit Papa de Cathedra sua magna, & vadit ad Cathedram bassam cum scabello pro eo paratam, & ibi Mitram tenens in capite, stat genuflexus, nisi causa devotionis eam velit deponere, & sic stat, quousque Orationes fuerint dictæ; quibus finitis, dum dicitur*, Per Dominum nostrum &c. *aut*, Qui vivis, *surgit, & revertitur ad Sedem suam.* Secundo, *quod quando dicitur ilie Versus Tractus*, Adjuva nos Deus salutaris noster, *Papa descendit de Cathedra, & vadit ante Altare.* Tertio, quod dicto, *Sanctus*, per Celebrantem, *Papa incontinenti vadit ad Cathedram ante Altare, & genuflexus ibi residet, usque ad Agnus Dei.* Quarto, *quod dum Celebrans dicit*, Per omnia sæcula sæculorum, *ante*, Agnus Dei, *Papa surgit, & regreditur ad Sedem suam, & ibi stat pedes, quousque Celebrans dicit*, Pax Domini, *& tunc deponitur sibi Mitra, & stat capite discooperto, donec Sanguinem, & Corpus Celebrans sumpserit.* Quinto, *quod quando dicitur Oratio super populum, dicto*, Humiliate capita vestra Deo, *deponitur Mitra per Diaconum Cardinalem sibi a dextris assistentem, qua completa, regreditur ad Sedem suam, & reponitur ei Mitra per eundem Cardinalem.* Atque hæc sunt, quæ de illo, qui celebrat Feria quarta Cinerum coram Papa, tradit ordine tamen tantisper inverso laudatus Ordo Romanus XV.

VIII. Juxta §. nostri præscriptum, dicta ultima oratione, *Pontifex surgit, & accepta Mitra, ascendit ad Solium, ubi deponitur ei Mitra, & interim Subdiaconus venit cum Cruce ante Papam, qui dicto per Diaconum*, Benedicamus Domino, *& responso*, Deo gratias, *dat Benedictionem*, more scilicet in aliis solemnibus Missis usitato, cujus etiam meminit idem Ordo XV. Cap. XXV. Loquitur mox paulo inferius, nempe Capite XXVII. de Indulgentiis dari solitis in hac Missa, sic inquiens: *Item notandum, quod in hac Missa, posito quod Papa non celebret, consueverunt dari* VII. *anni, &* VII. *quadragenæ, licet aliqui dicunt, quod non debent dari, nisi in casu, quod ipse celebret. Verumtamen propter majorem devotionem dantur* VII. *anni.* Sane reliquum est, ut hoc loco de solemni equitatione Papæ post Missam ad S. Sabinam dicamus, quam restituit Pius Papa V. quamque ita describit accuratus Apostolicarum Cæremoniarum Magister Franciscus Mucantius in suo ms. Diario ubi enarrat ritus in Pontificatu Gregorii XIII. servatos, sic

Digitized by Google

inquiens ad diem 11. Februarii anni MDLXXIII. qui fuit primus Pontificatus laudati Gregorii Pontificis Maximi.

IX. Finita Missa, Pontifex rediit ad Aulam paramenti ad se exuendum una cum Cardinalibus, mox exutus sacris paratibus descendit per scalas Palatii, in quarum fine ascendit equum, & pariter Cardinales omnes cum Cappis eorum violaceis equitarunt versus Ecclesiam S. Sabinæ ad Stationem; quod juxta priscum morem fuit denuo a felicis recordationis Pio V. introductum, ac deinceps quotannis servatum. Ordo equitandi fuit talis, quia primo præcessere Valisarii Cardinalium, inde Clavigeri, seu Mazzerii eorundem, non tamen ferentes claves erectas, & discoopertas, sed declinatas supra sellas equorum. Tum sequebantur quamplures Nobiles, & Aulici cum Caudatariis Cardinalium vestibus violaceis, & Caputio indutis, quibus uti cœperunt jam inde a tempore Pii Papæ Quarti de ipsius Pontificis ordine, & mandato. Mox duo Valisarii Papæ, inde Scutiferi Papæ, & post eos tres, aut quatuor equi, & mulæ velluto serico rubro ornati, ac per manus ducti. Tum Procurator Fisci cum Advocatis, Cubicularii, Acolythi, Abbreviatores cum eorum habitu quotidiano nigri coloris, sed fortasse decentius incessissent habitu violaceo, quemadmodum & Acolythi. Tum Auditores cum Croceis, & Caputio nigri coloris. Aliqui Oratores Laici cum Nobilibus majoribus, & affinibus Papæ. Tum Gubernator Urbis, inde Honoratus Gajetanus Custodiæ Sanctissimi Domini Nostri Princeps, quem aliquando, nos Magistri Cæremoniarum medium inter nos habuimus, aliquando ipsum subsequebamur nostris ordinariis vestibus violaceis cum Caputio circa spatulas induti; & statim apud nos sequebatur Subdiaconus cum Cruce, ac Crocea cum Caputio violaceo indutus, & Pileo nigro Pontificali tectus. Ante vero ipsum, & nos Magistros incedebant quatuor Clavigeri, seu Mazzerii Papæ. Denique veniebat Sanctissimus Dominus Noster scapulari laneo rubro cum Stola ordinaria, & Pileo rubro, non tamen Pontificali, ex velluto. Pontificem sequebantur duo Cubicularii secreti, deinde Cardinales, mox Prælati assistentes in eorum Mantellis, & Rochettis ordinariis. Tibicines non habebant certum locum, sed interponebant se modo huc, modo illuc, non sine murmure equitantium. Via fuit transacto ponte S. Angeli per Trapezitas, & ante Templum divæ Luciæ prope cloacam per Pellegrinum, per Plateam Campi Floræ recta procedendo ante Templum divæ Catharinæ Funariorum, & prope Monasterium Turris Speculorum, relinquendo illud ad sinistram, inde ad Scholam Græcam, & successive ad Montem Aventinum, & Ecclesiam S. Sabinæ, ubi alter Subdiaconus pedester, & Cappa paratus accepit Crucem de manu alterius, sed meo judicio male cum Cappa in hoc actu Pontifex descendit, & genuflexus super cussino, & tapete ante portam Ecclesiæ osculatus fuit Crucem sibi porrectam per Cardinalem Lomellinum Titularium. Mox surgens, eodem Cardinale ministrante, imposuit incensum in thuribulum, deinde aspersit se, & alios aqua benedicta, & fuit ab eodem Cardinali triplici ductu incensatus. Ingressus Ecclesiam oravit apud tria Altaria dictæ Ecclesiæ Cardinalibus cum eo genuflectentibus in circulo lato. Quo facto, seceſſit paululum in viridarium, & licentiatis Cardinalibus, reversus est ad Palatium lectica.

CAPUT XXXII.

De officio diei Cinerum Papa absente.

Si autem in die Cinerum Papa non sit præsens, super credentia parantur duo vasa argentea, duæ lances pro lavandis manibus Cardinalis celebrantis, & alia more consueto. Deinde Cardinalis celebraturus prævenit ad Ecclesiam in tempore, induit se paramentis violaceis usque ad Planetam exclusive, dimissis Chirothecis, & Annulo Pontificali, accipit Pluviale super Dalmaticam, & Mitram albam, & accedit ad Altare, ubi deposita Mitra, adstans in cornu sinistro Altaris, videlicet Epistolæ, benedicit cineres in lance ibidem super Altari positos per Sacristam, ut supra dictum est. Cum venerint Cardinales, impetrata licentia, Celebrans cum Mitra faciens reverentiam Cardinalibus, accedit ad medium Altaris, ubi deposita Mitra, renibus ad Altare versis, a dextris habens Subdiaconum Capellæ pelvim cum cineribus reverenter tenentem, Priori Episcoporum Cardinalium in sua Cappa lanea consueta ad se venienti stans caput nudum inclinat, super quod Prior prædictus etiam capite detecto cineres imponit, dicens: *Memento homo &c.* Cui mox similiter caput inclinanti Celebraturus imponit etiam cineres eodem modo. Tum veniunt successive Cardinales reliqui bini & bini cum suis Cappis ad cineres, & Celebrans, cum dat cineres Cardinalibus, stat sine Mitra. Deinde per Clericos Capellæ apportatur Faldistorium, in quo Celebrans sedet, & accepta Mitra, & Mappula pro Gremiali, quam Diaconus Capellæ sibi imponit, duobus Capellanis Superpelliceis indutis hinc & inde genuflexis illam tenentibus, dat cineres Prælatis, & aliis omnibus ad eum venientibus; qui omnes se profunde inclinant; tamen neque Cardinales, neque alii manum, vel aliud cineres imponentis debent osculari. Datis cineribus, Celebrans Diacono & Subdiacono mantile tenentibus, lavat ma-

Digitized by Google

manus; ſurgit depoſita Mitra; amovetur Faldiſtorium, & reponitur in loco conſueto, & ſtans in cornu Epiſtolæ verſus Altare dicit: *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. *Oremus*. *Concede nobis Domine*, ut in Ordinario. Deinde reaccepta, Mitra vadit ad Faldiſtorium, deponit Pluviale, ſedenſque accipit Chirothecas, (1) Planetam, Mitram, & Annulum Pontificalem (2) & vadit ad Confeſſionem, ut moris eſt. Incipitur Miſſa, in qua cum dicit, *Dominus vobiſcum*, ante Orationes, quæ Epiſtolam præcedunt, Cardinales, & alii omnes in locis ſuis genuflectunt, & ſic permanent uſque ad finitas omnes Orationes. Idem faciunt, quando in Tractu dicitur Verſus: *Adjuva nos Deus &c.* per totum Verſum. Similiter, dicto, *Sanctus*, uſque, *Per omnia ſecula ſeculorum*, ante, *Agnus Dei &c.* Dicto, *Dominus vobiſcum*, ante Orationes poſt Communionem. Et hoc ſervatur in omnibus Miſſis Ferialibus, & Mortuorum in Capella Papæ, ſive ſit præſens, ſive ſit abſens Papa; omnes genuflectunt dictis temporibus, & fit Sermo. Accedunt autem ſinguli pro cinerum perceptione eo ordine, prout ſupra in Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis in diſtributione candelarum eſt ordinatum.

COMMENTARIUS.

I. PApa Roma abſente, ut celebrari deberet Officium cinerum, labente Seculo XIII. docet memoratus toties Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXIX. ſic inquiens: *Si vero Dominus Papa non eſt in Urbe, conveniunt omnes ad Eccleſiam Sanctæ Sabinæ, & dicta Tertia, benedicuntur cineres a Pontifice, vel a Sacerdote, qui debet cantare Miſſam more ſolito, ut ſupra. Finita benedictione, Pontifici, vel Sacerdoti celebraturo Miſſam, imponitur cinis a Pontifice alio, vel Sacerdote, ſi adeſt. Sin autem, idem Pontifex, vel Sacerdos imponit ſibi ipſi cineres, deinde Clero, & populo, dicendo*: Memento homo &c. *Interim cantantur*: Immutemur habitu, &, Juxta veſtibulum &c. *Finita impoſitione cinerum, dicitur Oratio*: Concede quæſumus, *ut ſupra. Poſtmodum procedit ad Altare ad Divina peragenda. Hoc idem ſervatur in Capella Domini Papæ, quando Papa non celebrat, excepto, quod ſibi, & omnibus adſtantibus imponit cineres*. Hæc Ordo Romanus XIV. eademque fere ad verbum legere eſt in Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. XXXVIII. In quibus tamen Ordinibus nulla fit mentio Cardinalium, quod forte, diſcedente Papa ab Urbe, ipſum ſequi Cardinales ſoliti eſſent. Ceterum notandum hoc loco quod ſcribit in ſuo Romano Ordine Graſſus, Cap. XI. apud Martene in Libro *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* pag. 602. *Abſente Papa, paramenta per nullos induuntur, nec Superpellitia. Idem Celebraturus benedicit, & diſtribuit cineres, quorum partem mittit ad Papam*.

CAPUT XXXIII.

Si Papa in die Cinerum celebrabit.

Si autem in die Cinerum Papa vellet ipſemet celebrare, finita Oratione poſt dationem Cinerum, Papa ſedet aliquantulum, & mox ſurgens ſine Mitra, incipit: *Deus in adjutorium*, pro Nona, & cum incipit Pſalmus, *Mirabilia*, ſedet, Cardinales, & alii omnes retinent ſua paramenta. Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Epiſtolæ parati uſque ad Planetam excluſive, induunt Papam more ſolito. Diaconi aſſiſtentes cum ſuis Planetis ante plicatis adjuvant. Dum Sandalia imponuntur, Papa dicit, *Quam dilecta &c.* Finita Nona, ut alias in Tertiis, Papa lavat manus cum cæremoniis conſuetis, & tunc incipit ſervire pro aſſiſtente Capellano Prior Presbyterorum cum Pluviali, non cum Planeta. Parato Pontifice, Diaconus, & Subdiaconus capiunt Planetas plicatas ante pectus, & Manipulum. Fit Proceſſio ad Altare more conſueto. Occurrunt tres Presbyteri Cardinales, ut alias. Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Epiſtolæ dimittunt, & reaſſumunt Planetas, ut diximus in prima Dominica de Adventu. Genuflexiones ad Orationes, Verſum, & poſt, *Sanctus*, ſervantur, ut prædiximus, & omnia alia, quæ in Miſſis Papalibus ſervari ſolent, niſi quod Papa communicat in Altari, non autem in Sede eminenti; & ſimiliter communicat Miniſtros, & cum calamo, & dicitur tantum una Oratio cum alia ſupra populum (3) in fine. Genuflectit tamen Papa, cum dicitur, *Adjuva*, non in Faldiſtorio ante Altare,

(1) Hæc verba, *Planetam, Mitram, & Annulum Pontificalem*, leguntur quidem in editione Romana, & deſunt in Veneta 1. & Colonienſi. (2) Deſunt quoque hæc verba, *& vadit ad Confeſſionem, ut moris eſt*, in iſtis editionibus, ſed leguntur in Romana. (3) Verbum, *in fine*, legitur in editione Romana, deſideraturque in Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

tare, sed in Sede sua. Si Papa Celebrans vellet ipsemet Sermonem facere post Evangelium, descenderet ad Faldistorium ante Altare, & facta Oratione, sederet super Cathedram sibi positam ante Altare in medio, itaut renes verteret ad Altare, & inde Sermonem haberet ad populum, & hoc si Altaris situatio requireret, videlicet, quod inde videri possit populus, & tunc Diaconi assistentes sederent hinc inde, & ante Diaconum a dextris sederet Prior Presbyterorum assistens, & apud eum Diaconus Evangelii, a sinistris vero Diaconus assistens tantum. Si autem sedendo ante Altare non posset videri populus, ut Romæ in Ecclesia S. Petri, tunc ex Sede eminenti Papa haberet Sermonem, & sederent omnes, ut consueverunt. Si vero aliquis Cardinalis habiturus est Sermonem, ipse debet servire pro assistente, cujuscumque conditionis sit, & cum Pluviali.

COMMENTARIUS.

I. COnsueviſſe olim in die Cinerum Summos Romanos Pontifices celebrare Miſſam ſolemnem, ſuperius jam dictum fuit, probatumque antiquis Romanæ Eccleſiæ monumentis. Si pauca excipias, jam nos in Commentariis ſuperioribus ea explicuimus, quæ in hoc Capite continentur. Porro autem unum eſſe Cinerum diem ex iis multis, in quibus conſueverunt Romani Pontifices Miſſarum ſolemnia in perſona celebrare, notavit Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCVIII. *In die Cinerum*, inquit, *& prædicatur*. Solitos fuiſſe ipſos Pontifices in variis ſolemnitatibus concionem habere, non uno in loco animadvertimus, meritoque iccirco in hoc Capite ritus etiam recenſetur a Papa in habenda concione ſervandus. Sed de hujuſmodi ritu dicemus fuſius infra, Lib. III. Tit. IV. Cap. I. quod eſt, *De habentibus Sermonem in Capella Papæ, & primo de Papa*; ubi inter alia edicitur, Summum Pontificem non conſueviſſe facere Sermonem, alio quopiam Celebrante, ſed tantum dum ipſe celebrat. Ceterum invaluit mos, ut alii infimi etiam ordinis coram eo prædicent; & licet olim Sermo in die Cinerum in Capella recitandus nulli Ordini eſſet affixus, ut liquet ex mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, aſſignatus jam tandem fuit Procuratori Generali Ordinis Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant.

CAPUT XXXIV.

De prima Dominica Quadrageſimæ.

Prima Dominica Quadrageſimæ celebrare ſolet Vicecamerarius Papæ, ſi eſt Epiſcopus; & ſi non eſt Epiſcopus, dignior Epiſcoporum aſſiſtentium Papæ, cum paramentis violaceis. Diaconus, & Subdiaconus utuntur Planetis plicatis ante pectus. Dicuntur quinque Orationes, prima de die ſub ſua concluſione; ſecunda, *A cunctis*; tertia, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c.* quarta contra Paganos; quinta pro Pontifice. Omnes hæ quatuor ſub ſua concluſione; & fit Sermo, quem facit Procurator Ordinis Prædicatorum. Omnia fiunt more conſueto.

COMMENTARIUS.

I. HÆC Dominica, *Quadrageſima*, appellata, toti Quadragenario numero nomen dedit, videturque nonniſi ad poſtremos quadraginta jejunii dies pertinere. Neque proprie incipit Quadrageſima, niſi ab hac Dominica, ut ait Micrologus, Capite XXIV. *Hoc autem initium Quadrageſimæ, non a capite jejunii, ſed a ſubſequenti Dominica eſt computandum. Nam quamvis a capite jejunii pro quodam complemento quadrageſimalis abſtinentiæ incipiamus, a ſubſequenti tamen Dominica, juxta aſſertionem S. Ambroſii, S. Gregorii, & aliorum Patrum, Quadrageſimam proprie exordimur.* Idipſum docent & alii Scriptores, quos citat Grancolas in Commentario hiſtorico ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XLVI. inter quos Joannes Belethus in ſua Divinorum Officiorum Explicatione, Cap. XCIII. ſic habet: *Prima Dominica Quadrageſimæ in hoc eſt privilegiata, quoniam inde inchoatur ipſa Quadrageſima, quæ repræſentat tempus illud, quo morati ſunt, atque hæſerint in Deſerto Filii Iſrael. Sicut enim iſtbic morati ſunt per quadraginta duas manſiones Manna cibati; ita nos quoque ab hac Dominica uſque ad Paſcha per quadraginta duos dies a deliciis corporeis abſtinentes, verbo vitæ reficimur, & Orationi vacamus, ut per Chriſtum in Terram viventium introducamur, quemadmodum illi introducti per Jeſum Nave Filium, ſive per Joſue in Terram Promiſſionis.* Ponit & in hac Dominica initium Quadrageſimæ Gulielmus Durandus in ſuo Rationali, Libro VI. Cap. XXXII. ubi præter allatam Belethi rationem alias quoque recenſet.

II. Omiſſis iis, quæ in ipſam primam Quadrageſimæ Dominicam juxta ritum variarum Eccleſiarum dici poſſent, ut de ritibus hoc loco dicamus, qui in Capella Pontificia ſervantur, hæc habet Ordo Romanus XIV. de ipſa Dominica

Digitized by Google

miniea loquens, Cap. LXXX. *Sermo*, & *Missa mandantur*; & *in hac Dominica*, & *deinceps in diebus Dominicis usque ad Dominicam de Palmis*, *cum coràm Papa celebratur*, *præsentibus Cardinalibus*, *Papa induitur Manto rubeo cum aurifrisiis*, *sine perlis*, *portans Mitram albam*, & *planam de garnello*, *sine perlis*, *excepta quarta Dominica*, *de qua infra*. Teste Amelio in Ordine Romano XV. Cap. XLI. *secundum Dominum Jacobum Gaitani*, qui scilicet Auctor fuit Romani Ordinis XIV. *in ista Dominica*, *nec in aliis Dominicis Quadragesimæ non debet dici*, *nisi tantum una Oratio in Missa*. Monetque præterea, ut *nunquam dicatur illa Oratio*, Ecclesiæ tuæ, *in Capella Papæ*, ob hanc scilicet rationem: *Quin semper dicitur*, Deus omnium Fidelium, & *istæ non dicantur simul*, *nisi copulative ponantur*. Addit tum etiam, *modernis temporibus*, *plures consuevisse dici*, *videlicet*, *primam de die*; *secundam*, A cunctis; *tertiam*, Deus omnium fidelium; *quartam*, Omnipotens Sempiterne Deus qui vivorum &c. Ex præscripto nostri §. additur etiam quinta; sed servandæ tamen Rubricæ Missalis etiam in Pontificia Capella juxta Decretum Congregationis Cardinalium a Gregorio XIII. anno Christi MDLXXIII. deputatæ ad reformationem Cæremoniarum, ac Rituum nostri hujus Cæremonialis, quod, ut sexcenties dictum est, Augustinus Patricius ordinavit.

III. Constans autem ille est ritus, cujus de ipsis Orationibus meminit laudatus Ordo Romanus XV. ubi notatum legitur, *quod dum dicuntur prædictæ Orationes primæ*, & *secundæ*, *seu ultimæ*, *Papa non descendit de Cathedra*, *sed stat pedes in Sede sua*, *nec deponitur sibi Mitra*, *nisi causa majoris devotionis*. Rursus idem Ordo mox subdit, *quod Romanus Pontifex nunquam descendit de Cathedra sua dum dicuntur Orationes in Missa*, *nisi in Vigiliis*, *Letaniis*, & *Ferialibus diebus*. Est quidem antiquus ritus, ut diebus istis pœnitentiæ dicatis, Clerus, ac populus ad Orationes genuflectat, non vero diebus Dominicis, in quibus veteres Ecclesiæ Patres, ac præ cæteris Oecumenica I. Nicæna Synodus, Can. XX. adgeniculationem expresse vetarunt, ob rationes jam a nobis in Commentario ad ipsum Canonem Tomo I. Conciliorum explicatas. Dies Dominicus, dies est summæ lætitiæ ob Resurrectionem Christi Domini eo die peractam, ideoque non modo fuit prohibitum eo die genuflectere, verum etiam jejunare, *propter gaudium*, *quod habet Ecclesia de Resurrectione Domini*, *quæ illa die facta est*, ut ait Durandus, Lib. VI. Cap. XXVIII. ubi etiam observat, in quibusdam Ecclesiis non consuevisse dici Præfationem Quadragesimæ in Missis Dominicarum, quia in iis scilicet non jejunatur, neque in diebus Festis occurrentibus in Quadragesima; sed in Dominicis ipsis, & Festis solitam dici fuisse Præfationem communem. Mediolani, ut testatur Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Cap. XLVI. in Dominicis Quadragesimæ, neque Hymni dicuntur Quadragesimæ, sed Hymni de Dominica consueti; idque etiam præscribitur in Consuetudinibus Cluniacensium apud Udalricum.

IV. Sunt & alia, quæ & in Missam notemus, quæque ex laudato Ordine XV. Cap. XLI. didicimus, ubi expresse edicitur, quod, *dum Celebrans incipit primam Orationem in Quadragesima*, & *in Adventu*, *semper debet dicere*, Dominus vobiscum, & *non*, Pax vobis, *exceptis Dominicis de* Gaudete, & Lætare, *quibus dicitur*, Pax vobis, *dato etiam*, *quod Papa-met celebret*. Enarrat deinde Cap. XLII. & alios ritus in hujusmodi Missis servandos, quibus scilicet Pontifex assistit in memoratis Dominicis Quadragesimæ. Mandat itaque primum, ut *in in Evangelio extrahatur Mitra de capite Papæ per Diaconum Cardinalem*, *qui ei assistet a dextris*, *quo dicto*, *reponitur ei per eundem*, *semper adjuvante alio*, *qui stat a sinistris*. Præterea ex præscripto ejusdem Ordinis, citato Capite XLII. dicto Evangelio, *veniens ille*, *qui habet facere Sermonem*, *osculatur dextrum pedem Papæ*, & *petit benedictionem a Papa*, *qua recepta*, *Papa sibi committit*, *quatenus ex parte sui denunciat omnibus vere pœnitentibus*, & *confessis*, *qui sunt*, *vel erunt in statu gratiæ infra viij. dies*, *tres annos*, & *tres quadragenas de Indulgentia*. *Finito vero Sermone*, *Diaconus*, *qui dixit Evangelium*, *dicit coram Papa*, Confiteor, *per modum consuetum*; *quo finito*, *incontinenti qui prædicavit*, *denunciet Indulgentiam*. Tertio, ut idem Ordo loquitur, denunciata Indulgentia, *si sit Prælatus Celebrans*, *descendit cito de Cathedra sua*, *seu de Ambone*, & *vadit ad bassam Cathedram suam*, *Mitra sua reposita*, *sive sit Prælatus*, *sive non*, *vadit ad locum suum*, & *deposita Mitra*, *dicit quasi legendo*, Misereatur vestri &c. & *dat benedictionem*, *signando*, & *Camerarius*, *vel alius de circumstantibus Papæ*, & *ejus Domesticus levat oram Papæ Chlamidis cum ambabus manibus*, & *tunc Celebrans dicit*, Credo in unum. *Notandum tamen*, *quod in Missis Dominicalibus consueverunt dari quinque anni*, & *quinque quadragenæ de Indulgentiis*, & *in quarta Dominica*, *de* Lætare, VII. Monet mox etiam sequenti Cap. LXIII. Romanum Pontificem, nunquam consuevisse dare VII. *annos*, *nisi ipse celebraret in Missis*, *nisi in Dominicis de* Gaudete, & Lætare.

V. Rursus juxta ejusdem Ordinis præscriptum, *Papa extracta Mitra cum Cardinalibus dicit*, Credo in unum, & *dum ipse*, & *Cantores cantant illa verba*, Et incarnatus est de Spiritu Sancto &c. *Papa genuflectit*, & *semper extrahitur sibi Mitra*, & *etiam dum dicitur*, Ave Maria, *in principio Sermonis*. De genuflexione, sive inclinatione capitis ad ea Symboli verba, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto &c.* jam alias diximus. Quod vero Salutationem Angelicam spectat initio Sacrarum Concionum recitandam, diximus & de eo ritu nos in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum Tomo I. Cap. XXII. §. III. ex quo etiam cautum est, ut Sacer Orator initio Concionis *recitet Salutationem Angelicam*, *non*, Regina Cæli, *etiam Tempore Paschali*; redarguendi iccirco sunt omnes fere Prædicatores, qui contra hanc Cæremonialis regulam toto Paschali Tempore Concionibus suis non quidem ipsam Salutationem Angelicam, sed Antiphonam, *Regina Cæli lætare &c.* præmittunt. Porro autem conveniunt omnes fere Scriptores, ac præsertim eruditus Bernardinus Ferrarius Lib. I. *De ritu Sacrarum*

Digitized by Google

crarum Ecclesiæ veteris Concionum, Cap. XI. ritum dicendæ Angelicæ Salutationis principio Concionum, suam a S. Vincentio Ferrerio traxisse originem, dum singulis Sermonibus suis præmittit ea verba: *Salutetur Beata Virgo*. Jam non desunt, qui volunt, ritum ipsum, etiamsi Sanctus Vincentius non fuerit illius Institutor, ipsius certe temporibus coepisse frequentari. Quicquid vero sit, refellenda omnino est Erasmi temeritas, quippequi impie magis, quam jocose, scribere non veritus fuit, ob id Concionatores introduxisse Virginis salutandæ consuetudinem ipso Concionum initio, ut sexui femineo abblandirentur, imitarenturque Poetas Ethnicos, Virginem scilicet Matrem pro Musa substitu ntes.

VI. Nostrum §. spectant, ac magis magisque illustrant, quæ Romanus Ordo XV. Capite XLIV. refert de ritibus servandis in Missis, quibus Summus Pontifex interest. Postquam enim dixit, extrahi Mitram Papæ, dum dicitur, *Sanctus*, eoque dicto, iterum ei poni, ita pergit: *Item notandum, quod quando Celebrans incipit facere Crucem super panem, & vinum consecrandum, tunc vadit ad Cathedram ante medium Altaris cum scabello paratam, & dum debet elevari Corpus Christi, extrahitur sibi Mitra*, Pontifici scilicet; *quo elevato, surgit, & redit ad Sedem suam, & ibi stat pedes cum Mitra in capite, quousque dicitur*, Pater noster, & ne nos &c. *& tunc descendit, & vadit ad bassam Cathedram, & ibi flexis genibus super scabello cum Celebrante dicit*, Lætatus sum; *& dictis tribus Orationibus per Celebrantem, semper habet Mitram in capite. Tunc surgens revertitur ad Sedem suam; & cum Celebrans dicit*, Pax Domini &c. *deponitur sibi Mitra, & dicit cum Cardinali*, Agnus Dei; *& sic semper stat sine Mitra, quousque ille sumpserit Corpus Christi, & Sanguinem; quo facto reponitur ei Mitra, & eam tenet in capite, quousque in fine Missæ dicit cantando*: Sit Nomen Domini benedictum &c. *& cantando dat benedictionem; & antequam dicat*, Sit Nomen Domini benedictum, *deponitur ei Mitra, & Subdiaconus ante ipsum tenet Crucem, ita quod Crucifixus sit ante faciem Papæ, & Camerarius tenens flexis genibus oram chlamidis, si non sit Cardinalis, dat benedictionem; qua data, reponitur ei Mitra, & sic revertitur ad Cameram suam; assistentibus ei duobus Diaconibus Cardinalibus more solito antecedentibus immediate*. Tradit eadem laudatus toties Ordo XV. in fine ipsarum Missarum dici, *Benedicamus Domino*, per Diaconum qui legit Evangelium, & dici *versa facie ad Altare*.

CAPUT XXXV.

De secunda Dominica Quadragesimæ.

Secunda Dominica Quadragesimæ celebrare solet alius ex Episcopis assistentibus Papæ in paramentis violaceis. Ministri utuntur Planetis plicatis, prout in Dominica præcedente. Dicuntur quinque Orationes, ut supra. Omnia alia fiunt more solito. Sermonem facit Procurator Ordinis Minorum.

COMMENTARIUS.

I. PErspicua sunt, quæ in hoc §. notantur de ritibus in secunda Quadragesimæ Dominica servandis, sed lubet tamen nonnulla hoc loco referre, quæ ad ipsam secundam Dominicam spectant. Ergo Dominica ista diu appellata est *Dominica vacans*, hoc est, ut ait Durandus Libro IV. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. XXXIX. sine proprio Officio, vel saltem sine Missa; quia scilicet Missa Sabbati totam noctem occupaverat usque ad ortum solis, ideoque quiescendi gratia post diuturnam vigiliam, non amplius fiebat mane conventus; numquam enim in more habitum fuit Missam dicendi Vesperis in Dominicis; quia Missa nocte Sabbati Dominicam præcedente celebrata, habita est tanquam Missa propria de Dominica, quia in ea fiebat Ordinatio, Dominicæ potius: quam Sabbato assignata. Audiendus laudatus Durandus, citato loco sic inquiens: *Hæc secunda Dominica intitulatur*, Dominica vacat, *pro eo quod proprio caret Officio; ideo autem caret proprio, quia cum in præcedenti hebdomada occurrant Quatuor Tempora, in quorum fine Ordines celebrantur*. Notanda quæ statim subjicit: *Habebat antiqua Ecclesiæ institutio, ut post finem diei Sabbati inciperet Officium Ordinum, & in diem Dominicam terminaretur; & ita Officium, quod in fine diei Sabbati incipiebatur, usque in diem Dominicam protendebatur, & sic tunc ipsa Dominica proprio carebat Officio*.

II. Probat mox Durandus celebri Canone, *Quod a Patribus*, Distinctione LXXV. desumpto ex Epistola XVIII. S. Leonis Papæ ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum, ubi laudatus Pontifex Ordinationem nocti Sabbati ita addicit, ut tamen nocturnæ Ordinationis finis initium diei Dominicæ sequentis attingens, tempus Dominicæ Resurrectionis designaret: *Quod ergo a Patribus nostris*, inquit, *propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica Ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati elucescit, exordia deligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, & a jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Paschа Domini declaratur, pertinere, non dubium est*. Citat Durandus in confirmationem ejusdem disciplinæ Textum in Ca-

Digitized by Google

Capite, *Litteras, De temporibus Ordinationum &c.* ac deinde hæc habet: *Verum quia difficile erat a ſexta Feria uſque in diem Dominicum nihil comedere, factum eſt, ut in Sabbato Ordines celebrentur, & in die Dominica, quæ vacat Officio, Officium quartæ Feriæ præcedentis repetatur.*

III. Ergo in honorem Chriſti Domini reſurrectionis, quæ ſummo Dominicæ mane contigit, factum eſt, ut Ordinatio, & Miſſa a nocte Sabbati uſque ad Dominicam perduceretur. Poſtea vero in diem Sabbati anticipata eſt, & Miſſa, & Ordinatio, itaut eo die ſoluto jejunio, & data facultate quieſcendi nocte ſequenti, Miſſa quoque ſubſtituta fuerit pro Dominica, in qua retentum eſt Evangelium de Transfiguratione Salvatoris noſtri, nempe Evangelium Sabbati, quod repetitur. Repetebatur etiam totum Officium Sabbati præcedentis, exceptis Lectionibus Veteris Teſtamenti, ut obſervat Micrologus Cap. XIV. Teſte memorato Durando jam quædam Eccleſiæ repetebant Officium Feriæ quartæ præcedentis; atque etiam hodie in Romano Miſſali Introitus Miſſæ, ſecundæ hujus Dominicæ, itemque Graduale, Offertorium, & Communio ſunt præcedentis Feriæ quartæ, una tantum adjecta Epiſtola, uti notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XLIX. Porro in Ordinibus Romanis, XI. XII. & XIV. nulla prorſus fit hujus Dominicæ II. mentio. Ordo quidem Romanus XV. Cap. XLVI. hæc pauca habet: *Dominica ſecunda Quadrageſimæ Sermo, & Miſſa mandantur; alia fiunt, ut ſupra.* Non erat itaque Sermo alicui Ordini affixus, videturque iccirco Auguſtini Patricii ævo aſſignatus Procuratori Generali Fratrum Ordinis Minorum; ut jam alibi diximus.

CAPUT XXXVI.

De tertia Dominica Quadrageſimæ.

Dominica tertia Quadrageſimæ celebrare ſolet unus ex Epiſcopis Papæ aſſiſtentibus in paramentis violaceis. Miniſtri utuntur Planetis, ut ſupra. Dicuntur quinque Orationes, & omnia alia fiunt, prout in prima Dominica Quadrageſimæ. Sermonem facit Procurator Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini.

COMMENTARIUS.

I. INter Ordines Romanos a Mabillonio allatos Tomo II. Muſæi Italici ſolus eſt Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, qui Cap. XLVII. tertiæ hujus Dominicæ mentionem facit his brevibus verbis: *Dominica tertia Quadrageſimæ Sermo & Miſſa mandantur; alia fiant ut ſupra.* Jam dictum eſt, tempore Amelii, qui claruit labente ſeculo XIV. hujuſmodi Sermones nulli Ordini fuiſſe affixos, ſed dumtaxat Auguſtini Patricii ævo, ideſt, circa medium ſeculum XV. Sermones in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ ſolitos haberi in Capella Pontificia, affixos fuiſſe Procuratoribus Generalibus quatuor Ordinum Mendicantium, nempe Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum. Conſueviſſe in hac tertia Dominica concionari Procuratorem Generalem Ordinis S. Auguſtini, docent paſſim mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria, tametſi variatum nonnihil fuiſſe aliquando de hac generali regula, vel ex ipſis Diariis conſtet. Ceterum Procuratores Generales Dominicanos primum ſemper habuiſſe locum in hujuſmodi Sermonibus recitandis, eadem Diaria teſtantur, in quibus conſtanter aſſeritur in unaquaque fere prima Dominica Adventus, & Quadrageſimæ, memoratos Generales Procuratores Ordinis Sancti Dominici, ſive Prædicatorum ſermocinatos fuiſſe in Capella. Quicquid autem de hac re ſit, Dominica illa, de qua nos in præſenti agimus, in Sacramentario Gelaſii Papæ, aliiſque non paucis appellatur, *Dominica Scrutiniorum*, eo quia hac die fieri ſolebat examen Catechumenorum, qui ad recipiendum in fine Quadrageſimæ baptiſmum diſponebantur. In quibuſdam Eccleſiis, ut teſtatur Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Cap. L. hoc primum Scrutinium fiebat ſolummodo Feria quarta ſubſequenti; ſed in antiquis Libris ſignatum eſt hodie Romæ, & preces etiam leguntur, quæ fiebant *pro Scrutiniis electorum*; & quoniam fiebant etiam in hac Dominica Exorciſmi ſuper his, qui ad Baptiſmum diſponebantur, tanquam adhuc ſub poteſtate dæmonis ante Sacramentum exiſtentibus, ideo in hac eadem Dominica tertia legitur Evangelium, in quo mutus Dæmoniacus a Chriſto liberatus eſt. Sed de his videri poſſunt, qui de Baptiſmi ritibus tractant.

CAPUT XXXVII.

De quarta Dominica Quadrageſimæ, quæ dicitur, Lætare, *ſive de Roſa.*

Quarta Dominica Quadrageſimæ, quæ Dominica, *Lætare*, vel, *de Roſa*, vocatur, celebrare ſolet unus ex Reverendiſſimis Dominis Presbyteris Cardinalibus. Hoc mane antequam Pontifex ſecretam Cameram exeat, in Camera papagalli juxta lectum paramenti, aut alio convenienti loco (1) paratur parva menſa mappulis mundis cooperta ſericeis, duo candelabra cum luminaribus deſuper, thuri-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *inſternitur*.

Digitized by Google

bulum cum incenso, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, ampulla cum balsamo, pixis cum musco, & unum parvum coclear, ac candelabrum pro Rosa desuper ponenda. Cum Pontifex exit de Camera secreta, præfertur ei aurea Rosa per unum ex Cubiculariis secretis, & ponitur super mensam super candelabrum prædictum; & omnia servantur circa benedictionem, & traditionem Rosæ, quæ superius diximus in prima Parte. Pontifex hora competenti auream Rosam præferens sinistra manu, & dextra populum benedicens, ad Ecclesiam cum Pluviali, & Mitra pretiosis procedit. Duo Cardinales assistentes hinc & inde fimbrias Pluvialis Papæ elevatas portant, caudam vero portat nobilior laicus. Cum Papa fuerit in Capella apud Faldistorium, dat Rosam Diacono a dextris assistenti, & ille uni ex Clericis Cameræ, qui eam ad Altare portat, & per Sacristam, vel eo absente, per Clericum Cæremoniarum, locatur super Altare in medio. Tunc fit Confessio, & Missa incipitur more consueto. Finita Confessione, Pontifex ascendit ad Solium. Celebrans utitur paramentis violaceis, & Mitra pretiosa. Ministri utuntur Dalmatica, & Tunicella, non Planetis. Hac die non dicitur, *Pax vobis*, sed, *Dominus vobiscum*. Dicuntur quinque Orationes, & alia fiunt, prout in Dominica prima Quadragesimæ. Sermonem facit Procurator Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo. Finita Missa, datur Rosa, & sociatur ille, cui data est, ut supra diximus in prima Parte.

COMMENTARIUS.

I. APpellata est quarta Quadragesimæ Dominica, Dominica, *Lætare*, quia ab hoc verbo incipit Introitus Missæ; vel Dominica, *de Rosa*, seu, *in Rosa*, celebrabaturque. vel olim externis lætitiæ signis, ut populi Christiani in jejunorum cursu solatium invenirent Officium verbis *Lætare* plenum est, fiebatque hodie Imperatorum Coronatio, & solemnitas Rosæ aureæ, quam Summus Pontifex magna cum cæremonia benedicebat, uti jam dictum a nobis fuit Tomo I. hujus Operis Tit. VII. in Commentariis ad Caput VII. quod inscriptum est, *De benedictione Rosæ, quæ fit Dominica, Lætare* Jerusalem, *& ejus traditione*. Esse antiquum ritum ut Summus Pontifex in hac Dominica gestans in manu sua auream Rosam, ad Basilicam Sanctæ Crucis in Jerusalem, ubi Statio fiebat, pergeret, ibique in solemni Missa, quam ipse cantabat, post Evangelium de ipsa Rosa Sermonem ad populum faceret, testes habemus Romanos Ordines, seculo XII. ac sequioribus exaratos, inter quos Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, sic ritum ipsum recensет: *Dominica*, Lætare Jerusalem, *Statio ad Jerusalem in Palatio Sessoriano, ubi Dominus Pontifex honorifice cantat Missam, habens in manu sua Rosam de auro cum musco. Post Evangelium ascendit Pulpitum, & prædicat de Flore, & de rubore Rosæ, & odore, ostendens eam Populo; deinde tractat de Evangelio. Factis Laudibus, & finita Missa, ibi accipit Coronam, & coronatus cum Processione, sicut mos est, redit ad Palatium. Longe ante descensum Pontificis, descendit Præfectus, & pedester addextrat eum usque ad locum, ubi Pontifex descensurus est. Ibi dat ei Rosam, & Præfectus osculatur pedes ejus, Acceptis Laudibus, & celebrata Corona, sicut mos est, omnes redeunt ad propria.*

II. Digna & hoc loco notatu sunt, quæ de eadem re tradit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. VIII. Num. XVII. *Dominica vero*, inquit, *qua cantatur*, Lætare Jerusalem, *Camerarius repræsentat Domino Papæ in Camera Rosam auream cum musco, & balsamo, quam Dominus Papa portat in manu propria, usque ad Sanctam Crucem, ubi ea die debet Missam celebrare; eandem deferens in reversione sua similiter usque ad locum, in quo descendit, ubi debet esse Præfectus, cui Dominus Papa tunc dat Rosam ipsam, & eadem die portat Mitram aurifrixiatam. Sciendum est, quod ipsa hora, qua Camerarius repræsentat Rosam, Dominus Papa debet accipere Mitram aurifrixiatam.* Multa & in recitatum hactenus locum notanda essent, ac illud præsertim, quod nempe in hoc præsenti Capite edicitur, & in eo, quod explicuimus citato loco Tomi I. hujus Operis, convenire non parum cum vetustis Romanæ Ecclesiæ ritibus; confirmarique id potest ex Ordine Romano XIII. seu ex Cæremoniali Gregorii Papæ X. jussu edito, ubi Num. XX. Dominicæ quartæ Quadragesimæ Ritus ita narrantur: *Dominica de* Lætare Jerusalem, *Papa portat Mitram cum aurifrisio, & vadit cantare ad Sanctam Crucem, si est Romæ; & si est alibi, ubi placet, & portat in manu quandam Rosam auream miro opere operatam, in qua intus sunt muscus, & balsamum, & tenet ipsam in manu, dum dicit Tertiam; & dum calciatur, & cum induitur, servat eam Camerarius, & juxta ipsum hodie servat eam Diaconus. Si Papa non celebrat, & induitur preciosis, quibus induitur Dominica de* Gaudete, *& tenet ipsam Rosam, cum sermocinatur, & in Missa servat ipsam Subdiaconus juxta ipsum, qui servit de tobalea, & dicta Missa, reportat eam in manu, & Præfecto Urbis, vel alteri, cui placet eam dare*, det, *qui addextrat Papam tenendo frænum equi pedes ad locum, in quo Papa descendit, & præcedit subsequendo usque ad Cameram; & Papa dat ei Rosam, & ille osculatur ejus manus, & pedes, & redit ad Domum suam cum Rosa decenter.* Addit tum etiam laudatus Ordo, quod, *si Papa celebrat, dat Rosam post descensum suum; si vero non celebrat, dat Rosam in Camera sua.*

III. Cæteris hucusque allatis plenius Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gajetano eundem ri-

Digitized by Google

ritum describit Cap. LXXXV. quod est de Officio quartæ Dominicæ Quadragesimæ, quam etiam vocat *Dominicam de Rosa*, ubi sic ait: *Dominica quarta Quadragesimæ Statio ad Sanctam Crucem. In hac Dominica Dominus Papa portat nobilem Mitram frigiatam, tum vadit Missam celebrare ad Ecclesiam Sanctæ Crucis, quæ dicitur Jerusalem. Illo etiam die portat Rosam auream, cum balsamo, & musco, sibi in Camera a Camerario præsentatam, bajulatque eam in eundo ab eadem Camera usque ad Sanctam Crucem, & cum prædicat, in manu tenet eam, reducetque eam in redeundo usque ad Lateranum. Ad ascensionem, & descensionem equi Præfectus Urbis indutus scarleto, vel purpura, habens unam caligam rubeam, & aliam deauratam, tenet ei staphan, & Dominus Papa dat ei Rosam auream, cum descendit.* Præterea, ut idem Ordo mox subjicit, *in hac Dominica, Missa finita, Dominus Papa Rosam portat usque ad Cameram suam; vel, si sit in Urbe, usque ad Lateranense Palatium; & dum revertitur, sequuntur eum omnes Nobiles in Curia præsentes, & dum ad Cameram suam redierit, si sit extra Urbem, dat Rosam Nobiliori, vel illi, cui sibi placet magis, & ille incontinenti flectit genua, & osculatur pedem Papæ, dato etiam, quod esset Rex. Deinde Papa recipit eum ad osculum oris. Deinde ille recedit, comitantibus duobus Diaconibus antiquioribus Cardinalibus, & cum illo equitant aliquantulum, quantum sibi placebit.*

IV. Hactenus recitatis Romanis Ordinibus lubet adjungere Romanum Ordinem XV. Auctore Amelio, Cap. XLVIII. ubi longe fusius, quam in aliis præcedentibus explicati sunt ritus servari soliti a Summo Pontifice in quarta Dominica Quadragesimæ, quam etiam de Rosa appellat, ob solemnitatem scilicet Rosæ aureæ, quæ multis Cæremoniis ipsa die decorabatur: *Dominica quarta Quadragesimæ*, ait, *quæ vocatur*, de Rosa, *seu*, Lætare Jerusalem, *Sermo & Missa mandantur. Statio ad Sanctam Crucem. Si Papa sit in Urbe, bono mane celebrat secrete, & basse Missam suam, nisi vellet facere Sermonem, quia tunc etiam diceret Missam.* Id certo notandum subdit, *quod quandocumque Romanus Pontifex facit Sermonem, debet etiam Missam celebrare, & quicumque alius Prælatus eodem modo. Finita ergo Missa, intrat Cameram suam, & parat se eundi ad magnam Missam.* Pergit Romanus Ordo, & ait, si Papa fuerit in Urbe, parare se in Camera more solito cum Mitra auriphrigiata, ac nobili *cum imaginibus, propter Processionem*, eoque induto venire Camerarium cum Rosa aurea, quam flexis genibus præsentat Papæ, & osculatur ei manum, & Sacrista præsentante ei balsamum cum musqueto, quæ debet recipi ab aliquo Cubiculariorum Papæ, Papam infundere super Rosam balsamum, & musquetum, & sic bajulantem Rosam exire de Camera, & pergere ad Capellam suam, vel, si in Urbe fuerit, ad Sanctam Crucem in Jerusalem. Porro, ut idem Ordo præscribit, *in manu sinistra eam tenet Pontifex, & cum alia signat, & sic eam tenet, quando facit Confessionem, etsi non celebrat; quoniam tunc, dum incipiet*, Confiteor, *dictam Rosam tradet Diacono Cardinali, qui eum servit a dextris, & post osculationem Altaris, & incensationem iterum recipit, dicto prius Introitu Missæ, de manu prædicti Diaconi, & sic tenet eam. Quod si aliquis celebret coram eo, illam non dimittit in tota Missa, nisi dum flectit genua ante medium Altaris, & in Elevatione Corporis Christi, & dum dicitur*, Lætatus sum, *& etiam dum dicit illas Orationes, dimittit.* Notandum mox inquit, Diaconum Cardinalem in capiendo, & dando Rosam, debere semper manum Papæ osculari.

V. Praterea ex ejusdem Ordinis XV. Romani præscripto, qui quidem Romano XIV. Ordini concinit, Missa finita, Papa Rosam in manu portabat usque ad Cameram suam, vel, si in Urbe fuisset, usque ad Lateranense Palatium, & dum revertebatur, sequebantur eum omnes Nobiles in Curia præsentes. Dum vero ad Cameram suam redierat, si extra Urbem fuisset, dabat Papa Rosam Nobiliori, vel illi soli, cui magis eam dare placebat: qui incontinenti Regia etiamsi dignitate fulgeret, genua flectebat, osculabatur pedem Papæ, qui ipsum deinde recipiebat ad osculum oris; quo facto, recedebat mox ille, comitantibus eum duobus Diaconis antiquioribus Cardinalium, & cum illo aliquantulum per Civitatem equitantibns, quantum scilicet sibi placuisset: *Sic etiam*, ait laudatus Ordo, *si sit Rex, vel Imperator, aliqui de aliis Cardinalibus eum modicum equitando associare consueverunt; & sic revertitur ille ad comedendum cum Papa, & facto prandio, cum gente sua equitat per Civitatem absque Cardinalibus, cum suis Nobilibus, & Principibus*, Consuevisse olim dari ipsam Præfecto Urbis multis cum Cæremoniis, jam audivimus ex superioribus Romanis Ordinibus, quibus etiam adhærens laudatus Ordo Romanus XV. ita habet: *Quod si Papa sit Romæ, Rosam prædictam defert Papa usque ad gradus Palatii Lateranensis, ubi quiescere debuit nocte præcedente, & in descensu equi Præfectus Urbis indutus scarleto, vel purpura habens unam caligam*, rubeam scilicet, ut ait Ordo XIV. *& aliam deauratam, tenet Papæ staphan, & Dominus Papa cum descendit, dat ei auream Rosam, & ille flexis genibus, osculatur pedem Papæ dextrum, & Dominus Pontifex eum recipit ad osculum oris; quo facto, Papa ascendit Palatium, & ille incontinenti, cum Nobilibus Romanis equitat cum magno triumpho per Urbem.* Statim vero idem Ordo XV. admonet, non consuevisse Cardinales in Urbe associare Præfectum, *quia satis habet de Comitalibus*, de Nobilibus scilicet Romanis, qui Præfectum comitarentur.

VI. Notandum denique monent ipsi Romani Ordines XIV. & XV. *quod Papa, antequam det Rosam, debet dicere aliqua verba brevia de conditionibus, & proprietatibus Rosæ, quia habet colorem gaudiosum, odorem confortativum, adspectum lætificum, prout est in Libro Rationali Divinorum Officiorum*, Auctore scilicet Gulielmo Durando, Cap. LIII. Porro legitur & apud citatos Ordines, anno IV. Pontificatus Bonifacii Papæ Noni, Perusii, ubi tunc agebat Pontifex, hac die celebratam fuisse Missam *in magna Capella, & Sermoni omnes interfuisse, sed non Papam, quia infirmum.* Esse antiquum ritum, ut ipse Pontifex Sermonem

Digitized by Google

haberet de ipsa aurea Rosa, constat ex antiquioribus Romanis Ordinibus superius allatis, & ex Innocentio Papa III. qui bis de eadem Rosa aurea sermocinatus fuit. Atque hæc sunt, quæ operæ pretium duximus in hoc Commentario adnotare ex veteribus Romanæ Ecclesiæ monumentis quibus satis superque ostendimus, quanta olim cum celebritate solemnitas Rosæ aureæ tum Romæ, tum alibi, ubi scilicet Romanus Pontifex Maximus degeret, perageretur. Cæterum juxta recentiorem ritum fit hodie Sermo in Capella a Procuratore Generali Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ut in hoc præsenti Capite præscribitur; sed fieri debet Sermo de Evangelio hujus Dominicæ, non autem de aurea Rosa, ut aliquando auditus fuit non sine admiratione adstantium, qui eum Concionandi modum, quod esset contra stilum Pontificiæ Capellæ, merito reprehenderunt. Videri de aurea Rosa potest aurea Epistola Regnantis Pontificis ad Capitulum, & Canonicos Bononienses, quibus hoc anno MDCCLI. Rosam auream misit.

CAPUT XXXVIII.

De quinta Dominica Quadragesimæ.

Quinta Dominica Quadragesimæ, quæ de Passione dicitur, antequam Papa de Camera exeat, cooperiantur Cruces super Altare, & quæ ante Pontificem portari solet. Si Officium peragi debet in Capella majori, consuevit parari quoddam velum sericeum super Altare, quo Imagines in pariete Altaris depictæ cooperiantur. Hodie celebrare consuevit aliquis Prælatus Romanæ Curiæ. Tres Orationes dicuntur, prima de die sub sua conclusione, secunda contra Paganos, tertia pro Pontifice sub sua conclusione. Cum in fine Evangelii dicitur, *Jesus autem abscondit se, & exivit de Templo*, Clerici Capellæ super Altare velum paratum cordulis in rotulis supra in altum confixis euntibus sursum trahunt, ut eo Imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur; & Sermo per aliquem Prælatum, vel Fratrem Ordinis Servorum fieri consuevit.

COMMENTARIUS.

I. Dominica quinta Quadragesimæ dicta est *Dominica Passionis*, vel *de Passione*, eo quod Passionem Christi singulari ratione recolere hac die incipiat Ecclesia, quæ ut tristitiam, & mœrorem palam faceret, Versum, *Gloria Patri*, in Responsoriis, & Invitatoriis ad Officium, & in Missa ad Introitum reticet. Sane liquet ex S. Augustino in Epistola ad Januarium, quod Feria sexta in Parasceve appellabatur, *Dominica Passio*, idest, *Passio Domini*, & quod Apostoli Festum hoc instituerint ad honorandos cruciatus, & mortem Domini nostri Jesu Christi. Verum institutum fuit deinde tempus duarum hebdomadarum, ut ad illam præparemur, & quemadmodum tempori Adventus tributum est nomen, quod proprie convenit Natalis Christi Festo, *Adventus Domini*; ita etiam tempori, quod Jesu Christi mortem præcedit, nomen Passionis ejus tributum est, *Dominica Passionis*. Notat hæc Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Cap. LI. testisque est Amalarius, Lib. IV. *De Divinis Officiis*, Cap. II. Passionis tempus duas continuisse hebdomadas: *Dies Passionis Domini*, ait *computantur duabus hebdomadibus ante Pascha Domini*; ab eoque die inquit idem Amalarius, omitti *Gloria Patri* in fine Psalmorum: *Ab illo die, quando omittimus*, Gloria Patri, *duæ hebdomadæ sunt, hoc est quatuordecim dies usque in Pascha Domini*. Huc spectat, quod ex antiquo ritu præscribit Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XXXVII. ubi agens de Dominica de Passione, *ab isto die*, inquit, *usque in Sabbato Sancto, in nullo Responsorio, & in nullo*, Venite, *& Introitu*, Missæ scilicet, *cantatur*, Gloria Patri. In Ordinibus Romanis XII. & XIII. nulla fit hujus Dominicæ mentio, & in sequioribus, XIV. Cap. XVIII. in fine, & XV. Cap. LI. hæc pauca leguntur verba: *In Dominica de Passione, quæ est quinta Quadragesimæ, Sermo, & Missa mandantur; omnia alia, ut supra in Dominicis Quadragesimæ est fieri consuetum*.

II. Sed explicemus ea, quæ in nostro hoc Capite continentur, ex quo primum cautum est, *ut antequam Papa de Camera exeat, cooperiantur Cruces super Altare, & quæ ante Pontificem portari solet*. Teste Durando in suo Rationali Divinorum Officiorum, Lib. VI. Capite XXXII. Num. XII. ubi agit de Dominica I. Quadragesimæ, velabantur Cruces, atque Imagines in ipsa I. Dominica usque ad Parascevem: *Ab hac die*, inquit, *usque ad Parascevem cooperiuntur Cruces, & velum ante Altare suspenditur*. Auctor est Edmundus Martene in Libro *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XIX. Num. VI. sacras Imagines olim non in Dominica Passionis, sive in primis Vesperis ipsius Dominicæ, ut recentior usus obtinuit, in pleriisque Ecclesiis, sed in ipso Quadragesimæ initio velari consuevisse, idque hactenus retinuisse insigniores Ecclesias non paucas. Quicquid autem de his Ecclesiis sit, mandat quidem Cæremoniale Episcoporum, quod jam nos perpetuis Commentariis illustravimus, Lib. II. Cap. XX. Num. III. *ut ad primas Vesperas Dominicæ, quæ de Passione dicitur, cooperiantur, antequam Officium inchoetur, omnes Cruces, & Imagines Salvatoris nostri Jesu Christi per Ecclesiam, & super Altare nullæ ponantur Imagines Sanctorum*. Porro, ut scite animadvertit Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Titulo VII. velum, quo sacræ Imagines cooperiuntur, nullam debere aliam secum habere Imaginem, velum-

Digitized by Google

lumque illud, quo Cruces teguntur, debere potius violaceum esse, quam nigrum; additque mox Evangelium hujus Dominicæ citans, eo ritu cooperiendi Crucem significari quidem, *Christum non in palam ambulasse apud Judæos hoc tempore, & abscondisse se.*

III. Constat præterea & illud ex nostro Cæremoniali, consuevisse in Capella Pontificia, *parari quoddam velum fericeum super Altare, quo Imagines in pariete depictæ cooperiantur*; & cum in fine Evangelii dicitur, *Jesus autem abscondit se, & exivit de Templo*, Clericos ejusdem Capellæ *super Altare velum paratum cordulis in rotulis supra in altum confixis euntibus sursum trahere, ut eo Imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur*. Sed hic mos abiit jam aliquando in desuetudinem, eumque tandem restituit Franciscus Mucantius Cæremoniarius Apostolicus tempore Gregorii Papæ XIII. ut idem Scriptor testatur in ms. Diario ubi ad annum MDLXXIV. loquens de ipsa Dominica v. Quadragesimæ, seu de Passione, sic inter alia habet: *In fine Evangelii ordinavi, ut cooperirentur Imagines depictæ, ante Altare, vel sursum per rotulas cordulis ducto, prout cavetur in Libro Cæremoniali, quod a pluribus retro annis fuerat prætermissum, cooperiendo dictas Imagines ante Missam summo mane pro majori commoditate, & securitate; sed certe convenientius est id fieri, quando dicuntur illa verba finalia Evangelii*: Jesus autem abscondit se &c. *prout hoc anno fuit factum*. Porro Paulæ, quæ est Patria mea, Urbs citerioris Calabriæ sub Consentino Archiepiscopo solet hodieque ad ipsa Evangelii verba velo tegi magna ac antiqua Crucifixi Statua, quæ ex pervetusto ritu in sublimi Arcus majoris loco in principe Ecclesia collocata est.

IV. Quoniam vero nostræ Calabriæ mentionem fecimus, abs re non erit, si & hoc loco describamus ritum, quem Lucas Consentinus Archiepiscopus de cortinæ suspensione, ac sacrarum Imaginum velatione quinque supra ab hinc seculis in suo Ordinario præscripsit: *Post Completorium ipsius Dominicæ*, inquit, *Sacristæ cooperiant omnes Cruces, & cortinas suspendant inter Chorum, & Altaria, vel ubicumque per Ecclesiam suspendi solent, quæ cortinæ retrahantur in Sabbatis, & Festis IX. Lectionum ante Vesperas, & sic maneant usque post Completorium sequentis diei. In Missa tamen Feriæ, quæ diebus festis post Nonam dicitur, more solito suspendantur. Retrahatur etiam sola, quæ pendet ante majus Altare dicta Sexta, cum fieri debet aspersio ante Processionem, & sic maneat usque ad finem Processionis. Similiter retrahatur in Officiis, & Missa pro sequenti defuncto, & in Ordinationibus Clericorum*. Similia videre est in aliis Ordinariis diversarum Ecclesiarum, nisi quod nonnullæ post Completorium hujus Dominicæ de Passione, quædam ante Primam sequentis Feriæ secundæ, id faciendum esse præscribunt, ut testatur eruditus Martene in suo Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XIX. Num. VI.

V. Quantum ad hujus Missæ Orationes, ex præscripto quidem nostri Cæremonialis, *tres Orationes dicuntur, prima de die sub sua conclusione, secunda contra Paganos, tertia pro Pontifice sub sua conclusione*. Sed sciendum tamen, mutatum fuisse hunc ritum ex Rubricis Missalis Romani, Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restituti, ac Pii V. Pontificis Maximi jussu editi, in quibus diserte edicitur, quod *ab hac die usque ad Feriam V. in Cœna Domini, post Orationem diei dicitur, vel contra persecutores Ecclesiæ Oratio, vel pro Papa*. Sane juxta easdem Missalis Rubricas a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam de Passione, post Orationem diei dicendæ sunt quidem duæ aliæ Orationes, altera ad poscenda suffragia Sanctorum, & tertia pro vivis ac defunctis. Omittuntur hæc autem a Dominica Passionis, ob rationem quam affert Durandus in suo Rationali Lib. VI. Cap. LX. ubi agens de ipsa Dominica, in qua cessare ait Commemorationes Sanctorum in Officio, & consequenter in Missa, sic inter alia inquit: *Ut igitur nostra intentio illo præcipue tempore feratur in suæ Sanctitatis*, Christi scilicet, *exemplum, & in illo spes nostra solum elevetur, ad unicum ejus, & singulare refugium, & patrocinium, idcirco convenienter tunc illorum Sanctorum specialia suffragia dimittuntur &c.* Addi vero ait Gavantus in citatas Rubricas Missalis, Parte I. Titulo IX. Numero VIII. *in tempore Passionis, Paschatis, & Pentecostes aliam Orationem tantum pro Ecclesia, vel pro Papa, pro quibus præcipue orandum, nullo alio mediante Advocato, neque Beatæ Virginis, quia Christus, & Spiritus Paraclitus sunt tunc temporis supremi, & unici Advocati nostri*. Addit mox, si in prædictis occurrat Commemoratio de Sancto, non dici tertiam Orationem *ad sensum Rubricæ*. Cæterum pro Ecclesia, vel ejus Capite, quod est Christi in terris Vicarius Romanus Pontifex Maximus, adhuc orandum est, ideoque præter Orationem diei, una de his tantum Oratio recitatur.

VI. Præterea ex Rubrica ejusdem Romani Missalis ab hac Dominica dicitur quotidie usque ad Feriam V. in Cœna Domini Præfatio de Cruce etiam in Missa de Festo, quando propriam non habuerit; qui ritus licet antiquus sit, non tamen communis cunctis Ecclesiis fuit. Teste siquidem Durando in Rationali Divinorum Officiorum, Lib. VI. Cap. XXVIII. ubi agit de Feria quarta Cinerum, Num. XI. *ab hac quoque quarta Feria usque ad Dominicam Palmarum dicitur omni die Præfatio de jejunio etiam Dominicis diebus apud quosdam; in illa vero Dominica, & sequentibus diebus dicitur Præfatio de Passione*. Et paulo post: *In quibusdam tamen Ecclesiis incipiunt dicere Præfationem de Passione in Dominica de Passione, & in quibusdam etiam dicunt Præfationem de jejunio usque ad quartam Feriam ante Pascha*. Ultimum hunc usum, ut notavit Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite XVIII. Num. XX. *sequuntur antiquum Ordinarium Remense, Missale Parisiense, Ordinarium & Missale Narbonense, Missale Catalaunense, Ordinarium Laudunense, uti & Silvanectense, Missale Pictavense, Ordinarium Lemovicense, Lingonense, Vertense, Missale Lugdunense Athanacensis Monasterii, Ordinarium Carnotense Sancti Joannis, & Gastinense. Sed Præfationem de jejunio in Domini-*

Digitized by Google

minica Palmarum deponunt Ordinarium Argentinum, Missale antiquum Ecclesiæ Albicensis, Arelatensis, & Tholonensis. In Dominica Passionis Rothomagense Ordinarium. Exceptis tamen Dominicis, in quibus non jejunatur. Cæterum tametsi aliquibus visum fuerit incongruum, quod in Dominicis diebus Quadragesimæ cantetur Præfatio de jejunio, cum in illis non jejunetur, eamque ob causam quidam in ipsis Dominicis dicerent Præfationem communem, rectissime tamen observat Durandus loco citato, quod, *licet non jejunetur numero, jejunatur tamen qualitate, idest, in cibo Quadragesimali, sicut in aliis diebus.*

VI. Restat ut de Sermone dicamus solito in hac Dominica recitari, qui quidem, ut in hoc præsenti Capite edicitur, *per aliquem Prælatum, vel Fratrem Ordinis Servorum fieri consuevit.* Certe anno MCDLXXXVI. quo in Domica Passionis, ut testatur Burchardus Cæremoniarius Apostolicus in suo ms. Diario, Clemens Episcopus Miniatensis celebravit Missam publicam consuetis Cæremoniis, Papa præsente, *Sermonem fecit Tesus Episcopus Castrensis in Patrimonio in Pluviali violaceo, & Mitra alba, quam post Salutationem Evangelicam non deposuit usque ad finem Sermonis, & male, cum Indulgentias pronunciaret, in qua pronunciatione erravit, quia publicavit Indulgentias septem annorum, cum Papa quinque annorum tantum concessisset.* Rursus teste eodem Burchardo MCDLXXXVII. in Dominica de Passione Tesus ipse Episcopus Castrensis, qui celebravit Missam publicam in Capella magna, Papa præsente, Sermonem quoque fecit hoc ordine, quem idem Burchardus recenset his verbis: *Finito Evangelio, deposita Casula accepit Pluviale violaceum, retentis omnibus aliis paramentis; etenim Anulum, & Chirithecas non debuit habere, quia non sunt de pertinentiis Sermonis, biretum, & Mitram ante se portans, factis in terram usque Altari, & Papæ reverentiis, genuflexus ante Papam, ejus genu dextrum osculatus est, benedictionem petiit, & Indulgentias, quibus habitis, factis, ut supra, reverentiis, ascendit ad Pulpitum, & Mitram sibi imponens, fecit Sermonem, & post Confessionem pronunciavit Indulgentias, & alia more solito sunt observata.* Addit mox etiam Burchardus, se Celebrantem ad Pulpitum euntem, & inde redeuntem ad Altare associasse.

VII. At vero inficiari nequit, quin utplurimum in ipsa Dominica de Passione Sermonem fecerint Fratres Ordinis Servorum, uti constat ex mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis passim, imo ex laudato Burchardo, qui ad annum MCDLXXXVIII. & MCDXC. ut alia loca omittam, ubi agit de eadem Dominica, ita quidem scribit: *Sermonem fecit quidam Frater Procurator Ordinis Servorum B. Mariæ.*

CAPUT XXXIX.

De Sexta Dominica Quadragesimæ in Palmis, Papa præsente.

I. ANteqeam ritus in hoc Capite contentos explicemus, operæ pretium ducimus illud primum docere, hanc Dominicam, in qua peragi diversa olim solebant, diversis proinde nominibus fuisse appellatam. Dicta est a nonnullis, *Osanna*, propter multitudinis Christum Jerosolymam iutrantem excipientis acclamationes. Ab aliis, *Dominica Indulgentiæ*, ut in Vita S. Gebehardi, & S. Udalrici Sæculo V. Benedictino, propter Indulgentias, quæ hac die concedi solebant, ut videre est apud Ekkeardum juniorem in Libro, *De Casibus Sancti Galli*, Capite 1. A quibusdam, *Pascha petitum*, sive *competentium*, utpote quibus hac etiam die tradebatur Symbolum, explicabatur-que, ut præcipit Concilium Agathense anni DVI. Canone XIII. *Ut Symbolum ante octo dies Paschæ competentibus prædicetur.* Appellabatur etiam Capitalivium, quia, ut tradit S. Isidorus, Lib. 1. *De Divinis Officiis*, Cap. XXVII. & post eum vulgatus Alcuinus, *tunc moris est lavandi capita Infantium, qui ungendi sunt, ne forte observatione Quadragesimæ sordidata ad unctionem accederent*, ut scilicet caput haberent nitidum pro unctione Sancti Chrismatis recipienda. Dicta est tandem ab Amalario, & ab aliis Scriptoribus passim, *Dominica Palmarum*, seu *Dominica in ramis Palmarum*, ob benedictionem Palmarum, quæ in hac Dominica ex antiquo ritu fieri in Ecclesia solet, ut infra uberius dicemus.

§. I.

De præparatione, & benedictione Palmarum.

Sexta Dominica Quadragesimæ, quæ Palmarum appellatur, ordinentur Palmæ in Capella benedicendæ, & distribuendæ, videlicet duo magnæ variis floribus, & perpulchre elaboratæ, tertia parva simili modo ornata, & laborata pro Pontifice: aliæ Palmæ primis duabus minores etiam pulchræ (1) elaboratæ, sine Floribus tamen pro Cardinalibus, minores pro Prælatis, & pro Oratoribus, & magnis Nobilibus, pro Officialibus, ac aliis omnibus ad Capellam venientibus. Deficientibus Palmis, parantur rami Olivarum in numero copioso, Crucibus ex foliis Palmarum confectis singulis alligatis. Item Credentiarii Papæ ordinent super angulo Altaris Capellæ, ubi benedictio Palmarum fieri debet, duo vasa convenientia pro lavandis manibus Papæ cum manti-

(a) Ita in edit ione Romana; in Ven eta vero 1. & Colonien si legitur, *pulchræ ornatæ.*

Digitized by Google

mantili, & Gremiali, ac medulla panis. Clerici Capellæ præparent thuribulum cum navicella, cocleari, incenſo, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & duo candelabra cum luminaribus. Paretur etiam per Forerios ad oſtium Capellæ baldachinum. Hora deinde convenienti Pontifex paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, Pluviali rubro, & Mitra ſimplici, præcedentibus Cruce, ac Cardinalibus, & aliis more ſolito, venit ad Capellam, ubi Palmæ ſunt benedicendæ. Facta Oratione ante Altare, aſcendit ad Solium, ſedetque. Tunc Cardinales veniunt ad reverentiam cum Cappis; deinde capiunt paramenta ſua violacea, ut ſupra in Candelis, & Cineribus diximus, & ſimiliter omnes alii Prælati, & Officiales. Omnibus paratis, Papa, depoſita Mitra, ſurgit, & miniſtrantibus duobus Epiſcopis aſſiſtentibus Librum, & candelam more ſolito, Papa ſtans benedicit Palmas, incipiens Verſum, *Dominus vobiſcum. Oremus. Auge Fidem in te ſperantium Deus &c.* cum Præfatione, & quinque Orationibus ſequentibus. Interim nihil cantatur. Cum quinta Oratio dicitur, Prior Presbyterorum Cardinalium venit ad dexteram Papæ, & duo Acolythi, unus cum thuribulo, & navicella, & alius cum aſperſorio, & vaſe aquæ benedictæ. Finitis Orationibus, miniſtrante Priore prædicto, Papa adhuc ſtans ſine Mitra, imponit incenſum, deinde aſpergit verſus Palmas tertio, poſtea incenſat, ter ducens thuribulum; tum dicit, *Dominus vobiſcum*, & aliam Orationem, quæ incipit, *Deus, qui Filium tuum &c.* Tum ſedens accipit Mitram, & Presbyter Cardinalis, ac Acolythi ad ſua loca revertuntur.

COMMENTARIUS.

I. PRæmittendum in hoc Commentario cenſuimus, quod de iſta Dominica tradit Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto Num. XXXVIII. *Dominica in Palmis*, inquit, *ad Matutinum tres Lectiones de Jeremia; tres de Sermone Paſſionis, duæ de Epiſtola, nona Evangelium Paſſionis: Matutinæ Laudes cum ſuis Antiphonis, ſicut in Antiphonario continetur. Reliquum Officium, ſicut Eccleſia conſuevit.* Tum vero mox: *Mane Statio ad Lateranum, ubi Palmæ ſunt ab Acolythis collectæ in Baſilica S. Silveſtri, de quibus dant Acolythi (ſive* uti alias legitur, *datur Acolythis) Baſilicæ Sancti Petri, & accipiunt ad Altare viij. Solidos* (ſive, ut alias,) *duos*. Additque ſtatim: *Palmas autem prædictæ Baſilicæ Sancti Silveſtri unus de Cardinalibus Sancti Laurentii Baſilicæ in Palatio benedixit, quas Oſtiarii portant in Baſilicam Leonianam ad Pontificem.* Seculo XIII. fieri conſueviſſe hac die Romæ conventum in Eccleſia S. Silveſtri, quæ erat ad Palatium Lateranenſe, ibique benedici Palmas per juniorem Cardinalem, vel alium Sacerdotem, quas Papa deinde diſtribuebat ante Capellam Palatii Lateranenſis, docet Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Capite LXXXII. *Dominica in Palmis*, inquit, *ſecunda hora diei mediante, junior Cardinalis Sacerdos, & omnis Clerus conveniant in Eccleſiam Sancti Silveſtri in Palatio Lateranenſi Miſſalibus veſtimentis induti; expoſitiſque in medio Palmarum, vel Olivæ, ſeu aliarum arborum ramis, benedecit Cardinalis, vel Sacerdos ſalem, & aquam; deinde ſequitur Antiphona:* Hoſanna Filio David; *deinde pro Graduali cantatur Reſponſorium*, Collegerunt. ℣. Unus autem; *vel Reſponſorium:* In monte Oliveti. ℣. Vigilate. *Dicta Oratione, expandantur Palmæ, & canente Clero, & populo, hoc modo deferuntur Palmæ benedictæ in Palatio Lateranenſi ante Capellam, ſi ibi eſt Curia. Dominus exiens*, Papa ſcilicet, *dat unicuique Epiſcopo, & Cardinali ſpatulam Palmarum, & aliis, ſi ſuperſint Palmæ, deinde projicit folia Palmarum &c.*

II. Quando incœperit benedictio Palmarum, non eſt ita facile definire. Nullam apparere ejus ritus mentionem ante Sæculum octavum, vel nonum, notat Edmundus Martene in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Capite XX. Num. II. Nullum ait apparere illius veſtigium in pervetuſtis Miſſalibus Francorum, & Gothorum a doctiſſimo, & religioſiſſimo S.R.E. Cardinali Thomaſio vulgatis; nullum in antiqua Liturgia Gallicana ex ms. Codice Monaſterii Bobienſis a Mabillonio eruta, & edita Tomo I. Muſei Italici; nullum in Ordine Gelaſiano, & in S. Gregorii Sacramentorum Libro eruditiſſimi Menardi Notis illuſtrato, aliiſque nonnullis ante annos circiter mille exaratis; nullum denique in Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi Pontificali, ſed neque apud S. Iſidorum, qui de Divinis Officiis fuſe tractavit. Affirmat tum pariter Martene, nullum Amalario antiquiorem, qui ipſius ritus mentionem fecerit, ſe vidiſſe, ipſumque primum eſſe, qui Libro I. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. X. quod eſt de Palmarum die, ita habet: *In memoriam illius rei nos per Eccleſias noſtras ſolemus portare Ramos, & clamare, Oſanna.* Atque hos Ramos non dubitat laudatus Auctor fuiſſe tunc aliqua benedictione conſecratos.

III. His prænotatis, devenio ad explicandos ritus, qui ſeculo XIV. Dominica palmarum in Pontificia Capella ſervabantur, quoſque recenſet Amelius in Ordine Romano XV. Cap. LIII. ita inquiens: *In die Palmarum Miſſa, & Officium mandantur. Illa die non fit Sermo, quia die illa ſecundum Dominum Jacobum Gajetani, junior Presbyter Cardinalis debet benedicere Palmas Olivarum, & aliarum arborum ramos, indutus, prout in die Cinerum, cum aqua benedicta, & incenſo, quibus benedictis, deponit paramenta, ſi celebrare non debeat. Et Dominus Papa bono mane celebrat Miſſam ſuam in Ca-*

Digitized by Google

Capella sua secreta, qua dicta, indutus Pluviali rubeo sine perlis, & Mitra simplici alba de garnello sine aurifrisiis & perlis, intrat Capellam, vel locum, in quo debent distribui Palmæ, ubi debet esse Cathedra cum scabello parata, & ibi sedet. Addit mox quod & in hoc nostro §. edicitur, ut nimirum, *omnes Cardinales & Prælati nondum parati veniant ad reverentiam, prout est alias fieri consuetum, osculando manum aurifrisio Pluvialis coopertam, non genu, nec pedem.* Ita memoratus Ordo xv. qui idipsum statim paulo luculentius repetit: *Nota*, ait, *quod antequam Papa distribuat ramos, omnes Cardinales, & Prælati cum Cappis laneis veniunt ad reverentiam Papæ ad osculandam manum coopertam aurifrisio Pluvialis, non genu, nec pedem.* Brevia sunt, quæ de hac re habet noster §. quippe qui postquam dixit, quod hora convenienti Pontifex paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, Pluviali rubro, & Mitra simplici, præcedentibus Cruce, ac Cardinalibus, & aliis more solito, venit ad Capellam, ubi Palmæ sunt benedicendæ, & facta oratione ante Altare, ascendit ad Solium, sedetque; ita statim subjicit: *Tunc Cardinales veniunt ad reverentiam cum Cappis, deinde capiunt paramenta sua violacea, ut in Candelis, & Cineribus diximus, & similiter omnes alii Prælati, & Officiales.*

IV. Ergo facta reverentia Papæ in Solio sedenti cum Cappis laneis per Cardinales, atque alios Prælatos omnes, ex præscripto laudati Romani Ordinis XV. Cap. LIV. & LV. ac Cæremonialis ms. Davantriæ, *Cardinales, & omnes Prælati violacea recipiunt paramenta, videlicet Episcopi Cardinales Superpellicea, Amictus latos, & Pluvialia. Presbyteri vero, similiter & Diaconi paramenta prædicta, & recipiunt Planetas, & non Pluvialia. Alii vero Prælati similiter Pluvialia, & non Planetas, coloris violacei recipiunt.* Juxta antiquum ritum, cujus jam superius memini, hujusmodi paramentorum sumptio, sicuti & exhibitio reverentiæ Pontifici fiebat quidem post benedictionem Palmarum, quæ juxta antiquum etiam ritum, peragebatur per juniorem Cardinalem Presbyterum. At vero juxta ritum in nostro §. expressum, Pontifex ipse, postquam scilicet ei exhibita fuit reverentia, & parati omnes fuerunt, benedicit Palmas: *Omnibus paratis*, ait noster §. *Papa deposita Mitra surgit, & ministrantibus duobus Episcopis assistentibus Librum, & candelam more solito, Papa stans benedicit Palmas incipiens Versiculum* Dominus vobiscum. Oremus. Auge Fidem in te sperantium Deus &c. *cum Præfatione, & quinque Orationibus sequentibus.* Complures Orationes, seu Collectas ad Palmas benedicendas continet quidem vetus Ordo Romanus apud Hitorpium, sed nonnulli tamen antiqui Missales Libri tantum quatuor, quinimo plures dumtaxat duas, & non pauci unicam tantum exhibent Orationem, uti notavit Martene citato loco, Num. III.

VII. Juxta Romani Missalis Rubricas ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restituti, & S. Pii Papæ V. jussu editi, in benedictione Palmarum primum a Choro cantatur Antiphona: *Osanna Filio David. Benedictus qui venit in Nomine Domini. O Rex Gloriæ, Osanna in excelsis*; deinde dicit Sacerdos, *Dominus vobiscum*, & postea in tono Orationis Missæ Ferialis, Orationem, quæ incipit: *Deus, quem diligere, & amare &c.* legiturque in antiquis mss. Codicibus, ac præsertim in Codice ms. Sancti Victoris exarato Sæculo XIII. In ipso Romano Missali post citatam Orationem sequitur in tono Epistolæ, Lectio Libri Exodi: *In diebus illis. Venerunt Filii Israel in Elim &c.* quæ tamen in antiquis Libris desideratur, sicuti & Responsoria, atque Versiculi, qui in eodem Missali Romano leguntur post Libri Exodi Lectionem. Sequitur deinde Evangelii lectio: *Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis*, desumpta ex Evangelio Matthæi, Cap. XXI. estque hic antiquus ritus, ut nimirum ipsa Evangelii lectio de Christi in Civitatem Hierosolymam ingressu, atque de eodem argumento Concio benedictioni Palmarum præmitteretur. Ita fere videre est in multis insigniorum Ecclesiarum Ordinariis, atque Missalibus Libris, ex quibus tamen aliqui Concionem, sive Sermonem ad Stationem in Processione faciendam referebant, uti observat Martene loco citato, Num. v. Hunc porro Sermonem utplurimum pronunciare solebant Episcopi, qui Verbi Divini prædicationem inter præcipua Officii sui munia olim recensentes, onus istud in alienos humeros rejicere non cogitabant. Quidquid autem de aliis Ecclesiis sit, in nostra Consentina Metropolitana citerioris Calabriæ Ecclesia, Processionis tempore lectio ipsa Evangelii, quæ Græce pronunciabatur, & Concio fiebat, teste Luca Consentino Archiepiscopo in suo ms. annorum circiter DL. Ordinario, ubi ita inquit: *Mediante Processione legit Evangelium Græce Diaconus ascendens pulpitum, & versus ad Orientem; quo dicto, fit Sermo ad populum.*

VI. Præter memoratam Evangelii lectionem cujus inter alia meminit ms. Pontificale Ecclesiæ Pictavensis annorum circiter DCCCL. dici consueviss & olim Præfationem in Palmarum benedictione, docent nos mss. Pontificales, ac rituales Codices ab erudito Martene allati, ex quibus etiam addiscimus, non eamdem, quæ hodie legitur in Romano Missali, Præfationem in omnibus Ecclesiis recitatam fuisse. Sane in Pontificali Narbonensi, ut alia omittam, longa, ac diversa extat Præfatio in ipsa Palmarum benedictione, incipitque: *Domine Sancte, Pater Omnipotens, sempiterneque Redemptor, qui de Cælis ad terras descendere, & ad Passionem redemptionis nostræ voluntate tua venire dignatus es &c.* Porro juxta Ordinem Missalis Romani finita Præfatione, quæ incipit. *Qui gloriaris in consilio Sanctorum tuorum*; & dictis aliis quinque orationibus, *adsperguntur Rami aqua benedicta, dicendo Antiphonam*, Asperges me, *sine cantu, & incensantur Olivæ.* Atque hic ritus aspergendi scilicet aqua benedicta Palmas, easque thurificandi, de quo & hic noster §. loquitur, legitur etiam in antiquioribus Missalibus, & Ritualibus Libris, tametsi in Ordinibus Romanis XIV. & XV. solius fiat aquæ benedictæ mentio. Plura alia, quæ dici hoc loco possent, explicata jam a nobis fuerunt in Commentariis, quibus non ita pridem Cæremoniale Episcoporum illustravimus.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De distributione Palmarum, & de præparatione ad Missam, atque ad Processionem.

Accedit deinde Prior Episcoporum Cardinalium stans detecto capite ante Pontificem, illi dat sigillatim duas magnas Palmas, quas Pontifex dat duobus nobilioribus Curiæ tenendas, & deferendas, qui juxta Pontificem hinc & inde collocantur. Deinde dat eidem tertiam minorem, qua Pontifex in officio utitur; & hanc unus ex Cubiculariis secretis servat; & ad unamquamque Palmam, (1) ipse prius osculatur Palmam, & manum Pontificis. Incœpta distributione Palmarum, Cantores dicunt Antiphonam, *Pueri Hebræorum*, prout in Ordinario. Palmas ministrant Clerici Cameræ Camerario, vel ejus Vicecamerario, qui eas det Diacono Cardinali ad illam Papæ manum assistenti, ad quam positæ sunt Palmæ; & duo Auditores accedunt, quorum dignior mappulam pro gremio Pontificis, quam a Credentiariis Papæ accipit, Cardinalibus assistentibus porrigit, qui eam gremio Pontificis superponant. Auditores vero illam hinc & inde genuflexi tenent usque ad finem distributionis. Tunc Pontifex Priori Episcoporum Cardinalium dat Palmam, qui eam devote suscipiens, ejus manum, deinde genu dextrum osculatur. Idem faciunt successive omnes Cardinales. Postmodum Prælati omnes parati, & omnes alii pro Palmis veniunt, Prælati parati genuflexi, postquam Palmas receperint, dextrum genu tantum, alii vero omnes pedem Papæ osculantur. Vicecancellario, majori Pœnitentiario, & Camerario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dantur duæ Palmæ pro quolibet. Celebrans recepta Palma sua vadit ad Faldistorium prope Altare, ubi depositio Paramento, accipit Cappam, sedensque dicit Psalmum, *Quam dilecta &c.* capit Sandalia, & paratur more consueto. Si Missa in illa Capella dicenda erit, in qua Palmæ sunt benedictæ, poterit etiam prius accipere Sandalia, & alia paramenta, & cum habitu ordini suo congruo ire pro Palma, & deinde redire ad Faldistorium. Si vero in alio loco benedicuntur Palmæ, Celebraturus accepta Palma redit ad locum suum, ubi deponens paramenta, accipit Cappam, & vadit ad Capellam, vel Ecclesiam, ubi rem Divinam est peracturus, ibidem paramenta recipit. Ministri utuntur Planetis ante pectus plicatis. Finita distributione, Pontifex lavat manus ordine consueto, deferente aquam nobiliore laico, & ministrante Episcopo Cardinali primo. Tum depositia Mitra, surgit; accedunt ad Pontificem assistentes cum Libro & candelæ, ac duo Acolythi cum candelabris, & Papa stans dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus*, prout in Ordinario. Interim ordinatur Processio, & octo Nobiles, qui Baldachinum super Pontificem portent.

COMMENTARIUS.

I. PAlmas tametsi a Cardinali Presbytero benedictas, fuisse tamen a Summo Pontifice distributas, testis est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. XXXVIII. itemque XIV. Cap. LXXXII. & XV. Cap. LIV. & LV. Ex cujus præscripto, *Prior Episcoporum Cardinalium, si celebret coram Papa, facta reverentia, prout est moris, ab omnibus Cardinalibus, ipse indutus dat Papæ Palmam, & statim a Papa recipit; deinde vadit, & parat se ad celebrandum; duæ Palmæ dantur Papæ.* Atque hic, ni fallor, est antiquior Ordo Romanus, in quo mentio fiat duarum Palmarum, imo & trium, quæ, uti edicitur in hoc nostro §. dari Papæ solent, uti passim legimus in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis; & ut alia omittam, notandum hoc loco censui, quod legitur in ms. Diario Francisci Mucantii, qui ad annum MDLXXIV. alium ritum recenset suo ævo servari solitum ex institutione Pauli Papæ IV. ponendi scilicet super Altari alias quatuor Palmas: *Fuerunt positæ super Altari*, ait, *tam duæ illæ magnæ Palmæ Pontificiæ, quas postea Pontifex*, Gregorius scilicet XIII. *sibi traditas a Cardinali Morono Collegii Decano, dedit tenendas Oratori Ducis Urbini a dextris, & Philippo Gustavillano a sinistris, quam aliæ quatuor, quæ continue remanserunt super Altari ex institutione Pauli Quarti, quæ cum sit correctione digna, alias erit discutiendum; quippe cum superfluæ videantur, cum nullis Principibus, nec aliis dentur, & ad inanem tantum ostentationem super Altari poni videantur.*

II. Sane tenax fuit semper Romana Ecclesia, ac præsertim Pontificia Capella veterum rituum, & a novorum adjectione aliena, ideoque Mucantius Papalium Cæremonialium peritissimus, ubi se sese illi præbet occasio, passim in suis

(1) Ita in editione Romana, & recte; in aliis vero legitur: *& ad unamquamque Palmam osculantur Palmam &c.*

Digitized by Google

ſuis mſs. Diariis novitatem refellit. Sed audiamus iterum Ordinem Romanum xv. varios continentem ritus in eodem noſtro §. expreſſos: *Paramentis receptis*, a Cardinalibus ſcilicet, ac Prælatis, ut ſuperius dictum eſt, *paratur una tobalea, quam tradere debet Sacriſta, & extenditur ſuper genua Papæ per duos Capellanos ejus lateribus aſſiſtentes, & dictam tobaleam flexis genibus tenentes a dextris uno, a ſiniſtris alio, & duobus antiquioribus Cardinalibus Diaconis Papæ more ſolito aſſiſtentibus.* Tum vero mox: *Tunc Prior Epiſcoporum, vel ſi non ſit, Subprior Epiſcoporum Cardinalium, depoſita Mitra ſua, ſtans pedes, Papa ſedente in Cathedra ſua, & cum Mitra, ſpatulam aliam Palmæ pulchriorem, nil dicendo, dat Papæ, manum ejus oſculando.* Atque hæc eſt tertia Palma minor, qua, uti ait noſter §. Pontifex in officio utitur, & hanc unus ex Cubiculariis ſecretis ſervat; ſive, ut habet laudatus Ordo xv. *quam incontinenti Papa tradit uni ex Domicellis ſuis conſervandam.*

III. Accepta a Pontifice in Solio ſedente Palma, ibidem, ut idem Ordo XV. præſcribit, *Prior, vel Subprior*, Epiſcoporum ſcilicet Cardinalium, qui Palmam Pontifici dedit, *genuflexus recipit ſpatulam Palmæ de manu Papæ, & oſculatur genu dextrum Papæ, & ſic deinceps omnes Cardinales juxta ordinem ſuum, deinde omnes Prælati induti, Mitris depoſitis, genuflexi recipiunt ſpatulam Palmæ de manu Papæ, & genu oſculantur Pluvialibus violaceis induti.* Pergit Ordo ipſe, alioſque recenſet, qui Palmas ſolebant a Papa recipere juxta ſui ævi ritum: *Camerarius Papæ*, ait, *Notarius, Auditor Contradictarum, & Corrector, etiamſi aliqui ipſorum eſſent Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, quia non conſueverunt eſſe induti paramentis, ſed ſolum cum Cappis laneis, & quicumque alii Prælati non parati, & etiam Capellani tam commenſales, quam alii Capellani Papæ, qui debent eſſe ſpecialiter commenſales, in Cottis; necnon Pœnitentiarii, & breviter omnes alii Familiares etiam laici, & quicumque alii non Familiares, etiamſi Rex eſſet, flexis genibus recipiunt Palmas, & alios ramos aliarum arborum de manu Papæ, & ipſis receptis, pedem Papæ dextrum oſculantur, & non genu.* Notandum tum monet, *quod ſi Patriarchæ interſint, poſt primum Cardinalem, ſi ſint induti Pluvialibus, ramum Palmæ recipiunt; quod, ſi Rex ſit præſens, poſt Cardinalem, qui ſtat, & poſt Regem Palmam recipiunt, ita quod ſemper unus Cardinalis præcedat Patriarcham; & ſic ſucceſſive.* Eadem fere legere eſt in mſs. Codice Pierſanctiano, & Cæremoniali Davantriæ; ſed concinunt tamen noſtro §. mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria, quæ non opus eſt hic deſcribere. Sciendum ſane quod memorati Codices, & Romanus Ordo xv. Cap. LVI. admonent, quod nempe, *poſtquam Primus Cardinalis Palmam recepit de manibus Papæ, Cantores cantat*, Hoſanna Filio David, *cum omnibus aliis Antiphonis, prout ſunt in Miſſali; & interim ordinatur Proceſſio*, de qua nos mox in §. & Commentario ſequenti, ſicut & de aliis plurimis ad hunc præſentem §. ſpectantibus fuſe dicemus.

§. III.

De Proceſſione in Dominica Palmarum.

Papa, finita Oratione ſedens, accipit Mitram, & miniſtrante Presbyterorum Cardinalium Priore, ponit incenſum. Et nota, quod ad Priorem Diaconorum Cardinalium ſpectat ſemper ordinare Proceſſiones; & antequam Papa ſurgat, & ejus Crux ſe moveat, Diaconus a ſiniſtris Papæ aſſiſtens, verſus ad populum, alta voce dicit in modum Lectionis, *Procedamus in pace*; & Cantores reſpondent, *In Nomine Chriſti, Amen.* Proceſſio fit uſque ad locum, ubi Pontifex populo Palmas projiciet, & deinde ad Eccleſiam, ſive Capellam, ubi Officium peragendum erit, proceditur eo ordine, ut ſupra in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis eſt expreſſum.

COMMENTARIUS.

I. TEſte Ruperto Abbate Tuitienſi, duplex hac die erat Proceſſio, Palmarum ſcilicet, & Dominicalis ſolita: *Diligentibus*, inquit, *Evangelicæ auctoritatis inſpectoribus recte complacuit, ut cum hodierna Proceſſione Palmarum, qua procul dubio Redemptoris noſtri recolimus Paſſionem, non computent illam, quæ Dominicalis eſt, qua ſingulis Dominicis gl rioſam ejuſdem commemoramus Reſurrectionem.* Et infra: *Rectius faciunt hi, a quibus accipimus ante Tertiam memoriam Domi icæ Reſurrectionis, quæ per totum annum occurrit de more peragentes, ſicut in cæteris Dominicis, & p ſt Tertiam cum Proceſſione Palmarum Dominicæ Paſſionis efferentes Sacramentum.* Duplicem etiam Proceſſionem præſcribit antiquum Rituale ms. Monaſterii S. Remigii Remenſis annorum circiter CDL duplicemque faciebant Monachi fere omnes, ut notat Martene in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. xx. Num. VII. in fine, ubi etiam ait, in inſignioribus Clericorum Eccleſiis unicam Palmarum ſe aſſignatam reperiſſe. Atque hæc, quia Chriſti triumphalem in Jeruſalem ingreſſum repræſentat, generalis, ut ajunt, eſſe ſolebat, convenientibus ad matricem Eccleſiam omnium Clericorum Collegiis, Parochialium Eccleſiarum Presbyteris, Monachorum Congregationibus variis, quæ etiam plerumque cum Clero unicum efficiebant Chorum, cujus iſtæ de-

Digitized by Google

dextram, illæ ſiniſtram partem occupabant, atque alternis modulis debitas Salvatori laudes perſolvebant.

II. Sed omiſſo aliarum Eccleſiarum complurium ritu, fuit plane antiquus Romanæ Eccleſiæ mos, ut in iſta Proceſſione Sacer Evangelii Textus tanquam Chriſti perſonam exhibens ſolemni cum pompa in feretro deferretur, de quo audiendus eſt Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. IX. ubi ita Proceſſionem ipſam recenſet: *Die Dominica Palmarum præparatur quoddam portatorium honeſtiſſime, in quo intromittitur Sanctum Evangelium, quod intelligitur Chriſtus, & ſtatuitur in Eccleſia ante Aram, unde Clerus proceſſurus eſt. Deinde adunantur Palmæ, & flores, atque diverſa genera frondium. Dicitur Oratio*, Omnipotens Deus, qui, antequam Filium tuum Dominum noſtrum pro nobis mortem perpeti ſineres. *Sequitur benedictio Palmarum, ſive frondium*, Omnipotens Deus Chriſte. *His finitis, dantur a cuſtodibus Palmæ, accipienteſque populi ramos arborum Olivarum, ſive florum, inchoatur Antiphona*: Pueri Hebræorum. *Deinde ſuſcipitur a Diaconis prædictum portatorium cum Evangelio, bajulantes cum ingenti exultatione jugum Chriſti ſuave, & onus ejus leve, præcedente aqua benedicta, cum candelabris, atque thymiamateriis, cum aliis ornamentis; inſuper etiam laicorum Schola cum vexillis, atque cum fanonibus longe præeunte. Exeunte enim Clero, ſeu populo ab Eccleſia, inchoatur Antiphona*, Cum appropinquaret Jeſus; *qua finita, inchoat Schola Antiphonam*: Cœperunt omnes. *Item*: Cum audiſſet. *Item*: Collegerunt. *Item*: Unus etiam, (forte, *autem*) ut notat Mabillonius ad hunc locum.

III. Meminit & hujus ritus totidem verbis vulgatus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, fuiſſeque illum in uſu in variis Eccleſiis, & Monaſteriis Germaniæ, conſtat ex Libello ms. Conſuetudinum ejuſdem Germaniæ Monaſteriorum, quæ ita habent: *Mane in Palmis Cuſtodes præparent diligenter quoddam portatorium in modum feretri, in quo reponantur parvæ capſæ, ſive Textum Evangeliorum. Deſuper quoque appendantur phylacteria, ſive buxæ Reliquiarum. Ferant autem illud latenter ante boram primam ad Eccleſiam, vel ad locum, quo procedere debent, & Cruces, & candelabra, & thuribulum, & aquam benedictam, & Textum Evangelii, & albas, flores, Palmas, & omnia, quæ Proceſſioni illi conveniunt*. Idem videre in Lanfranci Statutis, ex quibus etiam deferri debebat hac in Proceſſione Corpus Chriſti: *Cantore*, inquit, *incipiente Antiphonam*, Occurrunt turbæ, *exeant duo Sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod paratum ante diem ab eiſdem Sacerdotibus illuc debet eſſe delatum, in quo & Corpus Chriſti debet eſſe reconditum*. Servabatur præſertim hic ritus in Anglia, ejuſque meminit Miſſale antiquum Eccleſiæ Sarisberienſis, itemque Matthæus Pariſius in Vitis XXIII. Abbatum Monaſterii Sancti Albani, ubi deſcribit vaſculum, ſeu ſcrinium a Simone Abbate eleganter elaboratum ad portandum Corpus Domini in Proceſſione in Ramis Palmarum. Eundem quoque ritum obtinuiſſe in Normannia, teſtantur Liber Uſuum Monachorum Beccenſium, & Conſuetudines Monaſterii Lyrenſis ejuſdem Provinciæ, in quibus variæ etiam ad Sacrum feretrum genuflexiones præſcribuntur, quæ ſacroſanctæ Euchariſtiæ in eo feretro delatæ venerationem manifeſte probant. Videri de his poteſt Martene in Opere, *De antiquis Monachorum Ritibus*, Lib. III. Cap. XII. Num. XXIII. & ſeqq. Unum addam quod & notavit Mabillonius Tomo II. Muſei Italici in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. VIII. in fine, ſcilicet hanc Sanctiſſimi Sacramenti ſolemnem delationem longe præceſſiſſe inſtitutionem Urbani IV. qui Feſtum ejuſdem Sanctiſſimi Sacramenti inſtituit primus, & annuam ejuſdem Sacramenti in eodem Feſto geſtationem, ut nonnulli opinati ſunt. Sed de hac re dicemus nos ſuo loco inferius.

IV. Celebris itaque fuit hujuſmodi Proceſſio, cujus ordinatio, ſicut & cæterarum, ut ait noſter §. *ſpectat ſemper ad Priorem Diaconorum Cardinalium*; qui, *antequam Papa ſurgat, & ejus Crux ſe moveat, verſus ad populum alta voce dicit in modum lectionis*: Procedamus in pace; *& Cantores reſpondent*: In nomine Chriſti, Amen. Alibi jam diximus nos de hoc Prioris Diaconorum Cardinalium munere, ejuſque mentionem paſſim faciunt Romani Ordines, inter quos Ordo XV. Cap. LVI. ita ait: *Ordinatur Proceſſio per Priorem Diaconum Cardinalem, qui Papæ aſſiſtens a ſiniſtris, dicit alta voce*, Procedamus cum pace; *& Chorus reſpondet alta voce*. In Nomine Chriſti, Amen. Fit quidem & hujuſce ritus mentio in antiquis recentioribuſque mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, ubi recenſent ritus in Dominica Palmarum ſervatos; ſed ſciendum tamen, fuiſſe ritum ipſum aliquandiu intermiſſum, teſte Franciſco Mucantio Cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſtro in ſuo ms. Diario ad annum MDLXIII. ubi hæc habet: *Ante Proceſſionem Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Medices aſſiſtens a ſiniſtris Papæ dixit alta voce verba ad dirigendam Proceſſionem, prout in Cæremoniali, videlicet*: Procedamus in pace. *Cui Cantores reſponderunt*: In Chriſti Nomine, Amen; *quamvis in præteritum abiiſſent in deſuetudinem, ita Reverendiſſimis Dominis Reformatoribus jubentibus*, Cardinalibus ſcilicet, qui deputati fuerant a Gregorio Papa XIII. initio ſui Pontificatus ad Cæremonias reformandas, uti non uno in loco notavimus.

V. Ex præſcripto noſtri §. *Proceſſio fit uſque ad locum, ubi Pontifex populo Palmas projiciet, & deinde ad Eccleſiam, ſive Capellam, ubi Officium peragendum erit, proceditur* &c. Ritum hujuſmodi Proceſſionis jam ante hoc noſtrum Cæremoniale deſcripſit Romanus Ordo XV. Cap. LVII. ſic inquiens: *Deinde movetur Proceſſio, & graditur, & primo ſervientes armorum cum virgis ſuis ante Subdiaconum bajulantem Crucem, qui debet eſſe indutus cum Tunicella violacei, vel ladii coloris, & circa eum duo Ceroferarii cum luminibus, & uno Acolythorum cum thuribulo, & incenſo*. Procedere Pontificem in ipſa Proceſſione ſub baldachino delato a quatuor Nobilioribus, tradit idem Romanus Ordo his verbis: *Nota, quod ſicut Papa ſurgit de Cathedra, quatuor Nobiliores, qui ibidem ſunt, erigunt pannum,*

Digitized by Google

ideſt, Baldachinum, quod etiam Umbella, & Umbraculum apud Scriptores dicitur, *ſuper eum baculis, & angulis in ſummitatibus, & ſic ſemper Papa ſtat ſubtus pannum, quouſque pervenerit ad Collectam, quam dicit poſt largitionem Palmarum, & ſemper ante ipſum Cardinales juxta ordinem ſuum, & Patriarchæ. Cum autem Papa exierit tinellum, vel Capellam, & eſt in porticu, per quam itur ad Capellam magnam, vadit ad feneſtram, quæ reſpicit ad Plateam magnam Palatii, & ibi projicit populo ramos Palmarum, & Olivarum, & aliarum arborum ramos.* Mentionem projectionis Palmarum in populum ſolitæ olim fieri per Papam, profecto faciunt Pierſanctianus ms. Codex, & ms. Cæremoniale Davantriæ, itemque mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria; ſed ea tandem ſublata fuit anno MDLXXIII. ſub Gregorio XIII. teſte Mucantio in ſuo ms. Diario, ubi enarrat ritus Dominicæ Palmarum ejuſdem anni: *Fuit facta*, inquit, *Proceſsio more ſolito per Aulam Regiam, abſque tamen Palmarum projectione in atrium, quæ amplius non fit, prout in die Purificationis de candelis dictum fuit.* Rurſus ad annum MDLXXIV. idem confirmat: *Facta etiam fuit Proceſsio more conſueto, ſed ſine projectione Palmarum juxta novam reformationem*, noſtri hujus Cæremonialis ſcilicet, quæ juſſu Gregorii Papæ XIII. initio Pontificatus peracta fuit a Congregatione plurium Cardinalium, ad eam rem ſpecialiter deputatorum.

VI. Juxta antiquum ritum in multis Ritualibus atque Miſſalibus expreſſum Proceſſio ipſa dirigebatur ad aliquam Eccleſiam, vel locum, ubi lecto Evangelio, & facto Sermone, rami Olivarum, aliarumque arborum benedicebantur, ſi tamen id prius factum non fuiſſet, aut Indulgentia ſolemnis, ſeu benedictio largiebatur. Hunc ſaltem fuiſſe olim Eccleſiarum uſum, notavit ex ms. antiquis Ordinariis, ac Ritualibus Libris Martene in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XX. ad cujus calcem varios deſcripſit Ordines Ritus in Dominica Palmarum ſervari ſolitos continentes. Porro ſcopus præcipuus hujus Proceſſionis videtur fuiſſe Crucis adoratio, quæ fiebat in Statione, iteratis crebris ante ipſam genuflexionibus, quibus nonnulli pium ſubjungebant oſculum, ut idem Auctor obſervat citato Cap. XX. Num. XII. ubi locum recenſet antiqui Romani Ordinis, cujus hæc ſunt verba: *Ut autem pervenerint cum Pſalmis, ubi Statio eſt Sanctæ Crucis, Clerus, Populuſque reverenter ſtent per turmas in ordine ſuo cum bajolis, & reliquo ornatu; & infantes paraphoniſtæ in loco competenti ſubſiſtentes imponant Antiphonam*: Fulgentibus Palmis, proſternimur advenienti Domino. Huic omnes occurramus cum Hymnis, & Canticis, glorificantes, & laudantes, Benedictus Dominus. *Reſpondet Schola ex parte Populi*: Occurrunt turbæ cum floribus, & Palmis Redemptori Domino, & victori triumphanti dignandant obſequia: Filium Dei olim gentes prædicant, & in laude Chriſti voces tonant per nubila Oſanna. *Tunc Scholaſtici e regione Crucis veniant ante eam, & cum omni reverentia Caſulas, & Cappas in terram jactantes, proni adorent Crucifixum, Clero interim cantante Antiphonam*: Pueri Hebræorum &c. *His recedentibus, continuo veniant ex latere pueri laici*, kyrie eleiſon, *cantantes, & ſequendo vexillum, quod ante eos portatur, venient ante Crucem, & annuente Ædituo, jactent ramos Palmarum in terram, proni adorando Crucifixum, & Clerus interim canit Antiphonam*: Pueri Hebræorum. Similia videre eſt in variis diverſarum Eccleſiarum Ordinariis, quæ vix variant, niſi in modo Crucis adorandæ, & in cantandis Antiphonis, aut Reſponſoriis, quæ ſigillatim hic proferre per otium non licet, tum præſertim quod hic ritus in deſuetudinem penitus abiit, fierique ſolet hodie ex veteri etiam ritu Crucis adoratio Feria VI. in Paraſceve, ut ſuo loco dicemus.

VII. Sed ut aliquid de ritu Græcorum dicamus, eſt jam ejus opinionis Grancolas in hiſtorico Commentario ad Breviarium Romanum, Cap. LIII. Palmarum, ſeu Ramorum Feſtum cœpiſſe in Palæſtina, quia ſcilicet in Vita S. Euthymii a Cyrillo ejus Diſcipulo ſcripta habetur, quod Solitarii, qui in Deſertum ſecedebant poſt Epiphaniam, ut ad Feſtum Paſchatis ſe pararent, ad Monaſterium ſuum revertebantur ad Feſtum Palmarum celebrandum, quod erat in capite Hebdomadæ, qua Dominicæ Paſſionis Myſteria celebrantur. A Clero procul dubio Monachos iſtos, ait Grancolas, didiciſſe hoc Feſtum celebrare quinto Sæculo in Oriente, nam alias nihil certi colligi poteſt ex Sermonibus, qui S. Epiphanio, & S. Joanni Chryſoſtomo tribuuntur, in quibus Solemnitas iſta de Palæſtina in Cyprum, & Syriam tranſiſſe dicitur, cum Sermones iſti illorum Patrum certe non ſint, ſed Auctorum multo recentiorum. Cæterum quod Proceſſionem ſpectat, celebrabatur & hæc apud Græcos inſigni apparatu, & reverentia. Scribit Codinus in Libro, *De Officialibus Aulæ Conſtantinopolitanæ*, Cap. X. proximis diebus ante Dominicam Palmarum extrui conſueviſſe publicam ambulationem a Palatio Imperatoris uſque ad Eccleſiam, ipſa autem nocte, quæ eam antecedit, omnes ambulationis columnas myrtetis, laureis, vel oleaginis ornari, & iiſdem pavimentum ſterni; tempore autem Matutini Officii Supplicationem per eam viam hoc ordine inſtrui, ut ante omnes procederet Lampadarius manu lampadem ardentem geſtans, & modulata voce cantans hoc Idiomelon: *Egredimini gentes, egredimini populi, contemplamini hodie Regem Cœlorum, Chriſti enim figuram gerens Evangelium progreditur.* Sequebatur Imperator Diademate coronatus, & Sacco, ideſt feſta veſte indutus, dextera Crucem præferens, ſiniſtra lampadem, deinde univerſus Aulæ Comitus; tum Archdiaconus Evangelium geſtans, deinde Patriarcha, & poſt eum Sacerdotes quinque vel plures Sacras Imagines portantes.

VIII. Videri & de his Euchologium poteſt, ſive Rituale Græcorum Notis egregiis ab eruditiſſimo Jacobo Goar illuſtratum, ubi extant binæ Orationes ad Palmas ipſo Palmarum die diſtribuendas. Varia ibidem laudatus Auctor notat, ſed non omittendum, quod obſervat in recitatum ſuperius Codini locum doctus Jacobus Eveillon in Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. IX. in fine, quod nempe eo loco dicitur de Evangelio in prædicta Proceſſione ge-

Digitized by Google

gestando, servatum quoque fuisse in Ecclesia Latina, ac Romæ præsertim, uti superius nos ostendimus luculentissimo testimonio Ordinis Romani XII. Auctore Cencio, quod integrum descripsimus, supervacaneumque est illud iterum in præsenti repetere.

§. IV.

De reditu Processionis, & Hymno, Gloria, laus, & honor &c. *ad portam Ecclesiæ recitari solito, ac ejusdem Processionis ingressu in Ecclesiam.*

Postquam Pontifex Palmas Populo projecerit, cum ad Ecclesiam, sive Capellam revertitur, antequam Crux ingrediatur, intrant duo, vel tres ex Cantoribus, & clauditur porta, & ibi duo, vel tres ex prædictis Cantoribus cantant, *Gloria, laus &c.* & Cantores, qui sunt ab extra, repetunt eundem Versum, prout in Ordinario. Finitis Versibus, vel majori parte, ut tempus postulabit, Cantores ab extra cantant Antiphonam: *Ingrediente Domino &c.* & Subdiaconus cum Cruce tangit portam, quæ aperitur, & intrant omnes.

COMMENTARIUS.

I. SI veterem variarum Ecclesiarum morem spectemus, Palmarum benedictio, ac distributio fiebat quidem extra Urbem, quemadmodum Parisis ad S. Genovefam, uti notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Cap. LXII. Hinc prope villas, & vicos cernuntur Cruces, & sæpe etiam lapideæ mensæ, ut ibidem apponerentur, & benedicerentur Palmæ; atque ut repræsentaretur quod egit Christus, fiebat egressus ab Urbe, & ingressus deinde solemnis, ac veluti triumphalis cum arborum ramis. Porta Urbis, seu Ecclesiæ debet esse clausa in reditu Processionis, quemadmodum observatur in solemni Principum, & Regum ingressu in Urbes. Ergo in reditu Processionis ad portas Civitatis, sive ad valvas Ecclesiæ cantabatur Hymnus, *Gloria, laus, & honor &c.* & quidem ex quibusdam Ritualibus, ac præsertim ex ms. Pontificali Pictavienſi annorum circiter DCCCL. a junioribus Clericis, quia in Hymno legitur, *Cui puerile decus*. Pluribus in locis cantabatur in Sacello aliquo elevato, alludendo ad verba illa, *Cœtus in excelsis te laudat*. Parisiis, ut idem Grancolas docet, canitur in Cubiculo super unam Oppiduli partem, ubi sunt carceres, quia nempe Carceres vel olim erant prope Urbium portas, ibique Judices jus dicebant etiam apud Hebræos, uti legitur Cap. XVI. Deutoronomii: *Judices constitues in omnibus portis tuis, ut judicent*. Hoc nomen portæ Turcarum Imperatoris Aulæ remansit, ut omnibus notum est.

II. Auctor Hymni, *Gloria, laus &c.* fuit haud dubie Theodulphus Episcopus Aurelianensis, ut testis est Lupus Abbas Ferrarienſis, qui in epistola XX. illius nomine Poematis hujus locum citat. Sunt qui Hymnum ipsum Andegavis a Theodulpho compositum ferunt, & Ludovico Pio Imperatori, a quo detinebatur in carcere, transeunti cum Processione decantatum, suavemque Hymni modulationem ita placuisse Imperatori, ut Theodulphum vinculis absolutum libertate donarit. Verum hanc fabellam validissimis rationibus confutat eruditissimus Hugo Menardus in Notis ad S. Gregorii Sacramentarium, tum præsertim, quod factum non cohæret cum vita illius Principis, in qua appareret, non potuisse illum Andegavis esse Dominica ante Pascha anni DCCCXIX. quo Theodulphus in carcerem conjectus dicitur, uti inter alios observat Grancolas citato loco, qui etiam adhærens opinioni Edmundi Martene, non negat, hunc Hymnum a Theodulpho fuisse compositum & quidem ad usum Ecclesiæ Andegavensis, maxime cum illum sub illius nomine citasse videatur memoratus Lupus Abbas Ferrarienſis in citata Epistola XX. Porro Hymni hujus, qui longe prolixior est in veteri ms. Missali Albiensi, & in Pictavienſi Pontificali anno circiter DCCL. exarato, quinque, aut sex dumtaxat strophas dicimus, quibus finitis, olim Episcopus, sive ille qui Officio præerat, portas percutiebat dicens: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex Gloriæ*. Cui existenti in Ecclesia tunc respondebant: *Quis est iste Rex Gloriæ?* Ad quos cum ille tertio dixisset, *Attollite portas &c.* similemque illi dedissent responsionem, ipse tandem clamabat: *Dominus virtutum ipse est Rex Gloriæ*; & tunc clausæ aperiebantur valvæ. Atque ita fere legitur in antiquis mss. Missalibus, Arelatensi, Bituricensi, Catalaunensi, & aliis multis citatis a laudato Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in celebrandis &c.* Cap. XX. Numro XIV.

III. Ejusdem Hymni, rituque etiam illum cantandi ante ostium Ecclesiæ clausum facit mentionem Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto Num. XXXVIII. ubi postquam dixit, distributas fuisse Palmas a Pontifice in Basilica Leoniana, ita statim subjicit: *Postea exit inde cum Processione Primicerius cum Schola cantando*, Pueri Hebræorum, *& alias Antiphonas usque ante ostium Ecclesiæ Sancti Salvatoris, ibique super gradus posito Subsellio, Pontifex sedet. Primicerius cum Schola incipit*, Gloria, laus, & honor. *Prior Basilicarius ad clausum ostium cum Subdiaconibus stans respondet, & cantat Versus*, Cui puerile decus. *Ad omnes duos Versus respondet Schola, & dicit*, Gloria, laus,

(a) Ita in Veneta I. & Colonienſi editione; in Romana vero legitur, *Cantores*.

Digitized by Google

laus, & honor &c. *Quibus finitis, aperto ostio, intrant in Ecclesiam, cantando*, Antiphonam scilicet, *Ingrediente Domino*. Ex præscripto Romani Ordinis XII. Auctore Cencio, Capite IX. quod est de Dominica Palmarum, finitis Versibus, Schola incipiebat Antiphonam, *Pueri Hebræorum*, & tunc *prosternebat omnis plebs hinc inde frondes, seu flores, decantantes Antiphonam*, Hosanna Filio David, *usque ad Altare*. Juxta Romanum Ordinem XV. Cap. LVII. cum Processio *pervenerit ante ostium Capellæ, cantatur*, Gloria, laus & honor, *per Cantores ab extra, aliis ab intra respondentibus; quæ porta tunc clausa debet esse, cantantibus omnibus aliis, prout in Missali Romano continetur*. Porro variat nonnihil laudatus Ordo a Rubricis Romani Missalis ex Decreto Concilii Tridentini restituti, & jussu Pii Papæ V. editi, imo & a nostro Cæremoniali variat, ex cujus præscripto, ut in præsenti §. edicitur, duo, vel tres ex Cantoribus, qui intrant Ecclesiam, clauso ostio, cantant ibidem, *Gloria, laus, & honor*; & Cantores, *qui sunt ab extra, repetunt eundem Versum*. Rursus ab ejusdem Missalis Rubricis, & ab eodem nostro §. variat idem Romanus Ordo XV. ex cujus præscripto, finito Hymno, *Dominus Papa non percutit cum Cruce portam, sicut Sæculares consueverunt, sed prædicto dicto Officio, aperitur porta*. Licet autem ipse Papa non percutiat portam cum Cruce, *Subdiaconus cum Cruce tangit portam, quæ aperitur, & intrant omnes*, ut in nostro §. edicitur. Juxta ritum quarumdam Ecclesiarum, uti notat Martene loco citato, apertis januis, Cantor imponebat Antiphonam, *Ingrediente Domino*; & tum fiebat Crucis adoratio, si ad Stationem facta non fuisset; deinde vero sequebatur Missa, de qua mox in §. sequenti dicemus.

IV. Neque vero in præsenti ille omittendus est ritus, qui olim in Capella Pontificia servabatur post ingressum scilicet Papæ, & Cardinalium ad ipsam Capellam, quique ita describitur in prædicto Romano Ordine XV. citato Capite LIII. *Deinde Dominus Papa cum Cardinalibus, & Cælatis processionaliter intrat Capellam, & more solito orat aliquantulum coram Altare, ubi debet esse Cathedra cum scabello parata, & facta Oratione, surgit, & vadit usque ad regias Capellæ in parte dextera, & ibi projicit ramos, & folia Olivarum populo per foramina regiarum*. Eadem legere est in ms. Cæremoniali Davantriæ, & in Codice ms. Piersanctiano, in quibus etiam hæc leguntur verba, quæ in citato Ordine XV. Romano desiderantur: *Postea*, inquiunt, *venit*, Pontifex scilicet, *ad magnam Cathedram longe ab Altari paratam, & ibi sedendo lavat manus, mappula primitus super genua ejus extenta per duos Capellanos ipsam tenentes flexis genibus, uno a dextris, alio a sinistris, & extracta Mitra, stando versus Altare, uno Episcopo Cardinali eidem Librum tenente, dum dicit Orationem, quæ competit*, scilicet, *Omnipotens æterne Deus, qui Dominum nostrum &c.* Addunt & mox, in ipsa Oratione non dici, *Flectamus genua*, sed, *Dominus vobiscum*, & *Oremus*. Sane extat hæc Oratio in Missali Romano, diciturque post Palmarum distributionem, & ante Processionem. Ita quoque in aliis antiquis non paucis Missalibus legitur.

§. V.

De mutatione vestium Cardinalium, & Prælatorum, ac de solemni Missa usque ad Passionem.

Prælati, & Officiales, antequam cancellum Capellæ intrent, deponunt paramenta; & Superpelliçea, & accipiunt Cappas. Cardinales vero in locis suis paramenta deponunt, & Cappas accipiunt. Papa cum fuerit ante Altare, orat in Faldistorio sine Mitra, si prius ibidem non oravit, tum surgit, & cum Celebrante dicit Confessionem, & incipitur Introitus. Finita Confessione, Papa ascendit ad Solium, sedetque, & ministrante Priore Presbyterorum, imponit incensum, quia non fit ei reverentia a Cardinalibus, cum prius facta sit, unaque tantum Oratio dicitur.

COMMENTARIUS.

I. Consuevisse olim Romanos Pontifices, finita Processione, de qua superius dictum est, Missarum solemnia per semetipsos celebrare, testis est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. XXXVIII. *In Secretario*, inquit, *Pontifex induitur, & intrat ad Missam sine mappula*, nempe non delatus sub baldachino. Ritum ejus Missæ describit Amelius in suo Ordine XV. Cap. LVIII. quod inscriptum est, *De Papa eunte ad Altare, & Cardinalibus occurrentibus*; quodque nos infra opportunius referemus in Commentario ad sequentem §. cui Titulus, *De Officio Dominicæ Palmarum Papa celebrante*. Seculo etiam XIV. labente consuevisse Papam in ipsa Palmarum Dominica celebrare, aperte demonstrat laudatus Ordo XV. Cap. LX. in fine, ubi hæc habet: *Nota, quod anno Domini MCCCLXXXVIII. Romæ Dominus Urbanus VI. hac die Ramis Palmarum non fecit Officium, quia nondum erat coronatus, sed bene dedit Palmas, & Ramos, & interfuit Missæ indutus Pluviali rubeo, & Mitra alba, quam Missam dixit Cardinalis Florentinus in magna Capella*. In mss. Diariis vero Apostolicorum Cæremoniariorum utplurimum legitur, hac die Cardinalem Presbyterum solemne Sacrum peregisse. Teste Burchardo in suo Diario anno MCDLXXXVI. præsente

Digitized by Google

te Papa, *Missam celebravit Reverendissimus Dominus Cardinalis S. Clementis, cui Sanctissimus Dominus Noster*, Innocentius scilicet Papa VIII. *dedit unam Palmam tantum*. Supervacaneum est alia exempla afferre, tum potissimum quod Paris de Grassis in suo Romano Ordine, quem nuncupavit Gulielmo Episcopo Albanensi S. R. E. Cardinali, Cap. XI. ubi agit de Missis extraordinariis in Dominica Palmarum, sic inter alia scribit: *Missam celebrat Presbyter Cardinalis cum paramentis violaceis*.

II. Missa hujus diei antiqua profecto est, eamque explicat Durandus in suo Rationali Divinorum Officiorum, Cap. LXVII. ubi etiam observat, Ecclesiam ad memoriam Fidelium, Dominicam Passionem reducere volentem, incipere Missam ab Oratione, *Domine ne longe facias &c.* Dicendam esse in hac Missa unicam tantum Orationem, monent etiam Codices antiqui Missarum. Epistola sumpta est ex Capite II. Epistolæ Pauli Apostoli ad Philippenses, ejusque initium est, *Fratres hoc enim sentite in vobis &c.* Est antiquus ritus, ut ad ea illius Epistolæ verba, *Ut in Nomine Jesu omne genuflectatur &c.* genuflectant omnes. Atque hunc ritum etiam in Pontificia Capella servandum merito statuit initio Pontificatus Gregorius XIII. sive Congregatio ab eodem Papa deputata ad Cæremoniarum, ac rituum reformationem. Hinc Franciscus Mucantius Apostolicarum Cæremoniarum Magister in suo ms. Diario ad annum MDLXXIV. ubi agit de Dominica Palmarum, sic inter alia scribit: *In Epistola, idest dum finalia illa verba recitabantur, videlicet*, Ut in Nomine Jesu omne genu &c. *Pontifex, Cardinales, & omnes usque ad terram genuflexerunt, prout etiam factum fuerat anno præterito ex Decreto reformationis Cæremoniarum a Sanctissimo Domino nostro approbato*, a Gregorio scilicet Papa XIII. uti jam dictum est.

§. VI.

De Passione, & ritibus in ea cantanda servandis.

Tum cantatur Tractus, Clerici Capellæ portant paramenta ad locum, ubi stant Cantores. Ibi tres ex eis dicturi Passionem parantur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Stola in modum Diaconi coloris violacei omnes: consueverunt tamen plerumque uti variis coloribus importunitate aliquorum, & contra voluntatem Clericorum Cæremoniarum; videlicet qui Evangelistæ personam sustinet, albo, Judæus rubro, Christus nigro; sed honestius est, ut omnes utantur violaceis. Et circa finem Tractus, movent se a loco, ubi se induerint, & ille qui Evangelistam aget, portat Librum, & præcedit; sequitur Iudæus, deinde Christus. Faciunt reverentiam Altari, & Papæ; deinde ascendunt ad osculum pedis Papæ unus post alium, prout venerunt; deinde vadunt ad locum Evangelii consuetum, ubi Passionem cantare debent sine luminaribus, & incenso. Adducuntur etiam illuc tres Capellani Celebrantis, quorum unus stans in medio aliorum duorum tenet Librum supra caput suum, sicut ad Evangelium Subdiaconus tenere consuevit, & mutantur per (1) vices. Dum incipitur Passio, Papa surgit, deposita Mitra, & omnes alii surgunt, & stant usque in finem, Palmas manu tenentes. Celebrans vero deposita Mitra vadit de Faldistorio suo ad cornu Epistolæ Altaris, ubi stat discooperto capite, & Palmam etiam manu tenet. Super Altare habet Missale, & plane legit Passionem versus aliquantulum ad illam cantantes; & postquam Passionem legerit, dicit pro Evangelio, *Altera autem die*, prout in Ordinario. Finita Passione a Cantoribus, redit ad Faldistorium suum. Cum Cantor in Passione dixerit, *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum*, Papa in Solio, Celebrans ante Altare, & omnes alii in locis suis, detectis capitibus, genuflectunt, orantes per spacium unius, *Pater noster*. Tum surgentibus omnibus, Cantor perficit Passionem, & Papa sedet, & accipit Mitram, Cantores vero, factis reverentiis Altari, & Papæ, recedunt.

COMMENTARIUS.

I. PLuribus docet Martene in celebri Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XX. Num. XXII. non modo in privatis Missis hujus Dominicæ prætermissam fuisse apud Monachos, verum etiam semel tantum in Feria VI. majoris hebdomadæ Passionem ex quatuor Evangelistis lectam fuisse. Et quidem in Africa tempore S. Augustini unicam legi consuevisse in ipsa hebdomada secundum Matthæum, constat ex ejusdem S. Doctoris Sermone CCXXXII. novæ editionis, cujus hæc sunt verba: *Passio autem, quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando, ut per singulos annos secundum omnes Evangelistas etiam Passio legeretur. Factum est. Non audierunt homines quod consueverant, & perturbati sunt.* Quicquid autem de aliis Ecclesiis sit, mos plane antiquus fuit Romæ, ut ad Missam Dominicæ Palmarum Passio secundum Matthæum legeretur, & ritu qui-

(1) Ita & recte quidem in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi perperam legitur, *per vias*.

Digitized by Google

quidem notabili, cujus meminit antiquus Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto Num. XXXVIII. *In Secretario*, inquit, *Pontifex induitur, & intrat ad Missam sine mappula. Primicerius cantat Introitum sine*, Gloria Patri. *Diaconus dicit Evangelium hoc modo*: Dominus vobiscum. *Respondet Schola, & dicit*: Et cum spiritu tuo; *& dicit*: Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum. *Respondet Schola*: Gloria tibi Domine; *& postea legitur Evangelium &c.*

II. Itaque duo potissimum ex recitato hactenus loco addiscimus, ac 1. quidem unicum Diaconum legisse Passionem in solemni Missa; atque hic ritus duravit quidem usque ad seculum XV. quo ex præscripto nostri Cæremonialis, tres Cantores Passionem cantant, nam alias Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, exaratus labente seculo XIV. Cap. LX. unius Diaconi Cardinalis meminit Christi Passionem cantantis hoc plane ritu: *Cum autem cantatur Tractus ante ultimum Versum, Diaconus Cardinalis dicturus Passionem, recepto prius Manipulo de manu Capellani sibi in Missa servientis; surgit, & exuit Planetam, & postea sibi traditur Planeta plicata ad modum Stolæ, quam portat super humerum sinistrum, & firmantur capita Planetæ ad latus dextrum, quasi retro, & sic tenet ipsam Planetam, quando dicit Passionem, & per totam Missam, donec ipse, & Subdiaconus communicaverint, & statim facta Communione, ipsemet induit Planetam ad modum aliorum Cardinalium Diaconorum. Tractu vero finito, prædictus Diaconus Cardinalis dicturus Passionem, osculatur more solito pedem Papæ, & reversus ad Altare, genuflectit ante illud, & dicit basse*, Munda cor meum &c. *& surgens recipit de Altari Librum Evangeliorum, deferens ipsum ante pectus, ita quod tabula libri, ubi est Crucifixus, a populo videri possit, & non petit benedictionem a Papa, sed recte vadit ad pulpitum coopertum cum tobalea, & ibi absque luminaribus, & incenso, & sine*, Dominus vobiscum, *absolute incipit*, Passio Domini nostri Jesu Christi, *nec respondetur*, Gloria tibi Domine; *sed subsequenter dicit Passionem more solito*.

III. Addiscimus præterea ex recitato Romani XI. Ordinis loco, ante Passionem Diaconum solito more populum salutasse, dicendo, *Dominus vobiscum*, & ubi is dixisset, *Passio Domini nostri Jesu Christi &c.* respondisse Cantorum Scholam, *Gloria tibi Domine*; qui ritus tamen postea sublatus omnino fuit, uti constat ex descripto Romani XV. Ordinis testimonio, in quo Diaconus Passionem cantaturus absolute incipit: *Passio Domini nostri Jesu Christi &c.* Teste Martene citato loco, fiebat ipsa salutatio ante Passionem Feria etiam tertia, & quarta, non autem Feria sexta, tametsi aliter sentiat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LIII. ubi diserte ait, ipsam salutationem non fieri, *nisi hodierna die. Nam Feria tertia, quarta, & sexta dicitur Passio sine populi salutatione, & sine responsorio*. Sane, ut notat Durandus in suo Rationali Lib. II. Cap. LXVII. Num. v. *Passionem lecturus, benedictionem non petit, quia in illa describitur esse sublatus, qui Auctor est benedictionis, unde non est, a quo petatur*. Et mox: *Legitur quoque sine luminaribus, quia ille extinctus nunciatur, qui secundum Joannem lux est Mundi, & ut repræsentetur, quia ejus Discipuli tunc quasi extincti sunt, quia ipse vivens dixerat*, Vos estis lux mundi. *Non fertur etiam incensum, ad notandum, quod tunc fervor devotionis, vel Orationis, quæ per incensum designatur, in Apostolis tepuit, vel potius quasi extinctus fuit*. Tum etiam statim: *Legitur etiam sine salutatione, sive sine*, Dominus vobiscum, *in detestationem traditoris Judæ, & sine responsione; non enim respondetur*, Gloria tibi Domine; *quia in ipsa exprimitur, quod Christus fuit a suis separatus per mortem corporaliter, & spiritualiter, quia metu mortis eo derelicto fugerant, & nulla gloria sibi erat.* Hæc Durandus, ex quo addiscimus, labente Sæculo XIII. quo ipse claruit, legi consuevisse Passionem, sine, *Jube Domne*, sine lumine, sine incenso, ac sine cæteris cæremoniis, & ritibus qui in solemni recitatione sacrosancti Evangelii servari jam solent.

IV. Quæ vestes, & cujus coloris adhibendæ sint a Cantoribus Passionem cantantibus, dicit quidem noster §. his verbis: *Dum cantatur Tractus, Clerici Capellæ portant paramenta ad locum, ubi stant Cantores. Ibi tres ex eis dicturi Passionem, parantur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Stola in modum Diaconi coloris violacei*; juxta ritum scilicet, cujus meminit Ordo Romanus XIV. Cap. LII. & Durandus in suo Rationali Lib. III. Cap. IX. ubi ait, Ecclesiam Romanam uti colore violaceo a prima Dominica Adventus usque ad Missam Vigiliæ Nativitatis Domini inclusive, & a Septuagesima usque ad Officium Vigiliæ Paschæ exclusive. Sed & ante Durandum, & Gajetanum Ordinis XIV. Romani Auctorem, testatus est Ordo Romanus XIII. seu Cæremoniale jussu Gregorii Papæ X. editum, Num. XXI. ubi agit de Dominica Palmarum, quod, *licet Ecclesia Gallicana rubeis utatur vestibus, Romana tamen violaceis utitur*. Afflictioni enim debetur color violaceus, ut inter alios observat Gavantus in Rubricas Missalis, Parte I. Titulo XVIII. Numero v. ideoque merito idem noster §. quorundam morem refellit, qui in ipsa Dominica Passione cantanda *consueverunt plerumque uti variis coloribus importunitate aliquorum, & contra voluntatem Clericorum Cæremoniarum, videlicet, qui Evangelistæ personam sustinet, alba, Judæus rubro, Christus nigro, sed honestius est, ut omnes utantur violaceis*. Sane queritur in suo ms. Diario Burchardus ad annum Christi MCDLXXXVI. quod in Dominica Palmarum Diaconus, & Subdiaconus Capellæ *ex levitate Sacristæ Dalmatica, & Tunicella paramenti Papæ Bonifacii nigri floribus viridibus contexti, & Cantores Passionis Alba, & Stolis rubeis, nigris, & violaceis* usi sint. Addit mox, se id in tempore non potuisse præcavere. Sane ait idem Burchardus ad annum MCDLXXXVIII. tres Cantores Passionem dicturos paratos fuisse *Albis, & Stolis, ac Manipulis violaceis*, sed unum tamen eorum habuisse *rubeam Stolam, ob defectum violaceæ*. Verum sequenti anno, qui fuit MCDLXXXIX. iterum queritur de eo trium colorum abusu, ac Sacristam Auctorem istius abusus perstringit: *Passionem cantarunt tres Cantores*

Digitized by Google

tores parati Albis, Manipulis, & Stolis albis, nigris, & rubeis more suo, & Sacrista qui vinci noluit &c. Sed vicit tandem laudatus Burchardus, quippe qui ad annum MCDXC. ita scribit: *Tres Cantores, qui dixerunt Passionem parati fuerunt Albis, Stolis, & Manipulis violaceis magna diligentia mea, Sacrista se opponente, ac nolente, quam albis, nigris, & rubeis paramentis, prout in Villa sua fieri solet, & alias in Capella nostra, contra tamen meam, & Prædecessorum, ac Sociorum meorum voluntatem fuit observatum, & male.*

VI. Ut Cantores procedere debent ad Passionem cantandam, edicit quidem noster §. ut nempe qui Evangeliſtam aget, portet Librum, & præcedat, sequatur Judæus, idest, ille qui Synagogam repræsentat, & deinde Christus, idest, qui Christi personam gerit. Mandat mox, ut faciant reverentiam Altari, & Papæ, ac deinde ascendant ad osculum pedis illius, unus post alium, prout venerunt, & postea pergant ad locum Evangelii consuetum, ubi Passionem cantare debent sine luminaribus,& incenso. Edicit præterea, ut adducantur etiam illuc tres Capellani Celebrantis, quorum unus stans in medio aliorum duorum, teneat Librum super caput suum, sicut ad Evangelium Subdiaconus tenere consuevit, & mutentur per vices. Sed hoc profecto incommodum est, ut tres ex uno eodemque Libro Passionem cantent, probandusque videtur mos parandi tria pulpita, sive legilia, in quibus Missales Codices collocentur, ut unusquisque Cantor ex suo Libro partem suam cantet. Decet tamen, ut illi tres Capellani, quorum §. noster mentionem facit, post legilia assistant, apponendo manus ad singula, & circa illorum latera, ac facie ad Cantores conversa, atque hæc est insignium Ecclesiarum complurium praxis.

VII. Sed relictis hisce minutiis, ex præscripto ejusdem nostri §. *Dum incipitur Passio, Papa surgit, deposita Mitra, & omnes alii surgunt, & stant usque in finem, Palmas manu tenentes.* Standum esse, & quidem detecto capite ad Evangelii lectionem, & consequenter ad Passionem, quæ est pars Evangelii, abunde solideque ostendimus in Opere nostro, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, Lib. II. Cap XXI. & XXIV. Tenendi quoque in manu Palmas ritus, dum Passio legitur, est quidem antiquus, & a variis Ritualibus, ac Scriptoribus probatus, inter quos Rupertus Abbas Tuitiensis Libro V. *De Divinis Officiis*, Cap. X. hanc ejus ritus rationem assignat: *Quia Pater illum hac die tradidit, & calicem Passionis dedit illi, recte Passio legitur cum eisdem, cum quibus exceptus est, Palmarum ramis.* Juxta antiquum ritum, cujus mentionem facit Romanus Ordo XII. Cap. IX. in fine, *Ministri tenent Palmas usque ad completionem Missæ.* Sed non omittendum hoc loco quod eam in rem scriptum reliquit Romanus Ordo XV. Auctore Amelio Cap. LX. *Notandum*, ait, *quod statim incœpta Passione, Cardinalis Diaconus a sinistris Papæ assistens, recipit spatulam Palmæ de manu Militis, vel Domicelli Papæ, & ponit eam in manu Papæ, ipsam manum osculando, & ipsam tenet Papa, & Cardinales etiam suas, & alii Prælati in manibus suis tenent Palmarum spatulas, & aliarum arborum ramos, quousque Passio fuerit completa. Prædictus Diaconus Cardinalis de manu Papæ spatulam Palmæ recipit, & eam tradit Militi Domicello Papæ prædicto; & etiam Cardinales, & cæteri Prælati suas tradunt servitoribus suis tenendas usque ad finem Missæ.* Eadem legere est in ms. Piersanctiano Codice, atque in Cæremoniali ms. Davantriæ, in quibus tamen ritus Missæ describitur, quam Papa celebrat in Palmarum Dominica. Ceterum cum ipse solemni Missæ quæ per alium celebratur, assistit, ut ait hic noster §. *ad elevationem Sacramenti Papa etiam solet tenere Palmam suam, non alii.* Atque hic ritus recensetur passim in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis recentioris etiam ævi; nam alias ex præscripto Romani Ordinis XIII. Gregorii Papæ X. jussu editi, tam Pontifex, quam alii videntur ad solam Passionem tenuisse Palmas, nisi dicamus, loqui ipsum Ordinem de Missa, quam Papa celebrat. Quicquid sit, verba prædicti Ordinis hæc sunt: *Dum cantatur Passio, Dominus Papa tenet Palmam suam in manibus, & quilibet alius, & est ista ratio, quod illa duo repræsentant Ecclesiæ laudem, & improperium, quorum primum in Palmis, & floribus, alterum in Epistola, & Passione Missæ exprimitur.* Cæterum esse in arbitrio Papæ, si velit, dum dicitur Passio, Palmam manu tenere, vel non, notavit jam olim Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. LVIII. *Nota etiam*, inquit, *quod ante eum ponitur scabellum, dum Passio legitur, in quo ponitur Palma, si sibi non placet in manibus tenere.*

VIII. Rursus ex præscripto nostri §. dum incipitur a Cantoribus Passio, *Celebrans, deposita Mitra, vadit de Faldistorio suo ad cornu Epistolæ altaris, ubi stat discooperto capite, & Palmam etiam manu tenet, super Altare Missale habet, & plane legit Passionem versus aliquantulum ad illam cantantes, & postquam Passionem legerit, dicit pro Evangelio*, Altera autem die, *prout in Ordinario.* Ubi nota, non debere Celebrantem genua flectere, cum ipse in fine Passionis legit, *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit Spiritum*, sed stare & prosequi lectionem usque ad finem prædicti Evangelii; ex præscripto siquidem nostri §. *finita Passione a Cantoribus redit*, idest Celebrans, *ad Faldistorium suum; cum Cantor in Passione dixerit*, Jesus autem iterum clamans &c. *Papa in Solio, Celebrans ante Altare, & omnes alii in locis suis, detectis capitibus, genuflectunt, orantes per spacium unius, Pater noster.* Id ipsum præscriptum legimus in Ordine XV. Romano, Auctore Amelio, Cap. LX. Sed faciendam tamen genuflexionem monet ad illa Passionis verba, *emisit Spiritum.* Sic enim inquit: *Cum autem ipse Diaconus dixerit in Passione illa verba*, emisit spiritum, *statim Papa, & ipse Diaconus, & omnes alii genuflectunt ad Deum versus Altare, & sic manent genuflexi per spatium, quo posset dici*, Pater noster, *semel.* Porro in antiquis Consuetudinibus Cistercienſium signatur ritus osculandi terram. Ex antiquo ms. Missali insignis Ecclesiæ Sarisberiensis cautum fuit, ut ad ipsa verba Diaconus, qui Passionem cantabat, inclinaret se, vel prosterneret se versus Orientem, & diceret privatim,

Digitized by Google

tim, *Pater noster. Ave Maria. In manus tuas.* Ex Ordinario Carthusianorum traditur, quod ad hunc locum dicitur: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti Mundum*; & in faciem prosternitur: *In nostras ruentes facies*. Godefridus Bellovacensis in Vita S. Ludovici IX. Regis Gallorum refert, Sanctum Regem ad imitationem quorundam Monasteriorum, ubi ista cæremonia servabatur, eam quoque in Sacellum suum, & in Ecclesiam Prædicatorum invexisse.

IX. Passione completa, *Papa sedet*, ait noster §. *& accipit Mitram, Cantores vero, factis reverentis Altari, & Papæ, recedunt, Diaconus autem*, Missæ scilicet, *Planetam plicatam habens super humerum sinistrum, accipit Librum Evangeliorum &c.* ut nimirum illam Evangelii partem, quæ incipit, *Altera autem die &c.* in tono Evangelii canat, & servatis solitis ritibus benedictionis petendæ, atque thurificationis, sed absque tamen luminaribus, ut expresse docet hic noster §. tametsi Auctor nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius in sequenti §. affirmet, se legisse *in Libris Cæremonialibus, quod luminaria portantur ad hanc partem*. Et sane expresse id legitur in Romano Ordine XV. Capite LX. ex quo etiam habemus, Diaconum ipsum Missæ, qui solus canit Passionem, canere etiam ipsam Evangelii partem, his plane ritibus: *Postmodum surgit, & dictus Diaconus Passionem prosequitur suo modo, ac pervento ad illam partem*, Altera autem die, *ipse Diaconus Cardinalis in eodem loco vertit se ad Papam, & stans inclinato capite profunde, non tamen genuflexo, basse petit benedictionem ab eo, dicens*, Jube Domne benedicere; *qua benedictione data per Papam, portantur ipsi Diacono Cardinali duo candelabra cum cereis accensis per Acolythos, vel Auditores, sicut consuetum est fieri ad Evangelium, & etiam incensum cum thuribulo prius benedictum per Papam, præsentante Episcopo Cardinali, qui sibi servit in officio Capellani cum Acolytho, prout moris est; qui idem Acolythus præsentat ipsi Diacono thuribulum, & ipse incensat Librum; quo incensato, reddit eidem Acolytho thuribulum, & facit Crucem cum pollice super Evangelium, & sibimet, tam in fronte, quam in labiis, & pectore more solito. Deinde prosequitur residuum Passionis, videlicet in prædicta parte*, Altera autem die &c. *usque ad finem Evangelii; quo residuo completo, idem Diaconus Cardinalis osculatur partem prædictam; postea portatur ille Liber Papæ ad osculandum per Subdiaconum; quo facto, Cardinalis, qui sibi servit in officio Capellani, incensat Papam tribus ictibus, genuflexo super primum gradum, si Papamet celebret; alias stans inclinatus profunde illum incensat*. Hactenus Ordo Romanus XV. in quo vel minutissimæ cæremoniæ explicantur servandæ in cantanda Evangelii parte; sed duo tamen potissimum correctione sunt digna, alterum quod dicit de cereorum accensorum delatione, alterum de osculandi Evangelii ritu per ipsum Diaconum, cum ea deosculatio solum fieri debeat per celebrantem Pontificem, vel etiam præsentem, si alter celebraret juxta ritus recentiores longo usu, & auctoritate Pontificum probatos.

X. Finita Missa, cui scilicet Papa assistit, *Papa*, ut inquit noster §. *dat benedictionem, & Celebrans pronunciat Indulgentias*. Ceterum celebrante Papa, ex præscripto Romani Ordinis XV. Cap. LX. *facta benedictione solita per Papam, Prior Episcoporum Cardinalium, qui servit sibi in Missa in officio Capellani, pronunciat Indulgentiam de mandato, & auctoritate Papæ, videlicet, de septem annis, & septem quadragenis; & dum pronunciatur Indulgentia, Diaconus Cardinalis, qui dixit Passionem, deponit Planetam, & in albis, sicut Diaconus, vadit ad Papam ad devestiendum eum, seu removendo sibi paramenta, & postea Stolam, Pluviale, & Mitram induendo. Deinde ipse Diaconus deponit paramenta, & omnes etiam alii Prælati sua deponunt paramenta, & Cappas laneas resumunt. Papa vero, depositis sacris vestibus, indutus Manto rubeo, & Mitra prædicta sibi reposita, vadit ad Cameram suam, assistentibus ei duobus Diaconibus Cardinalibus antiquioribus, uno a dextris, alio a sinistris*. Eadem fere ad verbum leguntur in ms. Cæremoniali Davantriæ, & ms. Codice Piersanctiano, sed servandum tamen quod docet noster §. ut nempe illi duo Nobiles, qui scilicet tenuerunt duas magnas Palmas Papæ in Missa, præcedere debeant *immediate Pontificem post Diaconos assistentes usque ad Cameras Papagalli, & illas ibi Camerariis secretis consignare*. Varia id genus exempla passim occurrunt in mss. veterum æque ac recentiorum Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, in quibus etiam habetur, teneri consuevisse Palmas ipsas magnas a Nobilioribus laicis, qui Capellæ Potificiæ ea die aderant. Sed de his vide quæ superius diximus.

CAPUT XL.

De Officio Dominicæ Palmarum, Papa celebrante.

Si Papa hac die Palmarum voluerit celebrare, omnia servabuntur, quæ in aliis Missis Papalibus servari solent. Diaconus & Subdiaconus utuntur Planetis ante pectus plicatis, quas non accipiunt, nisi cum Papa habuerit omnia paramenta, & induti usque ad Planetam exclusive induunt Papam. Sed Passionem cantabunt tres Cantores more consueto, si Cardinalis Diaconus eam noluerit cantare; si autem Cardinalis cantare voluerit, ut antiqui factitarunt, servabitur, ut latius dicemus infra in Paraseeve. Cum vero perventum fuerit ad locum, ubi dicitur, *Altera autem die*, Diaconus Cardinalis, deposita Planeta, & plicata ea, ac posita super humerum sinistrum, petit benedictionem, & facit, ut alias, quando

Digitized by Google

do est dicturus Evangelium. Nostris temporibus non portantur luminaria ad hoc Evangelium, sed incensum tantum. Legi tamen in Libris Cæremonialibus, quod luminaria portantur ad hanc partem. Quid convenientius, Majores statuant. Alia servantur, ut alias.

COMMENTARIUS.

I. COnsuevisse olim Summos Pontifices in Dominica Palmarum per semetipsos Missarum Solemnia celebrare, satis ostendimus in Commentariis superioribus, ubi etiam plura adnotavimus, quæ hujus Capitis explicationem spectant. Unum itaque hoc loco adjungimus, quod de ritibus Missæ a Pontifice hac die celebratæ, ante editionem nostri hujus Cæremonialis scripsit Amelius in suo Romano Ordine XV. Cap. LVIII. ubi post factam in fine Capitis præcedentis mentionem Orationis, quæ finita Processione dici solebat, ita deinde scribit: *Deinde vadit ad Cathedram longe ab Altari paratam, & ibidem more solito violacea recipit paramenta, & Diaconus Cardinalis parat Papam, & cum parat eum, ipse Diaconus Cardinalis portat tantum parando Superplicium, Amictum, Sericum album, Cingulum, Stolam; sed Papa, parato ipso Diacono, Planetam accipit violaceam ad modum aliorum Diaconorum Cardinalium. Papa vero parato, & Mitra prædicta reposita, non nobilis, sed simplex alba de garuello, assistentibus ei duobus Diaconibus Cardinalibus antiquioribus, more solito, vadit processionaliter ad Altare, & in medio occurrunt tres juniores Presbyteri, Cardinales, & ipse eos recipit ad osculum oris & pectoris. Mitram pretiosam interdum in Missa dicta, si ipsemet celebret, Papa consuevit portare. Postea vero coram Altari facit Confessionem suam, prout est consuetum, & cum dicit*, Misereatur, *Subdiaconus tradit sibi Manipulum, osculando manum, antequam dicat*, Deus tu conversus &c. *Episcopus Cardinalis, qui servit sibi, præsentat ei incensum, prout est fieri consuetum, & osculatur Altare, & Librum Evangeliorum; postmodum vertit se ad Diaconos Cardinales, & ipsos recipit ad osculum oris, & pectoris, secundum suum ordinem, & ultimus parat sibi Fanum subtus Pallium suum, quod in aliis Missis regulariter consuevit fieri. Deinde vadit ad Sedem suam, ubi stando dicit Introitum cum Cardinalibus, illo solo dempto, qui debet dicere Evangelium, qui remanet super Altare cum Sacrista, & Subdiacono, & omnes legunt Introitum,* & kyrie eleison, *super Altare, & Papa exinde procedit in Missa, prout est alias fieri consuetum.* Ita memoratus Ordo XV. Cap. LVIII. cujus verba attulimus prout illa legimus apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, ubi Ordinem ipsum una cum aliis descripsit.

CAPUT XLI.

De Officio Dominicæ Palmarum, Papa absente.

Si vero Papa non interfit hujus diei Officio, parantur Palmæ in loco convenienti, ut ex Altari commode benedici possint; & Cardinalis celebraturus prævenit ad Ecclesiam, ubi capit paramenta omnia usque ad Dalmaticam inclusive; deinde imponitur ei Pluviale, Mitra, & Annuli Pontificales sine Chirothecis, quibus sic indutus, postquam Cardinales venerint, impetrata incipiendi venia, accedit ad Altare cum Mitra, & facta reverentia Cardinalibus, deponitur ei Mitra, & facit reverentiam Cruci in Altari positæ, & stans in medio, & Libro ibidem ante ipsum posito, benedicit Palmas, assistente sibi a dextris Diacono, & a sinistris Subdiacono. Paratur interim aqua benedicta cum aspersorio, & thuribulum cum navicella incensi, quæ duo ex Capellanis Celebrantis tenent. Finita benedictione, Celebrans imponit incensum in thuribulum; deinde aspergit, tum incensat Palmas, ministrante Diacono. Ponitur post hæc ei Faldistorium ante medium Altaris, ubi sedet, & accipit Mitram, & mappulam super gremium, & Clerici Cameræ, & Vicecamerarius, vel in eorum absentia Cubicularii Papæ, & alius Prælatus ministrent Palmas Celebranti. Interim omnes Cardinales juxta ordinem suum in locis suis, depositis Cappis, capiunt paramenta sua. Similiter omnes Prælati, ac Officiales consueti extra cancellum Capellæ paramenta, seu Superpellicea accipiunt, in quibus ad Capellam revertuntur. Postquam omnes paramenta acceperint, accedunt Cardinales omnes, primi seniores, deinde alii per ordinem bini, & bini, & Cantores incipiunt, *Pueri Hebræorum*. Cum fuerint primi ante Celebrantem, coram eo Mitras deponunt; surgit Celebrans, deposita Mitra, & e manibus primi Cardinalis accipiet Palmam. Deinde Celebrans det eidem primo Cardinali, & successive omnibus aliis Cardinalibus per ordinem Palmas, stans semper sine Mitra. Tum sedens cum

Digitized by Google

Mitra, dat Palmas omnibus Prælatis aliis, dum sufficiunt, deinde det ramos Olivarum; & neque Cardinales, neque Prælati Palmas accipientes manum, aut aliquid Celebrantis osculari debent, sed soum Palmas accipiendo, caput inclinant. Alii vero omnes, videlicet Protonotarii, Officiales, & quicumque alii non parati Palmas accipiendo, coram Celebrante genuflexi manum osculari debent. Veniunt autem eo ordine ad Palmas recipiendas, quo de Candelis, & Cineribus diximus. Finita distributione, Celebrans adhuc sedens cum Mitra ante Altare lavat manus; deinde, deposita Mitra, surgit, amoveturque Faldistorium, & stans in medio Altaris, versus ad Altare dicit cantando: *Dominus vobiscum &c. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus &c.* Deinde imponit incensum in thuribulo, & ordinatur Processio. Crucem defert Subdiaconus Capellæ omnibus paramentis indutus inter duos Ceroferarios, quos præcedit Thuriferarius. Crucem præcedunt Scutiferi Papæ &c. prout supra in Missa Papæ. Post Crucem Prælati omnes parati, deinde Cardinales, & in fine Celebrans solus medius inter Diaconum Capellæ a dextris, & Capellanum suum assistentem sine Pluviali, ambos ejus Pluvialis fimbrias sustinentes, & omnes deferunt in manibus suis Palmas. Cantores vero juxta portam, ubi Papa consuevit Palmas projicere, se firment. Locentur itaque per ordinem Prælati omnes, deinde Cardinales taliter, quod junior sit extra portam, extra quam solent projici Palmæ populo, & hoc ordine vadunt ad locum, ubi Palmæ ad populum projiciuntur, quem ingreditur Celebrans cum suis Ministris, & aliis Cardinalibus, qui intrare voluerint, & Palmas populo projicit. Tum ordine, quo venerant, ad Capellam revertuntur, sive ad Ecclesiam, ubi Missa celebranda est. Subdiaconus vero cum Cruce, & Cantores cum fuerint apud portam Capellæ, sive Ecclesiæ, se firmant ab extra, & duo, vel tres Cantores intrant, & clauditur porta, omnibus aliis extra manentibus. Quibus hinc inde suo ordine stantibus, Cantores, qui sunt intus, incipiunt, *Gloria, laus &c.* Respondent Cantores ab extra, ut in Ordinario. Tum illi ab extra dicunt Antiphonam, *Ingrediente Domino*, & Subdiaconus cum Cruce portam tangit, aperitur, & intrant omnes. Cardinales in Capella deponunt paramenta in locis suis, Prælati vero, & Officiales extra cancellum Capellæ, & capiunt Cappas laneas. Celebrans vero vadit ad Altare, ubi in Faldistorio suo, deposito Pluviali, sedet, capit Chirothecas, Planetam, Mitram, & Annulum Pontificalem. Tum accedit ad Confessionem, & dicit Missam more consueto, & dicitur tantum una Oratio, & non fit Sermo. Cum Tractus dicitur, Cantores tres parant se pro Passione dicenda, & circa finem Tractus intrant Capellam, veniunt ad Celebrantem, cujus manum genuflexi osculantur; deinde cum tribus Capellanis Celebrantis accedunt ad locum consuetum, & dicunt Passionem. Interim vero, dum Passio dicitur, Celebrans stans in cornu Epistolæ Altaris, Palmam in sinistra manu tenens, ex Missali super Altari posito legit Passionem, & Evangelium, ut supra, Papa præsente dictum est. Finita Passione, revertuntur ad loca sua Cantores, Diaconus Capellæ ponit Librum super Altare, & Celebrans accedit ad Faldistorium accepta Mitra, ubi sedens, ministrante Diacono Capellæ, imponit incensum; deinde dicto per Diaconum ante Altare, *Munda &c.* illi coram se genuflexo benedicit, & alia omnia fiunt, ut supra diximus.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam prolixum hoc Caput sit, in quo sacri Ritus recensentur de Officio Palmarum in Pontificia Capella servandi, Papa absente, paucis nihilominus censui hujus Capitis Commentarium absolvere; quia scilicet nihil in ipso Capite continetur, quod a nobis in Commentario superiori, atque in iis, quibus Cæremoniale Episcoporum illustravimus, abunde explicatum non fuerit. Certe notant passim Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, peractum fuisse Dominicæ Palmarum Officium a Cardinalibus in memorata Capella Pontificia, absente Papa, sed jam nec ipsi aliquid referunt, quod nos hoc loco notemus. Adnotari autem illud potest, quod, licet olim utplurimum Summus Pontifex in Dominica Palmarum Missarum Solemnia ipsemet celebraret, Palmarum tamen benedictio fiebat per juniorem Presbyterum Cardinalem, ut docet Amelius in suo Ordine Romano XV. citans Iacobum Gajetanum Auctorem Ordinis Romani XIV. Sed & de his jam etiam superius diximus, inutilisque esset laboris illa repetere; noster enim stylus est, ubi primum in hoc Cæremoniali ritus occurrunt, eos fuse explicare.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLII.

De Matutinis Tenebrarum Quartæ Feriæ majoris hebdomadæ, Papa absente.

I. VEtus fuit non modo Romanæ, sed & aliarum Ecclesiarum mos, ut Matutinum triduo majoris hebdomadæ media nocte celebraretur. Testatur id quidem pervetustus Ordo I. Romanus, Cap. v. quod inscriptum est, *Feria V. Cœnæ Domini*, sic inquiens: *Media nocte surgendum est &c.* Viguisse hunc morem in nostra Calabria, labente Sæculo XII. ac ineunte XIII. addiscere licet ex ms. Ordinario Lucæ Archiepiscopi Consentini, qui surgendum docet ad ipsas Vigilias *transacta media nocte*. His similia habet vulgatus Ordo Romanus apud Hitorpium, ubi ait, *Feria quinta majoris hebdomadæ surgendum ad Vigilias hora noctis octava*; eodemque modo loquuntur creditus Alcuinus in Libro, *De Divinis Officiis*, & vetus Pontificale ms. insignis Ecclesiæ Pictaviensis. Cæterum, ut alia omittam, Rotomagense S. Gaudi Ordinarium sic omnia provideri mandat, *ut ante Crucem suo modo spatiose nocturnum Officium compleri valeat*. Ita sane volebant aurea illa Sæcula, quibus, spretis somni solatiis, nocturnis interesse Vigiliis ipsos etiam laicos non pigebat. Nunc vero, refrigescente caritate, & languente in dies Fidelium devotione, ut scite observat pius æque ac doctus Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XXII. §. I. Num. I. universa pene omnium, præsertim qui Ritus Romanos sectantur, obtinuit consuetudo, ut pridie, clara adhuc die, persolvantur Vigiliæ, quæ quidem aliquot jam abhinc Seculis ad praxim reduci cœpit, cujus testis est Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. LXII. ubi sic inter alia inquit: *In die Mercurii de sero hora competenti Dominus Papa venit ad Officium Matutinarum cum chlamyde de scarletto, cum Capuceo extenso super frontem non replicato, & sine Mitra*. Porro ex præscripto Cæremonialis Episcoporum Lib. II. Cap. II. Num. III. ipsa quarta Feria, & duabus sequentibus, majoris scilicet hebdomadæ, *hora vigesima prima, vel circa*, pergit Episcopus cum Cappa ad Ecclesiam, sequentibus Canonicis ad recitandum Matutinum, quod Tenebrarum vocant.

II. Primis Ecclesiæ Seculis, uti post alios observat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LIV. Feria sexta tantum, & Sabbatum eligebantur ad repræsentandum Ecclesiæ luctum in morte Christi; qui luctus quidem consistebat in Vigiliis duarum noctium, quibus preces, aut Officia publica fiebant, & in continuato quadraginta horarum jejunio. Hoc observatum cernimus duobus primis Seculis, deinde vero addita est Feria quarta, & postea tota hebdomada destinata est, quam S. Joannes Chrysostomus in Sermone de hebdomada sancta majorem appellat, quia magna Mysteria hoc tempore operatus est Christus; homines enim a jugo Dæmonis liberavit, vicit mortem, fortem devicit armatum, peccatum delevit. Cum autem hæc sit major hebdomada, quia inter hobdomadas præcipua, ideo etiam Sabbatum magnum, quo etiam fit, ut plerique Fidelium olim pia exercitia talibus diebus adjunxerint, alii rigidiora jejunia, vigilias alii, ac longas preces, magnas alii eleemosynas distribuerint: *Idcirco multi & jejunium intendunt*, ait Chrysostomus Homilia XXX. in Genesim, *& vigilias, & pernoctationes sacras, & eleemosynas faciunt, ut hebdomadæ huic honorem habeant*. Quapropter Reges maximi jusserant cessare strepitum Forensium causarum, ut nemo aliis quibusvis occupationibus distineretur, sed uni Deo, Divinisque rebus vacaret: *Enim vero & Reges ipsi declarant, quam venerabiles dies illos habeant, mandantes, ut omnibus sint induciæ, & Feriæ, qui civilibus funguntur negotiis, claudendo fores Judiciorum, & auferendo omnes lites, quo magna tranquillitate, ac pace liceat ad spiritualia recte perficienda festinare*.

III. Ceterum Matutinum Tenebrarum appellatur Officium, quod triduo majoris hebdomadæ dicitur, quia, uti superius notatum fuit, noctu recitabatur, nomenque ipsum, quod huic triduo remansit, proprium erat Officii, quod quotidie olim noctu dici solitum erat. Verum his potissimum diebus Ecclesia Tenebras colit, & matutinas in tenebras vertit, ut ait Durandus in suo Rationali Lib. VI. Cap. LXXII. Num. II. & primo quidem, quia in luctu, & mœrore est, propter Domini Passionem, & propter ejus triduanam mortem exequias celebrat triduanas. Secundo Officium ipsum Tenebrarum significat non tam tenebras materiales, quæ fuerunt super faciem terræ, dum pendebat Sol Justitiæ in Cruce, fuit enim tunc eclypsis miraculosa, non naturalis, per tres horas, videlicet ab hora sexta usque ad nonam inclusive, quam spirituales, quæ in illo triduo in cordibus Fidelium extiterunt, ut idem Durandus notat, & ante Durandum, ut alios Scriptores omittam, Joannes Belethus in sua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. C.

§. I.

De Candelabro triangulari, ac de cereis in eo apponendis pro Matutino Tenebrarum hujus diei, & aliorum duorum sequentium.

Feria quarta majoris hebdomadæ, quæ Sancta dicitur, Clerici Capellæ ponunt in tempore in Presbyterio, sive in plano Altaris ad cornu Epistolæ in opposito

Digitized by Google

positio loci, ubi Faldistorium pro Celebrante poni solet, in Capella Sacri Palatii, & alibi pro loci dispositione, (1) Candelabrum in superiori parte triangulare aptum pro quindecim candelis unius libræ pro qualibet, vel circa, super Candelabrum ipsum aptant, & collocant candelas ipsas pro Matutinis Tenebrarum.

COMMENTARIUS.

I. PRæter Candelabrum triangulare, de quo mox inferius differemus, debent esse in Altari sex candelabra cum totidem cereis, & Cruce in medio, uti jam diximus Tomo II. Cæremonialis Episcoporum, in Commentario ad §. IV. Capitis XXII. Libri II. Itemque sex intorticia super cancellum Capellæ, uti mox ex sequenti §. addiscere licet, ubi edicitur, ut cum per Cæremoniarium ad Canticum *Benedictus* extinguuntur cerei Altaris, Capellæ Clerici eodem, quo ille, ordine sex ipsa intorticia extinguant. Circa autem cereorum numerum, ut notavimus loco citato, qui in ipsis Matutinis accendi, atque extingui solent, jam non una fuit omnium temporum, & Ecclesiarum disciplina. Ordo I. Romanus, Capite V. mandat, ut tunc *Ecclesia omni lumine decoretur*. Ex vulgato Alcuino, *accenduntur in hac nocte lumina viginti quatuor, & extinguuntur per singulas Lectiones, & Responsoria*. Totidem præscribit Joannes Abrincensis, totidem Ordinarium Rotomagense, & Silvanectense. Viginti quatuor cereis omnes Ecclesiæ lampades adjungit in suo ms. Ordinario noster Lucas Archiepiscopus Consentinus. Vetus Pontificale insignis Ecclesiæ Pictavensis lampades triginta ad nocturnum Officium accendendas statuit per singulas Antiphonas, Lectiones, Responsoria, & Versus extinguendas; septem vero ad Laudes. Triginta quatuor habet Carnotense S. Joannis Ordinarium. Laudunense Ordinarium jubet, ut *ad Matutinum ponantur ante Altare quindecim cerei, & præter hos in dextera parte Presbyterii decem & octo, & in sinistra alii decem & octo*.

II. Hæc sane de candelarum numero tradit eruditus Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIX. Num. II. Sed scitu dignum est, & curiosum, quod de eadem re tradit Durandus in suo Rationali Lib. VI. Capite LXXII. Num. XV. Scribit enim, quod *quidam accendunt septuaginta duas candelas, quidam vigintiquatuor, quidam quindecim, quidam duodecim, quidam novem, quidam septem.* Addit mox etiam, secundum quosdam non esse numerum certum, quemlibet laicum pro arbitrio suo candelam apponere, sed omnes tamen non sine Mysterio agere, quod fuse mox ipse exponit. Notat & illud Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Capite LV. quod super Altare non ponebantur candelabra, quodque adhuc servatur in nonnullis Ecclesiis, quas non recenset, cereosque illos, sive lampades ait fuisse luminaria suspensa, vel super elevatas trabes *hyrpices* appellatas, quæ per totum Chorum extendebantur, vel super magna candelabra prope Altare defixa, quæ habebant plures ramos, in quibus cerei, vel lampades hujus Nocturni Officii tempore accendebantur.

III. Itaque antiqui ritus vestigium est Candelabrum tringulare, quod hodie ex ritu non ita recenti a latere Epistolæ ante Altare ponitur cum quindecim cereis, qui accensi initio Matutini, extinguuntur postea singulatim, quilibet scilicet, finito quolibet Psalmo Matutini, ac Laudum, sicut & cerei Altaris, qui extinguuntur ad Canticum, *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* juxta ritum, quem infra suo loco enarrabimus. Teste memorato Durando, citato loco, Num. XXIII. quidam suo ævo, ut hodieque fit, extinguebant candelas post singula Cantica usque ad plenam extinctionem, alii tribus vicibus, & in quibusdam Ecclesiis candelæ ipse *quadam manu cerea* extinguebantur, qua significari inquit *manum Judæ, quæ fuit quasi cerea, idest, ad malum flexibilis, per quam Christus Rex noster, & vera lucerna, traditus fuit, & quantum in illo fuit, extinctus*. Sunt hæ piæ reflexiones, quæ & apud pios alios Scriptores occurrunt. Sane parandum est instrumentum aptum ad extinguendum, arundo scilicet, seu virga cum spongia humefacta, vel alio modo pro extinguendis cereis quindecim, ut dum extinguuntur, non moveantur de candelabro, ut ait Grassus Apostolicus Cæremoniarius in suo Opere, quod inscripsit, *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Lib. II. Cap. XLV. ubi idem etiam dicit de cereis, qui in sex candelabris Altaris extant. Sed & de his vide, quæ scripsimus in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum.

§. II.

De adventu Pontificis, & Cardinalium ad Capellam pro Matutinis Tenebrarum, & eorum vestibus.

Hora deinde convenienti Papa indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & Manto cum Capucio inverso supra caput, vel Cappa rubra de scarlato sine Mitra, & non præcedente Cruce, vadit ad Capellam, & post eum Cardinales, & Prælati. Alii Diaconi Cardinales, qui alias assistere solent, vadunt post Presbyteros Cardinales in loco suo, quia Papæ non fit assistentia. Fimbrias portat

(1) *In prima editione Veneta, & in Colonienſi legitur, ponetur, quod plane ſupervacaneum eſt.*

Digitized by Google

tat dignior ex assistentibus Episcopis post Papam. Quando Papa habet Mantum, assistentes Episcopi non debent habere Cappas, sed Mantum, quod Mantellum assistentis, sive Croceam vocant, cum Capucio inverso in modum Cubiculariorum.

COMMENTARIUS.

I. QUod *die Mercurii de sero hora competenti Dominus Papa venit ad Officium Matutinarum cum Chlamyde de scarletto cum Capuceo extenso super fronte non replicato, & sine Mitra*, tradit Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. LXII. sciendumque addit, *quod his tribus diebus*, Feria nempe IV. V. & VI. majoris hebdomadæ, *& etiam quandocumque Papa venit ad Capellam cum Chlamyde, & Capuceo, non portatur Crux coram eo*. Rursus mox etiam hæc subjicit: *Item de sero ad Officium Matutinarum Dominus Papa venit ad Capellam cum Cappa clausa de scarletto rubeo, foderata de hermelinis, clausa medio pectoris sursum, & aperta deorsum; cucullum semper tenet super caput, & sine Mitra in Cathedra nuda sedet, nec Diaconi Cardinales sedent ante pedes ejus in his tribus Matutinis, neque in fine dat benedictionem in ipsis Matutinis*, Mirum est; ac notatu omnino dignum, quod idem Ordo XV. citato loco, & ante ipsum Ordinem edixit Romanus Ordo XIV. Cap. LXXII. *Notandum etiam quod Romani Pontifices his tribus diebus non consueverunt dicere Officium cum Episcopis, & commensalibus suis, cum dicuntur Matutinæ, sed devote audire Officium, & postea in Camera sua cum Cubiculariis suis dicere*. De Cardinalibus quoque ajunt, consuevisse ipsos quidem *venire de sero ad audiendum Officium in Capella Papæ istis tribus diebus, non tamen mandatos, sed libere, & sponte devotionis causa*.

II. Sed invaluit mos, ut ubi legitime impediti non fuerint, non modo Cardinales, sed & ipsi Romani Pontifices Matutinis ipsis intersint, & Officium celebrent; idque testantur mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, ubi recensent ritus in ipsis Matutinis servatos, tum præsente Pontifice, tum absente. Teste Burchardo ad annum MCDLXXXVI. *Feria quarta majoris hebdomadæ, quæ fuit 22. mensis Martii, hora 21. vel circa fuerunt cantatæ Matutinæ Tenebrarum in Cappella majore in Palatio Apostolico Romæ apud Sanctum Petrum, quibus interfuit Sanctissimus Dominus Noster, qui venit de Camera sua, in qua indutus fuit per Diaconos Cardinales Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & desuper Cappa rosacea, sub qua retinuit birretum rubeum, quia non portavit Mitram, sed cum Cappa, ut Cardinalis sine Mitra venit ad Capellam sine Cruce, & sequentibus ipsum Cardinalibus, dignioribus primo, deinde aliis. Fimbrias omnes simul collectas portavit post Dominum Nostrum R.P.D. Eustachius Archiepiscopus Arelatensis dignior ex assistentibus tunc præsentibus*. Similia his habet idem Burchardus ad annum MCDLXXXVII. ubi ita scribit: *Feria quarta majoris hebdomadæ* XI. *Aprilis circa horam inter* 20. *&* 21. *incœptæ fuerunt Matutinæ Tenebrarum in Cappella majore. Sanctissimus Dominus noster paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & Cappa de scarlatto, sine Mitra, & sine Cruce, sequentibus ipsum Cardinalibus, primo Episcopis, deinde Presbyteris, demum Diaconis omnibus, quia nullus sibi assistebat, post eos Prælatis assistentibus, & aliis, venit ad Capellam &c.* Eadem fere scribit ad annum MCDLXXXVIII. ubi etiam tradit consentanee ad nostrum §. assistentes Episcopos habuisse *Mantellos, & Caputia in modum Cubiculariorum, & non Cappas*; quia scilicet, ut habet idem §. noster, *quando Papa habet Mantum*, quod idem est, ac Cappa, *assistentes Episcopi non debent habere Cappas*.

III. Sed quo magis ritus ipse explicetur adventus Papæ ad Capellam ad celebrandum Tenebrarum Officium, operæ pretium duco describere hoc loco quæ in suo ms. Diario adnotavit accuratissimus Franciscus Mucantius, ac primum ea, quæ habet ad annum MDLXXIV. sic inquiens: *Feria quarta majoris hebdomadæ hora* 21. *Sanctissimus Dominus Noster*, idest Gregorius XIII. *Cappa lanea indutus, cucullo ejus super caput reducto, sine Cruce præcedente, subsequentibus se Cardinalibus, & præfatis Episcopis, venit ad Capellam. Ejus fimbrias Cappæ simul reductas portarunt a posteriori parte duo primi Prælati assistentes, oras autem vestimenti anteriores duo Cubicularii secreti assistentes: Pontificem præcesserunt Officiales Capellæ, bocest, Acolythi, & Auditores; nam Subdiaconi, & Clerici Cameræ non aderant*. Mox non obscure innuit, debuisse ipsos Officiales subsequi potius Pontificem post Cardinales, & alios Prælatos ipsis digniores, quam illum præcedere. Eodem teste Mucantio, ubi agit de eadem Feria quarta anni MDLXXV. Protonotarii eundo, & redeundo sustinuerunt quidem fimbrias anteriores vestis Papæ, quamvis de hoc disputaretur, videlicet non spectare hoc ministerium ad ipsos, nisi cum Pontifex solemniter cum Pluviali, & Mitra incedit, ut clare docetur in hoc nostro Cæremoniali, Libro III. Titulo II. Cap. XX. & ita etiam sentiebant Cardinales deputati ad reformationem Cæremoniarum. Spectare id monet mox idem Mucantius ad Cubicularios secretos Papæ assistentes, sed quia ipsi Cubicularii non curarunt, idcirco prædicto anno toleratum fuisse, ut Protonotarii munus illud obirent, quod tamen in sequentibus fuit emendatum, ut laudatus Mucantius testatur, qui etiam ad annum MDLXXVI. hæc habet: *Feria quarta fuerunt Matutinæ tenebrosæ in Capella, ad quas Papa venit cum Cappa lanea rosacea, cucullo supra caput reducto. Cubicularii portarunt fimbrias anteriores, posteriores vero duo primi Prælati assistentes, sine Cruce præcedente, & Cardinalibus subsequentibus*.

IV. Neque vero omittendum, quod in citatis locis iterum, atque iterum Apostolicus ipse Cæremoniarius scripsit; Pontificem scilicet *eundo, & redeundo*, hac die haud dedisse benedictio-

Digitized by Google

dictionem, quamvis ipse Pontificem monuerit, *potuisse dari*, benedictionem scilicet, *hac die tantum, non autem sic duabus Matutinis sequentibus*. Scribit hæc Mucantius ad annum MDLXXV. ad annum vero MDLXXVI. & MDLXXVII. ita habet: *Per viam nulli benedixit manu, quod tamen non reperio prohibitum, nisi in Paraſceve*.

§. III.

De antiquo hujus Officii ordine, ac ritibus in eo celebrando ſervatis.

Cum Papa pervenerit ad Capellam, facit Orationem modo ſolito, deinde vadit ad Sedem ſuam. Cardinales non aſſiſtunt, neque fit ei reverentia a Cardinalibus. Cum quieverit aliquantulum, ſurgit, & detecto capite verſus ad Altare dicit ſecrete, *Pater noſter*, quo completo, caput ſibi ipſi cooperit, & Cantores, incipiunt pro Matutinis, *Zelus domus tuæ &c.* Cum incipitur Pſalmus, Papa ſedet, & omnes alii. Aſſiſtentes Epiſcopi aptant Mantum Papæ, ſive Cappam. Ad finem cujuslibet Pſalmi, tam in Matutinis, quam in Laudibus, Cæremoniarius, facta reverentia Papæ, accedit ad Candelabrum quindecim candelarum, & extinguit unam ex candelis. Finito primo Nocturno, Papa ſurgit, & detecto capite, ſtans verſus ad Altare dicit, *Pater noſter*, ſecrete, & illud proſequitur; quo finito ſine ulla pronunciatione, abſolutione, ſive benedictione ſedet. Similiter & alii omnes Cantores in loco eorum ſtantes, ex Libro ſuper eorum pulpito poſito verſi ad Altare abſolute incipiunt Lectiones ex Libro Threnorum, ſive Lamentationum Hieremiæ Prophetæ, ut in Breviario, & in principio, & in fine faciunt reverentiam Altari, & Papæ. Idem fit in ſecundo, & tertio Nocturno. Cum incipitur, *Benedictus*, Papa ſurgit ſtans detecto capite verſus ad Altare, & remanet una candela ſuper Candelabrum. Interim extinguuntur per Cæremoniarium ſex candelæ ſupra Altare paulatim, qui ita diſpenſat tempus, ut in ultimo Verſu extinguat ultimam candelam. Clerici Capellæ extinguunt etiam eodem ordine ſex intorticia poſita ſuper cancellum Capellæ, dum replicatur Antiphona ad, *Benedictus*. Papa circa finem deſcendit ad Faldiſtorium, & Cæremoniarius accedit ad Candelabrum, & unicam candelam inde accipiens, eam ardentem ad cornu Epiſtolæ Altaris portat, & eam ibi ſub Altari abſcondit. Cum incipitur, *Chriſtus factus*, Papa genuflectit in Faldiſtorio, & ſuper illud procumbit. Quo finito, Cantores dicunt, *Miſerere*, alte legendo ſine nota uſque ad finem; & Papa adhuc genuflexus dicit Orationem, *Reſpice &c.* voce intelligibili, uſque, *Qui tecum*, excluſive, quod ſecrete complet; & finita Oratione, Cæremoniarius incipit pulſare manibus ſuper gradum Altaris, vel aliquod ſcabellum, & omnes faciunt fragorem, & ſtrepitum aliquantulum; & mox Cæremoniarius profert candelam accenſam, & omnes ſilent; ſurgunt, & diſcedunt. Candelæ quindecim ſpectant ad Clericos Cæremoniarum. Supraſcripta omnia ſervantur in quinta & ſexta Feria ſequentibus in Matutinis, in quibus non portatur Crux ante Papam, neque ipſe venit cum Mitra.

COMMENTARIUS.

I. ADdubitari profecto nequit, quin Tenebrarum Officium, de quo agimus, pluſquam mille ducentis ab hinc annis dici conſueverit, ſicut hodie. Deſcriptus habetur ordo hujus Officii in antiquo Romanæ Eccleſiæ Antiphonario, & in Gregoriano, a Viro doctiſſimo, religioſiſsimoque Joſepho Cardinale Thomaſio Ordinis Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, vulgato, qualem hactenus celebramus, vix ut ulla reperiatur in eo diſcrepantia ab aliquibus Eccleſiis Ritibus Romanis addictis aliquando obſervata ab annis amplius mille ducentis, ut ſcite notant Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXII. Num. III. & Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LV. Totus conſtat ex Antiphonis, Pſalmis, Verſibus, Lectionibus, & Reſponſoriis, quibus additur una Collecta. Sed de his infra.

II. Juxta præſcriptum noſtri hujus §. Papa cum pervenerit ad Capellam, facta oratione, pergit ad Sedem ſuam, ubi cum quieverit aliquantulum, ſurgit, & detecto capite verſus ad Altare dicit ſecrete, *Pater noſter*. Oratio Dominica ſemper Officio inſerta fuit, eſt enim ea nobis a Chriſto tradita, atque ab illo, ut eam recitemus, præcepta, ideoque in publicis precibus eam omitti fas non erat. Concilium Toletanum IV. anno DCXXXIII. habitum Can. XII. eos coarguit, qui Dominicis diebus eam Orationem non recitant, adducitque teſtimonia S. Cypriani, S. Hilarii, & S. Auguſtini, quibus comprobare vult, eam quotidie recitandam eſſe; moſque ille adeo neceſſarius reputabatur, ut Concilium ipſum Clericos exauctoraturum minitetur, qui in Officio, ſeu publice, ſeu ſingillatim quotidie eam recitare neglexerint. Ex quo loco conficitur, jam ſuum Clericos Officium ſingil-

Digitized by Google

gillatim eo ævo recitasse. Sed hoc obiter dicto, observat laudatus Grancolas Lib. I. Cap. XXV. de Orationis Dominicæ Officio Divino inserendæ necessitate dici posse, quod S. Gregorius, Lib. VII. Epistola LXIV. de Missa agens scribebat, parum nempe decere, ut in Sacrificio preces a Viris doctis compositæ recitentur, illa vero Oratio, quam Christus ipse composuit, omittatur. Joannes Diaconus in Officii descriptione, quod in Ecclesia Lateranensi Romæ peragebatur, advertit, juxta Apostolorum institutionem omnibus retro seculis in ea Ecclesia servatam, Orationis, vel Collectæ loco ad Officii finem Orationem Dominicam recitatam fuisse: *Reservans Apostolicam institutionem nonnisi Dominica in Officiis utitur Oratione.* Sane quod post Matutinum, & Vesperas debeat Episcopus quotidie Orationem Dominicam recitare, jussit jam olim Concilium Gerundense celebratum anno DXVII. Can. X. idque ex antiquissimo suæ Regulæ instituto Benedictini hodieque servant.

III. Notat hæc laudatus Grancolas loco citato, ubi etiam observat, nullum antiquitatis monumentum extare, quod, *Pater noster*, ante Officium recitandum significet; primumque Monachos id usurpasse, sed tamen post Seculum Christi XII. Quicquid sit, Seculo certe XV. mos ille servatus videtur, ut Romæ saltem sola Dominica Oratio Officio præmitteretur, ipsius enim solius Orationis mentionem facit noster §. itemque mss. Cæremoniariorum Apostolicorum ejus ævi Diaria, præsertim vero Burchardi, qui ad annum MCDLXXXVI. ubi agit de Feria quarta majoris hebdomadæ, inter alia, ait, Pontifici in sua Sede aliquantulum quiescenti feciisse signum genuflexum coram eo, *qui surrexit, & semidetecto sibi ipsi capite versus ad Altare dixit secrete*, Pater noster, *quo per ipsum secrete completo, tegit sibi ipsi caput, & sedit; debebat tamen stare quousque Cantores, completa Antiphona, inciperent Psalmum*. Et revera ita præscribit noster §. *Cum quieverit aliquantulum, surgit, & detecto capite, versus ad Altare dicit secrete*, Pater noster, *quo completo, caput sibi ipsi cooperit, & Cantores incipiunt pro Matutinis*, Zelus domus tuæ &c. *Cum incipitur Psalmus, Papa sedet, & omnes alii.* Cæterum non mirum videri debet, si noster §. & antiqua ms. Diaria solam Orationem Dominicam præmittendam dicant, cum S. Pius V. *Pater noster*, secrete, atque etiam, *Ave Maria*, &, *Credo*, ante Officium in Romano Breviario recitari primus jusserit, uti post alios notavit Grancolas in suo ad ipsum Breviarium Romanum Commentario, Lib. I. Cap. XXV.

IV. Incipit Officium ab Antiphona, *Zelus domus tuæ &c.* Psalmique sunt de Feria, quæ quinta est. Variant parumper Feria sexta, & Sabbato juxta antiquum in Regula S. Benedicti signatum usum mutandi Psalmos in magnis Solemnitatibus, & ex iis eligendi, si fieri potest, qui Solemnitati Nocturni Officii conveniant. In nostris Breviariis nihil jam est antiquius hujus tridui Officio, quod minus cæteris variatum est. Non dicitur Invitatorium, non, *Gloria Patri*, in fine Psalmorum, quod dicebatur tantum in Officiis lætitiæ, non petitur benedictio ad Lectiones, multique alii ritus omittuntur adhiberi jam in ceteris Officiis soliti. Audiendus Ordo Romanus I. Cap. V. cujus hæc sunt ad rem verba: *More solito*, Deus in adjutorium, *non dicant, nec*, Gloriam, *nec Invitatorium, sed Cantor incipit in Psalmis Antiphonam, sicut in Antiphonario continetur, nec Presbyter complet in fine orationem, sed tacite surgendum est, & Lector benedictionem non petat, & quando finit, non dicat*, Tu autem; *sed ex verbis Lectionis jubetur facere finem, Lectiones vero legantur tres de lamentatione Hieremiæ Prophetæ, ubi dicit*, Quomodo sedet sola Civitas, *usque*, Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion. *Tres de Tractatu S. Augustini in Psalmo*, Exaudi Domine Orationem meam, *primo. Tres de Apostolo, ubi ait ad Cor. Cap. LVII.* Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis. *VIIII. Psalmos. VIIII. Lectiones, VIIII. Responsoria. Cum autem omnia complenda sunt, sequitur Matutinum. Matutino completo, non dicatur*, kyrie eleison, *nec*, Et ne nos inducas in tentationem.

V. Hactenus Romanus Ordo I. omnium antiquissimus, cui & ritus hodiernus concinit, quem egregie explicat Durandus in suo Rationali Divinorum Officiorom Lib. VI. Cap. LXXII. ubi ait, principium hujus Officii, nempe, *Deus in adjutorium meum intende*, & finem, scilicet, *Per Dominum*, &, *Benedicamus*, & hujusmodi, dimitti, *quia recessit, & a nobis ablatus est Sacerdos, & Pastor bonus, qui est* A, & Ω, *idest principium, & finis, qui etiam est Summus Sacerdos, & Caput nostrum, & traditus impiis, nec est, a quo petamus, qui intendat in adjutorium nostrum; percusso namque Pastore nostro, Discipuli ejus dispersi sunt.* Tum vero mox: *Sic ergo istud Officium, quod caret principio, & fine, quasi mortuum, & viduatum videtur, quia & Patres nostri viduati post mortem Christi fuerunt. Non dicitur etiam*, Gloria Patri, *quia in Christi Passione abscondita fuit fortitudo gloriæ ipsius Christi, & in ejus morte Trinitas visa est extincta, in cujus laude dicitur ille Versus.* Et paulo post: *Non dicitur Invitatorium, ne invitemur, sed potius per silentium detestemur pestiferum Judæorum consilium, & conventum factum, ut Jesum caperent in sermone, ut eum morti traderent. Præterea tunc Apostoli dispersi erant, qui alios ad Dominum invitare, & convocare consueverant.* Hymnum etiam laudis non dici notat, *quia tunc factus est*, scilicet Christus Dominus, *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Sunt hæ quidem piæ meditationes, sed ritum tamen antiquum ipsius Officii mirifice explicant.

VI. Juxta antiquum profecto ritum, *ad finem cujuslibet Psalmi*, ut ait hic noster §. *tam in Matutinis, quam in Laudibus, Cæremoniarius, facta reverentia Papæ, accedit ad Candelabrum quindecim candelarum, & extinguit unam ex candelis.* Varia post cæteros Auctores excogitavit in ea candelarum extinctione idem Durandus, postquam scilicet notavit, candelas non simul, sed unam post aliam extingui. Sed ut de antiquo ritu Romæ aliquando servato loquamur, in Appendice Romani Ordinis I. omnium antiquissimi, Cap. I. Num. II. is circa luminum extinctionem ritus exprimitur: *Lumen autem Ecclesiæ ab initio cantus Nocturnæ inchoa-*

Digitized by Google

choatur extingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius Ecclesiæ incipiat paulatim tutari, ut, verbi gratia, peracto primo Nocturno, videatur eorum pars tertia esse extincta; medio Nocturno iterum tertia; tertio vero, exceptis septem lampadibus, nihil lumen reliquunt. Quæ in Matutinis extinguuntur hoc ordine. Initio primi Psalmi sit Custos semper paratus in loco dexteræ partis Ecclesiæ prope lampadibus, ut ubi audierit Antiphonam, tenens cannam in manu sua tutet lampadem unam; in fine vero Psalmi ipsius tutet aliam partis sinistræ. In secundo Psalmo cum Antiphonas audierit, tutet dextera parte aliam. Sic una ex parte una, alia ex alia tutantur usque ad Evangelium; in Evangelio vero tutatur mediana lampada. Ex ipso Romano I. Ordine præscriptum illud jam fuerat Num. I. ut sit *tunc Ecclesia omni lumine decorata*, ideoque multæ extinguebantur candelæ; id enim, significat hodieque in nostra Calabria verbum illud *tutare*, vel *ture*, ideſt, *extinguere*. Quod ait in Evangelio tutari medianam lampadam, pro Evangelio intelligit Canticum, *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* ex Evangelio Lucæ desumptum, eumque in modum idem ipse Ordo Romanus Canticum *Magnificat* ex Evangelio pariter desumptum designat.

VII. Finito primo Nocturno, ex præscripto ejusdem nostri §. *Papa surgit, & detecto capite, stans versus ad Altare, dicit*, Pater noster, *secrete, & illud prosequitur &c.* Sane juxta Breviarii Romani Rubricas, finita Antiphona tertii Psalmi in quolibet Nocturno, dicuntur a duobus Cantoribus Versiculi, &, uti habet Cæremoniale Episcoporum Lib. II. Capite XXII. §. VIII. *post Versiculos Episcopus surgit, surgentibus omnibus, caput detegit, & finito Responsorio, dicit secrete totum*, Pater noster, *ut prius, quo finito, tecto capite sedet, sedentibus omnibus &c.* sive, ut inquit noster §. qui eundem ritum describit, *sine ulla pronunciatione, absolutione, sive benedictione sedet*; quia scilicet ad Lectiones cantandas nulla petitur, daturque benedictio, uti alibi diximus. Cæterum quod Orationem Dominicam spectat, de qua loquitur hic noster §. quamvis illa tota in silentio dicenda sit ad finem cujusque Nocturni, ut omnes ferme Cæremoniales Libri, atque Auctores docent, Breviarium nihilominus Ecclesiæ Bituricensis non modo Orationem ipsam Dominicam, sed & Angelicam Salutationem subjicit. Ex veteri Breviario Tolosano, *dicto* Pater noster, *Hebdomadarius facit sonitum cum manu, Lector incipit Lectiones*. Turonenses S. Martini, ut testatur Edmundus Martene, pro signo Lectionis incipiendæ, malleolo ter Chori formas percutiebant. Meminit & ejus ritus Durandus loco citato, ubi ait, ante Lectionem fieri sonitum *per tactum ligni, quia Christus in ligno Crucis pendens voce magna clamavit.* Quicquid sit de hac pia reflexione, illud plane constat ex recitatis locis, fieri olim ante Lectionem consuevisse sonitum per tactum ligni, sive per malleolum Chori formas percutiens.

VIII. Quod Lectiones spectat, *Cantores*, inquit noster §. *in loco eorum stantes, ex Libro super eorum pulpito posito versi ad Altare, absolute incipiunt Lectiones ex Libro Threnorum, sive Lamentationum Hieremiæ Prophetæ*. Atque hic est antiquus ritus, cujus supra meminit Romanus Ordo I. Lectiones siquidem de lamentatione Jeremiæ Prophetæ tres in primo Nocturno pronunciare solemus, tres in secundo de expositione S. Augustini Episcopi super Psalmos & tres in tertio de Epistola I. S. Pauli Apostoli ad Corinthios. Variat tantisper a memorato I. Romano Ordine Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XXXIX. ubi ad primum Nocturnum tres quidem de Jeremia, ad secundum vero, tertiumque de Expositione Evangelii Lectiones assignat. Teste Durando Lib. VI. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. LXXII. in quibusdam Ecclesiis sex primæ de Threnis Jeremiæ legebantur, eratque is usus Ecclesiæ Cabilonensis, in qua etiam tres ultimæ de expositione Evangelii, *Ante diem Festum*, sine titulo decantabantur. Ex Gastinensi autem Ordinario erant sex posteriores *de Psalmis, & Sermone*; & ex Ordinario Laudunensi ultimæ tres de expositione Evangelii; id quod etiam præscribit Joannes Abrincensis Episcopus. Sane communis est hodie ritus, quem olim præscripsit Ordo I. Romanus, superius a nobis descriptus, tametsi in ipsis decantandis varius etiam servatus fuerit antiquitus ritus. Quamvis enim tres primæ Lectiones ipsæ multo abhinc tempore soleant legi cum cantu, & Alphabeto Hebræorum, in Statutis tamen suis tum Lanfrancus, tum Udalricus eas *sine cantu, & solitis Alphabetis*, legi jubent. Extant Statuta, sive Declarationes Casinensium Monachorum in Regulam XIX. Num. III. edita anno MDCXLII. in quibus edicitur, *ut in hebdomada Sancta nullo pacto varietur, aut mutetur cantus tam in Lectionibus, &*, Benedictus, *& Passione Domini, quam in aliis omnibus; sed secundum ritum, & morem antiquum Congregationis fiat, ut simplicitas, & uniformitas servetur in omnibus, ne scandelizentur laici hujusmodi varietatibus.*

IX. At vero testes nos sumus, hoc Statutum saltem Neapoli minime observari ab ipsis Monachis Casinensibus, utpote qui in sua ipsorum Ecclesia S. Severini studiosa vocis harmonia Lectiones ipsas cantare solent, confluente ad easdem audiendas magna populi multitudine, qui tamen minime scandalizatur, sed potius ad eum cantum compungitur. Illum quidem abusum eliminandum censerem, qui in aliquibus Regularium Ecclesiis grassatur, in quibus scilicet vel ipsa Domini Passio cantu, ut ajunt, figurato, & cum instrumentis musicis decantatur, contra præscriptum Cæremonialis Episcoporum mandantis Lib. II. Cap. XX. §. IV. *ut Cantores a Dominica quinta Quadragesimæ usque ad Pascha, excepta Feria quinta in Cœna Domini, non utantur cantu figurato, sed Gregoriano.* Sed hæc lex, ut multis notum est, jam alicubi negligitur, licet præter Cæremonialis præscriptum variæ extent Synodi vetantes, in Passione Domini præsertim, ac in Officio Tenebrarum cantum, & instrumenta musica adhiberi. Cæterum consuevisse vel olim tres primas Lectiones dici *lamentabiliter*, seu, *voce lacrymabili*, tradunt Durandus citato loco, & ms. Argentinum Ordinarium apud Edmundum Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XXII. Num. VI.

X. Ex

Digitized by Google

X. Ex antiquiſſimo præterea ritu, ut videre eſt in Ordine I. Romano in fine Lectionum non dicitur, *Tu autem Domine &c.* ſicut nec in principio, *Jube Domne benedicere*, quia, ut notat Duradus, *receſſit Paſtor, & Sacerdos, qui gregi benedicere, & miſereri debet, ſed quia illum propter peccata amiſimus, ad hoc, ut eum recuperare valeamus, admonemur per Verſum illum*, Jeruſalem, Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum, *qui in fine Lectionum dicitur, ut ad pœnitentiam convertamur &c.* Sed ea verba deſiderantur in antiquis Romanis Ordinibus, ex quorum præſcripto Lector ipſarum *ex verbis Lectionis jubetur facere finem*, elevata ſcilicet paululum voce. Eadem verba pronunciare etiam vetat Ordinarium Uticenſe, ſed Laudunenſe tres primas Lectiones cum clauſula, *Jeruſalem, Jeruſalem &c.* terminandas eſſe conſtituit, ſex vero ſequentes his verbis, *Tu autem Domine ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum reſpice*. Juxta communem ritum terminantur ſolæ primæ tres Lectiones per ipſum Verſiculum, *Jeruſalem, Jeruſalem &c.* eſtque fructus a Lectione percipiendus, nempe adſtantium converſio, & ad pœnitentiam exhortatio. Repetitur *Jeruſalem* ad exemplum Chriſti Domini, qui in Evangelio Matthæi dixit, *Jeruſalem, Jeruſalem quoties volui &c.* Lectiones Jeremiæ repræſentant animam pro peccato captivam non ſecus ac afflictum populum Babylonica captivitate longa detentum, ut Sacri Interpretes docent.

XI. Nocturnis Vigiliis, Lectionibuſque ſubjiciuntur Matutinæ Laudes eodem plane ritu perſolvendæ. At vero olim ſubſequebantur ipſas Lectiones Reſponſoria, uti nos docet vetus Reſponſoriale, & Antiphonarium Eccleſiæ Romanæ a religioſiſsimo Cardinale Thomaſio editum, ex cujus etiam præſcripto Cantores hoc triduo non deambulabant per Chorum, neque ad Pſalmos, neque ad Reſponſoria, niſi forte ad poſtremum Reſponſorium, quod erat de Euchariſtia, & hujus tenoris: *Hoc Corpus, quod tradetur, hic Calix novi Teſtamenti eſt in meo Sanguine, dicit Dominus. Hoc facite quotieſcumque ſumitis in meam commemorationem. ℣. Cumque manducaveritis panem hunc, & Calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Hoc facite &c.* Repetitur deinde: *Hoc Corpus*. Jam non amplius extat hoc Reſponſorium in noſtris Breviariis, ſed nonum Reſponſorium hac die incipit, *Seniores Populi conſilium fecerunt &c.* Porro ad Laudes noſtræ Antiphonæ, *Juſtificeris &c.* Antiphona ad *Benedictus*, eſt, *Traditor autem*, quæ quidem ex Lingonenſi Ordinario, *terribili*, & *alta voce* decantari debebat. Ex præſcripto noſtri §. *cum incipitur*, Benedictus, *Papa ſurgit ſtans detecto capite verſus ad Altare, & remanet una candela ſuper Candelabrum.* Additque mox, interim extingui per Cæremoniarium ſex candelas ſupra Altare paulatim, qui ita tamen diſpenſet tempus, ut in ultimo verſu extinguat ultimam candelam; eodemque ordine Clericos Capellæ extinguere etiam ſex intorticia poſita ſuper cancellum Capellæ. Habet hæc quidem noſter §. quæ luculentius explicari poſſunt allatis in eam rem verbis Cæremonialis Epiſcoporum Lib. II. Cap. XXII. §. XI. *Cum dicitur verſiculus*, Ut ſine timore &c. *Cæremoniarius, ſeu aliquis Capellanus cum inſtrumento apto extinguit ſingulatim ad quemlibet Verſiculum ſingulos cereos Altaris, alternatim incipiendo a cornu Evangelii, & pariter omnia alia luminaria, ſiqua ſunt per Eccleſiam, extinguuntur*, ita ut *in fine* Benedictus *reperiantur omnia extincta.* Quæ notavimus nos in prædictum §. Cæremonialis Epiſcoporum, ſatis & eſſe jam poſſunt ad explicationem noſtri hujus præſentis §.

XII. Ex præſcripto præterea ejuſdem noſtri §. *dum replicatur Antiphona ad* Benedictus, *Papa circa finem deſcendit ad Faldiſtorium.* Quod deſcendente Pontifice a Solio ad Faldiſtorium, ubi genuflectat, anteriores fimbrias Cappæ elevandæ tunc ſint a ſecretis Cubiculariis, notavit Mucantius ad annum MDLXXVII. explicans ritus Feriæ quartæ majoris hebdomadæ: *Cum Papa*, inquit, *deſcenderet a Solio in fine Officii, Auditores vocati a Ludovico Collega meo elevaverunt fimbrias anteriores Cappæ, ſed erratum, quia tali die ſpectat ad Cubicularios ſecretos, cum Papa ſit ſine Pluviali, & Mitra.* Laudandi ſane antiqui Cæremoniarii Apoſtolici, qui in mſs. ſuis Diariis paſſim non modo Collegarum ſuorum errata, ſed etiam propria ſæpe fatentur. Sed audiamus noſtrum §. ex cujus præſcripto, dum prædicta Antiphona replicatur, *Cæremoniarius accedit ad candelabrum, & unicam candelam inde accipiens, eam ardentem ad cornu Epiſtolæ Altaris portat, & eam ibi ſub Altari abſcondit ardentem.* Ritum hunc egregie explicat Cæremoniale Epiſcoporum citato loco §. XII. ubi ita inquit; *Cum repetitur Antiphona poſt* Benedictus, *Cæremoniarius, ſive alius Capellanus removet ex Candelabro triangulari unicum cereum accenſum in ſummitate trianguli poſitum, eumque accenſum elevata manu ſuſtinet ſuper cornu Epiſtolæ Altaris, & cum inchoatur*, Chriſtus factus eſt pro nobis &c. *illum ſic accenſum abſcondit retro Altare, vel alio modo.* Inter alios mentionem facit & hujus ritus Belethus in ſua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. CI. ubi etiam hanc ejus ritus myſticam explicationem tradit: *Una tamen, quæ in earum medio eſt collocata, non extinguitur, ſed abſconditur, & occultatur, poſteaque in apertum profertur, ac ejus luce omnia Eccleſiæ lumina rurſus accendantur.* Tum ſtatim ſubjicit: *Hic eſt Chriſtus qui licet videretur ſecundum Corpus extinctus, ſecundum Divinitatem tamen vivebat, quæ illis erat occulta. Hic enim paulo poſt reſurgens cum luce clariſſima ſe ſuis Diſcipulis manifeſtavit, quando in eorum mentibus charitatem jam propemodum extinctam ſua illuſtratione iterum inflammavit.* Digna lectu plane ſunt, quæ in eundem ritum notavit Durandus citato Lib. VI. ſui Rationalis, Cap. LXXII. Num. XXV. & ſequenti, ubi varias non contemnendas prædicti ritus rationes enarrat.

XIII. His vero omiſsis, redeo ad noſtrum §. ex cujus præſcripto, *cum incipitur*, Chriſtus factus, *Papa genuflectit in Faldiſtorio, & ſuper illud procumbit; quo finito Cantores dicunt* Miſerere *alte legendo ſine nota uſque ad finem.* Eadem legere eſt in citato Cæremoniali Epiſcoporum, ſed luculentius tamen explicata, ut conſtat ex §. XIII. cujus hæc ſunt verba: *Epiſcopus autem*

Digitized by Google

autem, dum prædicta Antiphona repetitur, quæ scilicet ad Canticum *Benedictus* dicta est, *descendit a Sede, & dum inchoatur*, Christus factus est &c. *genuflectit super Faldistorio præparato ante Altare, omnibus genuflectentibus, & postea Chorus incipit sub silentio*, Pater noster, *mox Psalmum*, Miserere mei Deus &c. *modulata, sed flebili voce*.

XI. Ceterum si varia Ecclesiarum Ordinaria consulamus, varius fuit olim ritus terminandi Matutinum cum Laudibus hujus Officii Tenebrarum: *Matutino completo non dicatur*, kyrie eleison, *nec*, Et ne nos inducas in tentationem, inquit Ordo I. Romanus, ubi nulla fit prorsus mentio illius Versiculi, *Christus factus est pro nobis obediens &c.* nec Psalmi, *Miserere mei Deus*. Juxta ritum in Ordine Romano XI. præscriptum, completis Laudibus, quæ ibidem, sicut & in citato Romano I. Ordine, Matutini etiam nomine appellantur, *cantatur*, Christus factus pro nobis obediens usque ad mortem, *& tacendo recedunt*. Additque mox, in Parasceve, *Mortem autem Crucis*, in Sabbato vero, *Propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Licet autem uterque Ordo Romanus, aliique non pauci Rituales Libri expresse prohibeant, dici ad finem hujus Officii, *Kyrie eleison*, dicebatur tamen olim una cum aliis precibus in multis Ecclesiis, ac præsertim in Archidiœcesi Consentina, ut liquet ex ms. Ordinario Lucæ Consentini Archiepiscopi, ubi ita legimus: *Post*, Benedictus, *imponunt duo pueri*, kyrie eleison, *& cantatur ab utroque Choro novies, interpositis versibus alternatim a duobus Chorereiis. In fine ultimi versus puer Clericus voce alta subjungit*, Mortem autem Crucis, *& tunc omnis populus flexis genibus cantat*, kyrie eleison, &, Domine miserere; *ita ut alternatim viri dicant, & feminæ respondeant. Clerici vero similiter flectentes genua dicant more solito Orationem Dominicam, & tacita voce subjungant*, Miserere mei Deus, *& Orationes, quas volunt. Tunc custos luminis deponat lanternam per fenestram super Chorum, & Ecclesia illustrata, pronunciet Martyrologium, & statim tabula ex more lecta, discedant*.

XV. Ergo ex hoc celebri nostræ Consentinæ Ecclesiæ Ordinario inter alia, duo hæc addiscimus. 1. antiquum plane esse ritum, ut præter alias preces ad finem Officii Tenebrarum diceretur Oratio Dominicæ, & Psalmus, *Miserere mei Deus*, tacita voce, & genibus flexis, sicut ad Versiculum, *Christus factus est pro nobis &c.* II. Ritum quoque fuisse antiquum, ut post ipsum Psalmum, *Miserere*, Orationes, quas vellent, dicerent; licet ex Ordine XI. Romano post cantatum Versiculum, *Christus factus est &c.* nulla facta mentione Orationis, de qua mox infra dicemus, *tacendo* recederent. Atque id quoque Ordinarium Ecclesiæ Lugdunensis præscripsit, ut nimirum non diceretur Oratio, sed prostrati cantarent cum silentio, *Pater noster*, &, *Miserere mei Deus*. Porro cautum est ex nostro §. *ut Cantores dicant* Miserere *alte legendo sine nota usque in finem*. Sed notandum hoc loco tamen quod scribit in suo ms. Diario Paris de Grassis Apostolicus Cæremoniarius ad annum MDXVI. ubi agens de Officio Tenebrarum Feriæ quintæ in Cœna Domini, ita inquit: *Cantores hodie incœperunt cantare Psalmum*, Miserere mei Deus, *partim cum cantu figurato, & symphonia*.

XVI. Forte & gratum erit lectori describere hic ritum, quo ex antiquo ms. Ordinario B. Mariæ Remensis terminabatur hujus diei Officium, recensetque illum Edmundus Martene in suo Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XXII. Num. VIII. estque hujusmodi: *Interim vero omne lumen Ecclesiæ extinguitur præter unam candelam, quæ intra majus Altare absconditur, & tunc in tenebris decantatur*, Benedictus, *cum sua Antiphona, qua finita sine tono, incipit alte unus puer a dextro latere Altaris*, kyrie eleison, *& alter a sinistro latere*, Christe eleison. *Tunc duo Presbyteri, vel duo Diaconi stantes in pulpito, ubi legitur Evangelium, cantant*. Qui passurus. *Duo Diaconi, vel duo Subdiaconi stantes in pulpito, quod est in medio Choro, vel post majus Altare dispositi pariter respondent*, Domine miserere nobis. *Chorus vero insimul cantat*, Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem; *& postea a sinistro Altaris incipit puer*, kyrie eleison, *& alius a dextris*, Christe eleison. *Deinde Sacerdotes, vel Diaconi alium versum*, Qui prophetie. *Post quem respondent sicut prius qui appositi sunt*, Domine miserere nostri. *Deinde Chorus*, Christus Dominus. *Tertio puer a dextris incipit*, kyrie eleison; *alius puer a sinistris succinit*, Christe eleison. *Tertium versum*, Qui expansis, *dicunt qui alios duos cantaverunt. Deinde more prædicto respondetur*, Domine miserere nostri. *Deinde a Choro*, Christus Dominus. *Quo finito, sub silentio stando, & sine precibus finitur Matutinum Officium sub hac Collecta*, Respice quæsumus Domine. *Hoc modo finiuntur Matutinæ in duobus diebus sequentibus, nisi quod preces*, Miserere mei Deus, *adjunguntur, & a binis inter se, & murmuratim dicuntur. Tunc pulsato uno de stallis bis, vel ter, offertur candela, quæ in Altari erat recondita, & restituitur luminare per Ecclesiam, sicut solitum est*. Similia videre est in aliis Ordinariis, Ecclesiæ Turonensis, Silvanectensis, Laudunensis, Argentinæ, Uticensis, atque in Breviario Tolosano, & in aliis, ut testatur idem Edmundus Martene loco citato.

XVII. De Oratione, *Respice quæsumus Domine &c.* ut aliquid dicamus, est illa profecto antiqui ritus, ejusque non obscure meminit antiquissimus omnium Romanus Ordo I. Cap. v. ubi inter alia ait, *non compleri in fine Orationem*, idest, ut scite explicat ibidem Mabillonius, in fine ipsius Orationis non addi more solito, *Qui tecum vivit &c.* Dicendam ipsam Orationem in fine hujus Officii, præscribunt passim Ecclesiarum Ordinaria, ac Ritualia, ut omittam Durandum, aliosque antiquos Scriptores, qui ejusdem Orationis mentionem faciunt. Ex præscripto nostri §. *Papa adhuc genuflexus dicit Orationem*, Respice &c. *voce intelligibili usque*, Qui tecum, *exclusive, quod secrete complet*. Ex Cæremoniali Episcoporum Lib. II. Cap. XXII. §. XIV. *Episcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex Libro, vel memoriter recitat clara voce*, Respice quæsumus &c. *usque ad*, Qui tecum, *exclusive, quod*

Digitized by Google

quod secrete complet. Paris de Grassis olim Apostolicarum Cæremoniarum Magister, ac deinde Episcopus Pisaurienſis, Libro II. *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. XLV. notat, dicendam esse ipsam Orationem genibus quidem flexis, *sed capite potius inclinato, quam elevato, & voce mœsta potius, quam sonora, alioquin intelligibili.*

XVIII. Oratione finita, ut habet noster §. *Cæremoniarius incipit palsare manibus super gradum Altaris, vel aliquod scabellum, & omnes faciunt fragorem, & strepitum aliquantulum*. Nullibi reperiri ait Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LV. quod strepitus fieret in fine Officii Tenebrarum, quia scilicet Minister tantum dabat signum manibus pulsando Librum, aut sedem, ut abeundi facultas fieret, & in solemnioribus diebus, ac magna populi frequentia iteratis ictibus signum dare tenebatur, ut universus populus admoneretur proficisci. Sed puto, hunc Auctorem labi, constat enim jam pridem in usu dictum ritum fuisse faciendi strepitum in memorati Officii fine, cum ritus ipsius mentionem faciat, & quidem non tanquam suo ævo adinventi Augustinus Patricius Ordinator nostri hujus Cæremonialis, qui ante annos tercentum vivebat. Sane testatur Martene, in multis Ritualibus Libris, quos ipse percurrit, trinam tantum decerni ad formas Chori percussionem, qua veluti signo, Ecclesiæ Custodi innotescceret, candelam absconditam suo loco restituendam, & palam omnibus exponendam. Addit, in uno Lingonienſi Ordinario legi, quod Oratione, *Respice &c.* dicta, *percutitur supra Libros*; & apud Durandum Lib. VI. Cap. LXXII. Numero XXVIII. *Postea fit cum manu, vel alio quodam modo sonitus ante luminis revelationem*; quæ tamen verba, an de fragore, vel de trina percussione ad lucernam accendendam debeant intelligi, aliis judicandum laudatus Martene relinquit.

XIX. Sed puto, intelligi ea verba debere de fragore, nam alias non opus erat, ut omnes sonitum facerent, ut candela suo loco restitueretur. Quicquid sit, cautum est ex nostro §. ut mox Cæremoniarius proferat candelam accensam, & omnes sileant, surgant, & discedant. Ex laudato Episcoporum Cæremoniali, quod non parum lucis affert explicando ipsi nostro §. fit quidem per Cæremoniarium, & ceteros similiter strepitus, ac fragor, sed *donec Cæremoniarius cereum prædictum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat, quo prolato, omnes cessare debent a strepitu*. Quocirca magnus est abusus, ut insolentia puerorum fragor ipse, strepitusque tunc fortius crescat. Porro notanda moderatio Auctoris nostri Cæremonialis, qui fuit Augustinus Patricius sub quatuor Pontificibus Maximis Apostolicarum Cæremoniarum Magister, qui in hoc nostro §. quem enarramus, nulla facta mentione de sex cereis Altaris, & de sex intorticiis super cancellum Capellæ positis, ait, candelas quindecim, quæ scilicet super triangulari Candelabro apponi solent, ad Clericos Cæremoniarum spectare. Quod iccirco puto eum dixisse, quia ob hujusmodi emolumenta inter ipsos Cæremoniarios, & Sacristas natæ lites fuere. Sæpe enim olim inter eosdem causa hujusmodi emolumentorum disceptatum reperi in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, longumque esset Burchardi præsertim, & Grassi querelas adversus suorum temporum Sacristas describere.

XX. Tradit tandem hic noster §. *Suprascripta omnia servari, in quinta, & sexta Feria sequentibus in Matutinis, in quibus non portatur Crux ante Papam, neque ipse venit cum Mitra*. Sed hæc jam superius abunde explicata sunt, quibus tamen addi & possunt, quæ inferius leguntur Capite LIV. quod inscriptum est, *De Matutinis Tenebrarum quintæ, & sextæ Feriæ majoris hebdomadæ*, ubi ita inquit: *In Matutinis tenebrosis hoc sero*, Feriæ nempe sextæ, *& in quinta Feria præterita idem servatur per omnia, ut in Matutinis quartæ Feriæ superioris diximus, hoc mutato, quod Altare, Sedes Papæ, & tota Capella debent esse nuda*. Viget hodieque hic ritus in omnibus Ecclesiis, præsertim vero in Cathedralibus, uti notavimus in nostris Comentariis ad Cæremoniale Episcoporum; de eodemque loquuntur passim veteres æque ac recentiores Codices Rituales, ac Scriptores etiam antiqui de Divinis Officiis, & inter ipsos Gulielmus Durandus in suo Divinorum Officiorum Rationali, ubi varias quoque ejus ritus mysticas rationes explicat.

CAPUT XLIII.

De Matutinis Tenebrarum quartæ Feriæ majoris hebdomadæ, Papa absente.

Papa vero pro Matutinis Tenebrarum in quarta Feria majoris hebdomadæ, postquam Cardinales aliqui in Capella fuerint, & aliquantulum quieverint, & intorticia super cancellum, ac candelæ super Altare, & Candelabrum accensa sunt, Cæremoniarius, licentia impetrata, Cantoribus signum facit, qui dicunt, *Pater noster*, & incipiunt Antiphonam primi Psalmi; qua incœpta, surgunt Cardinales, & omnes alii. Incœpto Psalmo, sedent omnes. Cæremoniarius in fine cujuslibet Psalmi extinguit unam candelam, ut supra. Cum respondetur ad Versiculum cujuslibet Nocturni, omnes surgunt, & detectis capitibus versi ad Altare stantes dicunt secrete, *Pater noster*. Deinde sedent, & Cantores dicunt Lamentationes, & Lectiones, ut supra. Cum incipitur, *Benedictus*, surgunt Cardinales, & alii omnes, & eo finito, cum repetitur Antiphona, sedent usquequo incipiatur, *Christus factus*. Tunc genuflectunt. Finito, *Miserere*,

Prior

Digitized by Google

Prior Cardinalium, vel, ut aliquando servatum est, Cardinalis in crastinum celebraturus, genuflexus in suo loco inter alios Cardinales dicit Orationem, *Respice &c.* Alia omnia fiunt, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. FAciunt & ad hujus Capitis explicationem, quæ in præcedenti Capite diximus adjungi nihilominus potest; & illud hoc loco, quod docet Paris de Grassis Apostolicarum olim Cæremoniarum Magister in suo Romano Ordine, quem dedicavit Gulielmo Episcopo Albanensi S. R. E. Cardinali Narbonensi, Cap. XI. ubi agens de die Mercurii sanctæ hebdomodæ, & de Matutino Officio, quod ea die in Capella celebratur, ita inquit: *Absente Papa, Prior Episcoporum Cardinalium facit Officium in sua communi Cappa vestitus, & in loco suo cum Cardinalibus manens.* Rursus idem Grassus idipsum confirmat Cap. XIV. quod inscriptum est, *De nonnullis aliis diversis ejusdem Reverendissimi Prioris Episcoporum Officiis intra annum peragendis*, ubi hæc inter alia habet: *In Matutinis tenebrosis sanctæ hebdomadæ, absente Pontifice pro agendis, ipse solet genuflexus dicere Orationem, videlicet*, Respice quæsumus &c. Ceterum licet in nostro Cæremoniali dicatur, aliquando servatum fuisse, ut Cardinalis in crastinum celebraturus genuflexus in suo loco inter alios Cardinales diceret Orationem ipsam, *Respice &c.* legimus tamen passim in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, absente Papa, Priorem Cardinalium Episcoporum, in hisce Matutinis Orationem recitasse. Atque id inter alios tradit Burchardus in suis Diariis.

CAPUT XLIV.

De quinta Feria majoris hebdomadæ, quæ Cœna Domini dicitur, Papa præsente.

I. SCitissime notat Edmundus Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, initio Capitis XXII. Feriam quintam in Cœna Domini, quam S. Eligius, aliique veteres Scriptores, uti jam nos notavimus Tomo III. Romani Pontificalis, Tomo II. Conciliorum, & Tomo itidem II. Cæremonialis Episcoporum, Libro II. Capite XXIII. *Natalem Calicis* vocant, adeo multiplici rituum varietate gaudere, ut nulla in toto anni circulo dies ei valeat æquiparari; nam ut ait Amalarius Lib. I. *De Officiis Divini*, Cap. XII. *in ea non canitur*, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, *in ea consecratur tribus modis Oleum trium Officiorum; in ea reservatur Corpus Domini usque in crastinum, reficiturque in commemorationem refectionis Christi; lavantur pedes Fratrum, & pavimenta Ecclesiæ; nudantur Altaria usque in Sabbato Sancto; in ea die Pœnitentes veniunt ad solutionem, & apud quosdam redditur Symbolum a Catechumenis, ut in Canone Concilii Laodiceni continetur.* His addi poterant & alii ritus, ea die servari soliti, inter quos fuit benedictio novi ignis, & alii plures, quos in citatis nostris Operibus recensuimus, quosque hoc loco referre etiam putavimus, tum præsertim, quod ipsi ritus non modo olim, sed postremis etiam temporibus a Summis Pontificibus peragi consueverint, tametsi paulo ante editionem nostri hujus Cæremonialis, quod Augustinus Patricius ordinavit, in desuetudinem abierint.

II. Antequam de singulis hisce ritibus pertractemus, notandum est, quod ait Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. LXXXIII. *Feria quinta in Cœna Domini*, inquit, *Statio ad S. Joannem ad Lateranum. Hac die Sacrificium Sacri Corporis, & Sanguinis ab ipso Domino nostro Jesu Christo celebrationis sumpsit initium. Hac die in toto Orbe Sanctum Chrisma conficitur. Hac die etiam Pœnitentibus per indulgentiam subvenitur.* Esse antiquissimum Romanæ Ecclesiæ morem, ut hac die reconciliarentur Pœnitentes, testis est Innocentius Papa I. qui in Epistola sua ad Decentium Eugubinum Episcopum, Cap. VII. ita inquit: *De Pœnitentibus vero, qui, sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta Feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Extat pervetustum ejus disciplinæ exemplum apud S. Hieronymum in Epistola ad Oceanum, in qua describens pœnitentiam publicam Fabiolæ Romanæ Romæ peractam in Basilica Lateranensi, inter alia ait, Fabiolam tota Urbe spectante Romana saccum indutam ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani stetisse in ordine Pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submisisse. Nequis vero autumet, neglectam fuisse Romæ hanc disciplinam, diserte ejus mentionem facit Ordo XIV. Romanus, Cap. LXXXIII. ubi agens de Officio Feriæ V. in Cœna Domini, inter alia mandat, ut hora tertia *egrediantur Pœnitentes de loco, in quo pœnitentiam fecerunt, ut gremio Ecclesiæ præsententur a Pontifice, qui sedere debet præ foribus Ecclesiæ, & reconciliare eos cum Antiphonis, & Orationibus &c.*

III. Chrisma confectum eadem die a Pontifice inter Missarum solemnia, ac benedictum Oleum pro infirmis, docet Ordo I. Romanus, Cap. V. Num. XXX. ubi hæc habet: *Hora autem tertia ingressi Sacrarium, induuntur Dalmaticis, tam Pontifex, quam omnes Diaconi, vel omni ornamento, sedente Pontifice in Sella sua, & præparantur ampullæ duæ cum Oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto Balsamo, & commiscitato cum Oleo manu sua impleat*

Digitized by Google

pleat eam &c. Et paulo post: *Antequam dicatur*, Per quem hæc omnia, *benedicitur Oleum pro infirmis, quod populus affert, & deinceps peragitur Missa ordine suo.* Explicat deinde ritum, quo Chrisma ipsum a Pontifice inter Missarum solemnia conficeretur, quem nos alias fuse enarravimus in nostris Commentariis ad Romanum Pontificale. Hoc autem loco sat fuerit monuisse, varios hac die peragi consueviſse ritus a Summo Pontifice, qui postea in desuetudinem abjerunt, & forte post reditum Romanorum Pontificum Avenione Romam. Nam alias consecrationis ipsius sacri Chrismatis a Papa peragendæ, diserte meminit Romanus Ordo xv. Auctore Amelio Capite LXV. & LXVI. ubi fuse ritus in ea consecratione servandos describit.

IV. Benedictum præterea fuisse hac die novum ignem a Summo Pontifice, testis est memoratus Ordo I. Romanus citato loco, Num. XXXII. ubi hæc habet: *Ea vero die, hora nona faciunt excuti ignem de lapide in loco foris Basilicam; si ibidem Oratorium non habuerint, in porta ibi excutiunt; sin vero, in loco, in quo consideraverit Prior, ita ut ex eo possit candela accendi, quæ candela in arundine debet poni, & a Mansionario Ecclesiæ portata, præsente Congregatione, vel populo, & de ipso igne continuo in eadem Ecclesia, vel loco, ubi accenditur, lampada una servetur usque in Sabbato Sancto, ad illuminandum Cereum, qui eodem die benedicendus est ordine, quo in Sacramentorum continetur.* Nonnihil diversum tradit Zacharias Papa in Epistola XII. ad Bonifacium, nempe moris esse, *ut quinta Feria Paschæ*, ideſt, ante Pascha, *quando sacrum Chrisma consecratur, tres lampades in secretiori loco Ecclesiæ constitutæ, ardeant usque ad tertium diem*, ideſt Sabbatum. Ejusdem ritus Romæ olim servari soliti a Papa, meminit inter alios Amalarius, *De ordine Antiphonarii*, Cap. XLIV. ubi etiam observat, ex illo igne benedicto cibos decoctos fuisse, & ad Nocturnos candelas, seu lampades accensas. Docet etiam Joannes Abrincensis, ignem ita benedictum *ex Ecclesia per cæteras domos Christianorum* distributum, ad communem usum cujusque familiæ. Præter hactenus descriptos ritus, sunt & alii, quos olim non modo cæteri Episcopi, sed & ipsi Romani Summi Pontifices Feria v. in Cœna Domini peragebant, quosque nos fuse enarravimus in citatis nostris ad Romanum Pontificale, & ad Cæremoniale Episcoporum Commentariis. Alios quoque mox inferius explicabimus, qui scilicet in hoc Cæremoniali, quod novis Commentariis illustramus, notati sunt, non sine Tyronum rituum Romanæ Ecclesiæ utilitate.

§. I.

De præparandis pro Missa hujus diei, ejusque initio usque ad Confessionem.

Feria quinta in Cœna Domini, Sacrista debet summo mane, aut per diem antea (1) parasse locum, ubi honorifice reponatur Sacramentum, quod Romæ fieri solet in parva Capella Palatii, & (2) Forerii baldachinum album ante cancellos Capellæ magnæ super credentia. Præter consueta paretur alius Calix cum Palla, & Patena, & mappa sericea; super Calicem pro Missa ordinatum ponantur duæ Hostiæ consecrandæ. Item portentur candelæ circa finem Missæ distribuendæ pro deducendo Sacramento, & processibus ad locum convenientem, videlicet una duarum librarum, vel circa, pulchre laborata pro Papa; pro Cardinalibus ceræ albæ trium librarum, vel circa, quælibet, & duarum librarum ceræ communis quælibet pro Prælatis paratis tantum, quia nullis aliis candelæ distribuuntur. Item parentur duodecim intorticia, ad honorandum Sacramentum, cum portatur. Deinde hora competenti Papa indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali albis, & Mitra (3) pretiosa, venit ad Capellam, orat, & facit Confessionem more solito. Non fit ei reverentia a Cardinalibus, quia fiet postea in loco benedictionis, antequam legantur Processus.

COMMENTARIUS.

I. Opportune præmittendum est nostri hujus Commentarii initio, quod pridem observavit eruditus Martene, in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXII. §. VI. non unam scilicet Missam solemnem consueviſse cantari hac die, sed plures, primam pro Pœnitentibus, alteram pro Sacri Chrismatis confectione, itemque tertiam ex Ordine Gelasiano, quam antiqui Codices annorum circiter mille, Noviomensis, Remensis, & Gellonensis *ad Vesperam* dicendam præscribebant. Quartam addunt Pontificale Pictavienſe annorum circiter CM. & Codex Siculus apud Morinum, *De Pœnitentia*, pro baptizandis, quibus forsan nonnullis in locis, ultimum hac die Scrutinium fiebat. Tempore S. Augustini duas nonnullæ celebrabant Ecclesiæ, unam mane a jejunis, alteram sero post Cœnam, ut ipse docet in Epistola LIV. novæ editionis ad Januarium. De Missa post Cœnam habemus Concilii Carthaginensis III. quod habitum fuit anno CCCXCVII. Decretum, Canone XXIX. cujus hæc sunt verba: *Ut Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Atque hunc Canonem approbat quidem Trullana Synodus pro

(1) Ita in Veneta editione I. & Colonienſi, in Romana legitur, *ante Paraſceve*, & male. (2) In Romana editione legitur, *Ferrerii*. (3) Videtur ita legendum, tametſi in cunctis editis editionibus legatur, *pretioſis*.

Digitized by Google

pro populis Africanis, quorum gratia conditus est, ac ne deinceps observari debeat, diserte vetat Canone XXIX. quem nos fuse explicuimus nostro II. Tomo Conciliorum in Commentario ad ipsum Canonem Trullanum. Ceterum in Sacramentario S. Gregorii unica tantum extat Missa, de qua dicemus suo loco inferius.

II. His prænotatis, devenio ad nostrum §. ex cujus præscripto *Sacrista debet summo mane, aut per diem antea parasse locum, ubi honorice reponatur Sacramentum, quod Romæ fieri solet in parva Capella Palatii*. His concinit Cæremoniale Episcoporum Lib. II. Cap. XXIII. §. II. *Præparandum, ornandumque*, inquit, *aliquod Sacellum intra Ecclesiam, quo pulchrius, magnificentiusque poterit multis luminibus ornatum, in quo post Missam hujus diei recondendum sit Sanctissimum Sacramentum*. Sacellum, inquit, non theatrum in modum scænæ, ut alicubi fieri assolet, ubi comœdiæ repræsentari solent, non Altariolum sine ullo ornatu, & ubi sint pauca lumina ex oleo, vel cera inferiori, sed multis luminibus ornatum, *ubi honorifice*, uti ait noster §. *reponatur Sacramentum*; juxta laudabilem scilicet usum insignium Ecclesiarum, licet non adeo antiquus sit ritus parandi, ordinandique hujusmodi Sacellum, quo pulchrius magnificentiusque poterit; nam alias juxta Ordinem Romanum XV. Auctore Amelio, qui claruit labente Seculo XIV. Cap. XLV. in fine, Papa, vel ipse Episcopus Cardinalis, qui ei serviebat in Missa Feriæ V. in Cœna Domini, *Calicem cum Corpore Christi coopertum portabat ad armariolum, in quo conservabatur usque in crastinum*. Porro in Ordinario Carthusiensium, qui veterum rituum tenaces sunt, Cap. XLIX. habetur, Eucharistiam in eodem loco asservandam esse, ubi in majori Altari custodiri solet, & prohibetur, parari Sepulchra, & Altaria Monachorum solitudini minime convenientia: *Eucharistia reponatur in loco consueto majoris Altaris, probibentes fieri pro ea reservanda de more Secularium monumenta, vel alios apparatus nostræ solitudini non convenientes*.

III. Quamquam vero non modo apud Carthusienses, verum etiam in aliis Ecclesiis simplices fuerint ritus in recondenda hac die Sacra Eucharistia, in Statutis nihilominus Lanfranci, decentissime præparari locum jubetur ad Eucharistiam ipsam servandam. Joannes quoque Abrincensis, qui anno MDCCIX. mortuus est, in Libro de Officiis ait, Feria quinta in Cœna Domini plures Hostias consecrandas esse pro Cleri, & populi communione, earumque dimidium reservandum in crastinum, atque a Celebrante, & Ministris cum Processione, cereis, & incenso Hostias ipsas honorifice deferendas super quoddam Altare, ubi pretiosissimis linteis obtegerentur, lampade ante Altare ardente. Ergo quod Eucharistiæ supererat, ad sequentis diei Communionem in Sacrario magna cum reverentia, & religione recondebatur. Quanam vero ratione id fieret, variant antiqua Ecclesiarum Ordinaria. Quicquid autem de aliis sit, juxta Romanum Ordinem XII. Auctore Cencio, Cap. XI. ubi hac die Pontifex populum communicaverat, *servabat de Sacramento in crastinum in Corporali*. Similia his habet Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXXIII. *Pontifex vero in Sede communicat illos, qui communicari volunt, reverenter tamen Oblatæ integræ de Corpore Domini in diem Parasceve reservantur; Sanguis vero Domini penitus assumatur*.

IV. Sane quod ait noster §. ut in Missa hujus diei *paretur alius Calix cum Palla, & Patena, & mappula sericea*, ut in eo scilicet apponatur una ex duabus Hostiis in eadem Missa consecratis, reservanda in crastinum, concinit quidem Romano Ordini XV. Cap. LXV. ubi mentio fit ipsius Calicis, quem *ipse Papa, vel Episcopus Cardinalis, qui servit sibi in Missa ..... cum Corpore Christi coopertum ..... tenens cum manibus per medium portat ad armariolum, in quo conservatur usque in crastinum, antecedentibus luminaribus, Cruce, & incenso processionaliter cum devotione &c.* Non ergo ita recentior est ritus deferendi magna cum pompa Eucharistiam ad Sacellum decentissime præparatum in crastinum reservandam, non quidem ad Fidelium Communionem, ut olim mos fuit, sed ad celebrandam sequenti die Missam, quæ Præsanctificatorum dicitur, & in qua Christi Corpus sumitur, licet antea consecratum. Antiquissima est hujusmodi Missa, ejusque origo ad Synodum saltem Laodicensem referri debet, quæ celebrata est anno CCCXIV. Sancitum enim in ea fuit Canone LIX. *non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominicis tantum*. Quibus diebus fiat, docet nos Canon LII. Concilii Trullani, sic inquiens: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejuniis, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annunciationis die, fiat Sacrum Præsanctificatorum ministerium*.

V. Plura in hunc recitatum Canonem nos nostro Tomo II. Conciliorum notavimus in nostris ad Trullanum Concilium Commentariis. At vero quicquid sit de Ecclesia Orientali, quæ hunc morem adhuc servat, Occidentalis autem nunquam eo utitur, aut usa est, nisi sexta Feria majoris hebdomadæ, & Sabbato sequenti, quia nunquam his diebus apud Latinos ex pervetusta Ecclesiæ Occidentalis disciplina Sacrificium offertur, quod enim Sabbato Sacrificium hodie peragatur, non ad diem, sed ad noctem ipsam Sabbati pertinet, ut vel ex hodierna ejusdem diei Missa licet addiscere. Pervetustæ ejus disciplinæ testem profecto insignem habemus Innocentium Papam I. qui in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum sic inter alia scribit: *Sexta Feria propter Passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari*. Sed de hac re videri etiam possunt, quæ inferius dicemus, ubi sextæ Feriæ, & Sabbati Sancti majoris hebdomadæ ritus narrabimus.

VI. Notandum omiseram, licet in Missa Feriæ V. in Cœna Domini solum in crastinum diem Corpus Domini reservetur, & quidem ex præscripto omnium veterum Ordinariorum, atque Missalium, in quibus expresse edicitur, Sanguinem in Missa hujus diei penitus absumi debere;

Digitized by Google

re; fatendum tamen, etiam alicubi Sanguinem una cum Corpore fuisse in crastinum reservatum uti constat ex veteri Codice Sacramentorum Carnotensi, cujus character annos circiter septingentos refert, ut testatur Martene in citato toties Opere, Cap. XXII. § VI. Num. XIV. Describens enim Codex iste sequentis diei ritus post adoratam Crucem, ita habet: *Ingrediuntur duo Diaconi in Sacrario, & præcedunt cum Corpore, & Sanguine Domini, quod ante diem remansit, & ponunt super Altare &c.* Fuit hic peculiaris unius, alteriusve Ecclesiæ ritus, nam ut alias dictum est, antiqui Libri Missales ad unum fere omnes, ipsique præsertim Romani Ordines XIV. & XV. expresse mandant, ut solo Christi Corpore in crastinum reservato, Sanguis penitus in Missa hujus diei absumatur, & quidem ubi etiam ipse Pontifex celebraret, *non cum calamo*, ut solet in aliis Missis solemnibus, *sed cum Calice tantum*, ut habent laudati Romani Ordines, ac præsertim Ordo XIV. Auctore Gajetano Cap. LXXXIII.

VII. Mandat præterea noster §. ut *portentur candelæ circa finem Missæ distribuendæ pro deducendo Sacramento, & processibus ad locum convenientem, videlicet una duarum librarum vel circa, pulchre laborata pro Papa, pro Cardinalibus cereæ albæ trium librarum, vel circa quælibet, & duarum librarum cereæ communis quælibet pro Prælatis paratis tantum.* Solemni cum Processione, atque cum multo cereorum numero deferri consuevisse vel olim hac die ad Sacellum, vel Armariolum Eucharistiam consecratam hac die reservandam in crastinum, superius abunde fuit ostensum. Sed corrigendum forte quod in nostro Cæremoniali edicitur de memorata ceræ albæ, & communis distinctione, inter Cardinales, & Prælatos Sanctissimum Sacramentum associantes; *cum satis sit, fieri differentiam in pondere candelarum, non autem in qualitate cereæ, quæ debet esse alba pro omnibus, ut sic magis honoretur Sacramentum.* Verba sunt eruditissimi Francisci Mucantii Apostolicarum Cæremoniarum Magistri in suo ms. Diario ad annum MDLXXV. ubi agit de ipsa Feria V. in Cœna Domini; id quod etiam aliis loeis notavit. Sane puto, eam ceræ distinctionem adinventam fuisse ævo Augustini Patricii nostri hujus Cæremonialis ordinatoris, nam alias in antiquioribus Romanis Ordinibus eam distinctionem in obsequium Cardinalium excogitatam minime invenio.

VIII. Præparatis omnibus ad celebritatem hujus diei, ac inter alia baldachino albi coloris, ut inquit noster §. *deinde hora competenti Papa indutus Amictu, Alba, Cingulo, Pluviali albis, & Mitra pretiosa, venit ad Capellam, orat, & facit Confessionem more solito,* cum Priore scilicet Presbyterorum Cardinalium, qui hac die Missam solemnem in Capella celebrat, *cum paramentis albis pretiosis*, ut ait Graisus in suo Romano Ordine, Cap. XI. Utendum colore albo Feria V. in Cœna Domini, expresse admonet Romanus Ordo XII. Cap. XLIX. celebratur enim hac die præcipuum mysterium, nempe Eucharistiæ institutio a Christo facta hac die. Gulielmus Durandus, qui de peculiari Festo Corporis Christi ab Urbano IV. Pontifice instituto non egit, quia forte, dum ipse scribebat, nondum ubique obtinuerat, Lib. VI. Rationalis sui Divinorum Officiorum, Cap. LXXV. diserte affirmat, hujus diei Festum reliqua omnia antecellere, & Sacramenti Sacramentorum institutionem esse illius objectum: *Quoniam in hac die institutum est Sacramentum Sacramentorum, ut præmissum est, ideo ad solemnitatem novi Sacrificii, & propter gaudium reconciliationis Pœnitentium, cantat Ecclesia in Missa Cantica lætitiæ præter*, Alleluja, *& Missa solemnis dicitur in concentu, & ornatu Ministrorum.* Eadem docent qui de ipsa solemnitate tractarunt.

§. II.

De introitu Missæ hujus diei usque ad Communionem.

Facta Confessione, Papa ascendit ad Solium, sedetque (1) & ministrante Priore Presbyterorum Cardinalium, imponit incensum, incensatur Altare, Papa, & Celebrans more consueto. Interim Cardinales veniunt ad Circulum. *Gloria in excelsis*, & *Pax* (2) *vobis*, ad Collectam primam, &, *Credo in unum Deum*, dicuntur, & una Oratio tantum. Non fit Sermo, non datur osculum Pacis post *Agnus Dei*, sed *Pax Domini*, & *Agnus Dei*, & omnes Orationes sequentes dicuntur, omnia alia fiunt, ut alias. Paulo ante Communionem Cæremoniarius portat Calicem prædictum de credentia ad Altare pro reponendo in eo Corpus Domini reservandum.

COMMENTARIUS.

I. QAmquam olim, uti superius observatum fuit, plures hac die dicerentur Missæ, unica tantum extat in Sacramentario S. Gregorii Missa, cujus Introitus desumptus, est ex Epistola Apostoli ad Galatas, Cap. VI. incipitque, *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini Nostri Jesu Christi &c.* Quem Introitum, uti observat Gulielmus Durandus Lib. VI. Rationalis, Capite LXXV. *in persona Pœnitentium cantat Ecclesia in principio Missæ*, quia scilicet, uti dictum etiam superius fuit, reconciliabantur olim hac die

(1) Deest & in editione Romana, sed legitur tamen in Veneta 1. & Colonensi. (2) In citatis cunctis editionibus legitur, *Pax Domini*, sed legendum, *Pax vobis*, ut correxi, & habetur in Ordine Romano XV. Cap. 65.

Digitized by Google

die Pœnitentes ; subditque iccirco mox idem Durandus : *Tales enim debent, & possunt gloriari in Cruce, qui pœnitentiam perfecte egerunt*. Sane dicitur in hac Missa *Gloria in excelsis*, & quidem ex antiquo ritu, cujus meminit Nicolaus Papa I. in Epistola XIX. Appendicis I. ad Rodulfum Bituricensem ita scribens : *Porro* Gloria in excelsis Deo, *ab Episcopis in Cœna Domini inter Missarum solemnia more nostro dicenda est*. Sed audiamus iterum Durandum ritum ipsum ita enarrantem : *Propter institutionem Sacramenti Sacramentorum est gaudium*, scilicet in Missa hujus diei, *& ideo ex institutione Bonifacii Papæ, cantat Ecclesia*, Gloria in excelsis Deo, *quia gaudent Angeli de conversione Pœnitentium, & hoc in Ecclesiis, in quibus Chrisma conficitur, & non in aliis, prout quidam dicunt. Ubi enim Episcopus præsens non est, nec* Gloria in excelsis *dicitur, nec aliæ solemnitates servantur, ut dicunt, quamvis & tunc neque*, Flectamus genua, *nec Oratio super populum dicatur*. Ad Orationem hujus Missæ, quæ una est, incipitque, *Deus a quo & Judas &c.* dicitur, *Pax vobis*, uti notatur in Ordine Romano XV. Cap. LXV. Sequitur Epistola desumpta ex Epistola I. ad Corinthios, ejusque initium est, *Fratres convenientibus vobis in unum &c.* & deinde Evangelium, *Ante diem Festum Paschæ &c.* ubi agitur de dilectione Christi, ob institutum scilicet Eucharistiæ Sacramentum, & lotione pedum facta discipulis, de qua peculiari Capite dicemus suo loco inferius.

II. Finito Evangelio, *non fit Sermo*, juxta præscriptum nostri §. licet olim fieri Sermo in hac Missa consueverit, uti constat ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Num. LX. ubi postquam dixit, quod *Diaconus legit Evangelium*, ita statim subjicit : *Eo die dum Dominus Pontifex prædicat, Cardinales levant mensam de Altari, & denudant Altare, & pronunt eam in securo loco*. Ex præscripto Ordinis Romani XII. Cap. XI. Num. XXIV. *post prædicationem Domini Papæ, Diaconi Cardinales levant mensam de Altari, & nudato Altari, ponunt eam in secreto loco &c.* Quid sit levare mensam de Altari, patet ex Ordine Romano X. cujus locum antequam describamus, sciendum quod docet Egbertus Eboracensis Episcopus in suo Sacramentorum Libro, ubi agens de Feria V. in Cœna Domini, inter alia tradit, Lateranensis Ecclesiæ Altare, in quo Papa die ipsa celebrabat, *cavum* esse; unde Pontifex, remota mensa, quæ aditum ad interiora occludebat, intra ipsum Altare hac die Sacris operabatur. Audiendus nunc Ordo Romanus X. Num. VII. & sequenti, ex quo omnem ejus ritus rationem addiscimus : *Si fuerit Pontifex Laterani, decantato*, Credo in unum Deum, *& antequam intret ad sacrificandum, a Diaconibus, & Subdiaconibus levatur mensa de Altari, palliis desuper complicatis, & cum reverentia, & omni devotione ab eisdem reportetur in Capella Sancti Pancratii juxta claustrum Canonicorum, quia ibi est locus reservationis, & cum omni cautela usque in diem Sabbati custoditur. Deinde Pontifex venit ad Altare, accipiens ampullam vitream, quæ intus se continet quoddam vasculum aureum, & in illo vasculo est lapis precio sus concavus, & in illa concavitate lapidis est diligenter precio sus Christi Sanguis inclusus, qui annualiter extrahitur, & reponitur in concavitate arcæ, & tunc levatur a Pontifice, & ostenditur, ut tota turba populi valeat cum timore, & reverentia, & omni devotione eum videre. Postea traditur custodienda Priori, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ usque in diem Sabbati. Tunc Pontifex ad sacrificandum intrat solus infra arcam, ut significetur, quod in veteri Testamento scriptum est, quod solus Pontifex intrabat semel in anno in Sancta Sanctorum, tantum cum Cruce, & linteamine suppositis, Episcopo, vel Cardinali cum Capellano Sacerdote ministrante sibi*. Eandem hujusce facti rationem affert Innocentius Papa III. in Sermone de Cœna Domini, cui accedit Gulielmus Durandus Lib. VI. Rationalis, Cap. LXXV. Num. XIII. ex quibus omnibus alium ritum addiscimus, quo Romanus Pontifex Maximus Feria V. in Cœna Domini solemnem Missam celebrabat.

III. Sed hoc ritu obiter notato, ex recitatis hactenus locis illud jam liquet, consuevisse olim in hac Missa Sermonem fieri a Pontifice, modo id illi placuisset juxta notata in Ordine Romano X. Num. IV. ubi ita inquit : *Dicta oratione, lecta Epistola, & Evangelio, factoque Sermone ad populum, si voluerit &c.* Sermonis haberi soliti a Papa hac die meminit quidem præter superius memoratos Romanus Ordo XIII. sive Cæremoniale Gregorii Papæ X. jussu editum Num. XXI. his verbis: *Hora sexta ipsius diei venit Papa cum tota Curia, tum omnes Episcopi Cardinales in Pluvialibus, Presbyteri in Casula, Diaconi in Dalmatica, Subdiaconi in Tunicellis, Prælati omnes in Pluvialibus coloris albi, & alii Capellani, qui habent servire, in Superpelliceis, & ipse Dominus Papa cum pretioso Pluviali, & Mitra cum auro, & ibi fit per ipsum Dominum Papam Sermo*. Intermissum fuisse deinde hujusmodi Sermonem, docet nos Ordo Romanus XV. Cap. LXV. ubi inter alia notandum ait, *quod in hac Missa non consuevit esse Sermo, nisi Papa velit facere Processus contra aliquem in speciali, & etiam generales Processiones*. Sed scitu dignum est quod & mox subjicit : *Si Papa illum Sermonem facere non vellet, Sacrista committit de ejus mandato alicui de Dominis Cardinalibus Episcopis, vel Presbyteris, quoniam Diaconi coram Papa numquam prædicant, aut altero Prælato, vel Magistro in Theologia*. Notandum statim subdit, quod *Abbates non consueverunt prædicare, nec Doctores Decretorum, nec Legum, nisi dumtaxat Prælati, & Magistri in Theologia, sed modo Abbates prædicant*. Porro, ut alias Ecclesias omittam, quod in Archidiœcesi Consentina post Evangelium fieret Sermo ad Populum, testis est Lucas noster Archiepiscopus Consentinus in suo ms. Ordinario.

IV. Facta prædicatione ex præscripto Romani Ordinis XI. Auctore Benedicto, Num. XL. *facit*, Papa scilicet, *remissionem, populo benedicit, & descendit ad Sedem, ubi nunciat*, Credo in unum Deum. *Offerenda non dicitur, sed solus Pontifex intrat ad Altare ad Sacrificium &c.* Remissionis, seu Indulgentiæ, de qua

Digitized by Google

qua loquitur laudatus Ordo Romanus, mentionem facit Joannes Diaconus in Libro, *De Ecclesia Lateranensi*. Solemnem autem formam absolvendi hac die Pœnitentes, habes in vulgato Ordine Romano apud Hittorpium. Quod enim hac eadem die ex pervetusto Ecclesiæ ritu Pœnitentes reconciliarentur, jam abunde probatum superius fuit. Symbolum Fidei, seu *Credo in unum Deum &c.* decantari consuevisse in hac Missa testis est Ordo Romanus x. Num. VII. itemque Ordo XI. loco superius recitato; quibus addi possunt Ordo XIV. Cap. LXXXIII. & Ordo XV. Cap. LXV. ubi expresse ait, dici etiam in hac Missa, *Credo in unum Deum &c.* Mirum itaque videri debet, quod scribit Durandus Lib. VI. Cap. LXV. Num. VIII. ubi aperte inquit, Symbolum Apostolorum non dici in Missa Feriæ v. in Cœna Domini, & quidem ob eam rationem, quia *Discipuli nondum perfecte credebant*. Sed forte hic ritus fuit quarundam Ecclesiarum, nam alias in Ecclesia Romana, ut ex citatis Ordinibus liquet, dictum fuit, *Credo in unum Deum &c.* in hac Missa. Sane fateor, cautum esse ex Ordine Romano XII. Auctore Cencio, Cap. XI. Num XXIV. ne dicatur in hac Missa Symbolum, quod ita *habetur in Libro Papæ Gelasii*; sed ut scite ibidem observat Mabillonius, *nihil ejusmodi legitur in Libro Sacramentorum Gelasiano, quem eruditus Thomasius publici juris fecit*. Quicquid autem de ea re sit, ita subdit mox idem Ordo: *Sed nos dicimus Symbolum propter consecrationem Chrismatis*. Dicto Symbolo, ac deinde Offertorio, *Dextera Domini fecit virtutem &c.* quod cum reconciliatione Pœnitentium relationem habet, sequitur Præfatio, quæ est de Cruce, de qua alias jam diximus.

V. Est vero & antiquus ritus, quem & noster §. præscribit, non dari scilicet in Missa osculum pacis post *Agnus Dei*; ejusque ritus inter alios meminit Romanus Ordo XII. mandans ut *dicatur*, Agnus Dei, *absque osculo*. Cantandum, *Agnus Dei, tribus vocibus*, sed cum ea clausula, *miserere nobis*, tradit Ordo Romanus XI. Num. XL. in fine, eique concinens Joannes Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. XCV. ita ad rem inquit: *Nec dicitur vero*, Dona nobis pacem, *ob eam rem, quod nocte sequenti osculo Judas Christum tradiderit*. Ante Belethum eandem rationem reddidit jam creditus Alcuinus his verbis: *A pacis osculo, sive salutatione abstinetur, non quod malum sit, ubi ex charitate profertur, sed ad vitandam salutationem pestiferam, qualem Judas proditor exercuit, ut demonstretur, qualem injuriam passus est Christus a suo Discipulo & nos vitemus eadem ratione injuriam Fratribus facere*. Subscribunt Alcuino Libri Pontificales, & Missales pene omnes, qui propter fraudulentum Judæ osculum pacem in Missa dari prohibent. Singularis fuit ergo ritus Ecclesiæ Parisiensis, in cujus antiquis Missalibus quatuor ita legitur: *More Ecclesiæ Parisiensis Pax datur; alibi autem, quod bonum est, omnia dicuntur, sed Pax non datur*. Concinit Ordinarium Cabilonense sic inquiens: *Ad Missam*, Agnus, *Pax datur*. Idem conceditur ex ms. Ordinario nostri Lucæ Consentini Archiepiscopi, si modo celebret Episcopus. Missale vero Sarisberiense ea de re sic habet: *Hac die non dicitur*, Agnus Dei, *nec Pax datur, nisi Episcopus celebraverit; tunc enim dicatur*, Agnus Dei, *solemniter more Duplicis Festi, & Sacri Chrismatis Ampulla pro Pace osculetur*. Decantari etiam, *Agnus Dei*, in hac Missa, vetant Ordinaria, Rotomagense, Remense, & Lingonense, quod tamen cantari solemniter & alia permittunt, sed ne tamen in tertio *Agnus Dei* addatur, *Dona nobis Pacem*, uti scilicet præscribit Ordo Romanus XII. Auctore Cencio superius memoratus. Cæterum Romani Ordines XIV. & XV. ita inquiunt: *Pacis osculum non datur*, Agnus Dei *cantatur*.

VI. Omissis aliis ritibus, qui in Romanis Ordinibus recensentur peragendi in hac Missa a Summo Pontifice, ac præsertim Consecrationis Chrismatis, aliorumque Sacrorum Oleorum de qua alias fit mentio in novissimo Romano Ordine XV. Auctore Amelio, Cap. LXV. & sequenti, ut ordinem tandem nostri Cæremonialis persequamur, ex ejusdem præscripto, *paulo ante Communionem Cæremoniarius portat Calicem prædictum de credentia ad Altare pro reponendo in eo Corpus Domini reservandum*, in crastinum scilicet, & deferendum processionaliter cum Cruce, & multis luminibus ad Sacellum decentissime præparatum, uti superius dictum est. Ceterum tametsi ex antiquo Ecclesiæ instituto, cujus passim Romani Ordines, & antiqui Libri Missales mentionem faciunt, duæ ob rationem jam non semel explicatam in hac Missa Hostiæ consecrari consuevere; una scilicet, qua Celebrans hac die communicabat, duæ vero aliæ in sequentem diem conservandæ, ut ex una scilicet Sacerdos posset communicare, altera vero Sepulchro cum Cruce reconderetur. Atque ita plane præscribunt antiquum Rituale Suessionense, Pontificale Moguntinum, Ordinarium Bajocense, & Missale Sarisberiense, nisi quod Rituale Suessionense tertiam Hostiam ad Processionem in die Paschæ deferendam jubeat conservari.

VII. Ubi hac die celebrat Pontifex, *communicat solus in Altari, & non in Sede, & Sanguinem sumit ex Calice, non cum calamo*, ut præscribit hoc nostrum Cæremoniale inferius, Capite XLVII. Quamvis autem nulla in hoc eodem Cæremoniali mentio fiat aliorum Communionis, generalem nihilominus Communionem absolute præscribunt Theodulphi Aurelianensis Episcopi Capitulare, Vvalterius item Episcopus in Anglia, qui Sæculo X. florebat, Joannes Abrincensis, & Libri Pontificales, & Missales antiqui pene omnes. Ordo Romanus X. Num. XI. in fine, & Ordo XIV. Cap. LXXXIII. hanc ad libitum Communionem permittere videntur: *Pontifex vero*, inquiunt, *in Sede communicat illos, qui communicari volunt*. Miror autem, quod in Cassanensi Ordinario anno MCCCLXXXVII. renovato hæc legantur: *Feria quinta majoris hebdomadæ propter multitudinem pauperum, & hospitum non communicant Canonici, neque Fratres, sed Feria sexta in Parasceve, & Sabbato Sancto, & Paschа fiat Communio generalis; & Communio, quæ fiebat olim in hac die Cœnæ Domini, debet fieri in Dominica prima Quadragesimæ. Communicet tamen qui ex devotione voluerit*. Porro olim post Sacrorum Ministrorum, ac Cleri Com-

Digitized by Google

munionem, primi ante alios omnes ad Sanctam Synaxim accederent reconciliati Pœnitentes, addiscere licet ex pervetusto Pictaviensis Ecclesiæ Pontificali. Ex Ordinario tandem Argentino, dum Vesperæ cantabantur, generalis populi fiebat Communio.

VIII. Juxta ritum Romanum Presbyteri ad Missam in ipsa quinta Feria Cœnæ Domini cum Stola communicabant, celebrabantque antehac ipsi Missam cum Episcopo, vel Parocho, vel alio Celebrante, non sine Sacerdotalibus ornamentis, *& Parisiis etiam nunc*, ut testatur Grancolas in Breviarium Romanum, Lib. II. Capite LIX. *duo Archidiaconi una cum Episcopo celebrant. Carnuti sex adsunt Archidiaconi, qui Præfationem*, *&*, Pater, *cum Episcopo decantant, se vertunt simul dicentes*, Dominus vobiscum, *& propriis manibus se communicant sub bina specie*. Ita ille, qui mox etiam subdit, hodie Presbyteros, sicut & Clericos communicare solummodo, non esse amplius concelebrantes, neque proprii Ordinis ornamentis indui, neque ex Calice Sanguinem sumere, sed sub una tantummodo specie communicare. Cæterum ut de Græcis quoque aliquid dicam, communicant & ipsi hac die, testante Allatio, Lib. III. *De consensu utriusque Ecclesiæ*, Cap. XVII. Num. VII. his verbis: *Eo die omnes, qui tamen alia causa præpediti non sunt, frequenti concursu quemadmodum die Paschatis, post Missarum Solemnia communicant. Quibus Communio interdicitur, ii cochleari ex aqua benedicta, magna benedictione Festo Epiphaniæ subacta modicum hauriunt.*

§. III.

De reliquis hujus Missæ ritibus, & Processione cum Eucharistia in crastinum reservata ad Sacellum decentissime præparatum.

Facta Communione per Celebrantem de utraque specie, antequam se purificet, reponit reverenter Corpus Domini reservandum in Calicem ultimo paratum, quem Diaconus cum Palla, Patena desuper posita, ac velo sericeo cooperit, & in medio Altaris collocat reverenter. Deinde Celebrans se purificat in eodem loco, & reverentia facta Sacramento sine Mitra, quasi lateraliter in cornu Epistolæ, ubi stans versa facie ad populum, lavat manus ob reverentiam Sacramenti, & complet Missam. Interim Prælati, & Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, & Acolythi extra cancellum Capellæ capiunt paramenta, & Superpellicea, ut moris est. Subdiaconus Crucem ante Pontificem portaturus omnia paramenta accipiat, ac si Epistolam esset dicturus. Per Cæremoniarium vero distribuuntur candelæ, quæ portantur per Clericos Capellæ. Pro Sanctissimo Domino nostro datur uni ex Cubiculariis suis secretis, & pro Cardinalibus dantur suis familiaribus servientibus de cera alba, omnibus autem aliis de Prælatis paratis de cera communi; & in fine Missæ dicitur, *Ite Missa est*. Finita Missa, Papa dat benedictionem, & non Indulgentias, & Celebrans signans Altare dicit, *Initium Sancti Evangelii &c.* accedit ad Faldistorium; exuitur omnibus paramentis Missalibus, & deinde alia Ordini suo convenientia accipit, sicut alii Cardinales, & vadit ad locum suum inter alios Cardinales, qui omnes paramenta ordini suo convenientia accipiunt. Sex Capellani Celebrantis cum Superpelliceis intorticia ante Sacramentum portant. Omnibus paratis, duo Acolythi offerunt duo thuribula Papæ, & ministrante Presbytero Cardinali, Papa imponit incensum, & accenduntur omnes candelæ, Papæ, Cardinalium, & Prælatorum, ac duodecim intorticia, vel plura, si Papæ placet, quæ portantur per Capellanos Celebrantis, duo per quemlibet. Deinde Papa descendit ad Altare, ubi genuflexus Corpus Domini in Calice pro crastina die repositum reverenter incensat, ter thuribulum ducens. Deinde Calicem ipsum cum Sacramento, facta reverentia, devote accipit, illumque detecto capite portat sub baldachino, quod extra cancellos Capellæ expectantes Assistentes Papæ digniores Episcopi cum suis Pluvialibus portant, Mitras suas in manibus ferentes. Hoc autem ordine proceditur. Primo Scutiferi Papæ, Procuratores Ordinum, Advocati mixtim cum Secretariis, Cubicularii, Nobiles, & Oratores, Cantores Papæ Hymnum, *Pange lingua*, cantantes, Clerici Cameræ, Auditores, duo Acolythi cum candelabris, Subdiaconi, quorum unus Tunicella, & alius, ut supra, paratus Crucem portat. Post Crucem Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Oratores, Prælati, Vicecamerarius, si est Episcopus, alii Assistentes Papæ, Diaconi, Presbyteri, Episcopi Cardinales omnes sine Mitris. Deinde omnia intorticia, quæ sequuntur, duo Acolythi cum candelabris, & duo Acolythi cum thuribulis Sacramentum continuo incensantes. Deinde Papa medius inter duos Diaconos Cardinales assistentes sub baldachino, ut diximus, qui hinc inde phrygium Pluvialis Papæ elevatum retinent. Caudam portet dignior

Digitized by Google

laicus Urbis. Papam ſequantur Auditor de Mitra ſerviens medius inter duos Cubicularios Secretos, Protonotarii, & alii ſine paramentis. Cum Papa fuerit in loco, ubi Sacramentum reponi debet, Cardinalis, qui celebravit, vel Diaconus a dextris Papæ aſſiſtens, illud de manibus Papæ recipiat, & in locellum reponit; & Papa aliquantulum retrocedens, facta reverentia, incenſum, miniſtrante Presbytero Cardinali, imponit, & Sacramentum denuo, ut prius, incenſat. Deinde Sacriſta locellum claudit, & clavem tradit Cardinali in craſtinum celebraturo.

COMMENTARIUS.

I. JUxta Romanum Ordinem X. quem Sæculo XI. exaratum cenſet Mabillonius in ſua ad ipſum Ordinem Admonitione, ubi Pontifex in Sede ſua illos communicavit, qui communicare volebant hac die, *antequam reverteretur ad Altare ad complendam Miſſam, junior Presbyterorum Cardinalium portabat Corpus Domini poſitum in pyxide ad locum præparatum, præcedentibus eum Cruce, & luminaribus, & papilione deſuper. Tum Pontifex revertebatur ad Altare, & dicebat hanc Orationem*, Refecti vitalibus alimentis; *qua expleta, Diaconus dicebat*, Ite Miſſa eſt. *Miſſa igitur ſolemniter peracta, indutus Pontifex aſcendebat Palatium, comitantibus eum tam Epiſcopis, quam Presbyteris, & Diaconibus, omnibus paratis ſecundum ordinem ſuum.* Multa ſunt, quæ in citatum locum adnotari poſſent, ſed illud præſertim, antiquum eſſe ritum, ut Sacra Euchariſtia ſub papilione deferretur, ideſt, ſub Umbella, ut explicat eruditus Dufreſne in ſuo Gloſſario, verbo, *Papilio*. Porro modice admodum de recondenda Euchariſtia hac die loquuntur Romani Ordines ſequioris ævi, inter quos Ordo XI. pauca hæc tantum habet; *Solus Pontifex intrat ad Altare ad Sacrificium, de quo Sacrificio ſervat pro alio die Paraſceve.* Ordo XII. *Servat de Sacramento in craſtinum in Corporali.*

II. Itaque lapſu temporis ſimplices admodum evaſerunt ritus in recondenda hac die Euchariſtia, quæ tamen ut ſumma cum pompa ad præparatum Sacellum deduceretur, præſcripſit quidem Romanus Ordo XV. Cap. LXV. *Ipſe Papa*, inquit, *vel Epiſcopus Cardinalis, qui ſervit ſibi in Miſſa, prædictum Calicem cum Corpore Chriſti ſic co pertum .... tenens cum ambabus manibus per medium, portat ad armariolum, in quo conſervatur uſque in craſtinum, antecedentibus luminaribus, Cruce, & incenſo proceſſionaliter cum devotione.* Atque hic eſt ritus, qui ſervari ſolitus fuit labente Sæculo XIV. quo Amelius Auctor prædicti Romani Ordinis XV. claruit. Sequioribus Seculis quantum ritus ipſe auctus fuit a pia Fidelium, ac præſertim a Romanorum devotione, ex noſtro hoc Cæremoniali, quod medio circiter Seculo XV. ordinavit Auguſtinus Patricius, atque ex mſs. compluribus Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis liquet, in quibus ſumma rituum pompa recenſetur, qua Sacratiſſimum Chriſti Corpus in Calice conditum, ac Patena coopertum albo velo deſuper tecto ad præparatum, quamornate fieri poteſt, Sacellum deducitur. Quamquam vero ex præſcripto memorati Cæremonialis utplurimum Cardinalis celebret hac die Miſſarum Solemnia, in ſolemni tamen Proceſſione defert Sacramentum ad præparatum Sacellum Pontifex, ut multis exemplis comprobari poſſet. Sed audiamus Mucantium, qui in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXIII. ita inquit: *Feria V. in Cœna Domini Sanctiſſimus Dominus noſter paratus decenter, prout hujus diei Solemnitas poſtulat, venit ad Capellam, & interfuit Miſſæ celebratæ per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Farneſium Epiſcopum Tuſculanum.* Additque ſtatim: *Poſt Miſſam Sanctitas ſua portavit Sanctiſſimum Sacramentum ad Sacellum Paulinum magnifice ornatum, illuminatumque, præcedentibus Cardinalibus, & Prælatis paratis.*

III. Agit de eadem Proceſſione Mucantius ad annum MDLXXIV. ubi paulo fuſius Proceſſionem ipſam deſcripſit his verbis: *Finita Miſſa, & data benedictione, Sanctiſſimus Dominus noſter, impoſito incenſo in duobus thuribulis, deſcendit de Solio ad Altare, ubi genuflexus accepit Sanctiſſimum Sacramentum de manu Cardinalis de Monte primi Diaconi, quod detecto capite portavit ad Capellam Paulinam ſub baldachino, quod ſuſtinebant Prælati aſſiſtentes uſque ad oſtium dictæ Capellæ excluſive. Repoſito Sanctiſſimo Sacramento per manus ejuſdem Cardinalis primi Diaconi, & clauſa capſa* (in qua ſcilicet conditus fuit Calix cum Sacratiſſimo Chriſti Corpore) *ac eodem per Papam incenſato, extincta fuerunt funalia, ac cerei extra dictam Capellam.* Ritus ejus incenſationis jam longe ante editionem noſtri Cæremonialis mentionem fecit Romanus Ordo XV. Cap. LXV. ex cujus præſcripto Pontifex, repoſito Sacramento, *genuflexus, thurificat Corpus Chriſti.* Quod cereos ſpectat, qui in hac Proceſſione deferri a Cardinalibus, & Prælatis paratis ſolent, mandat quidem noſtrum Cæremoniale, ut Cardinalibus dentur de cera alba, Prælatis vero de cera communi; quod tamen, ut verbis utar laudati Mucantii, qui ad annum MDLXXV. hanc diſtinctionem improbat, *non videtur conveniens, licet ita exprimatur in Cæremoniali, quia meo judicio*, ut idem loquitur, *in hac parte eſt corrigendum, cum ſatis ſit, fieri differentiam in pondere candelarum, non autem in qualitate ceræ quæ debet eſſe alba pro omnibus, ut ſic magis honoretur Sacramentum.* Atque hæc ratio effecit tandem, ut Cardinalibus æque ac Prælatis albi cerei darentur, ſed illis tamen trium librarum, his vero duarum. Sane licet cerei dari ſoliti ſint hac die Cardinalibus, & Prælatis paratis tantum, tradit nihilominus laudatus Mucantius ad annum MDLXXIV. Gubernatorem, ſeu Vicecamerarium licet non paratum habuiſſe cereum album. Conqueſtos ait tunc fuiſſe Protonotarios, *quod eis non darentur cerei, prout annis præteritis ſe habuiſſe aſſerebant, ſed ve-*

re

Digitized by Google

re in Libro Cæremoniali fit tantum mentio de Prælatis sacratis.

IV. Denique ex præscripto nostri §. incensato Sacramento, *Sacrista locellum claudit, & clavem tradit Cardinali in crastinum celebraturo.* Sed variatum fuisse aliquando & hunc ritum, docent in suis mss. Diariis Cæremoniarii Apostolici, inter quos Joannes Burchardus ad annum MCD[illegible]VI. ait, quod, ubi Papa incensavit Sacramentum, *Vicecancellarius, adjuvante ipsum Sacrista, clausit capsam, & dedit clavem Sacristæ.*

CAPUT XLV.

De Processibus, qui fiunt per Papam.

His peractis, extinguuntur candelæ, & intorticia omnia præter faculas, quæ super candelabris Acolythorum sunt Crucem præcedentium, & itur Processionis more ad locum, ubi Processus legi debent, ordine, quo ex Capella majore ad minorem cum Sacramento venerunt. Baldachinum per Oratores, vel Nobiles supra Papam portatur. Cum ad locum benedictionis pervenerint, vel potius statim repositio Sacramento, Papa, dimisso Pluviali & Stola albis, accipit Stolam & Pluviale rubra pretiosa, sedetque super Sedem ibidem sibi paratam, ubi Cardinales omnes tantum ad reverentiam recipit. Deinde accedit ad pulpitum, unde videat populum; & Subdiaconus Tunicella indutus stans a sinistris Papæ legit Processum Latine, & Diaconus Cardinalis stans a dextris Italico sermone. Dum incipiuntur Processus, accenduntur candelæ, & Papa, & alii tenent suam accensam. Finitis Processibus, Papa, & omnes alii projiciunt eas super populum. His peractis, movetur pannus niger, qui erat ante Papam, pendens in conspectu populi, & datur benedictio solemnis, *Sancti Apostoli &c.* ut in Libro, & publicatur plenaria Indulgentia per duos Diaconos Cardinales assistentes, in Latino per illum a dextris, & in sermone Italico per illum a sinistris. Deinde Papa revertitur ad Palatium ad Mandatum faciendum, & Cardinales seniores, si volunt, Pontifice indulgente, discedunt. Juniores, & Diaconi remanent, paramenta vero dimittunt in loco benedictionis.

COMMENTARIUS.

I. PRocessus dicuntur Excommunicationes, ac illæ præsertim, quæ vel olim vibrari consuevere in Ecclesia Romana, & in Pontificia Capella, Feria v. in Cœna Domini, in Ascensione Domini, & in Basilicarum Apostolorum Petri & Pauli Dedicatione. Antiquæ hujus consuetudinis testis est Ordo Romanus XIV. Cap. XCII. sic inquiens: *Processus generales secundum consuetudinem approbatam fiunt tribus diebus in anno, videlicet Feria quinta in Cœna Domini, item in Ascensione Domini, item in Dedicatione Basilicarum Apostolorum Petri & Pauli, & prædictis tribus diebus fiunt etiam aliqui Processus speciales, prout expedit, sive contra aliquas Communitates, vel personas notabiles, etiamsi Reges, vel Imperatores essent.* Ante Romanum Ordinem XIV. meminit hujus antiqui ritus Ordo XIII. seu Cæremoniale Gregorii Papæ jussu editum, Num. XXII. ubi etiam rationem nos docet, ita inquiens: *Ad hoc vero quæri potest, quare hoc bodie, & in Ascensione Domini, & in Festo Dedicationis Basilicæ duodecim Apostolorum hujusmodi excommunicationes fiant in Ecclesia Dei, cum magis viderentur illis diebus silendæ, cum in diebus Festis actus judiciales non debeant exerceri. Et respondetur, quod est illa ratio Festorum trium. Primo, hac die Jovis Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi habuit principium, in quo omnes Fideles communicant. Ad ostendendum vero, quod excommunicati in hoc non communicant, eo die ab Ecclesia excluſi ostenduntur. In Ascensione vero legitur Deus rogasse pro Fidelibus, unde cantat Ecclesia*, Pater Sancte serva eos &c. *unde ostendit Ecclesia, quod pro his non oravit, & eos tales denunciat. In Festo vero Dedicationis ostenditur locus, qui Fidelibus ad adorandum deputatur, & quod infidelibus locus ille apertus non est, in ipso die ab Ecclesia expelluntur. Et hoc totum fit pro utilitate excommunicatorum, ut videntes se a tot bonis tantorum dierum excludi, facilius ad reconciliationis gratiam condescendant. Ad diem vero Festum respondetur, quod hoc non est sententiæ prolatio, sed exclusionis extensio, & non per viam judicialem, sed ammonitionem, & correctionem materialem.*

II. Hoc notato, non est omittendum, quod idem Ordo habet de ipsis Processibus, seu excommunicationibus vibrandis Feria v. in Cœna Domini per Papam, & de ritibus in eisdem servandis: *Hora sexta ipsius diei*, inquit, *venit Papa cum tota Curia, tum omnes Episcopi Cardinales in Pluvialibus, Presbyteri in Casula, Diaconi in Dalmatica, Subdiaconi in Tunicellis, Prælati omnes in Pluvialibus coloris albi, & alii Capellani, qui habent servire, in Superpelliceis, & ipse Dominus Papa cum precioso Pluviali, & Mitra cum auro, & ibi fit per ipsum Dominum Papam Sermo. Quo finito, Papa residet in Faldistorio, & leguntur per Capellanum Excommunicationes, & Diaconus Cardinalis exponit, & sicut de*

Digitized by Google

se quolibet processu. Quibus lectis, & expositis, veniunt multæ candelæ accensæ, ex quibus ipse Papa tenet aliquas, & quilibet Cardinalis, & Prælatus tenet suam accensam, & in terram ponit extinguendo, dicendo, Prædictos omnes excommunicamus; *& tunc Campanæ insimul sine ordine compulsantur. Et hic quæri posset, quare sic candelæ accensæ projiciuntur, & respondetur, quod sicut candela accensa projicitur, extinguitur; sic per excommunicationem ab Ecclesia, Spiritus Sancti gratia, quæ significatur per lucem, ab eis removetur; & sicut in pulsatione ordinata, Ecclesia Fideles congregat, sic in inordinata infideles dispergit.*

III. Similia his habet Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. XCII. ubi postquam dixit, tribus memoratis superius in singulos annos diebus fieri Processus generales per Papam, in ipsisque Processibus adesse omnes Cardinales, & Prælatos Curiæ paratos in albis, Pontificem vero Pluviali rubeo ornatum, pergit deinde, ritumque describit, qui in hujusmodi Processibus fieri solitis in ipsa Feria V. in Cœna Domini servabatur: *Dicta*, inquit, *per Dominum Papam in Camera Tertia, & Sexta sine nota, habens ipse Dominus Papa Stolam ad collum more consueto, & indutus Pluviali rubeo habente aurifrigium solemne cum perlis, & gestans Mitram cum perlis, ministrantibus sibi duobus Diaconibus indutis Cappis suis de lana, ut solitum est, hora Tertia, vel Sexta, præcedentibus ipsum cum Cruce Diaconibus Cardinalibus, & Capellanis, & aliis, progreditur ad locum solemnem, & eminentem paratum ad prædicandum, ut fiant Processus, qui fuerint faciendi. Ad locum perveniens, sedens in Faldistorio, recipit ad reverentiam Cardinale, & Prælatos nondum paratos, licet quandoque parati ad reverentiam veniant, de processura timentes. Qua reverentia facta, Dominus Papa sermocinatur ad populum in vulgari, assumpta tamen auctoritate in Latino, & breviter, quia multa eo die sunt peragenda, vel committit Sermonem alteri, scilicet alicui Episcopo, vel Presbytero Cardinali In Sermone potest fieri mentio, si placet, de solemnitate diei, & aliquid etiam tangi de Processibus faciendis.*

IV. Itaque licet ex præscripto nostri hujus Cæremonialis, ut notatum superius fuit, non fiat Sermo Feria V. in Cœna Domini, constat nihilominus vel ex recitato hactenus loco, fieri consuevisse die ipsa Sermonem, *de Solemnitate diei*; idque nos jam etiam supra ostendimus, quod magis magisque confirmatur ex eodem Ordine Romano XIV. ubi de ipso Sermone hæc leguntur: *Si ipse Dominus Papa sermocinetur, ipso prædicante, omnes sunt parati, tam Cardinales, quam Prælati in albis, singuli in suo habitu. Diaconi in Dalmaticis, & Tunicellis, Presbyteri in Planetis, Episcopi in Pluvialibus, Capellani in Scutis, & Cotta, seu Superpelliceo. Subdiaconi Domini Papæ possunt esse in Tunicellis, qui ea die deberent esse duodecim. Si vero aliquis Episcopus, vel Presbyter Cardinalis sermocinaretur, ipse prædicans debet esse paratus, sed alii Cardinales, & Prælati possunt differre recipere paramenta, quousque incipiantur Processus, vel quousque Diaconus Cardinalis ipsos incipiat vulgarizare. Sed in omnem eventum duo Diaconi, qui ministrant Domino Papæ, & ille Diaconus, qui debet vulgarizare Processus, & unus Episcoporum saltem qui prædicat, possunt recipere paramenta statim facta reverentia, ut sint magis parati ad suum ministerium exequendum.* Sic igitur iste consueuit esse ordo, quem summatim recenset prædictus Ordo Romanus XIV. ut nempe *Dominus Papa veniens ad locum Processuum, in Faldistorio sedeat, eatur ad reverentiam, fiat brevis Sermo ad populum per Papam, vel per aliquem Cardinalem, revertatur Dominus Papa ad sedendum. Si prædicavit aliquis Capellanus, vel plures, si sint plures Processus, in Cotta, & Scuta stans versus populum, cito, & intellegibiliter legant Processus, in vero*, (forte, *in Latino*, ut in Ordine Romano XV. Cap. LXIII.) *ad modum, quo leguntur Lectiones in Ecclesia. Unus Diaconorum in paramentis albis tenens Mitram in capite versus ad populum lectum Processum per Capellanum saltem in substantia vulgarizet, & deinceps secundo Processu lecto, idem Diaconus vulgarizet. Idem faciat, & eodem ordine, si fuerint plures Processus.* Porro vox *Scuta*, quæ in recitato loco occurrit, ut notat in suo Glossario eruditus Dufresne, species est vestis Ecclesiasticæ, & forte a forma rotunda sic dicta.

V. Ut ut sit hæc interpretatio, sciendum idem Ordo XIV. admonet, *quod Processus communes, qui fiunt contra hæreticos, & contra piratas maris, & contra imponentes nova pedagia, & contra falsarios Bullæ, & portantes prohibita Sarracenis, & impedientes euntes, & redeuntes ad Curiam, non consueverunt omitti.* Spectant hæc Bullam, quæ dicitur, *Cœnæ Domini*, cujus varia capita legere est in Corpore Juris Canonici ad Titulum, *De sententia excommunicationis*. Sed audiamus reliquos ritus descriptos in citato Romano Ordine XIV. ex cujus præscripto, factis Processibus, *Dominus Papa ascendit pulpitum versus ad populum duobus Diaconibus assistentibus, uno a dextris, altero a sinistris, & uno Episcopo a dextris, ceteri vero Episcopi, & Presbyteri Cardinales, prout locus patitur, stent a dextris, & Diaconi a sinistris, & alii Prælati, sive a dextris, sive a sinistris, ut poterunt, omnes tamen inspiciant populum cum Mitris in capite Tunc Dominus Papa stans versus populum aliquid potest dicere de Processibus lectis, & expositis, prout sibi placet, scilicet, quod ipsos approbat, ratificat, & facit, prout lecti sunt, & sicut Diaconus exposuit, & circa ultimum verborum, habens aliquos torticios accensos in manu, projicit ipsos Dominus Papa versus populum ad terram Hoc idem faciunt singuli Cardinales, & Prælati, tenentes tantummodo singuli unum torticium in manu, nihil dicendo, & cum candelæ projiciuntur, debent Campanæ Ecclesiæ inordinate pulsari.* Atque hi sunt ritus profecto antiqui, quos longo jam tempore usitatos, & non ævo suo adinventos recenset Auctor Romani Ordinis XIV. Jacobus Gajetanus nepos Bonifacii Papæ VIII.

Ritibus hisce antiquis concinit ergo nostrum Cæremoniale, ex cujus præscripto, recluso Calice cum Corpore Domini in præparato Sacello, & extinctis candelis, & intorticiis omnibus, cum qui-

Digitized by Google

quibus delatum fuit Domini Corpus ad eum locum, præter faculas, quæ super Candelabris Acolythorum sunt Crucem præcedentium, *itur Processionis more ad locum, ubi Processus legi debent &c.* Mentionem hujus ritus in nostro hoc Capite descripti faciunt passim mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, inter quos Joannes Burchardus ad annum MCDLXXXVI. ubi agit de ritibus Feria V. prædicti anni servatis, ita inquit: *Surrexit Papa*, idest post incensatum, & reconditum Sacramentum in capsa, *& imposita sibi Mitra, ivit processionaliter usque ad locum benedictionis præcedentibus Prælatis, & Cardinalibus more consueto. Baldachinum portarunt supra Papam digniores Oratores, & alii laici ibidem existentes. Pervento ad locum benedictionis, Cardinales omnes fecerunt reverentiam Papæ, quia in Missa reverentiam non fecerunt. Qua facta, Papa vertit se ad populum, & fuit lecta, & pronunciata Bulla anathematis, videlicet in Latino per D. Hieronymum Calagranum Subdiaconum Apostolicum detecto capite stantem usque ad finem, & idiomate Italico per Reverendissimum Dominum Joannem Cardinalem de Columna. Interim Papa, & omnes Cardinales, & Prælati tenebant suas candelas ardentes in manibus, & finita lectione Bullæ, omnes projecierunt eas populo. Tum deposito per Floreries ante Papam panno, seu tela nigra pallium cooperiente, Papa ex Libro legit benedictionem solemnem more consueto.*

VII. Eadem fere legere est in sequioris ævi Diariis, ac in iis præsertim, quæ scripsit accuratus Mucantius, qui ad annum MDLXXIV. de eodem ritu hæc habet: *Reposito Sanctissimo Sacramento per manus ejusdem Cardinalis primi Diaconi, & clausa capsa, ac eodem per Papam incensato, extincta fuerunt funalia, & cerei extra dictam Capellam. Prælati, & Cardinales reposit is in capite Mitris, ordine, quo venerunt, processerunt ad Menianum pro Bulla legenda, ac benedictione danda præparatum, Papa subsequente in Sede sub Baldachino, quod ferebatur per Oratores, & Nobiles. Statim ac Papa pervenit ad dictum locum, depositis paramentis albis, & rubeis acceptis, sedens in Sede ibi parata recepit Cardinales ad obedientiam. Mox sublatus in Sede gestatoria supra dictum Menianum, ita ut populus videret, & ab eo videretur, tenens candelam accensam ambabus manibus; fuit lecta Bulla per Subdiaconum Apostolicum paratum stantem a sinistris Papæ in Latino, & per Diaconum Cardinalem a dextris Italico Sermone. Qua finita, Papa projecit unam candelam in populum, & pariter cum eo unus, aut alter Cardinalis. Alii vero nec projecerunt, neque adeo illas in lectione Bullæ accensas tenuerunt, prout secundum antiquas cæremonias fieri consuetum est, sed illas eorum Caudatarii retinuerunt, vel alio transmiserunt, super quo erit considerandum, quid fieri debeat alia vice; nam conveniens admodum videretur, ut eas Reverendissimi Domini Cardinales tenerent accensas dum legitur Bulla, & ea lecta, projicerent in populum. Papa, lecta Bulla, & projecta sua candela, remotoque velo nigro, dedit benedictionem more solito, & Cardinalis Diaconus assistens a dextris publicavit Indulgentiam plenariam in Latino, alter vero a sinistris in vulgari.*

VIII. Hactenus in suo ms. Diario Mucantius, ex quo plura adnotabit Capellæ Pontificiæ Rituum studiosus. Unum ego observabo, quod alias notavi non uno Operum meorum loco, nempe candelas ad pronunciatam Excommunicationis sententiam solemniter extinguere, ac projicere in terram, esse morem solius Ecclesiæ Latinæ, a Græcis vero nunquam usitatum. Lucet id quidem ex Georgii Pachimeris Historia, ubi Lib. I. Cap. XXX. de Latino Achajæ Principe cum Græcis pacem stipulante ita scribit: *Celebrata est conventio mutuo jurejurando, horrificis etiam, ut ajunt, utrinque sancito ritibus. Nam funale accensum præferentes, ubi suum quisque caput, si a pacto resiliret, diris quammaxime formidolosis devovit, illud extinxerunt, cujusmodi cæremonia putant tali execrationibus, seu excommunicationibus more ipsorum in quospiam intortis efficacitatem & adjungi maximam.* Ritum laudat in Synodali disceptatione cum Regio Advocato S. Petrus Damiani, sic inquiens: *Gerardus Galeriæ Comes a plenaria Nicolai Secundi Synodo excommunicatus est, & extinctis luminaribus sub perpetuo anathemate condemnatus.* Sed jam longe ante Nicolaum II. Lemovicensis sub Benedicti Papæ IX. Pontificatu celebrata Synodus, ubi excommunicavit quosdam alienarum rerum raptores, ita adjunxit: *Sicut hæ lucernæ extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu Sanctorum Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.* Integra Synodi Acta legere est apud Labbeum, & alios Conciliorum Collectores, in quibus non raro occurrunt ejus ritus exempla; & ut alia omittam, in Quintilinoburgensi Concilio, Can. XIII. legitur, quod *in fine Synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum Hæresiarcham Sedis Apostolicæ pervasorem &c.*

IX. Præter Lemovicensem Synodum superius a nobis memoratam, quæ prima omnium ejus ritus meminit, tametsi ipsa ejusdem auctrix non fuerit, ritus extinguendi candelas in fulminanda excommunicatione rationem & sacramentum recenset inter alios Romualdus Archiepiscopus Salernitanus in suo Chronico ad annum MCLXXVII. ubi pacem ab Alexandro Papa III. cum Imperatore Friderico I. factam laudans, affirmat, fuisse eam cum solemni anathemate firmatam, & adjungit formulam, quæ fuit hujusmodi: *Sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum, qui pacem violarint, animæ lumine æternæ visionis, & claritate priventur.* Porro ad majorem terrorem adjuncta etiam postmodum fuit solemnis campanarum pulsatio, cujus meminit in sua Anglicana Historia Matthæus Parisius ad annum MCCLIII. ubi ostendens, Henricum III. Angliæ Regem ad lapsas Ecclesiæ libertates, pro quibus S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis mortem obiit, reparandas, ac solemnibus juramentis, & anathemate confirmandas, fuisse ab Episcopis suis compulsum, sic scribit: *Dum Rex sententiam audiisset, tenuit manum suam ad pectus suum sereno vultu, voluntario, & alacri. Et cum in fine Episcopi projecissent candelas extinctas, & fumigantes, & diceretur a singulis*, Sic extin-

Digitized by Google

tinguantur, & fœteant hujus ſententiæ incurſores in inferno, *& Campanæ pulſarentur, dixit ipſe Rex*, Sic me Deus adjuvet, & hæc omnia illibate ſervabo fideliter, ſicut ſum homo, ſicut ſum Chriſtianus, ſicut ſum Miles, ſicut ſum Rex coronatus, & inunctus. *Et ſciendum, quod in principio ſententiæ ferendæ, cum traderentur omnibus accenſæ candelæ, tradita fuit Regi una, & cum accepiſſet eam, noluit eam tenere, ſed tradidit cuidam Prælatorum, dicens*: Non decet, me candelam tenere, non enim ſum Sacerdos. *Et ex tunc tenuit manum expanſam ad pectus, donec tota ſententia finiretur.*

X. Ex dictis hucuſque jam liquet, terribiles faces ab excommunicantibus Prælatis tentas non modo fuiſſe, ſed accenſas quoque, projectas, atque extinctas; meritoque iccirco morem ævi ſui refellit Mucantius, ex cujus recitato ſuperius teſtimonio didicimus, anno MDLXXIV. ſolum Papam, Gregorium nempe XIII. ſuam projeciſſe candelam in populum, & cum eo unum, aut alterum Cardinalem, alios vero non tenuiſſe, neque illas in Lectione Bullæ projeciſſe; ſed illas eorum Caudatarios tenuiſſe, aut alio tranſmiſiſſe. Cæterum non deſunt in Eccleſiaſtica Hiſtoria exempla, ex quibus docemur, ſolum Prælatum excommunicantem candelam accenſam tenuiſſe. Atque hinc eſt, quod de Hardeberto Ultrajectenſi Epiſcopo Comitem Hollandiæ ſolemniter excommunicaturo ſcribit Magnum Belgii Chronicon: *Proceſſit univerſus Clerus ſecundum gradus ſui ordinem in albis, quem Hardebertus Antiſtes noviſſime ſequebatur in Pontificalibus ornamentis, fulmineum ignem gerens in manibus, ut Comitem anathematizaret cum ſuis complicibus*. Fulmineum ignem gerebat ſolus Epiſcopus, qui excommunicationem vibrabat. Teſte Amelio in Ordine XV. Romano, Cap. LXIV. ubi Proceſsus fiunt Feria V. in Cœna Domini, Papa quidem *projicit candelam inferius, & omnes alii candelas ſuas projiciunt, ſed non Ceroferarii, ſive Acolythi illas de candelabris, quia proceſſionaliter revertuntur, ſicut iverunt, quas demum Sacriſta Papæ recipit*, Erat Amelius Sacriſta, notatque quamdiligenter quæ in ſui commodum erant. Quod dicitur de nigro panno, qui in ea promulgatione anathematis pendere debet ante Papam, &, ut ait noſtrum Cæremoniale, removetur abſoluta ea cæremonia, ritus non eſt ita antiqui, cum illius nec Ordo XV. Romanus labente Seculo XIV. exaratus meminerit. Spectare autem videtur ea cæremonia, ſicut & inordinata campanarum pulſatio, cujus inter alios Rituales Libros mentionem facit memoratus Ordo Romanus XIII. Eccleſiæ luctum, ob ſpiritualem ſcilicet mortem facinoroſorum, qui anathemate percelluntur.

XI. His peractis, ex noſtri Cæremonialis præſcripto, *datur benedictio ſolemnis ... & publicatur plenaria Indulgentia per duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes, in Latino per illum a dextris, & in ſermone Italico per illum a ſiniſtris*. Ritus hujus mentio tametſi nulla habeatur in vetuſtioribus Romanis Ordinibus, habetur tamen in Ordine XIII. XIV. & XV. *Prædicatione, & Excommunicatione completa*, inquit Ordo XIII. *fit Confeſſio, & ſequitur Indulgentiæ datio, quæ talis eſt. Indigenis datur annus & XL. dies; extraneis duo anni, & duæ quadragenæ, ultramontanis III. anni & IV. XL. bis qui tranſiverint mare, IV. anni, IV. XL. & fit abſolutio per Papam &c.* Similia fere habet Romanus Ordo XIV. cujus locum tametſi prolixiorem lubet hic deſcribere: *Completis Proceſſibus, Diaconus miniſtrans Summo Pontifici a ſiniſtris depoſita ſibi Mitra, & digitis utriuſque manus ante pectus invicem in oppoſito cancellatis, dicit alta voce*, Confiteor Deo, *cum nota more ſolito, quo finito; Dominus Papa reſumit valde breviter ad populum, maxime ſi ipſe prædicavit, quod ſicut inobedientes, & mali debent pœnas, & graves Proceſſus de ſua malitia reportare, ſic boni, & obedientes debent gratias, & præmia obtinere, & dat Indulgentiam omnibus, qui interfuerint Prædicationi, & Proceſſibus, vel alteri ipſorum, qui talis eſſe conſuevit. Indigenis datur annus, & quadraginta dies; extraneis duo anni, & duæ quadragenæ, ultramontanis tres anni, & quatuor quadragenæ; iis qui tranſierint mare, quatuor anni, & quatuor quadragenæ.*

XII. Pergit idem Ordo, ritumque deſcribit largitæ ſolemnis benedictionis per Papam, cujus tamen nulla fit mentio in prædicto Romano Ordine XIII. *Tunc Diaconus miniſtrans a dextris deponat Mitram Domino Papæ, qui manibus elevatis, ſicut cum dicit Orationem in Miſſa, facit Abſolutionem, dicendo clara voce, ſicut conſuetum eſt*, Sit Nomen Domini benedictum, *videlicet*, Precibus, & meritis &c. *& reſponſo*, Amen, *dicit ſimiliter*, Abſolutionem, Indulgentiam &c. *& reſponſo*, Amen, *ultimo dat benedictionem, dicendo, & ſignando populum*, Et benedictio Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. *Poſt hæc repoſita ſibi Mitra per Diaconum, vadit ad Eccleſiam, Cruce, cæteris Cardinalibus, & Prælatis, Subdiaconibus, & Capellanis paratis præcedentibus &c.* Porro juxta Romanum Ordinem XV. Cap. LXIV. dicto, *Confiteor Deo*, a Diacono Cardinali, qui Papæ a ſiniſtris aſſiſtit, *Papa dat more ſolito benedictionem, qua data, junior Diaconus Cardinalis de manu Papæ denunciat Indulgentiam de ſeptem annis, & VII. quadragenis &c.* Sed invaluit mos paulo poſt, uti ex noſtro Cæremoniali conſtat, ut publicetur *plenaria Indalgentia per duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes, in Latino per illum a dextris, & in ſermone Italico per illum a ſiniſtris*.

CAPUT XLVI.

De Mandato faciendo.

INter alia inſignes, ac pervetuſtas Feriæ V. in Cœna Domini cæremonias fuit haud dubie lotio pedum, quæ appellatur, *Mandatum*, quia prima Antiphona, quæ in ea functione cantatur, incipit per illa Chriſti Domini cæremoniam ipſam commendantis verba, *Manda-*

Digitized by Google

tum dedi vobis &c. ut jam notavimus Tomo II. Cæremonialis Episcoporum Lib. II. Cap. XXIV. in Commentario ad §. 1. Cum enim Jesu Christi ætate, uti observat Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXII. nudis pedibus cum sandaliis tantum, sive soleis homines incederent, ac pedes facillime deturparent, ante alia officia hospitibus præstita, pedes lavabantur, quod eorum quoque lassitudinem recreabat. Viduarum munia esse ait Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, Cap. v. hospitalitatem servare, atque Fidelibus pedes abluere. Sed notandum hic, non qualemcumque Viduam, sed provectæ ætatis, ac probatæ virtutis mulierem munus illud exercuisse, uti ex eodem Apostolo addiscimus, qui etiam Timotheum ipsum admonet, ut Viduas adolescentiores devitet, propter scandalum scilicet, & periculum, quod ex ejusdem conversatione oriri posset.

II. Rursus Mandatum, ita dici, quod Christus Dominus pedum lotionem Apostolis suis, atque Discipulis in perpetuum observandam mandavit, communis Scriptorum docet sententia. Superflua proinde est, ac vana ritus hujus institutoris inquisitio. Nec enim S. Gregorius Magnus, ut recte notat Vir doctissimus Jacobus Goar in suis ad Euchologium, seu Rituale Græcorum Notis, vel quivis alius sequutus Pontifex, illius Auctor haberi potest, cum peregrinorum Bethlehem confluentium pedes lavisse S. Hieronymum, qui seculo IV. claruit, in ejus Epistolis legamus, & S. Laurentius Confessoribus in carcere positis idem charitatis, & humilitatis officium præstiterit, & Baptismo suscepturis, Communioniſque consortibus lavipedium, ut inquiunt, multo ante S. Gregorii tempora, a S. Ambrosio, in Libro, *De Sacramentis*, atque a S. Augustino in Epistola CXIX. Cap. XVIII. receptum fuisse edoceamur. Potuit tamen, fateor, instituto jam, & commendato huic ritui, Feriæ v. in Cœna Domini tempus assignare S. Gregorius, vel alius post ipsum Pontifex Maximus, ut quod Christus ea die edidit abjectionis exemplum, eadem die Christi præsertim Vicarius, idest, Summus Romanus Præsul imitaretur.

III. Hanc cæremoniam, quæ alias ubique apud Christianos ex Jesu Christi mandato, & exemplo in usu erat, affirmat S. Augustinus in celebri sua ad Januarium Epistola, ævo suo a pluribus prætermissam veritis, ne quoddam genus Baptismi videretur. Queritur tamen Synodus Toletana XVII. anni MDCLXIV. Can. III. cæremoniam ipsam *partim desidia, partim consuetudine, in quibusdam Ecclesiis, in Cœna Domini*, fuisse omissam, statuitque, *ut deinceps non aliter in totius Hispaniæ, & Galliarum Ecclesiis ea solemnitas celebretur, nisi pedes unusquisque Pontificum, seu Sacerdotum, secundum hoc sacrosanctum exemplum*, Christi scilicet, *suorum lavare studeat subditorum*. Additque mox, *quod si quisquam Sacerdotum hoc nostrum distulerit adimplere Decretum, duorum mensium spatiis sese noverit a sanctæ Communionis perceptione fruſtratum*. Utrum Sanctimonialibus liceret sibi invicem lavare pedes, sicuti Viri faciunt in Cœna Domini, aliisque etiam diebus, consuluit aliquando Zachariam Papam S. Bonifacius Moguntinus Episcopus, sic scribens: *Si liceat, Sanctimoniales feminas, quemadmodum Viri faciunt, sibi pedes abluere, tam in Cœna Domini, quam in ceteris diebus?* Et respondit Pontifex, licitum quidem esse, præceptumque Christi, qui communis est Dominus, ad masculos æque, ac ad feminas pertinere. Hinc in Vita S. Bertæ Abbatissæ Ordinis Vallumbrosani apud Bollandianos ad diem XXIV. Martii legimus, eam Feria v. Sanctimonialibus suis pedes lavare consuevisse. Chilienus quoque Monachus in S. Brigidæ Vita Cap. II. ita de eadem cecinit.

Proxima Cœna fuit Domini, qua Sancta solebat
Mandatum Christi calido complere lavacro.

IV. Quam tenaces ejus cæremoniæ fuerint Monachi, abunde nos docent eorum Statuta, atque Ordinaria allata ab erudito Martene in suo Opere, quod inscripsit, *De antiquis Monachorum ritibus*. Imperatores quoque, ac magnos Principes ad imitandum Jesu Christi Regis Regum, ac Domini omnium Dominantium humilitatis exemplum, eandem disciplinam in se suscipere non exhorruisse, multis probari posset exemplis. Certe Codinus in Libro, *De Officiis Aulæ Constantinopolitanæ*, ita ritum enarrat, quo Græci Imperatores solebant Feria ipsa v. Cœnæ Domini Pauperum pedes lavare: *Constituunt*, inquit, *duodecim Pauperes, eosque, sive tunicis curtis, braccis, seu caligis, & calceis vestiunt, & posita pelvi in Imperatoris conclavi, Protopapa ad januam consistens, recitat illud*, Benedictus Deus noster, *cum Trisagio. Deinde lecto per illum Evangelio, quando processit ad illa verba*, Mittit aquam in pelvim, *infundit Imperator aquam in pelvim. Postea adducunt jam antea præparatos Pauperes sigillatim, quorum quivis manu cereum ardentem gestat, & hoc quidem sedente. Protopapa autem Evangelium legente, illudque pronunciante*, Cœpit Jesus lavare pedes Discipulorum; *idque sæpius, donec scilicet omnium pedes abluuntur, lavat Imperator dexterum cujusque pedem, lotumque sindone, qua præcinctus est, abstergit, & osculatur. Quo peracto, terminat Officium lotionis. Dantur cuilibet Pauperi tria aurea numismata. Postmodum inchoatur Liturgia, sive Missa.*

V. Usitatam fuisse hanc cæremoniam ab aliis Regibus, atque Principibus, variis documentis ostendit eruditissimus Josephus Carafa in suo celeberrimo Opere inscripto, *De Capella Regis utriusque Siciliæ, & aliorum Principum*. Teste autem Helgaldo Monacho Floriacensi in Vita Roberti Regis Francorum, *quotidie in sancta Quadragesima centum, aut ducentis jubebat Pauperibus dari panis, piscium, & vini cibaria. In die autem Cœnæ Domini non videntibus incredibile, videntibus vero, & servientibus in tali negotio satis admirabile, cum non minus quam trecenti ipsa die sua providentia congregati, de ejus sancta manu flexo poplite in terram, unusquisque tegumen, piscem, panem, denarium unum sumebat in manibus*. Et mox: *Itidem centum Clericis pauperibus præbendam panis, & vini concedebat, duodecim unumquemque illorum honorans denariis &c.* Porro præ ceteris eam cæremoniam religiose servarunt Summi Romani Pontifices, ut veterum Pontificum exempla nos docent.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

De præparandis ad pedum lotionem Feria v. in Cœna Domini.

Cum Papa pervenerit ad Aulam ad hoc paratam, ſint ibi ordinati tredecim Pauperes in albis veſtibus novis a Pontifice ſibi datis, ſedentes ſuper ſcamnis altis bene ornatis. Credentia ordinata ſit cum floribus, & herbis odoriferis, & vaſis cum aqua calida, & frigida, ac rebus aliis opportunis, videlicet pelvibus tredecim cum totidem vaſis aqua calida implendis; item tredecim mappulis in alio bacili; item aurei Papales tredecim duplices, ſive viginti ſex ſimplices, & totidem nummi argentei pro eleemoſyna Pauperum; nam Papa dat cuilibet Pauperi unum aureum duplicem, vel duos ſimplices, & totidem argenteos, & hi in aliquo vaſe diſponuntur. Duo vaſa pro lavandis manibus Papæ cum ſuo mantili. Item paretur etiam pulpitum cum ſuo pallio albo pro Evangelio, & Liber Evangeliorum, ac aliud pulpitum pro Cantoribus. Duo candelabra cum luminaribus, thuribulum cum navicella, & incenſo, quæ Acolythi teneant. Sedes Pontificalis in plano, Pluviale rubrum, & (1) Mitra ſimplex, & Stola violacea pro Pontifice, & Liber pro Oratione.

COMMENTARIUS.

I. ESſe antiquum ritum, ut Romanus Pontifex Maximus, Chriſti, cujus vices gerit in terris, exemplum imitatus, hac die pedum lotionem & ipſe perageret, docent antiqui Romani Ordines paſſim, inter quos Ordo x. Num. xii. ita inquit: *Miſſa ſolemniter peracta, indutus Pontifex, aſcendit Palatium, comitantibus eum tam Epiſcopis, quam Presbyteris, & Diaconibus, omnibus paratis juxta ordinem ſuum. Pontifex vero ingreditur Baſilicam Sancti Laurentii* (Panvinii Codex addit, *vel Sancti Nicolai, ſi eſt apud Sanctum Petrum*) *& ſine Planeta reſidens in Sede facit Mandatum*, ideſt lotionem pedum, *duodecim Subdiaconorum*. Ergo immediate poſt Miſſam fiebat hæc cæremonia, & juxta morem Evangelicæ hiſtoriæ apud Joannem, Cap. xiii. ubi dicitur laviſſe Chriſtus pedes duodecim ſuorum Diſcipulorum, lavabat olim Papa pedes *duodecim Subdiaconorum*. Mandat quidem hic noſter §. ut, *cum Papa*, abſolutis ſcilicet Proceſſibus, de quibus dictum ſuperius fuit, *pervenerit ad Aulam, ſint ibi ordinati tredecim Pauperes in albis veſtibus novis a Pontifice ſibi datis &c.* Sed fateri cogimur, recens eſſe inſtitutum, ut tredecim ad eam lotionem admittantur, cum non modo memoratus Ordo x. Romanus, ſed & alii ſequioris ævi, & omnes pene antiqui Libri Rituales, tum Latini, tum Græci mentionem duodenarii numeri faciant.

II. Ordini Romano x. concinit Romanus Ordo xi. Auctore Benedicto, Num. xli. cujus hæc ſunt verba: *Finita Miſſa, Dominus Pontifex ita indutus redit in Palatium in Baſilica S. Laurentii, ibique expoliat ſe uſque ad Dalmaticam, & poſita pelle*, ideſt Almutia, ut explicat ibidem Mabillonius, *ad collum ejus, ſedet. Cubicularii ponunt concham ante eum, & linteum mundum. Duodecim Subdiaconi manent extra Baſilicam; duo Oſtiarii accipiunt Priorem*, Baſilicæ ſcilicet, *in ulnis, & portant eum ante Pontificem, Pontifex vero aqua calida lavat pedes ejus, & tergit linteo, oſculatur eos, & dat ei v.* (alibi legitur duos) *ſolidos ſic facit unicuique eorum xij.* Duodenarii etiam numeri meminit Ordo Romanus xii. Auctore Cencio, Cap. xi. ubi etiam ait, factam eam lotionem a Pontifice in Baſilica S. Laurentii, lotoſque ibidem fuiſſe pedes Prioris ipſius Baſilicæ, & aliorum undecim Subdiaconorum: *Miſſa tandem finita, Pontifex indutus cum ceteris ad Palatium in Baſilica S. Laurentii revertitur, ibique expoliat ſe uſque ad Dalmaticam. Cubicularii ergo parant aquam calidam pro abluendis pedibus Subdiaconorum, & ponunt pelvim coram eo, & Diaconus Cardinalis, qui ſervit ei, ponit toaleam, quam Camerarius dat pro ipſo ſervitio ſuper genua Domini Papæ. Duodecim autem Subdiaconi cum Priore remanent extra Baſilicam diſcalceati, & Schola Oſtiariorum, & Mappulariorum accipiunt Priorem Baſilicæ, & alios undecim Subdiaconos in ulnis ſuis, ſicque per ordinem portant eos unum poſt alium ante Dominum Papam. Pontifex autem lavat pedes eorum, & tergit cum linteo, & poſtmodum oſculatur, & dat unicuique duos ſolidos denar. Papienſ.*

III. Devenio nunc ad Ordinem Romanum xiv. Auctore Jacobo Gajetano, qui claruit labente Seculo xiii. & ineunte xiv. Verum antequam Ordinem ipſum deſcribam, præmittendum cenſeo, quod Mabillonius obſervat in Nota ad Cap. lxxxiv. ipſius Ordinis, ubi agitur de Mandato fiendo in die Jovis Sancto, non eſſe ipſum purum putum Jacobi Gajetani Ordinarium, ſed ab aliquo alio interpolatum quibuſdam in locis. Quicquid tamen de ea interpolatione ſit, mentio ibidem fit duodecim Subdiaconorum, rituſque luculentius explicantur, in ſuperioribus Ordinibus alias memorati. Sic ergo inquit: *Miſſa ſolemniter peracta, indutus Pontifex ſicut cantavit, aſcendit ad Palatium, comitantibus eum tam Epiſcopis, quam Presbyteris, & Diaconibus, omnibus peractis* (legendum, *paratis*) *ſecundum ordinem. Pontifex vero ingreditur Baſilicam S. Laurentii de*

(1) Ita in editione Veneta i. & Colonienſi deeſt, *Mitra*, quæ tamen recte legitur in editione Romana.

Digitized by Google

Palatio, vel Capellam S. Martini, si est ad Sanctum Petrum, & exuit Planetam, & assumit sibi Mantum in scapulis. Impositio super caput suum Fanone cum Mitra, facit Mandatum duodecim Subdiaconibus Rochetum cum Superpelliceo portantibus. Cubicularii ponunt concham ante eum. Ipse vero præcinctus linteo, habens ante se linteum mundum, quo unus Diaconus, qui ei servit, secundum Dominum Jacobum Gajetanum, ipsum Papam præcingit, bracheolam ad hoc portatam (legendum, *paratam*) *habens in brachiis, & linteum mundum ante se tenens; quæ omnia debent parari per Thesaurarium, vel Fratres de Prognota* (alibi, *de Pignotta*) *& duodecim Subdiaconi manent foris Basilicam discalciati. Duo vero Ostiarii accipiunt Priorem in ulnis, & portant eum ante Pontificem; Pontifex vero cum aqua calida, quam infundere debent Cubicularii, lavat pedes ejus, & tergit linteo, & deosculatur pedem ejus dextrum, & sic facit unicuique Subdiaconorum, & dat ei duodecim denarios.*

IV. Rursus idem Ordo XIV. agit de eodem Mandato, & ritibus in eo servandis, Papa non existente in Urbe, diserteque inter alia inquit Cap. XCI. lavari pedes duodecim Subdiaconibus, vel Capellanis in eorum defectum: *Dicta ultima Oratione per Dominum Papam, &*, Ite Missa est, *per Diaconum, &*, Sit Nomen Domini benedictum, *ut moris est, Dominus Papa indutus omnibus paramentis, sicut celebravit, vadit cum omnibus Cardinalibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus secundum ordinem suum ad aliquem locum præparatum, ut faciat ibi Mandatum. Residens itaque in Faldistorio, depositia Planeta, & Pallio, & assumpto Manto in scapulis, tenens Fanonem in capite, & super ipsum Mitram, præcinctus linteo, quo unus Diaconus, qui ei servit, Papam præcingit, braceola ad hoc parata habens in brachiis, posita Concha per Cubicularios ante eum, lavat pedes duodecim Diaconibus*, legendum forte Subdiaconibus, *vel Capellanis in defectum ipsorum in Scutis... & Cottis, qui parati Tunicellis, & discalciati debent in aliquo loco separato expectare. Tunc duo Ostiarii, vel servientes accipiunt Priorem illorum Subdiaconorum, & portant ante Pontificem, & sic de singulis. Summus Pontifex cum aqua calida lavat pedes eorum singulariter portatorum, & tergit linteo, & deosculatur pedes eorum, & dat singulis duos solidos denariorum.*

V. Similia & his habet Ordo Romanos XV. Auctore Amelio, Cap. LXIX. ubi aliquibus immutatis iidem recensentur ritus, præsertim vero ille lavandi pedes duodecim Subdiaconorum: *Ipse Papa facit Mandatum XII. Subdiaconibus Rochetum cum Superplicio portantibus, & Cubicularii portant, & ante eum ponunt concham, seu pelvim. Ipse vero Papa præcinctus linteo, quo unus Diaconus, qui ei servit, secundum Dominum Jacobum Gaitani, ipse Papa brachiolam ad hoc paratam habens in manibus, & linteum mundum ante se tenens, quæ omnia debent parari per Thesaurarium, vel Fratres de Pignotta, & dicti XII. Subdiaconi manent in aliquo loco remoto discalceati. Duo vero Ostiarii Papæ, sive servientes armorum portant quemlibet dictorum Subdiaconorum ante Papam, quorum pedes ipsi Ostiarii, sive servientes tenere consueverunt super manus suas, dum portantur. Papa autem sedendo cum aqua calida lavat pedes cujuslibet illorum, quam infundere debent Cubicularii, & statim tergit linteo, & deosculatur pedem dextrum cujuslibet ipsorum, & secundum dictum Domini Jacobi Gaitani dat cuilibet duos solidos, & lotis pedibus illorum per Papam, eodem modo reportari debent per Ostiarios eosdem, sive servientes in locis eorum, scilicet ubi eos acceperunt.* Eadem fere ad verbum habent mss. Codices Pierfanctianus, & Brunonis Joannis de Davantria Trajectensis, in quibus etiam expressa fit mentio duodenarii numeri Subdiaconorum, quibus Pontifex lavare pedes solitus erat ipsa die Feriæ V. in Cœna Domini; eumque fuisse morem Romanæ Ecclesiæ, ut scilicet Papa ipse lavaret pedes *duodecim Subdiaconorum*, testis est etiam ms. Codex Pontificalis insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria anno Domini MCCXIV. exaratus.

VI. Quicquid vero sit de lotione pedum facta ex præscripto Romanorum Ordinum complurium, ac illius etiam, quem exaravit Amelius labente Seculo XIV. quo ipse vivebat, duodecim Subdiaconis, certe illud constat, etiam tempore Sixti IV. qui creatus Summus Pontifex fuit anno MCDLXXI. lotos fuisse pedes duodecim Pauperum, teste Jacobo Volaterrano apud doctissimum Muratorium Tomo XXIII. Rerum Italicarum, columna 129. ubi de ipso Papa, & cæremoniis ab eodem celebratis Feria V. in Cœna Domini sic inter alia scribit: *Postquam ausem in cubiculum reversus est, duodecim Pauperibus hominibus pedes lavit exemplo Salvatoris nostri, quos antea albis vestimentis, caligis, & calceis, vestiri ad hoc ipsum ministerium jusserat.* Idem Auctor idipsum confirmat ad annum Christi MCDLXXXII. ubi describens cæremonias memoratæ Feriæ V. postquam dixit, laudatum Pontificem benedixisse populo, ita statim mox subjicit: *A benedictione postmodum rediens Pontifex, duodecim Pauperum pedes lavit, & absterfit, & aureis, argenteisque nummis muneravit ex more.* Quod anno Domini MCDLXXXIII. & sequenti MCDLXXXIV. *Acta fuere Sacra consueta, & nihil præter morem actum fuit*, testatur idem Volaterranus ad memoratos annos, aitque tandem mense Augusto anni MCDLXXXIV. Pontificem ipsum Sixtum IV. diem obiisse extremum, anno Pontificatus sui XIII. Quamobrem omnino errant, qui ipsum Sixtum statuisse ajunt, ut tredecim Pauperibus pedes lavarentur.

VII. Ergo qui in Sixti IV. locum suffectus est Innocentius Papa VIII. eum ritum statuit, vel saltem permisit, ut tredecim Pauperum pedes lavarentur, nam licet usque ad extremum Pontificatus Sixti annum lotos constet duodecim dumtaxat Pauperibus fuisse pedes, tamen Augustinus Patricius Apostolicus sub pluribus Pontificibus Cæremoniarius, qui Librum ordinavit de sacris Cæremoniis Pontificiæ Capellæ, primus est, qui tredecim Pauperum mentionem fecit, præscripsitque in hoc nostro §. *ut cum Papa pervenerit ad Aulam ad hoc paratam*, pro faciendo scilicet Mandato, seu pedum lotione,

Digitized by Google

tione, *ſint ibi ordinati tredecim Pauperes in albis veſtibus novis &c.* Sane quod laudatus Innocentius Papa VIII. primo anno ſui Pontificatus, ac etiam ſequentibus pedes laverit non quidem duodecim, ſed tredecim numero Pauperum, teſtis eſt in ſuo ms. Diario ad annum MCDLXXXV. Joannes Burchardus, qui recenſens ritus eo anno in Feria V. Cœnæ Domini ſervatos, ita ad rem ſcribit: *Deinde*, ſcilicet poſt delatum Sacramentum ad Sacellum præparatum, de quo jam ſupra diximus ſuo loco, *in tertia Aula dimiſſis paramentis Miſſalibus, in Cappella parva præfata, & ibidem Pluviali violaceo, ac prius Stola violacea acceptis, & Mitra ſimplici, lavit pedes Pauperum ordine in Cæremoniali dato.*

VIII. Explicata origine lotionis pedum factæ tredecim Pauperibus, quæ referri omnino debet ad annum primum Pontificatus Innocentii VIII. Papæ, Chriſti vero MCDLXXXV. enarranda eſt nunc ea Quæſtio, cur novus ritus invectus ſit lavandi pedes tredecim Pauperum, cum Chriſtus duodecim Diſcipulorum pedes laverit, eumque numerum duodenarium Romana Eccleſia uſque ad prædictum annum religioſe ſervarit? Sane conati ſunt non pauci Auctores eam Quæſtionem variis interpretationibus enodare, quæ recenſentur in Ordine recitandi Horas Canonicas &c. ad uſum Cleri Eccleſiæ Septempedanæ, ejuſque Diœceſeos juſſu edito Clariſſimi Antiſtitis Dionyſii Pieragoſtini pro anno MDCCXLIV. Circa initium itaque Opellæ ad Numerum VI. ubi ea propoſita eſt Quæſtio, tres afferuntur reſponſiones. Prima eſt, ut in tredecim Pauperibus, præter duodecim Apoſtolos, quibus Chriſtus pedes lavit, Chriſtus ipſe repræſentetur, eique in perſona Eccleſiæ, & Mariæ Magdalenæ hujuſmodi obſequium præſtetur. Fulciri ajunt hanc opinionem, ſeu interpretationem auctoritate Ruperti Abbatis Tuitienſis, Lib. V. *De Divinis Officiis*, & Gulielmi Durandi, qui Libro VI. ſui Rationalis, Cap. LXX. Num. IV. ita ſcribit: *Pedum quoque lotio ſignificat lotionem Mariæ, quando lavit lacrymis pedes Domini, ideo cantatur Antiphona illa*, videlicet, *Mulier, quæ erat in Civitate peccatrix*. Altera interpretatio eſt, tredecim Pauperibus lavari pedes in honorem, & memoriam tredecim Apoſtolorum, addito Paulo Apoſtolo, qui tertius decimus Apoſtolus dicitur, uti inter alios docet Venerabilis Beda in Homilia, quæ legitur in Officio converſionis S. Pauli ad diem XXV. Januarii. Interpretatio tertia eſt, ideo tredecim, & non duodecim lavari pedes, quia Innocentius III. de Orationibus in Miſſa diſſerens ſcripſit: *Impari numero gaudet Deus, qui cum ſit indiviſibilis, denotat unionem Sanctæ Eccleſiæ, quæ fundata in Chriſto, fuit per Apoſtolos propagata.*

IX. Tenent alii, decimumtertium Pauperem ſignificare patremfamilias domus, quem in ultima Cœna accubuiſſe cum Chriſto, ejuſque pedes laviſſe divinant. Repugnat autem hæc opinio Evangelio Marci, ubi Capite XIV. ita legimus: *Veſpere autem facto, venit cum duodecim, & diſcumbentibus illis, & manducantibus, ait Jeſus &c.* Sed neque deſunt, qui novas alias interpretationes excogitarunt, quas tamen omnes merito Viri docti contemnentes ſummopere exoptant, ut duodenarius Pauperum numerus in ea lotione adhiberetur, quia ſcilicet numerus ipſe duodenarius Evangelicæ hiſtoriæ inhæret, & diſciplinæ non interruptæ uſque ad annum MCDLXXXV. quo, uti dictum ſuperius fuit, cœpit mos lavandi tredecim Pauperum pedes. Quam ob cauſam iſte introductus ſit mos, viderint alii, qui, ut verbis Sancti Hieronymi utar, adinventiones ſuas faciunt ſacramenta, & vel in ipſis erroribus ſciunt myſteria excogitare, quæ Divinis Scripturis, atque Eccleſiaſticæ probatæ diſciplinæ repugnant. Videri nihilominus de ipſa Quæſtione poſſunt Sarnellius Tomo I. Epiſtola XIII. & in Opuſculo, cui Titulus, *Sacra lavanda de piedi di tredici Poveri, che ſi celebra nel Giovedì Sauto &c.* Orlendus, *De duplici lavacro*, & Diſſertatio, quæ inſcripta eſt, *Pedilavium*, ſive, *De numero Pauperum, quibus lavandi ſunt pedes Feria V. Majoris Hebdomadæ*, Auctore Anonymo, qui tamen creditur Joannes Franciſcus Freſcobaldi.

X. Conſtans plane fuit ſemper, ac tenax duodenarii numeri Eccleſia Orientalis, ut patet ex Euchologio, ſeu Rituali Græcorum, ubi non uno in loco mentio ejus numeri fit in Officio, quod dicitur, *Divini & Sacri Lavipedii*. Hunc fuiſſe & olim morem Eccleſiæ Occidentalis, ac præſertim Romanæ uſque ad Pontificatum Innocentii VIII. jam notatum ſuperius fuit, inductaque nova diſciplina ſub eodem Pontifice relata fuit in hoc noſtrum Cæremoniale ab Auguſtino Patricio ordinatum, & ipſi Innocentio VIII. Papæ dedicatum. Inde plane cœpit primum lavari pedes tredecim Pauperum, eumque ritum ſervatum fuiſſe a ſequioribus Pontificibus, ex variis mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis conſtat, in quibus ſemper tredecim Pauperes recenſentur, cenſeoque iccirco mendum irrepſiſſe in ms. Diarium Franciſci Mucantii, qui ad annum MDLXXIV. enarrans ritus ſervatos Feria V. in Cœna Domini, ait Pontificem laviſſe pedes *duodecim Pauperum more ſolito*: Extat hic ms. Codex in celebri Caſanatenſi Bibliotheca, ſed addendum hoc loco illud, in eodem ſcilicet ms. Diario, in præcedenti, ac in ſequentibus annis ſemper legi tredecim Pauperes. Porro eodem teſte Mucantio ad annum MDLXXV. *in Aula Mandati, Pontifex*, Gregorius nempe XIII. *paratus juxta ſolitum ritum, lavit pedes XIII. Pauperum, omnium ultramontanorum, quia ſic placuit fieri Sanctitati ſuæ, cum eſſet annus Jubilæi, ut gratiorem ſe oſtenderet his, qui ex longinquioribus partibus, religionis, devotioniſque cauſa huc accederent.*

XI. Quamquam denique vetera monumenra aperte nos doceant, factam olim a Pontifice pedum lotionem duodecim Subdiaconis, docetque inter alios laudatus ſuperius Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Titulo XI. exhibet nihilominus hic idem Ordo celebre teſtimonium, quo docemur Papam præter eam pedum lotionem duodecim Subdiaconis factam poſt Miſſam, aliud in ſuo cubiculo poſt comeſtionem *incontinenti feciſſe Mandatum, abluendo tredecim Pauperibus pedes, & extergendo, & poſtmodum oſculando*. Atque hoc forte teſtimonium occaſionem novæ inſtitutioni dedit.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De ritu, quo ipsa pedum lotio per Papam peragitur, ac de Evangelio in ea functione cantando.

Cum perventum fuerit ad locum, Papa exuit Pluviale preciosum, & induit simplex, & sedet in Sede sua cum simplici Mitra. Tunc Acolythus cum thuribulo accedit, & ministrante primo Presbytero Cardinali, vel digniore alio post eum in ejus absentia, Papa imponit incensum more consueto. Deinde Diaconus Cardinalis paratus sacris vestibus, Librum tenens ante pectus, stans ante Pontificem detecto, & inclinato capite, petit benedictionem, dicens: *Jube Domne benedicere*. Deinde vadit ad pulpitum, post quod stet Subdiaconus Apostolicus Tunicella, & aliis paramentis indutus, tenens Librum more solito. Et Diaconus dicit, *Dominus vobiscum*, signat, incensat, & cantet Evangelium. Quo finito, Ceroferarii revertuntur ad credentiam, & Clerici Capellæ amovent pulpitum. Subdiaconus autem portet Librum osculandum Pontifici, & Diaconus, qui Evangelium dixit, illo finito, Papam incensat. Cantores, finito Evangelio, cantant, *Mandatum novum*. Papa tunc surgit, & extrahitur ei Pluviale, & portatur ex credentia linteum per Auditorem seniorem, minore Auditore ipsum præcedente, quo Papa per Cardinales assistentes præcingitur, & præcinctus descendit, & genuflexus cum Mitra simplici ante primum Pauperem, assistentibus sibi duobus Diaconibus Cardinalibus, lavat ei pedem dextrum, quem Subdiaconus Tunicella indutus a dextris Papæ genuflexus tenet. Unus ex Cubiculariis (nam per ordinem veniunt, unus post alium, cum pelvi, & aqua) ad sinistram Papæ genuflexus, sinistra sua vas tenet, & dextra ex (1) aquimanario aquam tepidam miscet; lotum pedem Papa statim mantili tergit, & osculatur. Thesaurarius, vel in ejus absentia unus ex Clericis Cameræ tenet pelvim cum pecuniis, & alius ex Clericis (2) Cameræ vas cum mappulis; & cum Papa osculatus est pedem, dat lavato mappulam, cum qua eum exterfit, & aureum duplicem, vel duos simplices cum tot argenteis. Idem facit successive singulis, & pro singulis portentur per alios Cubicularios singula vasa. Lotis omnibus, Papa revertitur ad Sedem suam, sedetque, & lavat manus cum cæremoniis consuetis. Deinde surgit, dicit, *Pater noster*, secrete; postea, *Et ne nos &c.* ℟. *Sed libera nos &c.* ℣. *Tu mandasti mandata tua Domine.* ℟. *Custodiri nimis.* ℣. *Tu lavasti pedes Discipulorum tuorum.* ℟. *Opera manuum tuarum ne despicias.* ℣. *Domine exaudi Orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Adesto Domine quæsumus officio servitutis nostræ, & quia Discipulis pedes lavare dignatus es, ne despicias opera manuum tuarum, quæ nobis, retinendæ mandasti, ut sicut hic a nobis exteriora abluuntur inquinamenta, sic a Te omnium nostrum interiora laventur peccata. Quod ipse præstare digneris, qui vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Duo interim Acolythi ante ipsum duo candelabra cum luminaribus tenent. His finitis, Papa, omnibus præsentibus, nihil dicens, intrat Cameram, & omnes discedunt. Omnes Prælati, qui Mandato hujusmodi, seu lotioni interesse voluerint, debent habere Cappas, prout in Capella habere consueviſſe, & non Mantellos.

COMMENTARIUS.

I. QUI ritus servarentur olim a Papa in pedum lotione celebrari solita in Feria V. Cœnæ Domini, explicati satis fuere superius in Commentario, ad §. VII. ubi varia, ac prolixa Romanorum Ordinum loca attulimus, in quibus ea cæremonia describitur. Consueviſſe in ipsa functione cantari Evangelium ex Capite XIII. Evangelii Joannis, quod incipit, *Ante diem Festum Paschæ &c.* notavimus jam in Opere nostro, *De Codi-*

(1) Ita in editione 1. Veneta, & Colonienſi; in Romana vero legitur, *ex bucchali.* (2) Deest *Camera*, in citatis editionibus Veneta 1. & Colonienſi, sed legitur in Romana.

Digitized by Google

Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus, Lib. III. Cap. IV. ubi inter alia locum descripsimus Gulielmi Durandi, qui Lib. VI. sui Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. LXXV. ita ritum ipsum lotionis, & prædicti Evangelii in ea cantandi exponit: *Hæc omnia secundum mysticum sensum ex Evangelio, quod est caput Officii pendent. Christus quidem cum Discipulis cœnans surrexit a Cœna, vestimenta deposuit, linteo se præcinxit, aquam in pelvim misit, & inter cœnandum pedes illorum lavit, & ipsos lavare docuit, & post lotionem iterum recubuit. Nempe Christum a Cœna surgere, est ab accubitu Patris venire; vestimenta deponere, se exinanire; linteum præcingere, formam servi accipere; aquam in pelvim mittere, Sanguinem suum effundere, pedes lavare, peccata remittere; linteo extergere, Passionis fide mundare; vestimenta resumere, est a mortuis resurgere, & vestem gloriæ carnis induere; recumbere, est ascendere, & in dextera Dei sedere; Discipulos docere, est ei Spiritum Sanctum mittere.* Ita Durandus loco citato, ubi & alia notavit, quæ ad ipsam pedum lotionem pertinent.

II. Legi ex antiquo, ac solemni ritu prædictum Evangelium initio lotionis, docent & varii antiqui mss. Codices allati ab eruditissimo Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* licet ex aliis nonnisi post varias cantatas Antiphonas recitatum fuisse constet, uti notavimus Tomo II. Cæremonialis Episcoporum, Cap. XXIV. in Commentario ad §. V. Ita quoque apud Græcos in Officio Divini & Sacri Lavipedii descripto, ac Notis illustrato a doctissimo Jacobo Goar, post alios etiam decantatos Versus, ac preces, Orationesque, ipsum idem Evangelium legebatur, & quidem quibusdam cæremoniis, quas lubet ex ipso Officio referre: *Post exclamationem*, inquit, *dicente Sacerdote*, Et nunc digni fiamus, *in dispositis scamnis qui lavandi sunt, sedent. Et Sacerdote primum Lavipedii Evangelium cantare incipiente, stat Superior, &, prout narrat, vel continet Evangelium, exequitur. Cum itaque dicit*, Ponit vestimenta sua, *deponit & ipse Mandyam. Cum vero profert*, Linteo accepto, præcinxit se, *ipse Sabano longiori linteamine se succingit. Cum autem ait*, Mittit aquam in pelvim, *mittit & ipse aquam tepidam. Et rursus dicto*, Cœpit lavare pedes Discipulorum, *ipse quoque lavare adoritur, facto initio ab Ostiario ad Oeconomum usque, & Ecclesiæ Præfectum, qui est duodecimus, & unusquisque, postquam lotus est, pedes abstergit, & osculatur. Cum vero ad Oeconomum pervenit, tunc Evangelii reliquum Sacerdos percurrit:* Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei &c.

III. Apud Latinos pro Ecclesiarum diversitate, diversus quoque fuit ritus cantandi Evangelium. Ex Ordinario Ecclesiæ Remensis, dum post Antiphonam, *Mandatum novum &c.* a Cantore alta voce incœptam, *duo Acolythi in Albis, nudisque pedibus*, decantabant Hymnum istum in medio Capituli, *Tellus & Æthera jubilent &c.* Diaconus parabatur ad legendum Evangelium, *nudis pedibus, Dalmatica indutus, sicut in Festivis diebus, præcedentibus duobus Acolythis cum candelabris, & duobus aliis cum thuribulis*, & veniens petebat benedictionem ab Archiepiscopo, atque legebat Evangelium, *Ante diem Festum Paschæ &c.* Juxta Ordinarii Silvanectensis præscriptum instituebatur Processio in domum Episcopi *cum silentio*, ibatque Diaconus pariter, qui debebat legere Evangelium, *indutus Alba parata, & Dalmatica, portans Textum*, Librum nempe Evangelii, *quem debebat præcedere Subdiaconus indutus Alba, & Tunica, & portans pulvinar, & pueri cum candelabris, & Cruce, & thuribulo; & ipse Diaconus, accepta benedictione ab Episcopo*, legebat *Evangelium*, Ante diem festum &c. *Lecto Evangelio*, residebant *omnes, Diaconus vero stans cum Ministris suis iterum* incipiebat *legere de Evangelio Joannis in modum Lectionis, incipiens ab eo loco*, Non est servus major Domino suo; & cum venerat ad ea verba, *Surgite eamus hinc*, tunc dicebat *Tu autem*, vel etiam ante, si ei significatum fuerat, & tunc revertebatur ad Ecclesiam cum Processione sua.

IV. Finito Evangelio, ex præscripto nostri §. cui & concinit Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. XXIV. §. VI. Ceroferarii revertuntur ad Credentiam, & Clerici Capellæ amovent pulpitum, idest legile, in quo lectum fuit Evangelium, Subdiaconus portat Librum osculandum Pontifici, & Diaconus, qui Evangelium dixit, illo finito, Papam incensat, Cantores autem, recitato Evangelio, cantant Antiphonam *Mandatum novum &c.* quæ ad ipsam pedum lotionem in omnibus Ordinariis legitur, licet in aliquibus legatur ante Evangelium, ut in Remensi, & in aliis multis; in aliquibus vero post Evangelium, ut in Silvanectensi, ex cujus pariter Rubrica, recitato Evangelio, fiebat Sermo, eoque finito, Succentor debebat incipere Antiphonam, *Mandatum novum &c.* In nostra Calabria, vel saltem in celebri Consentina Archidiœcensi, ut discimus ex antiquo Ordinario nostri Lucæ Archiepiscopi Consentini, Episcopus *veniens in Toga sua, lavabat primo Altaria cum aqua, deinde cum vino*, & post faciebat Mandatum, lavans scilicet pedes duodecim tantum Canonicis; & duo Sacerdotes pedes lavabant omnibus Clericis. Deinde Episcopus, & Ministri Mandati, manibus ablutis, recipiebant Cappas suas, & sedebant, potusque omnibus offerebatur; quo sumpto, Diaconus legebat Evangelium, *Amen amen dico vobis*, usque ad eum locum, *Surgite, eamus hinc &c.* Tunc vero Episcopus surgens dicebat preces, atque Orationes, & data benedictione, discedebat.

V. Hæc pene ad verbum ex laudato Ordinario describere libuit variis ritibus fœto, ut curiosus Lector intelligat, quanta pietate, ac religione Seculo fere ab hinc VI. Pontificales functiones in nostra Calabria, quæ Viris semper doctissimis, atque religiosissimis abundavit, peractæ fuerint. Sed hisce obiter dictis, ex præscripto ejusdem nostri §. ubi Cantores, *finito Evangelio, cantant*, Mandatum novum &c. *Papa tunc surgit, extrabitur ei Pluviale, & portatur ex credentia linteum per Auditorem seniorem, minore Auditore ipsum præcedente, quo Papa per Cardinales assistentes præcingitur, & præcinctus descendit, & genuflexus cum Mitra simplici ante primum Pauperem, assi-*

stenti-

Digitized by Google

stentibus sibi duobus Diaconibus Cardinalibus, lavat ei pedem dextrum, quem Subdiaconus Tunicella indutus a dextris Papæ genuflexus tenet. Quo ritu perageretur olim hujusmodi lotio, docent nos Romani Ordines XI. atque XII. quorum alter Cap. XI. postquam dixit, finita Missa, Pontificem indutum cum cæteris ad Palatium in Basilica S. Laurentii reverti, ita subdit: *Ibi expoliat se usque ad Dalmaticam, & apposita Chlamide rubea ipsi ad collum, sedet. Cubicularii ergo ponunt aquam calidam, pro abluendis pedibus Subdiaconorum, & ponunt pelvi in coram eo, & Diaconus Cardinalis, qui servit ei, ponit toaleam, quam Camerarius dat pro ipso servitio super genua Domini Papæ. Duodecim autem Subdiaconi cum Priore remanent extra Basilicam discalceati, & Schola Ostiariorum, & Mappulariorum, accipiunt Priorem Basilicæ, & alios undecim Subdiaconos in ulnis suis, sicque per ordinem portant eos unum post alium ante Dominum Papam. Pontifex vero lavat pedes eorum, & tergit cum linteo, & postmodum osculatur*. Similia habent cæteri Ordines, quorum loca jam supra descripsimus.

VI. Quamquam vero ex §. nostri præscripto genuflexus Pontifex lavare pedes Pauperum debet, ex præscripto tamen Romani Ordinis XV. Cap. LXIX. *Papa sedendo cum aqua calida* lavabat *pedes cujuslibet illorum*, duodecim scilicet Pauperum, *quam infundere* debebant *Cubicularii, & statim tergebat linteo, & deosculabatur pedem dextrum cujuslibet ipsorum*. Ritum deosculandi pedem dextrum expresse memorat quidem Ordo ille XV. nam alias cæteri præcedentes, ac præsertim Ordo XIV. Capite XCV. ajunt, *Pontificem cum aqua calida lavare pedes eorum singulariter portatorum*, per Ostiarios scilicet, vel servientes in ulnis, *& tergere linteo, & deosculari pedes eorum*. Forte aliquandiu in desuetudinem abiit ista pedum deosculatio facta per Pontificem, eamque restituisse videtur Leo Papa X. uti addiscere licet ex ms. Diario Paridis Grassi, qui de Feria V. Cœnæ Domini anni MDXIII. differens, ita scribit: *Lotio pedum Pauperum facta est ad unguem, nisi quod Papa non voluit suos digitos pollices in formam Crucis super Pauperum pedibus positos osculari, ut alii Pontifices facere consueverunt, præsertim Julius Secundus, sed imo ipsos pedes lotos osculabatur, dicens, quod illius ministerium non fiebat, sed vere fieri debebat*. Idem narrat ad annum MDXIV. ub Pauperum lotionem factam ipsa die Feriæ V. in Cœna Domini ab eodem Leone Papa X. recenset: *Papa exutus*, Pluviali scilicet, *accepto gremiali, & Mitra simplici, lavit pedes, & multum bene tergendo, & etiam osculando ipsos pedes, & cum dicerem Papæ, ut simplicius ageret, videlicet, quod cum herbis tergeret, & postea non pedes, sed suos digitos pedibus superpositos oscularetur, respondit, se non velle fingere, sed vere lavare, & osculari*. Porro dum Pontifex genuflexus pedes Pauperum lavat, pulvinus, seu cussinus genibus ejus apponi solet, quem aliquando traxisse per terram quemdam familiarem Papæ, notat, queriturque in suo ms. Diario ad annum MDLXXIV. Mucantius, quia scilicet hoc Officium ad Magistrum Cæremoniarum spectat.

VII. Tandem ut ait noster §. *cum Papa osculatus est pedem, dat lavato mappulam, cum qua eum exterfit, & aureum duplicem, vel duos simplices cum tot argenteis*. Antiqua est & hæc Romanorum Pontificum liberalitas erga eos, quorum pedes lavabant, Feria V. in Cœna Domini, teste sque habemus Romanos Ordines, inter quos Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XLI. sic habet: *Pontifex aqua calida lavat pedes ejus, & tergit linteo, osculatur eos & dat eis V. solidos* (legendum duos) *sic facit unicuique eorum XII*. Similia habet Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XI. in fine: *Pontifex autem lavat pedes eorum, & tergit cum linteo & postmodum osculatur, & dat unicuique duos solidos denariorum Papiensium*. Dicti sunt hi denarii a loco, ideo a Papiensi Civitate, in qua cudi solerent, uti notavit eruditus Morettus in sua Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte I. Sectione III. ad calcem pagi næ 37. Formam denarii Papiensis in Historia Gymnasii Ticinensis Antonius Gattus expressit. Duos solidos dari consuevisse a Pontifice dictis Subdiaconis post lotos eorum pedes, tradit etiam Ordo Romanus XIV. nulla facta mentione mappularum, quæ una cum nummis aureis, argenteisque solent hodie ex præscripto nostri §. pauperibus, quibus Papa lavat pedes, largiri. Sed videtur jam longe ante editionem nostri Cæremonialis mos ille introductus, ut scilicet singulis Pauperibus lotis singulæ mappulæ, quibus eorum pedes abstergebantur, darentur; id enim non obscure innuit in suo Ordine Romano XV. Petrus Amelius, Cap. LXVIII. ubi etiam duritiem cujusdam Cardinalis Camerarii fugillat, *qui noluit dare illas petias de tela ad tergendum pedes Pauperum, sed omnia reportavit secum, & male*.

VIII. Apostolicarum quoque Cæremoniarum Magistros nonnihil emolumenti ex ea functione percepisse, linteum scilicet, quo in ipsa lotione præcinctus Pontifex fuerat, notavit Mucantius in suo ms. Diario ad annum MDLXIV. ubi ita inquit: *Expleto hujusmodi actu Mandati juxta solitum, ac Pontifice loto, & exuto, habuimus linteum, quo se præcinxerat, qui nobis ex antiqua consuetudine obvenit*. Quandonam ista consuetudo incœperit, non ausim definire, sicut nec ipsi Apostolici Cæremoniarii, licet longum emolumentorum catalogum, quæ ipsis ex Papalibus functionibus obveniunt, penes se habeant. Porro si veteri Romanæ Ecclesiæ mori standum est, ex præscripto Romani Ordinis XII. Auctore Cencio Cap. XII. Num. XXVII. linteum ipsum, quo præcingebatur Pontifex, ad Diaconum Cardinalem, qui Papæ in ea functione inserviebat, spectabat; mappula vero, cum qua lotorum pedes abstergebat, ad Cubicularios Cameræ: *Sciendum, quod toalea, de qua Dominus Papa, dum abluit pedes Subdiaconorum in Basilica, est succinctus, Diaconi Cardinalis est, qui ei servit; alia vero toalea, cum qua abstergit pedes Subdiaconorum, Cubiculariorum Cameræ est*.

IX. Sed nec ipsi soli Pauperes loti, ac Magistri Apostolicarum Cæremoniarum Feria V. in Cœna Domini, sed & alii quoque Papalem munificentiam experti sunt olim, uti notat eruditissimus Morettus in citato Opere, Parte III. Sectione III. Num. XI. & seqq. Sane Ordo Romanus

Digitized by Google

nus XI. Auctore Benedicto, Num. XLI. congestis pluribus super Cœna Domini, & lotione pedum XII. Subdiaconorum, ac descriptis variis modulationibus Primicerii Cantorum, & Cardinalium, ita ait: *Finitis Vesperis, cantant,* Dominus Jesus postquam cœnavit, *& Dominus Papa dat unicuique Episcopo quatuor solidos, unicuique Cardinali tres solidos, Primicerio tres solidos, unicuique Cantori tres solidos. Quibus* (Vesperis scilicet in Basilica S. Laurentii prope Palatium) *finitis, vadunt ad Cœnam in Basilica Theodori, quæ est Panetaria, ubi fit continua Lectio a Subdiacono. Perfecta Cœna, redit Papa ad Cameram, ubi se expoliat.* Uberiore eloquio largitiones prædictæ diei significavit Ordo Romanus XII. Auctore Cencio Capite XII. Num. XXVI. ubi post recensitam præcedenti Capite lotionem pedum XII. Subdiaconorum, & largitionem duorum solidorum Papiensium unicuique eorum factam, ita subdit: *Prior Basilicæ secundum consuetudinem antiquam marabotinum unum debet habere sine denariis. Statim Primicerius cum Cantoribus, & aliis Ordinibus cantant Vesperum; quo finito cantatur*, Dominus Jesus postquam cœnavit; *& dum ista geruntur, Summus Pontifex Presbyterium largitur. Unicuique Episcoporum Romanæ Ecclesiæ duos marabotinos, & duos solidos denariorum Papiensium. Si forte Archiepiscopus interesset, tantumdem. Unicuique Episcoporum forensium, & Presbyterorum Cardinalium, & Diaconorum Cardinalium unum marabitonum, & XII. denarios Papienses. Primicerius debet habere unum marabotinum sine denariis. Quisque Cantorum XII. denarios Papienses. Et notandum, quod nec Schola Crucis, nec Clericus alius, vel laicus eadem die habet Presbyterium. Manus etiam Prioratus nemini datur. In exitu autem Basilicæ de accepto Presbyterio Janitoribus, & Cubiculariis duos denarios Papienses pro unoquoque solido, exceptis Prioribus, qui non dant aliquid, quisque largitur.*

IX. Ut alia omittam, quæ notari in recitatum locum possunt, *manus*, idem est ac Presbyterium duplex, ut ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto Canonico, Num. XXI. notat Mabillonius in ipsum Romanum Ordinem XII. pagina 180. in fine. Marabotinus moneta erat in Italiam, aliasque Christiani Orbis Provincias devecta ex Hispania, viderique potest de ea moneta, sicut & de aliis multis, quæ in Ordinibus Romanis antiquioribus recensentur, eruditus Dufresne in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario. Barbaricæ Monetæ, ut scite notavit doctissimus Morettus in eodem citato Opere, Parte III. Sectione III. pag. 119. vel saltem barbarorum nomen nostris usibus circa ætatem Cencii, qui Auctor fuit Romani Ordinis XII. permisceri potuit occasione expeditionum Crucesignatorum in Orientales plagas, & sacrarum Peregrinationum in Palæstinam, per quas illustrata sunt sæcula nondum ultimis schismatibus, atque hæresibus Occidentalium inquinata, ut sciunt omnes, ac demonstrant Historia *des Croizades*, Ludovici Maimburgi, Discursus prævius ad Tomum XVIII. Historiæ Ecclesiasticæ Fleurii, Libellus Gretseri, *De sacris peregrinationibus &c.* Obiter hisce notatis, memorat mox memoratus Ordo XIII. Num. XXVII. eleemosynam tredecim Pauperibus traditam a Papa Mandatum aliud faciente post comestionem, præter illud scilicet factum duodecim Subdiaconis, de quo supra diximus in Commentario ad §. 1. *Comestione finita, Dominus Papa intrat Cameram, ibique incontinenti facit Mandatum albuendo tredecim Pauperibus pedes, & extergendo, & postmodum osculando. Ibi etiam Camerarius est paratus, qui Domino Papæ porriget marabotinos singulos singulis Pauperibus erogandos. Hoc facto, Dominus Papa dat eisdem Pauperibus manu propria ad potandum.* Nec præterit munera Subdiaconis etiam elargita, dum ita inquit Cap. XXII. in fine: *In die Sancto Jovis manuum medietatem Subdiaconi habere debent.*

X. Presbyterii dationem præmissam epulo conferendo dicta die Cœnæ Domini haud silet Romanus Ordo XIII. seu Cæremoniale Gregorii Papæ X. jussu editum, aitque Num. XXII. pag. 238. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici simile illud fuisse Presbyteris dispensari consueto per dies Papalium Coronationum. Sed audiamus Ordinem Romanum XIV. Auctore Gajetano, Cap. LXXXV. ubi de ipsa Presbyterii largitione differens, sic habet: *Dictis Vesperis, & Mandato*, idest lotione pedum ex Evangelicis præscriptis, *facto per Papam, ut supra dictum est, Summus Pontifex Presbyterium largitur Cardinalibus, & Legatis. Nam indutus paramentis usque ad Dalmaticam inclusive, habens Mantum rubeum ad scapulas, Fanonem super caput, & super ipsum Mitram aurifrigiatam, ducitur ad Capellam Sancti Silvestri per duos Diaconos Cardinales, in quam intrat, & sic paratus sedet in Faldistorio suo, & dat cuilibet Cardinali singulariter, & Prælato Presbyterium solitum, primo videlicet Episcopis Cardinalibus, secundo Presbyteris, tertio Diaconibus, secundum Ordinem antiquitatis singulorum in statu, in quo tunc est Cardinalatus; consequenter omnibus aliis Prælatis singulis singulariter.* Exponit mox ritum, quo Presbyterium ipsum accipiebatur, eratque hujusmodi: *Nam quilibet Cardinalis, & Prælatus, extracta sibi Mitra, deferens eam in manibus, vadit coram eo flexis genibus, tenet Mitram apertam ante Papam, qui ponit in illam pecuniam, quam dat ei in uno scypho argenteo Camerarius, & quam dicit Liber Cameræ, qui vocatur Polypticus, & ille, qui recipit pecuniam in Mitra, osculatur genu Domini Papæ. Idem vero Camerarius habet ante se magnam mensam coopertam tobalea, ubi sunt hujusmodi monetæ, & assistunt ipsi Camerario Clerici Cameræ, & duo Mercatores. Ipse vero Camerarius, & Clerici tantum sunt in Superpelliceis, sive Cottis.* Ita memoratus Ordo XIV. Capite LXXXV. inquit. Sequenti vero Capite LXXXVI. ait, itum fuisse ab omnibus, distributo Presbyterio, ad Mensam; & Cap. XCI. scribit, parem liberalitatem etiam ostensam a Pontificibus commorantibus extra Urbem, leviusculis immutatis.

XI. His addimus Romanum Ordinem XV. Auctore Amelio, Cap. LXVIII. ubi ait, secundum Jacobum Gajetanum Auctorem Ordinis Romani XIV. Cardinalem Camerarium Papæ de-

Digitized by Google

bere in ipsa Feria v. sanctioris hæbdomadæ *in quodam magno scypho argenteo, vel in bacilibus grossos, & monetam ordinatam in Presbyterio &c.* Exponit deinde, Camerarium stare debere ante mensam cum tobalea, adstantibus Clericis Cameræ, atque duobus Mercatoribus; itemque Cardinales debere ad Papam accedere, flexosque genu Mitras apertas tenere. His relatis, subdit, ipsum Summum Pontificem dare tunc, & ponere *pro Presbyterio in Mitra cujuslibet ipsorum XIII. grossos Turonenses argenti*. Multa postea habet de comestione Pontificia, Cap. LXXI. & LXXII. quorum postremum agens de secunda lotione manus, ait, omnibus lotis dari species; ac subinde memorandum scribit, *quod omnes Capellani Domini nostri Papæ Commensales debent eo die comedere cum Domino Camerario splendide*. Auctor additionum ad ipsum Romanum Ordinem xv. notat, minime fuisse lotos pedes Pauperum a Bonifacio IX. post Mandatum; bene tamen ejus vices suppletas manu Camerarii, a quo Pauperes acceperunt *florenos cum carleno*.

XII. Supervacanei fuerit laboris alios Cæremoniales Libros afferre, cum constet, quæ in eisdem præscripta sunt de largitione Presbyterii Feria V. in Cœna Domini, etiam extra Urbem degentibus Papis, observari ante annos DC. consuevisse. Sugerius Abbas in Vita Ludovici VI. Francorum Regis de Innocentio Papa II. Parisiis extante ita ad rem scribit: *Cœna Domini apud nos more Romano, & sumptuoso donativo, quod Presbyterium nominant, celebrata, Sanctissimæ Resurrectionis vigilias honore debito pernoctavit*. Actum id anno MCXXXI. in Templo Sandionysiano ex Baronio addiscimus ad ipsum annum, ubi latius res ipsa narratur. Porro ex dictis huc usque & illud addiscere licet, quod in hoc nostro §. edicitur, ut nempe *Thesaurarius, vel in ejus absentia unus ex Clericis Cameræ teneat vas cum pecuniis*, quæ dari hodie a Pontifice iis solent, quibus pedes lavat, antiquum esse Ecclesiæ Romanæ institutum in pluribus Romanis Ordinibus superius recitatis expressum, ubi mandant, ut in ipsa pedum lotione, quæ fit Feria v. in Cœna Domini, *Camerarius sit paratus, qui Domino Papæ porriget marabotinos singulos singulis Pauperibus erogandos*.

XIII. Lotis omnibus, ex præscripto ejusdem nostri §. *Papa revertitur ad Sedem suam, seditque, & lavat manus cum cæremoniis consuetis*, Nobiliori scilicet aquam ministrante, qui tunc ei functioni aderit, uti passim legitur in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis. Dicit poltea Pontifex preces, ac Orationem, *Adesto Domine &c.* quæ leguntur in veteribus mss. Ordinariis, atque Missalibus Libris ab erudito Martene descriptis in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXII. Nonnisi Pluviali induto debere a Pontifice dici preces ipsas, & Orationem, notant & ipsi Apostolicarum Cæremoniarum Magistri in ms. Diariis suis, inter quos Burchardus ad annum MCDLXXXVII. merito queritur, quod Pontifex, absoluta pedum lotione, *in fine dixit Orationem stans in Stola sine Pluviali, quia Sacrista mandaverat Pluviale per inadvertentiam ad Sacristiam, quod fuit magnum inconveniens*. Dum dicitur a Pontifice Oratio, ex nostro §. cui & Libri omnes Rituales concinunt, *duo interim Acolythi ante ipsum duo candelabra cum luminaribus tenent*, eaque finita, Papa omnibus præsentibus nihil dicens intrat Cameram, & omnes discedunt.

XIV. Mandat tandem & hic noster §. ut *omnes Prælati, qui Mandato hujusmodi, seu lotioni interesse voluerint, debeant habere Cappas, prout in Capella habere consueverunt, & non mantellos*. Hinc mantellos tenuere aliquando Cardinales, dum ipsi pedum lotioni assisterent. Quod tamen hic noster §. reprehendere videtur. Refellit Burchardus & alium abusum in suo ms. Diario ad annum MCDLXXXVI ubi ait, Cardinales quasi omnes paratos stetisse usque ad finem Mandati: *Quod tamen*, ut subdit, *fieri consuetum non est, neque honestum, sed paramentis dimissis, in Cappis tantum possent, si vellent, Papæ assistentiam facere, dempto tamen uno Cardinale Diacono Evangelium lectura, & etiam Subdiacono, qui Bullam in lodia legit, qui paratus omnibus paramentis Subdiaconalibus ibidem adesse debet*. Porro quod Papa Gregorius XIII. anno MDLXXIV. lectis Processibus, & data benedictione, *rediit ad Mandatum sine baldachino, præcedentibus tantum Subdiacono Apostolico, & Cardinali Diacono paratis, alii autem Cardinales, depositis paramentis, habita licentia a Sanctissimo Domino Nostro*, idest a laudato Gregorio XIII. *majori ex parte recesserunt*, testatus est ad ipsum annum in suo ms. Diario accuratus Franciscus Mucantius, tunc Apostolicarum Cæremoniarum Magister.

§. III.

De nova Sixti IV. ordinatione circa nonnullos Ritus Feriæ V. in Cœna Domini.

Notandum, quod ante Sixtum Papam Quartum Processus solebant legi, & Benedictio solemnis dari plerumque ante Missam. Deinde dicebatur Missa, & Sacramentum post Communionem portabatur ad loculum pro die crastina per Diaconum secundum Rubricam communem, & aliquando per Celebrantem, sociantibus tantummodo Ministris Altaris cum luminaribus; & illis reversis, finiebatur Missa, & in fine, si Processus non erant lecti, (1) processionaliter illuc proficiscebatur Pontifex cum omnibus ordinibus Curiæ, & legebantur, & in fine fiebat

(1) Ita quidem in Romana editione; in Veneta vero I. & Colonienfi legitur, *Supplicantium more*, semper enim in iis editionibus, *Processio*, dicitur, *Supplicatio*.

Digitized by Google

fiebat Mandatum, ut dictum est. Sixtus autem præfatus proinde considerans, Salvatorem nostrum non posse a nobis satis dignis laudibus venerari, ordinavit modum supradictum.

COMMENTARIUS.

I. QUo ordine servarentur Romæ olim ritus Feriæ V. in Cœna Domini, ex variis Romanis Ordinibus explicatum a nobis abunde superius fuit. Quod ante Sixtum Papam IV. Processus solerent legi, & Benedictio solemnis dari plerumque ante Missam, addiscere licet ex Ordine XV. Romano, Auctore Amelio, Cap. LXIV. ex cujus præscripto, lectis Processibus, & data more solito Benedictione, ac denunciata Indulgentia, *de septem annis*, & VII. *quadragenis*, omnes processionaliter ibant ad magnam Capellam, vel ubi ipsa die debebat fieri Officium, & facta oratione ante Altare, ibat Pontifex *ad Revestiarium*, & induebatur *sacris vestibus albis, & Mitra cum perlis etiam solemni, & sic procedebat ad Missam more solito*. Sixtus itaque IV. sicut & aliorum plurium, fuit & hujus ritus Auctor, ut nimirum post Missam Processus legantur, & solemnis Benedictio pariter post Missam impertiatur. Alia quæ in hoc §. notantur, explicata a nobis jam alias fuere.

§. IV.

De nudatione Capellæ, Altaris, & Sedis Papæ post Missam.

Finita Missa, postquam Papa discesserit, Fererii debent nudare totam Capellam, Altare, Sedem Papæ, & omnia.

COMMENTARIUS.

I. DEnudatio altaris pervetusta est in Ecclesia Feria V. in Cœna Domini, ejusque ritus meminit præ cæteris Ordo I. Romanus Cap. V. ubi agens de ipsa V. Feria, sic inter alia inquit: *A vespera autem hujus diei nuda sint Altaria usque in mane Sabbati.* Laudat hunc locum Amalarius sic dicens: *Restat adhuc unum in Romano Ordine, ubi præcipit, ut a quinta Feria usque in Sabbato Sancto nuda sint Altaria.* Meminit & ejus ritus Concilium Toletanum XVII. Canone II. ubi Baptisterii ostia initio Quadragesimæ sigillo Episcopi obsignata, in Cœna Domini reserari jubet, *quando more solito Altaria debent devestiri.* Hanc Altarium denudationem, quam statim post Vesperas fieri præscribunt complures Libri Rituales, vulgatus Alcuinus Mandato subjicit, & ad noctem usque differt: *His finitis*, inquit, scilicet Mandato completo, *nudantur Altaria jam circa noctem, & sic permanent usque ad Sabbatum Sanctum.* In Monasteriis alius videtur fuisse usus. Nam in veteri, ac celebri ms. Missali Fratrum Ordinis Prædicatorum annorum circiter 500. sic ritus ille describitur: *Hac die inter Tertiam, & Sextam Sacrista debet omnia Altaria detegere præter magnum Altare, quod, dum Vesperæ cantantur, detegetur, & unum solum linteamen super ipsum usque ad finem Missæ relinquitur.* Ordinarium quoque ms. Canonicorum Regularium Crucesignatorum sic habet: *Sacrista ante Nonam omnia Altaria detegat, præter majus, quod, dum Vesperæ cantantur, detegatur, una sola mappa super ipsum usque ad finem Missæ relicta, quæ finita Missa removeatur, & usque ad tertiam Horam Sabbati sequentis detecta remaneat, præter majus, quod in crastino hora Officii cooperiatur.*

II. Quamquam vero juxta præscriptum nostri §. finita Missa, *postquam Papa discesserit, Fererii debent nudare totam Capellam, Altare, Sedem Papæ, & omnia*, variatum tamen nonnihil in eam aliquando rem fuit. Certe, ut ait Burchardus in suo ms. Diario ad annum Domini MCDLXXXVI. *post prandium nudata fuit tota Capella Papæ per Florerios, adeoque neque in parietibus, neque in terra aliquis pannus remansit, & Sedes Papæ, super qua mansit tantum unus cussinus violatus.* Et mox: *Altare etiam per Sacristam fuit totaliter nudatum, ante & supra, & sex tantum candelabra cum Cruce simplici velata in medio super nudum scabellum super Altari sine aliqua tobalea reposita fuerunt.*

III. Varias rationes, cur Altaria hac die nudentur, recensent inter alios Joannes Belethus in sua *Divinorum Officiorum explicatione*, Capite XCV. & Gulielmus Durandus Lib. II. sui Rationalis, Cap. LXXXVI. quorum alter ita inquit: *Hæc nudatio significat primo recessum Discipulorum Domini, seu Apostolorum. Secundo denudatio Altaris designat, quod Christus fuit nudatus in Cruce. Cum itaque nudatum Altare conspicimus, illud Propheticum ad memoriam revocamus*: Ecce vidimus eum, & non est ei species, neque decor, & consideravimus eum despectum, & novissimum virorum, *quod accidit in Passione; nam antea speciosus pre filiis hominum extitit. Fuit quidem denudatus ad columnam, & ad Crucem, cum diviserunt sibi Milites vestimenta sua. Tertio Altaris denudatio significat Christum Divinitatis gloria nudatum. Unde Psalmus* XXI. Deus Deus meus quare dereliquisti me. *Quarto designat, quod velum Templi scissum est, & Liber, qui signatus erat, apertus est &c.* Placuit mysticas hasce rationes ejus ritus describere, ut Mortales sacræ ei cæremoniæ assistentes facilius possint ad rerum divinarum meditationem sustolli, & ad Dominicæ Passionis mysteria excitari.

Digitized by Google

IV. Est antiquus autem ritus, ut non modo hac die nudentur Altaria, sed & ipsa quoque laventur una cum Templi parietibus, pavimento, & sacris Vasis. Mentionem facit quidem ejus ritus Sanctus Isidorus Episcopus Hispalensis, Lib. II. *De Ecclesiasticis Officiis*, Capite XXVIII. his verbis: *Hinc est, quod eodem die*, Cœnæ scilicet Dominicæ, *Altaria, Templi parietes, & pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata.* Isidorum describit Rabanus Lib. II. *De institutione Clericorum*, Cap. XXXVI. Sed de Altaris denudatione nihil penitus uterque, cujus tamen mentionem faciunt Ordo I. Romanus, & Synodus Toletana XVII. quorum loca superius recensuimus. Sed audiamus de utroque ritu Ordinarium Lucæ Consentini in nostra Calabria Archiepiscopi, sic inquiens: *Missa completa, omnia statim denudentur Altaria. Post refectionem conveniunt omnes Clerici festinanter in Chorum, a cujus ingressu tunc penitus laici sunt arcendi. Episcopus veniens in Toga sua, lavat primo Altaria cum aqua, deinde cum vino, & post facit Mandatum &c.* Ejusdem Altarium lotionis vino, & aqua factæ meminit pariter Durandus, mysticasque pro more rationes affert citato loco, ubi inter alia sic habet: *In plerisque locis lavantur Altaria vino, & aqua, & ramis fricantur, præsertim cum ramis de savina.* Statimque hæc subjicit: *Lavantur ergo aqua, & vino, ad notandum, quod Corpus Christi, quod est verum Altare, Sanguine, & aqua in Cruce adspersum est. Nam de ipsius latere exivit Sanguis, & aqua, per quæ genus humanum lotum est &c.* Teste eodem Durando, pavimentum quoque Ecclesiæ mundatur. Sed de his ritibus videri possunt Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Capite XXII. Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXI. & alii, qui ritus Feriæ V. in Cœna Domini latius explicant, præsertim vero doctissimus Jo: Christophorus Battellus in Opella, cui Titulus, *Ritus annuæ ablutionis Altaris majoris Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ &c.*

CAPUT XLVII.

De Officio in Cœna Domini, Papa celebrante.

Si hac die Pontifex vellet ipsemet celebrare, & sicut antiqui consueverunt, primo Processus facere, tamen poterit servari Ordo a Sixto Quarto datus, si placuerit, & tunc Pontifex cum Pluviali rubeo, & Mitra simplicibus, descendit ad Ecclesiam ordine consueto, & non processione (1) parata. Facta oratione ante Altare, ascendit ad Sedem, ubi consuevit accipere paramenta, nec vero fit reverentia a Cadinalibus, quia fiet in loco, ubi Processus leguntur. Tres Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Clerici Cameræ, & Auditotores parantur paramentis sibi convenientibus. Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Epistolæ capiunt sibi omnia opportune præter Manipulum. Pontifex deinde surgens sine Mitra, sub silentio dicit, *Pater noster*, & Cantores dicunt Nonam sine nota. Interim imponuntur Papæ Sandalia more consueto, & legit Psalmos, *Quam dilecta &c.* In fine cum dicitur, *Christus factus est, &c.* descendit ad Faldistorium ante Altare, & genuflectit usque ad finem; & finito a Cantoribus, *Miserere*, etiam genuflexus dicit Orationem, *Respice quæsumus &c.* Deinde redit ad Sedem suam, ubi lavat manus, & deponit Pluviale, & Mitram, & accipit paramenta albi coloris preciosa, & alia, ut moris est; & tunc Cardinales, & omnes Prælati capiunt paramenta sibi convenientia. Prior Episcoporum Cardinalium assistit. Omnia fiunt, ut in aliis Missis Papalibus, nisi quod Papa communicat solus in Altari, & non in Sede eminenti, & Sanguinem sumit ex Calice, non cum calamo, & reponit Corpus Christi reservandum in crastinum in Calicem paratum, antequam digitos abluat, quod antiquitus portabatur mox ad Sacristiam, quæ est apud Altare Divi Petri per Diaconum, vel per Episcopum Cardinalem assistentem. Poterit tamen portari per Papam in fine Missæ secundum institutionem Sixti, omnibus cum candelis processionaliter euntibus, ut supra, & repositio Sacramento, extinctis candelis ibitur more consueto ad legendos Processus. Consueverunt Romani Pontifices hac die conficere Sanctum Chrisma, & Oleum Sanctum, & Catechumenum, & benedicere Agnus Dei in primo anno Pontificatus.

COMMENTARIUS.

I. Paucis hic me expediam, quod omnia fere, quæ in hoc Capite statuuntur, explicata abunde superius fuerint. Quod dicitur in fine hujus Capitis, consuevisse scilicet Romanos Pontifices *hac die conficere Sanctum Chrisma, & Oleum Sanctum, & Catechumenum, & benedicere Agnus Dei in primo anno Pontificatus*, legitur in Romanis antiquis Ordinibus, quos descripsit Mabillonius Tomo II. Musei Italici. De benedictione Agnorum Dei videri possunt, quæ scripsimus Tomo I. hujus Operis, Titulo VII. in Commentariis ad Caput VIII.

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *& non ſupplicatione inſtructa.*

Digitized by Google

VIII. Sed notandum tamen, quod licet olim ipsa benedictio, seu consecratio Agnorum facta fuerit hac die, ut non obscure innuit Auctor Appendicis ad Ordinem I. Romanum, ut plurimum fieri consueverit *aliquo die post Pascha ante Sabbatum in Albis*, uti post varios Romanos Ordines edicitur in citato Capite VIII. ubi latius explicuimus ritum tum veterem, tum recentiorem, quo cerei Agni Dei consecrantur, allatis variis Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis.

CAPUT XLVIII.

De Officio diei Jovis Sanctæ, Papa absente.

Si Pontifex Officio diei Jovis non interfit, paratis omnibus pro Missa celebranda, & reservando in crastinum Sacramento, quæ superius diximus, Cardinalis celebraturus tempore congruo capit paramenta, & solitis cæremoniis perficit Missam usque ad factam Communionem. Deinde antequam se purificet, reponit Sacramentum reservandum in Calice, incensat, & (1) processionaliter portat ad locum præparatum hoc ordine. Præcedunt Scutiferi Cardinalium, & Papæ, si adsunt, Advocati, Secretarii, Cubicularii, deinde Acolythi, Clerici Cameræ, Auditores, Subdiaconi Apostolici, Nobiles, Oratores, Cantores dicentes, *Pange lingua*, Capellani Celebrantis cum intorticiis, Cæremoniarius cum thuribulo, seu duo Cæremoniarii cum duobus thuribulis continuo incensantes Sacramentum. Deinde Celebrans sine baldachino medius inter Diaconum, & Subdiaconum, quem sequuntur sine paramento Episcopi Cardinales, Presbyteri, & Diaconi, & Prælati in Cappis suis, & alii Officiales. Si tamen vellent parati cum solemni (2) Processione procedere, servaretur ordo descriptus supra, quando Sacramentum portatur per Pontificem, nisi quod Crucem portaret Subdiaconus Capellæ, & Cardinali ministrarent sui Ministri, & non Officiales Papæ. Repositio Sacramento, eodem modo revertuntur ad Altare, & perficitur Missa, & datur benedictio, & publicantur Indulgentiæ, si Papa non facit Processus.

COMMENTARIUS.

I. PApa absente celebratum fuisse non semel Officium Feriæ V. in Cœna Domini, tradunt passim Cæremoniarum Apostolicarum Magistri in suis Diariis. Teste Burchardo, anno MCDXCI. *Feria quinta majoris hebdomadæ Reverendissimus Dominus Cardinalis S. Petri ad Vincula celebravit Missam solemnem publicam in Capella prædicta*, majore scilicet Palatii Apostolici, *more solito*, *Papa absente*. *Finita Missa*, *Cardinales*, *& Prælati omnes recepe-runt paramenta*, *& processionaliter associarunt Sacramentum usque ad parvam Capellam, quod portavit Celebrans prædictus sine baldachino*, *&c.* Mirum plane videri debet, quod baldachinus minime adhibeatur, in obsequium scilicet Sanctissimæ Eucharistiæ, quæ in solemni processione defertur ad Sacellum, de qua jam in superioribus Commentariis diximus, viderique etiam de ea re possunt, quæ scripsimus in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum.

CAPUT XLIX.

De lotione pedum tredecim Pauperum, Papa absente.

Paratur in Aula consueta pro tredecim Pauperibus lavandis credentia, & alia, ut superius diximus. Deinde venit Cardinalis lavaturus, sedet Faldistorio in loco convenienti sibi præparato, ubi accipit Stolam, & Pluviale violacea, & Mitram simplicem, & ministrante Diacono Capellæ, qui paratus cum Subdiacono, ut in Missa fuerat, ei assistit, Cardinalis imponit incensum. Deinde Diaconus Librum Evangeliorum ante pectus tenens, genuflectit ante Cardinalem, benedictionem petens; qua accepta, adstantibus duobus Ceroferariis, vadit ad pulpitum, signans, incensans, & cantans, ut moris est, Subdiacono Capellæ stante retro pulpitum, & Librum tenente. Finito Evangelio, Ceroferarii revertuntur ad credentiam, Subdiaconus portat Librum osculandum Cardinali, & Diaconus eum incensat. Deinde deponitur Cardinali Pluviale, & per unum e suis Capellanis portatur linteum, quo per Diaconum, & Subdiaconum cingitur. Accedit deinde cum Mitra ad Pauperes, & inci-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *supplicatione habita*.
(2) Ita quoque in citata Romana Editione, in aliis vero legitur: *cum ſolemni ſupplicatione*.

Digitized by Google

incipiens a primo, singulis genuflexus pedem dextrum lavat, extergit, osculatur, & dat mappulam cum aureis, & argenteis, Subdiacono pedem tenente, & Capellanis suis pelves, & aquam, Clericis Cameræ (1) bacilia cum mappulis, & pecuniam ministrantibus. Quibus lotis, accedit ad Faldistorium, ubi sedens lavat sibi manus, uno ex Scutiferis aquam ministrante; tum surgit, & detecto capite, incipit alte, *Pater noster*, quo secrete completo, dicit, *Et ne nos*, & Versus, & Orationem, *Adesto Domine*, prout in Ordinario, qua finita, depositis Sacris vestibus, accipit Cappam, & ad domum suam revertitur.

COMMENTARIUS.

I. QUÆ in hoc Capite præscribuntur, explicata jam & ipsa fuerunt in Commentario ad Caput, quod inscriptum est, *De Mandato faciendo.* In Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis occurrit sæpe, Papa absente, factam ipsam Pauperum lotionem a Cardinali, & quidem juxta ritum in ipso Capite expressum, si pauca quædam minutissima excipias, quæ non oportet hoc loco describere. Sane, ut aliquod exemplum referam, teste Burchardo ad annum MCDXCI. Cardinalis S. Petri ad Vincula, qui Feria V. in Cœna Domini ejus anni, Papa absente, Officium peregit, *accepto linteo, lavit pedes XIII. Pauperum, & alia observata sunt more solito. Lotioni interfuerunt quinque Cardinales in eorum Cappis continuo stantes, videlicet, Januensis, Beneventanus, Aleriensis, S. Anastasiæ, & de Columna. Credentia parata fuit eo ordine per Credentiarios Papæ, ac si Papa fuisset pedes illis loturus. Bacilia cum pecuniis & mantilibus ministrarunt Domini, Gaspar Blondus, & Joannes Gerona Clerici Cameræ Apostolicæ, & Dominus Falco Thesaurarius Papæ ministravit manibus Cardinalis mappulas, & pecunias. Alia more solito sunt observata.* Similia legere est apud alios sequioris ævi Cæremoniarios Apostolicos, ubi ipsam pedum lotionem factam a Cardinali Pauperibus, Pontifice absente, recensent.

CAPUT L.

Quando Papa Processibus tantum interesse volet, & publicam Indulgentiam Populo dare.

Si vero Papa hodierno die Missæ, & Mandato non interesset, sed Processibus tantum, id hoc ordine agitur. Post benedictionem Missæ per Celebrantem datam non publicantur Indulgentiæ. Prælati etiam, & Cardinales, ac alii accipient paramenta in locis sibi convenientibus, & distribuantur candelæ, ut supra dictum est. Pontifex autem indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali rubeo, & Mitra preciosis in Camera papagalli, ministrante priore Presbyterorum Cardinalium, ex more imponit incensum, & processionaliter procedit ad locum, ubi leguntur Processus. Crucem præcedunt Thuriferarius. & Ceroferarii, & alii, ut alias; & portatur baldachinum per Nobiles, & Oratores super Papam, usque ad locum benedictionis. Fit ibidem Papæ reverentia per Cardinales more solito, accenduntur candelæ omnes, & leguntur Processus. Quibus finitis, projiciuntur candelæ, amovetur pannus niger, Papa benedicit more consueto, & deinde ad Cameram suam vadit, sicut servatum fuit anno primo Innocentii Octavi propter ejus infirmitatem.

COMMENTARIUS.

ACTUM jam superius fuit de Processibus fieri consuetis Feria V. in Cœna Domini post solemnem Missam, & Mandatum, seu lotionem pedum fieri eadem hac die Pauperibus solitam. In præsenti autem Capite enarratur ritus servandus, quando Papa Processibus tantum interesse volet, & publicam Indulgentiam populo dare. Si pauca excipias, eadem fere sunt, quæ hic præscribuntur, ac illa, quæ statuta superius sunt. Porro quod Auctor hujus Cæremonialis Augustinus Patricius in fine Capitis hujus ait, ritum in ipso Capite præscriptum, servatum fuisse *anno primo Innocentii Octavi propter ejus infirmitatem*, stare non potest. Cum enim is Processibus eo anno propter infirmitatem minime interfuisset, inutile fuit laudati Pontificis exemplum afferre in explicando ritu in Processibus servando, ubi Papa ipsa die Feriæ V. in Cœna Domini, *Missæ & Mandato non interesset, sed Processibus tantum.* Sane teste Burchardo in suo ms. Diario ad annum MCDLXXXV. qui fuit primus Innocentii Papæ Octavi, ubi agit de memorata Feria V. *non fuerunt lecti Processus, Papa præsente, legi consueti.* Cæterum qui ritus olim ante nostri Cæremonialis editionem servatus fuerit in pronun-

(1) Ita in Romana editione: in Venera vero 1. & Colonensi legitur, *vasa cum mappulis - & pecunia &c.*

Digitized by Google

nunciatione hujusmodi Processuum, absente Papa, addiscere licet ex Ordine XV. Auctore Amelio, Cap. CLVIII. ubi enarrans ritus servatos Romæ anno MCCCXCIII. sic inter alia inquit: *Cantatis Vesperis, Domini Cardinales non parati existentes ante Altare in modum circuli, & duo Patriarchæ inter eos, scilicet Constantinopolitanus prædictus, & me Gradensis. de mandato Domini nostri Papæ pronunciaverunt Processus generales, absente Papa, quos legit Dominus Patriarcha Constantinopolitanus, & candelæ non fuerunt projectæ ex eo quod non habebant, sed solum una de Altari accepta.*

CAPUT LI.

De sexta Feria majoris hebdomadæ, Papa presente.

I. PErvetusta plane, & communi nomenclatura Feria sexta majoris & sanctioris hebdomadæ appellata est *Parasceve*, idest, *Præparatio*, relatione habita ad Dominicam Paschatis. Communis quoque sententia docet, uti notavimus Tomo II. Cæremonialis Episcoporum Libro II. Capite XXV. Apostolos Divinorum Mysteriorum, quorum testes fuerant, Festa instituentes, unum statuisse in honorem Dominicæ Passionis, uti observat Sanctus Augustinus in Epistola XIV. novæ editionis; quod quidem Festum, licet augustissimum esset, precibus tamen, jejuniis, & mortificatione potius, quam lætitiæ signis celebrabatur. Scite autem notat Grancolas in Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXIII. Paschatis nomine hanc diem vocari a Tertulliano, & quidem non uno in loco, præsertim vero in Libro, *Adversus Judæos*, Cap. X. & Libro, *De Oratione*, Cap. XIV. ubi mortem Christi in Judæorum Paschate figuratam notat, diemque Paschatis, idest, *Parasceves*, quam Pascha appellat, apud nos esse ait diem luctus, tristitiæ, publicique jejunii, ac propterea in Fidelium cœtibus osculum pacis non dari: *Sic & die Paschæ, quo communis, & quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum, nihil curantes de osculando, quod cum omnibus faciamus.* Vide & quæ in citato Libro adversus Judæos scribit, ex quo etiam addiscimus, ab ipsis Fidei incunabulis singulari quadam veneratione solitos fuisse Christianos quotannis hunc Passionis Dominicæ diem recolere; id quod disertis quoque verbis adstruit Eusebius Lib. II. *Historiæ Ecclesiasticæ*, ubi de Essenis, seu Ægypti Ascetis, quos inter præcipuos illorum temporum Christi Discipulos recenset, asserit, eos Dominicæ Passionis temporibus, *vigiliis, Sacrorum Librorum lectioni, ac jejuniis*, impensius vacasse. Quæ quidem exercitia apud pios quosque Fideles hactenus perseverant.

II. Vigilias hujus diei Nocturnas, uti in Natali, & in Epiphania Domini, ab hora noctis tertia incipiebat Ecclesia Gallicana, easque medias inter densissimas tenebras totas persolvebat. Hujusce antiquissimæ consuetudinis testis locupletissimus existit Gregorius Episcopus Turonensis, qui in Libro I. *De Gloria Martyrum*, ita habet: *Sexta Feria ante Sanctum Pascha cum in Vigiliis sine lumine pernoctarent circa horam tertiam noctis, apparuit ante Altare lumen parvum.* Verum in pervetusto Ordine I. Romano, & in ms. Ordinario nostri Lucæ Consentini Episcopi, ut alia omittam, media noctis hora designatur: *In Parasceve*, ait laudatus Ordo I. Romanus, Cap. VI. *media nocte surgendum est.* Recenset mox etiam ritus in Officio ejus diei observatos, quos lubet & hoc loco describere. Sic autem inquit: *Dicuntur* VIII. *Psalmi cum Responsoriis; Tres Lectiones de lamentatione Hieremiæ ab eo loco, ubi ait:* Cogitavit Dominus dissipare, *usque*, Misericordiæ Domini multæ. *Tres de tractatu S. Augustini de Psalmo* 63. *Tres de Apostolo, ubi ait ad Hebræos, Cap. V.* Festinemus ergo ingredi. *Deinde sequitur Matutinum*, idest, Laudes, quæ Matutini nomine, ut jam alibi notavimus, appellabantur: *Lucernæ extinguuntur. Luminaria autem Ecclesiæ ab initio cantus Nocturni incboantur extingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius Ecclesiæ incipiat paulatim tutare* (idest extinguere, estque in nostra Calabria vulgare idioma, *tutare*, seu *stutare*, & significat extinguere) *ut verbi gratia peracto primo Nocturno, videatur pars eorum tertia esse extincta; medio Nocturno iterum tertia; tertio vero expleto, exceptis septem lampadibus, nihil luminis relinquitur; quæ in Matutino*, idest Laudibus, *hoc ordine extinguantur. In initio Psalmi primi sit custos semper paratus in loco dexteræ partis Ecclesiæ prope lampadibus, ut ubi audierit Antiphonam, tenens cannam in manu sua, tutat lampadem unam. In finem Psalmi ipsius aliam sinistræ partis; sic una ex parte una, alia ex alia tutantur, usque ad Evangelium*, ad Canticum, scilicet, *Benedictus*, quod ex Evangelio Lucæ, Cap. I. desumptum est: *In Evangelio vero tutatur mediana lampada.* Atque hinc Tenebrarum nomine Officium istud appellatum est, uti jam supra adnotavimus.

III. Officium nocturnum, & diurnum, fit sicut præcedenti die. Non pulsantur Campanæ a Feria V. usque ad Sabbatum Sanctum, vestigium hocce antiquitatis servante Ecclesia, quæ duobus hisce diebus Fideles convocat eodem modo, quo convocabat, antequam Campanarum usus inventus esset; quibus silentibus acerbissimus Ecclesiæ luctus, ac tristitia repræsentatur in morte Domini. Notat Grancolas ex antiquo Romano Ordine designatum fuisse nocturnum Officium per instrumentum ligneum dato signo. Quod autem spectat ad hujus diei horas diurnas, submissa hæ voce, & absque cantu ex antiqua consuetudine solent decurri. In quibusdam locis communiter in Choro non dicebantur, sed privatim, testesque ejus disciplinæ sunt complures Libri Rituales, quos recenset Edmundus Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIII. Num. III. ubi etiam notat, ex Ordinario Canonicorum Regularium Crucesignatorum, Primam, atque Ter-

Digitized by Google

Tertiam privatim in Capitulo, Sextam, & Nonam in Choro persolvi debuisse; ex Antiphonario autem Turonensium S. Martini Canonicorum, diurnas Horas eosdem in Choro quidem recitasse, sed extra stalla. Verba prædicti Antiphonarii hæc sunt: *Hac die post prædicationem, quæ hora nona finiri debet, recitantur Horæ, Prima, Tertia, & Sexta, & Nona submissa voce non in stallis sedendo, sed prope tumulum marmoreum in medio Chori stando.* Ab hoc ritu jam non multum dissensit mos Ecclesiæ Rotomagensis, quem ita describit ejusdem Ecclesiæ Ordinarium: *Horæ hujus diei cum silentio in Chori quatuor angulis dicantur more Judæorum de morte Domini consilium capientium.* Ex Ordinario Argentino Horæ hujus diei omnes non a Versu, *Christus factus est &c.* sed ejus loco a Versu, *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, terminari debebant.

IV. Scite observat idem Martene citato loco, Num. IV. hæc omnia non negligentiæ causa, sed ad mœrorem, doloremque exprimendum de Christi morte eos egisse; Psalteriique recitatione aliunde compensasse, quod ex cantu precibusque solitis remittebant. Ergo quod in Libro III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XIV. memoratus Auctor adnotavit, moris eis fuisse, ut mane integrum recitarent Psalterium, non solis Monachis extitit singulare, sed aliis etiam Clericorum Ecclesiis commune: *Post Matutinum*, inquit Joannes Abrincensis, *Fratres in Claustro, aut, si deest, in Ecclesia, Psalterium cum Litania communiter dicant; quo dicto, omnes intra Ecclesiam cum silentio privatas orationes faciendo usque ad Officium sedeant.* Concinit Ordinarium Cenomanense, uti & Uticense, Rotomagense Canonicorum S. Laudi, Parisiense Canonicorum S. Crucis, & celebre, ac antiquum Missale ms. Fratrum Ordinis Prædicatorum. Atque hujus ritus praxim videre est in Vita S. Udalrici Augustensis Episcopi, Cap. XIV. ubi ita legitur: *Die autem Parasceve, Horis secundum ordinem caute expletis, omissis aliis cursibus, sicuti in Cœna Domini, nisi ad eundem diem pertinentibus, mane diluculo Psalterium explere festinavit.* Etiam in Romana Ecclesia hac die cantatum fuisse a Summo Pontifice cum suis Psalterium, tradit inter alios Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. XLII. cujus locum infra opportunius referemus.

V. Quanam vero ratione, quove ritu Psalterium ipsum decantaretur, docent quidem antiqui Libri Rituales non pauci, sed lubet hoc loco describere quod in suo ms. Ordinario noster Lucas Archiepiscopus Consentinus scriptum reliquit: *Finitis Laudibus, egrediantur Clerici cum summo silentio, & clara luce redeant similiter cum silentio. Tum incipiat Episcopus Psalterium, quod pronunciatis ab eo cui committitur per singulos Psalmos titulis, vicissim ab utroque, plana, sed distincta voce psallatur. Ubi venerint ad quinquagesimum Psalmum, surgentes compleant illum. Quo completo, dicant Antiphonam*, Ne reminiscaris, *& flexis genibus fiat Litania prima, sicut habetur in Collectaneo propria, cum precibus, & Orationibus; quibus finitis, imponatur*, Quid gloriaris; *& residentes percurrant usque ad Psalmum centesimum. Tum fit secunda Litania; qua completa, imponitur*, Domine exaudi. *Completur Psalterium, & fit tertia Litania. Hoc Psalterium, quasi Sacrificium spiritus contribulati cum Litaniis, quasi libamenis suis in hac die pro vivis, & defunctis Christo pro peccatoribus passo ab omnibus est offerendum.* Recitatum fuit hac die & in aliis locis Psalterium, sed procedendo per varias Ecclesias, ut addiscimus ex Ordinario Turonensi; fuitque hic Psalterii recitandi modus familiaris etiam S. Udalrico Angustano Episcopo, quippe qui, ut in ejusdem Vita legimus, præter illud, quod summo diluculo recitabat, postea *Sacro Dei ministerio perpetrato, populoque Sacro Christi Corpore saginato, & consuetudinario more, quod remanserat, sepulto, iterum inter Ecclesias ambulando, Psalterium explebat, decantando.*

VI. Viguit & idem Romæ ritus, ubi pariter longe religiosius, quam in aliis locis peragebatur istiusmodi Processio, in qua Summus Pontifex cum Clero nudis pedibus procedebat ad Ecclesiam S. Crucis, dicendo septem Psalmos pœnitentiales, Eucharistiam præcedentis diei in capsa inclusam deferente juniore Presbytero Cardinali, præeunte Subdiacono cum Cruce, ut nos docet Romanus Ordo X. Seculo XI. exaratus, cujus verba Num. XIII. hæc sunt: *Hora sexta conviniunt omnes ad Lateranensem Ecclesiam, vel ad aliam Ecclesiam, & dicant septem Psalmos. Tunc Dominus Papa induat se ornatu suo quadragesimali tantum, Episcopi Pluvialibus; Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi Planetis. Tunc junior Presbyterorum Cardinalium ferat adornatum capsidem cum Dominico Corpore besterna die reservato, & sic Subdiaconus cum Papali Cruce Processionem præcedente, omnes discalceati sine cantu psallendo ad Ecclesiam Sanctæ Crucis, quæ est Jerusalem, ubi Statio fieri debet, ordinate tamen procedant, quando Dominus Papa est Laterani. Cum autem illuc pervenerint, ingrediuntur Ecclesiam sine cantu, prostrati in medio Ecclesiæ diutius orent. Presbyter, qui portat Corpus Christi, in Secretario ponat illud, dum Dominus Papa præparat se. Illo præparato, reportet illud ante Dominum Papam in processione ad Altare. Surgentes ab Oratione, Dominus Papa cum Clero intret Secretarium, & abstracta Planeta cum Pallio sedeat in Sede sua, & lotis pedibus, Ministri calcient eum quotidiana calceamenta. Veniens ad Faldistorium dicit Nonam, & post paululum reindutus Planeta, & Pallio, præeunte eum Cruce, & Evangelio, sine luminaribus, & incenso, cum silentio ordinate ad Altare procedant, & tunc omnes prostrati diutius orent.*

VII. Cantatum Psalterium in ipsa Processione, qua Pontifex cum suis Ordinibus discalceatus ibat hac die ad Basilicam Sanctæ Crucis, quæ dicitur in Jerusalem, tradit Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XLII. hisce verbis: *In Paraseeve Episcopus hebdomadarius facit Officium in Basilica Salvatoris. Dominus Papa descendens de Palatio, ibi post Altare cum aliis Ordinibus se induit, & discalceatus pergit cum Processione, & omnes cum eo cantando*

Digitized by Google

do Psalterium, usque ad Sanctam Crucem. Quidam Cardinalis honorifice portat Corpus Domini præteriti diei conservatum in Capsula Corporalium. Subdiaconus Regionarius ferens ad pectus Crucem Stationalem coopertam. Cum venit ad Ecclesiam prædictæ Basilicæ Pontifex, lotis pedibus, calceatus ascendit ad Altare &c. Eucharistiam a Cœna Domini in sequentem Parasceven asservari consuevisse aliquando Romæ in Capsula Corporalium, jam alio loco notavimus. Quod Crucem vero Stationalem spectat, cujus meminit recitatus locus Romani XI. Ordinis, Stationalis dicta est Crux, quæ in Supplicationibus per dies Stationum præsertim Quadragesimalium actis præferebatur, viderique de ea re possunt quæ latius scripsit eruditissimus, atque accuratissimus Petrus Morettus Canonicus insignis Basilicæ S. Mariæ trans Tyberim in aureo Opere, *De Presbyterio*, in Appendice I. Num. VIII. & seqq.

VIII. Præclarissimi vero sunt ritus, quos in memorata Processione servatos recenset Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XIII. Num. XXVIII. quosque juvat hoc loco describere: *Feria sexta in Parasceve*, inquit, *in Aurora Dominus Papa facit omnes Capellanos in sua præsentia evocari, & voce mediocri cantat Psalterium, quo cantato, revertuntur Capellani. Sexta vero hora Dominus Papa cum omnibus Cardinalibus intrat Basilicam S. Laurentii* (adhærebat hæc Basilica Palatio Lateranensi, ut notat Mabillonius in hunc locum) *& facta oratione ibi accedit ad Altare, & aperto Altari, extrahit Capita Apostolorum Petri, & Pauli, & duas Cruces. Quæ omnia postquam Dominus Papa cum Cardinalibus osculatus fuerit, reponit ibidem, & accepta una Cruce, & iterum fugillato Altari, unus Presbyterorum Cardinalium Crucem accipit, & sic vadit usque ad Ecclesiam Lateranensem sine aliquo cantu, & Psalmis, factaque ibi Oratione, ascendit Cathedram post Altare. Tunc Dominus Papa induit quadragesimalia indumenta, & excalceatur. Episcopi vero induunt Pluvialia, Presbyteri autem Cardinales, & Diaconi, atque Subdiaconi induunt Planetam, & deinde juniori Presbytero Cardinali, accepto Corpore Christi ante pectus suum hesterna die reservato, alio prædictam Crucem accipiente, & Subdiacono regionario cum populo suo præcedente, omnes discalceati cum Domino Papa, & Primicerio, sine cantu psallendo Psalterium, pergunt ad Sanctam Crucem. Pontifex autem cum ad Ecclesiam venerit, & Ecclesiam ipsam sine cantu intraverit, & diutius coram Crucibus oraverit, intrat cum omnibus aliis claustrum, & vadit ad Secretarium; & exuta Planeta cum Pallio, Mappularii habentes aquam calidam paratam abluunt pedes ipsius, & eo sedente in Sede, Ministri calceant eum, non Sandalia, sed quotidiana calceamenta, & induunt Planetam, & Palleum, & sic ad Altare cum Processione accedit, præeunte eum Cruce, & Evangelio, sine luminaribus, & incensu cum silentio.* Notandum etiam idem Ordo mox subjicit, *quod Dominus Papa cum Processione non debet ire ad Altare ante Cruces more solito, sed per viam, quæ est in capite Chori juxta gradus Altaris.*

IX. Variant tantisper ab hactenus recitatis Romani Ordines XIII. XIV. & XV. quorum postremus Ordini Romano XIV. cujus Auctor est Jacobus Gajetanus, adhærens ita habet Capite LXXV. *Feria sexta, videlicet die Veneris Sancta, ut omnia dicantur per ordinem, prima hora hujus diei secundum Jacobum Gajetani omnes Capellani vocantur ad dicendum Psalterium, Domino Papa sedente ante lectum suum. Capellani etiam juxta pedes ejus vicissim totum Psalterium complent. Quo finito, Sacerdos cum aliis dicit Antiphonam*, Ne reminiscaris, *postea dicuntur Letaniæ*, & Pater noster, *private*, & *Psalmus*, Miserere mei Deus *sine*, Gloria &c. *deinde Capitula*, & *sine*, Dominus vobiscum, *absolute dicuntur Orationes*, Deus cui proprium est misereri, & *cæteræ omnes, quæ consueverunt in Quadragesima*, & *in fine dicitur Oratio illa*, nempe, *Respice quæsumus*. Sciendum præterea admonet Ordo ipse XV. *quod ista die Dominus Papa antequam vadat ad Ecclesiam, seu Capellam pro Officio faciendo, bis venit ad fenestram pro Indulgentia more solito danda, videlicet de mane semel, & sero, cum ad Capellam vult ire pro Officio faciendo, & qualibet vice portat Pluviale rubeum, & Mitram planam de garnell, fine aurifrisiis, & perlis.* Et ecce hic alius ritus dandæ scilicet bis hac die Indulgentiæ, *mane*, & *sero*, cujus, ut ex dictis superius constat, cæteri antiquiores apud Mabillonium Romani Ordines minime meminere.

X. Itaque mos fuit Romanæ Ecclesiæ, & aliarum etiam complurium, ut Feria sexta in Parasceve solemnis Processio institueretur variis cæremoniis referta. Fiebat nudis pedibus, virique pariter, ac mulieres varias Ecclesias visitabant, ut testatur Auctor Vitæ S. Constabilis Abbatis Cavensis apud Bollandum ad diem XVII. Februarii: *In Sancta præterea die Parasceves, cum diversis partibus multitudo virorum, & mulierum, sicut mos est Christianæ Religionis, sanctum illum diem discalceatis pedibus, & cum lacrymis sacra loca visitando celebraret, contigit, quod multi ad hunc sanctum locum venerunt &c.* Hujusmodi Processionis mentionem quoque facit Auctor Vitæ S. Bernardi Episcopi Hildesheimensis, Capite LV. apud Surium ad diem XX. Novembris, ubi ait, *quod negotiatoris cujusdam Hildesheim habitans conjux, cum die Parasceve loca Sanctorum more quampluribus consueto annuatim nudipes circuiret, thuris partem comparavit, quam ad Bernardi tumbam ferre destinavit.* Aliud tandem Processionis genus hac die frequentabat S. Elizabeth Regis Hungarorum filia, de qua sic scribit ejus Vitæ Auctor apud eundem Surium ad diem XIX. ejusdem mensis Novembris: *Humilians semetipsam, & in similitudinem pauperum facta, ordinavit in gremio suo lini fasciculos plurimos parvulos, & plenum thure vasculum, de ceraque lumina parvula multa, nummorumque talenta non pauca, sicque inter populares mixta, ad singula singularum Ecclesiarum processit Altaria nudis pedibus, & factis genuflexionibus, ad singula fascicuum lini parvulum, & thus cum lumine modico obtulit.* Quidquid sit de hac peculiari S. Elizabethæ devotione, consuevisse etiam Græcos *in Officio Parasceves dum*

Digitized by Google

Christum ipsum veluti ad sepulturam comitantur, Christi Corpus undequaque efformatum, sculptumque circumducere per Urbes, & adorare, scribit doctissimus Leo Allatius in Libro III. *De consensu Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis*, Cap. XV.

XI. In utraque Ecclesia peragitur hodieque in Paraſceve Missa Præsanctificatorum, in qua ex diei præcedentis Sacrificio tam ipse Celebrans, quam alii Clerici, ipseque populus universus olim communicabat. Hæc Missa ex Ordine Gelasiano, antiquo Codice Monasterii Sancti Dionysii prope Parisios annorum circiter CM. Gellonensi, & aliis, hora nona incipiebat, cui etiam nonnullæ Ecclesiæ ignis novi benedictionem præmittebant: *Hora nona*, inquit Joannes Abrincensis, *percutiuntur tabulæ, ut in Matutinis, omnes, & ad ignem benedicendum Clerici, ut hesterna die, pergunt cum Processione &c.* In Ecclesia Romana, & in aliis quoque nonnullis, uti addiscimus ex Ordine Romano, vulgato Alcuino, & Durando, hac die in hora sexta ignis extinguebatur, & in nona accendebatur, *quia tunc Sol in sexta lumen abscondit, & in nona reddidit*, uti exponit laudatus Durandus in suo Rationali Lib. VI. Cap. LXXVII. Num. I. Celebrabatur hac die post horam nonam, & tunc *Episcopus* (ut ait vetus Missale Toletanum) *vel Sacerdos cum Alba, & Cappa indutus cum Diacono, & Ministris deferentes virgam sculptam in figuram serpentis, & candelabra*, accedebat *ad Altare, sicut mos est*. Quia scilicet ex igne novo accendebatur Cereus in modum Serpentis efformatus, ut notat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c* Cap. XXIII. Num. VI.

XII. Præterea ut idem eruditissimus Auctor observat citato loco, Num. VII. in quibusdam Ecclesiis maxime Canonicorum Regularium ante Officium, appropinquante hora diei nona, Altaria solemni ritu lavabantur. Sed audiamus ipsa Carnotensis S. Joannis Ordinarii verba ab eodem Martene descripta: *Post Nonam*, inquit, *facto brevi intervallo, dum Fratres discalciant se, interim Domnus Abbas, & Prior, aut plures Sacerdotes, si necesse fuerit, induti Albis, & cæteri qui eis serviant, discalceati similiter ad Officium præparantur: qui præparati absque ullo Processionis apparatu ad Altare progrediuntur, & lavant Altaria prius aqua benedicta cum buxo, & postea vino, fricantes illud odoriferis herbis &c.* Mentionem faciunt & hujus ritus alia variarum Ecclesiarum mss. Ordinaria, atque Missalia, quæ recenset Martene in citato toties Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIII. Num. VII. ubi etiam scite observat, istam Altarium lotionem præcedenti Feria quinta peragi consuevisse. Cæterum in pluribus Ordinariis, & apud Joannem Abrincensem legitur, quod Feria VI. in Paraſceve post Vesperas lavaretur Crucifixus aqua, & vino, de quo biberent quicumque communicaverant; post Crucis vero adorationem in quodam Sepulchro recondebatur, & interim cantabatur, *Sepulto Domino &c.*

XIII. Ritus denique non offerendi Sacrificium hac die, communis est quidem, & in omnibus Orientis, & Occidentis Ecclesiis receptus, sed non ita recepta est Communio Præsanctificatorum adeo vetus in Ecclesia Latina. Quod ex pervetusta traditione soleat Latina Ecclesia a Sacrificio hac die, & sequenti abstinere (nam quæ Sabbato celebratur Missa, non ad diem, sed ad noctem ipsam Sabbati pertinet, ut suo loco dicemus) testem habemus Innocentium Papam I. in Epistola ad Decentium, ubi sic loquitur: *Sexta Feria propter Passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* De hac Innocentii Decretali mentionem faciunt Capitularia Caroli Magni, Lib. VII. Cap. CCCXXIII. & in Galliam transisse docent Romanæ Ecclesiæ usum biduo illo ante Pascha Sacrificium non offerendi. Toletanum Concilium IV. anni DCXXXIII. Canone VII. diserte ait, quod in Hispania Feria sexta Ecclesiæ fores claderentur, quod neque Officium fieret, neque Concio haberetur; præcepitque iccirco congregari hac die populum, eique legi, atque explanari Dominicam Passionem: *Ideo oportet, eodem die Mysterium Crucis, quod ipse Dominus cunctis nunciandum voluit prædicari, atque Indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mereamur, Corporisque ejus, & Sanguinis Sacramentum mundi a peccatis sumamus.* Preces istæ Indulgentiæ fortasse erant, quas nos generalem absolutionem vocamus. Quoniam vero Sacrificium hac die non offerebatur, congregari populus non satagebat, ideoque in Hispania non communicabatur.

XIV. Sæculo XI. Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ, disputans adversus Græcos, ac præ cæteris improbans Præsanctificatorum Missam, quam celebrant in Quadragesima, affirmat in Ecclesia Latina, quacumque hora dicatur Missa, semper perfecte dici, non reservari partem aliquam Oblatæ Hostiæ in sequentes dies, ut Missæ inserviat imperfectæ, neque Apostolos hujusmodi Missas celebrasse: *Nec reservatur ex Oblatione ejus pars aliqua, ut per dies sequentes agatur inde Missa imperfecta, nec Apostoli leguntur ex illo Mysterio quid reservasse.* Ex quo intelligere licet, quod notavit Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXIII. ipsius Cardinalis ævo Missam Paraſceves nondum fuisse in usu in Ecclesia Latina, vel Missam Paraſceves nunquam fuisse tanquam Missam consideratam, sed tanquam generalem Cleri, & populi Communionem, quæ eo die in honorem Dominici Sacrificii perageretur. De generali Communione mentionem facit quidem Ordo Romanus I. Capite VI. ex cujus præscripto post adorationem Crucis, de qua infra suo loco dicemus, duo Sacerdotes ex iis, qui ad Altare assistebant Pontifici, ibant ad Sacristiam, vel alium locum, ubi Christi Corpus in hesterna Missa consecratum reservaverant, acceptumque reponebant super Altare denudatum, tum Celebrans particulam Ho-

Digitized by Google

ſtiæ conſecratæ immittebat in Calicem, in quo vinum erat non conſecratum, & nihil dicendo, communicabat ipſe, & cæteri omnes cum ſilentio. Sane ſæpius de iſtius qualitate vini diſputatum eſt, utrum conſecratum eſſet, an non per immixtionem particulæ conſecratæ. Quapropter dicendum eſt, ſanctificatum ſolummodo fuiſſe, factumque id ad repræſentandam perfectam Communionem, in qua, ſicut in convivio abſque potu non comeditur.

XV. Amalarius quoque Lib. I. Cap. XV. de Ordine Romano agens, ſe legiſſe ait, quod poſt ſalutationem, vel adorationem Crucis, duo Sacerdotes afferebant Chriſti Corpus, quod præcedenti die reſervaverant, ſimulque Calicem cum vino non conſecrato, quod tunc conſecrabatur, ut populus communicaret; perque immiſſionem conſecratæ Hoſtiæ, vini quoque fiebat Conſecratio; quod ſibi mirum viſum eſt, utpote contrarium Innocentii Papæ I. diſpoſitioni, qua hoc biduo Sacramentum celebrari vetabatur. Unde liquet, Amalarii ævo id Romæ moris fuiſſe, & ab Ordine Romano præſcriptum, Concludit autem Grancolas, fuiſſe inter Humbertum Cardinalem, & Græcos diſputationem tantum de nomine, nam a Græcis appellabatur Miſſa Præſanctificatorum, quæ a Cardinali, & Latinis Communio tantum nominabatur. Ceterum idem Amalarius tradit, quod Romæ conſultus ab eo Archidiaconus circa Ordinis Romani Communionem, in qua vinum conſecrari dicebatur per immiſſionem panis conſecrati, reſpondit, quod in Eccleſia, ubi Pontifex adorabat Crucem, nemo communicabat: *Ubi Apoſtolicus ſalutat Crucem, nemo communicat*. Ex quo ſubjicit laudatus Grancolas, in nonnullis Eccleſiis Romæ Communionem factam fuiſſe ad nonum ſeculum, quo ſcilicet Amalarius claruit.

XVI. At vero multa afferri poſſent monumenta ejus Communionis non modo Romæ, ſed & alibi paſſim factæ hac die. Teſte Theodulpho Aurelianenſi, qui claruit ſeculo VIII. jam omnes in Gallia triduo ante Paſcha communicabant: *In Cœna Domini, in Paraſceve, & in Vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis ab omnibus communicandum*. In Regula Magiſtri ſeptimo ſeculo exarata, ſicut etiam in antiquis Cluniacenſium Conſuetudinibus Communio hodierna die, & ſequenti præcipitur. Quicquid ſit, communicat hodie ſolus Celebrans, invaluitque hic ritus Romæ ſeculo XI. ut conſtat ex Ordine Romano X. qui, ut ait Mabillonius in ſua ad ipſum Ordinem admonitione, ad prædictum ſeculum XI. videtur revocandus, ejuſque verba hæc ſunt, Num. XV. *Communicat autem ſolus Pontifex ſine Miniſtris non ad Sedem ſolemniter, ſed ibi tantum eo die ante Altare, ob humilitatem reverentiæ Dei, & Paſſionem Chriſti.* Sed de hac Communione inferius.

XVII. Longum eſſet ritus omnes deſcribere peractos olim Romæ, & in aliis Eccleſiis Feria VI. in Paraſceve. Finem itaque hic facio, eumque recenſebo ritum, cujus inter alios meminit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio Cap. XIII. Num. XXIX. Feriam quoque ipſam VI. in Paraſceve fuiſſe aliqua largitione Papali conditioni diei conſona honeſtatam: *Notandum*, inquit, *quod Dominus Papa nulli de familia dat ad potandum, nec coctum ad comedendum; dat vero ei tantummodo ponem, & aquam, & herbas de conſuetudine*, nempe lactucas agreſtes, quarum edendarum conſuetudinem ſua quoque ætate perſeverantem diſſerens de uſibus ejuſdem diei eruditus Novidius expreſſit Libro III. ſacrorum Faſtorum hoc verſiculo.

Nos & amara dies lactuca paſcit agreſti.

§. I.

De ſacris Cardinalis celebraturi, ejuſque Miniſtrorum Veſtibus, ac Altaris, & Capellæ apparatu.

Die Veneris in Paraſceve ſolet Officium facere, qui præcedenti die in Cœna Domini celebravit, quia videtur inde dependere, & unum, atque idem eſſe Officium. Cardinalis celebraturus parat ſe cum paramentis nigris ſine Sandaliis, & ſine Chirothecis, & non dicuntur Antiphonæ, *Ne reminiſcaris*, nec Pſalmus, *Quam dilecta &c.* Miniſtri utuntur Planetis plicatis. Altare debet eſſe totaliter diſcoopertum. Super credentiam debet eſſe vas cum bocali tantum pro lavandis manibus, & non alia vaſa ad ornatum, quæ in aliis Miſſis habentur, & aliud vas pulchrum pro Offertorio juxta Crucem pro tempore adorationis ponendum cum duobus mappulis ſericeis pulchris. Mappa credentiam tantum cooperiat, & a nullo latere dependeat, & duo candelabra cum faculis. Item (1) in Altari ſex candelabra cum faculis, & ſex intorticia non accenſa ſuper cancellos, quæ omnia poſt adorationem accenduntur. Ante Altare Faldiſtorium pro Papa more conſueto, uno tantum pulvino violaceo deſuper poſito, & ad ſiniſtrum aliquantulum retro ponitur ſcabellum nudum pro Celebrante. Tota Capella nuda eſt, & Sedes Papæ cuſſino violaceo tantum cooperta.

COMMENTARIUS.

I. COnſueviſſe olim ipſos Romanos Pontifices Feria VI. in Paraſceve Officium peragere, docent omnes Romani Ordines, quos Mabillonius Tomo II. Muſei Italici deſcripſit. Mutata diſciplina, & abſtinente Pontifice a celebratione ejus Officii, teſte noſtro

(1) Hæc verba, *Item in Altari ſex candelabra cum faculis*, extant quidem in Romana editione, & in aliis deſiderantur.

Digitized by Google

ſtro hoc præſenti §. *die Veneris in Paraſceve ſolet Officium facere, qui præcedenti die in Cœna Domini celebravit, quia videtur inde dependere, & unum, atque idem eſſe Officium.* Sed hæc regula non fuit ſemper ſervata, quum ex mſs. Diariis conſtet, non ſemper unum eundemque Cardinalem celebraſſe Feria v. in Cœna Domini, & Feria VI. in Paraſceve. Teſte Burchardo ad annum MCDLXXXV. in ſuo ms. Diario loquens de ipſa Feria v. ſic inquit: *Reverendiſſimus Dominus Vicecancellarius celebravit Miſſam ſolemnem &c.* Tum vero mox enarrans ritus Feriæ VI. immediate ſequentis ita ait: *Feria ſexta Veneris ſancta, prima menſis Aprilis Reverendiſſimus Dominus Cardinalis S. Petri ad Vincula Major Pœnitentiarius celebravit Miſſam ſolemnem in Capella &c.* Non inficior, variatum fuiſſe annis ſequentibus circa hunc ritum, eundemque Cardinalem, qui celebravit Feria v. peregiſſe Officium & Feria VI. Sed certum tamen eſt, etiam ſequentibus variatum fuiſſe, diverſoſque Cardinales celebraſſe in prædictis diebus. Ceterum quod in noſtro §. edicitur, videtur omnino in deſuetudinem abiiſſe, teſtemque habemus Paridem Graſsum, qui in ſuo Romano Ordine, quem inſcripſit Gulielmo Epiſcopo Albanenſi S. R. E. Cardinali Narbonenſi, legiturque apud Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* pagina 595. & ſeqq. Cap. XI. quod inſcriptum eſt, *De Miſſis extraordinariis*, ad diem Jovis hebdomadæ ſanctæ ita ſcribit: *In die Jovis Sanctæ hebdomadæ Miſſam celebrat ſolemnem, & Paſchalem in Capella prior Presbyterorum cum veſtimentis albis pretioſis.* Tum vero paulo poſt agens de Feria ſexta ejuſdem hebdomadæ, ſic inquit: *In die Veneris Sanctæ hebdomadæ in Paraſceve Officium in Capella facit Cardinalis Pœnitentiarius in paramentis nigris &c.* Atque hæc diſciplina legitur paſſim ſervata in ſequentibus Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, teſtiſque eſt idem Graſſus ad annum MDXIII. Cardinalem Pœnitentiarium feciſſe Officium Feria VI. in Paraſceve, prout in Ordinario.

II. Nigro colore uti Eccleſiam Feria ſexta in Paraſceve, eſt quidem antiquus Romanæ Eccleſiæ ritus, cujus meminit Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite LIII. Statis diebus, ac præſertim in Paraſceve, fuſci, ſeu nigri coloris in Romana Eccleſia adhibitas fuiſſe veſtes, in ſignum ſcilicet luctus ex morte Domini, teſtis eſt jam longe ante ipſum citatum Gajetani Ordinem vulgatus Alcuinus in Libro, *De Divinis Officiis*, Cap. XVIII. ubi Officium Feriæ VI. in Paraſceve ſecundum Romanæ Eccleſiæ ritum enarrans, Diaconos inquit ea die Planetis fuſci coloris indui conſueviſſe: *Pontifex autem, ſeu Clerus, atque populus procedunt ad Eccleſiam. Interim vero egreditur Archidiaconus cum aliis Diaconibus de Sacrario, indutis ſcilicet Planetis fuſcis &c.* In Orientali quoque Eccleſia antiquitus colorem nigrum mœſtitiæ diebus obtinuiſſe, docet nos Theodorus Lector Libro I. Hiſtoriæ, ubi ait, quod Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ut mœrorem, luctumque oſtenderet, quo Conſtantinopolitana Urbs anno CDLXXVI. conflictabatur, quod Baſiliſcus Imperator Chalcedonenſem Synodum rejici juſſiſſet, cum jam in Eccleſiam cunctus populus, mulieres, atque etiam parvuli conveniſſent, *ſemetipſum, Cathedram, & Altare nigris veſtibus obtexit.*

III. At vero licet ex multis Ordinariis, Argentino, Silvanectenſi, Miſſali Catalaunienſi, & quibuſdam aliis conſtet uſus nigri coloris in Paraſceve adhibiti, non deſunt tamen Ordinaria complurium Eccleſiarum, ex quorum præſcripto veſtimenta Sacrorum Miniſtrorum rubri erant coloris. Nam ita videre eſt in Ordinariis Lingonenſi, Noviomenſi, Lemovicenſi, Carnotenſi, itemque in Pontificali Biſuntino ante annos DC. ſcripto, in Rituali Sueſſionenſi, & in aliis ab Edmundo Martene allatis in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIII. Num. VIII. Ceteram, ut alios de hac re Auctores omittam, docet Durandus in ſuo Divinorum Officiorum Rationali, Lib. III. Cap. XVIII. Num. VI. *nigris utendum eſſe Feria ſexta in Paraſceve, & in diebus afflictionis, & abſtinentiæ pro peccatis, & etiam in Rogationibus.... & in Proceſſionibus, quas Romanus Pontifex nudis pedibus facit, & in Miſſis pro Defunctis, & ab Adventu uſque ad vigiliam Nativitatis, & a Septuageſima uſque ad Sabbatum Paſchæ.* Sed hæc ſpectant diſciplinam Seculi XIII. quo claruit Durandus, nam alias ille hodie ſervatur ritus, ut in Paraſceve quidem, & in Miſſis Defunctorum nigro colore utamur, in aliis vero memoratis diebus violaceo colore. Porro quod color niger ſignum ſit luctus, hinc eſt quod in Paraſceve non modo Sacri Miniſtri, ſed & laici quoque, ac præſertim Nobiles, Viri æque ac mulieres ea die veſtibus nigris utantur in ſignum ſcilicet triſtitiæ, ac luctus de Paſſione, & morte Chriſti Domini.

IV. Quod tandem in noſtro §. edicitur de ſacris Cardinalis celebraturi, ejuſque Miniſtrorum veſtibus, ac Altaris, & Capellæ apparatu, Feria ſexta in Paraſceve, luculentius explicatum eſt paſſim in mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, ac præſertim in Diario Burchardi, qui coævus fuit Auguſtini Patricii ordinatoris noſtri hujus Cæremonialis, quod dedicavit Innocentio Papæ VIII. anno Domini MCDLXXXVIII. uti conſtat ex ejuſdem Epiſtola, quam præfiximus Tomo I. hujus Operis. Ergo ad annum MCDLXXXVI. laudatus Burchardus ita ad rem noſtram ſcribit: *Feria ſexta majoris hebdomadæ Paraſceve nuncupatam, quæ fuit dies XXIV. menſis Martii, Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Vicecancellarius Epiſcopus Portuenſis celebravit Officium in Capella majore Palatii apud S. Petrum. Altare paratum fuit ab anteriori parte pallio nigro de veluto, & ſuper Altare poſita unica tantum tobalea ſimplex, & ſcabellum deſuper nudum, ſuper quo poſita fuit Crux cooperta ſimplex in medio, & hinc & inde ſex candelabra cum luminaribus extinctis. Item in plano Altaris juxta dictum ſcabellum in medio, ubi burſa Corporalium poni ſolet, erat poſita alia Crux minor etiam cooperta, ex auro, & perlis, ac lapidibus pretioſis confecta, parata pro Officio diei paragendo. Credentia parata fuit cooperta ſimplici tobalea ab omnibus partibus remiſſa, ita quod a nullo latere dependebat, & ſuper duo candelabra cum luminaribus extinctis, ac ba-*

Digitized by Google

bacili cum bucali. Pergit Burchardus citato loco, ubi postquam dixit, *quod super cancellum etiam Capellæ posita fuerunt sex intorticia non accensa*, ita statim subjicit: *Reverendissimus Dominus Vicecancellarius accepit omnia paramenta Pontificalia, demptis Sandaliis, & Chirothecis, more consueto, & non dixit Psalmum*, Quam dilecta &c.

VI. Afferri & alia possent sequentium Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, in quibus etiam nonnihil variatum fuit a præscriptis hucusque ritibus, sed ne in longum abeat hic Commentarius, unum dumtaxat hoc loco adnotabo, quod in nostro §. edicitur, ut nempe tota Capella nuda sit, & Sedes Papæ cussino violaceo tantum cooperta, in omnibus mss. Diariis recenseri, & quidem juxta antiquum Ecclesiæ ritum, quem supra fuse explicuimus. Cæterum licet ex nostro hoc §. & Faldistorium, super quo oratu rus est Pontifex, ubi ad Capellam pervenit, & Sedes pulvino, seu cussino violaceo cooperiri debeant, ex præscripto nihilominus Romani Ordinis XIV. Cap. LXXXV. & ipsum Faldistorium, & Sedes omnino nuda esse deberent: *Vadit*, inquit, *ad Altare, ubi est Cathedra nuda cum scabello parata, & ibi genuflexus .... orat aliquantulum*. Et paulò post *Deinde vadit ad aliam Cathedram nudam longe ab Altari cum scabello paratam*. Prima Cathedra, cujus meminit laudatus Ordo, est haud dubie Faldistorium, ad quod genuflexus Pontifex primum orat, altera vero Cathedra est Sedes, de qua loquitur §. noster, & de qua nos fuse alibi diximus.

§. II.

De accessu Pontificis ad Capellam, ejusque ornatu.

Hora competenti Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & Cappa purpurea, cujus capucium duabus spinulis hinc & inde super spatulis aptetur, ne retro cadat, in capite habens Mitram simplicem, Cruce velata, & Cardinalibus præcedentibus, venit ad Capellam, procumbit in Faldistorio, & diutius orat, videlicet per spatium unius *Miserere mei Deus*, vel circa, ut sibi placet. Cardinalis celebraturus indutus, ut supra, sine Mitra accedit prope Papam cum suis Diacono & Subdiacono; & super scabellum nudum a sinistris Papæ sibi præparatum similiter oret. Interim Clerici Capellæ unam mappam, sive tobaliam tantum super Altare extendunt.

COMMENTARIUS.

I. Juxta Romanum Ordinem X. Num. XIII. ubi agitur de Feria sexta in Parasceve, commorante Pontifice Laterani, fiebat Officium hujus diei in Ecclesia Sanctæ Crucis, quæ dicitur in Jerusalem, ad quam solemni cum Processione ibat Pontifex nudis pedibus, ut superius diximus, intrabatque deinde cum Clero in Secretarium, abstractaque Planeta cum Pallio, sedebat in Sede sua, & lotis pedibus, induebatur a Ministris calceamentis quotidianis. Tum veniens ad Faldistorium dicebat Nonam, & post paululum reindutus Planeta, & Pallio, præeunte cum Cruce, & Evangelio sine luminaribus, & incenso, cum silentio ordinate ad Altare procedebatur, omnesque tunc prostrati diutius orabant, *interim autem Ministri unam tantum toaliam extendebant super Altare nudatum*. Initio Officii unam mappam, seu tobaleam apponendam esse super Altari, tradunt & alii Romani Ordines sequioris ævi, itemque Scriptores antiqui æque ac recentiores, inter quos Durandus in suo Rationali, Lib. VI. Cap. LXXVII. ita eum ritum explicat Num. I. *Super Altare unica dumtaxat toballia disponitur, per quam Sindon, qua Corpus Christi involutum fuit, significatur*.

II. Quo ritu, & ornatu accederet hac die Pontifex ad Capellam labente Sæculo XIV. addiscere licet ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. LXXXV. ubi sic inter alia scribit: *Accipit Cappam de scarletto rubeo apertam a medio pectoris usque ad pedes, & Mitram albam, & planam de garnello sine aurifrisiis, & perlis in capite portans, cum Cardinalibus intrat Capellam pro Officio faciendo*. Additque mox: *Cum autem Papa est in Capella, illico vadit ad Altare, ubi est Cathedra nuda cum scabello parata, & ibi genuflexus, & sibi deposita Mitra per Diaconum Cardinalem, qui est a dextris, orat aliquantulum, & postea surgit, & reponitur Mitra sibi. Deinde vadit ad aliam Cathedram nudam longe ab Altari cum scabello paratam*. Utraque itaque Cathedra nuda esse olim debebat, & prima, quæ idem erat ac Faldistorium, in quo orabat Pontifex, & secunda, quæ in hoc nostro § dicitur Sedes, ex cujus etiam præscripto, tam illud, quam ista pulvino, seu cussino violaceo cooperiri debent.

III. Porro nostro huic §. concinit, egregieque eum illustrat Burchardus in ms. Diario anni MCDLXXXVI. ubi hæc ad rem habet: *Papa indutus in Camera papagalli, Alba, Cingulo, Stola violacea, Cappa de rosato, Mitram simplicem in capite tenens, præcedentibus Cruce, & Cardinalibus, ac aliis more consueto, venit ad Capellam magnam, primo Episcopo assistente fimbrias Cappæ omnes simul collectas portante. Papa oravit in Faldistorio nudo, unico tantum cussino violaceo desuper posito, ac alio parvo cussino super scabello pro genibus posito. A sinistris Papæ venit Vicecancellarius genuflexus in terra nuda, inclinatus super scabellum nudum. Orarunt per spatium unius*, Miserere, *vel circa*. Similia legere est apud eundem Burchardum, aliosque Cæremoniarios Apostolicos in

Digitized by Google

in mss. sequentium annorum Diariis, quæ non est opus describere, cum omnia concinant præscripto nostri hujus §. Cæterum ut unum recentius recenseam, teste Mucantio ad annum Domini MDLXXIV. *Feria sexta, in Aprilis in Paraſceve Domini Pontifex*, nempe Gregorius Papa XIII. *paratus Amictu, Alba, Cingulo, & Stola violaceis, Cappa rosacea, ac Mitra simplici, præcedente Cruce, & Cardinalibus venit pedester ad Capellam, sustinentibus fimbrias Cappæ primis duobus assistentibus Prælatis, facta prius adoratione ante Sanctissimum Sacramentum in Capella Paulina, ubi etiam aliquantisper moratus est, donec Cardinalis celebraturus paratus esset.*

IV. Rursus de accessu Pontificis ad Capellam hac die audiendus iterum Mucantius sic ad annum MDLXXV. scribens: *Die prima Aprilis Feria VI. in Paraſceve hora duodecima Pontifex indutus Cappa, & Mitra simpliciori venit pedibus suis, cujus fimbrias anteriores portarunt Auditores Rotæ in defectum Protonotariorum, non enim adhuc aderat, nisi unus Protonotarius, is autem supplevit vices Assistentium Prælatorum, cum primo Auditore Rotæ, deferendi fimbrias Cappæ posteriores, cum nulli adhuc adessent Assistentes, nec alii Episcopi; sed supervenientibus per viam Assistentibus, ipsi Assistentes acceperant posteriores. Protonotarius vero cum Auditore prædicto anteriores; sed haud scio, an etiam h die debuissent anteriores Cubicularii deferre, cum Papa non gerat Pluviale, licet habeat Mitram, cum Principes laici, quibus alias hoc officium incumbit, hodie non portent fimbrias, sed Assistentes, ut dictum est, ideo considerandum.* Varia hic docet Mucantius Apostolicarum Cæremoniarum peritissimus, qui etiam mox alia subjicit, quibus hic noster §. quammaxime illustratur, ubi ita inquit: *Pontifex cum primum ingressus est Capellam parvam, ubi erat reconditum Sanctissimum Sacramentum, quod Sanctitas sua, ut decuit, priusquam ad Capellam Sixti perveniret, adoravit, statim deposuit Mitram pro reverentia Sanctissimi Sacramenti; deinde recedendo sine Mitra venit ad Capellam majorem, ubi peractum Officium est more solito, prout in Cæremoniali cavetur.* Quod tandem anno MDLXXVIII. die XXVIII. Martii Feria VI. in Paraſceve *Papa pedester cum Cappa, & Mitra ad Capellam venerit, Cardinalibus Cappis laneis indutis, & Cruce præcedentibus*, testatur ad prædictum annum idem Mucantius.

V. Sed ut alia explicemus, quæ in nostro §. statuuntur, ubi Pontifex venit ad Capellam, ubi scilicet peragendum est Officium, *procumbit in Faldistorio, & diutius orat &c.* ante Altare scilicet tanquam ante Thronum Divinæ Majestatis. Oratio ista, imo & prostratio ante Altare initio Officii in multis antiquis Ritualibus, atque Ordinariis occurrit. In Turonensi olim S. Martini Ecclesia, ut ex ejusdem Rituali constat, Sacri Ministri septem Psalmos Pœnitentiales ante Altare prostrati recitabant, ubi scilicet ad illud pervenerant celebraturi hac die Officium Missæ, videlicet Præsanctificatorum. Quamquam vero & ex Cæremeniali Episcoporum Episcopus, & ex hoc nostro §. Pontifex, non prostratus, sed procumbens in Faldistorio, seu genuflexus oret, præscriptum nihilominus legimus in Ordine Romano XIV. Cap. XCIII. ut Papa, ejusque Ministri hac die *ingrediantur Ecclesiam sine cantu, & prostrati in medio Ecclesiæ diutius orent.*

VI Ut aliquid tandem dicamus de Cardinali celebraturo hac die, mos plane invaluit, Cardinalis Pœnitentiarius celebret, idque testantur passim Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis, itemque in suo Romano Ordine Grassus, Cap. XI. sic inquiens: *In die Veneris, Sanctæ hebdomadæ in Paraſceve Officium in Capella facit Cardinalis Pœnitentiarius in paramentis nigris.* Ut alios omittam, meminit & hujus ritus Mucantius in suo Diario ad annum MDLXXIV. ubi ita scribit: *Missam, & Officium celebravit Illustrissimus Dominus Cardinalis Varmiensis Summus Pœnitentiarius quamquam valde senex, & debilis; nos tamen illum adjuvimus, quantum fieri potest &c.* Idipsum docent passim & alii sequioris ævi Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis, servaturque hic ritus hodie, nisi aliquo tamen impedimento detentus sit Cardinalis ipse Pœnitentiarius, & nisi Pontifex velit per se ipsum Officium facere hac die, prout nostro hoc ævo non semel fecit sanctæ memoriæ Benedictus XIII.

§. III.

De Lectionibus, & aliis ritibus usque ad Passionem.

Orationibas finitis, Papa ascendit ad Sedem suam nudam, assistentibus sibi duobus Diaconis Cardinalibus more solito, & Celebrans ad suum Faldistorium etiam nudum. Non fit reverentia per Cardinales, neque Ministri Prophetias, Passionem, & Evangelium dicturi, osculantur pedem Papæ, sed sine osculo omnia fiunt. Postquam omnes consederint, unus ex Cantoribus Superpelliceo indutus, associatus per Cæremoniarium accedit ad locum, ubi Epistola dici solet, & factis Papæ, & Altari reverentiis, sibi ipsi Librum tenens, legit primam Prophetiam sine titulo. Finita Prophetia, factis reverentiis, Cantor solus vadit ad suum locum. Cæremoniorius portat Librum ad Altare, & Celebrans legit ex Missali Prophetiam, & Tractum. Post Prophetiam dicitur Tractus, *Domine audivi &c.* quo finito, Celebrans stans ante Faldistorium versus ad Altare, sine, *Dominus vobiscum*, absolute dicat, *Oremus*; & Diaconus retro eum stans, *Flectamus genua*; & Subdiaconus, *Levate*. Celebrans dicit Oratio-

Digitized by Google

tionem; deinde ſedet, & aliam Prophetiam cantat etiam ſine Titulo Subdiaconus in dicto loco, & ea cantata, legitur per Celebrantem cum Tractu.

COMMENTARIUS.

I. HOdiernum Officium in antiquis Sacramentariis, Ordinibuſque Romanis, unum & idem reperiri jam diximus. Sicut hodie, ita & antiquitus a duabus Lectionibus incipiebat, in quorum fine dicebantur Tractus ipſi, qui recenſentur in hodiernis Miſſalibus. Audiendus Ordo I. Romanus Cap. VI. qui hæc habet: *Statim ut ſurrexerit*, Pontifex videlicet ab oratione, de qua ſupra diximus, *cum ſilentio aſcendit ad Sedem; quo ſedente, ſtatim Subdiaconus aſcendit ad legendum, & poſt Lectionem cantatur Canticum*, Domine audivi, *cum verſibus ſuis. Et dicit Pontifex*, Oremus, *& Diaconus*, Flectamus genua, *& dicit*, Levate. *Et dat Orationem*, Deus a quo & Judas. *Deinde ſequitur altera Lectio, poſt quam ſequitur Tractus*, Qui habitat, *vel*, Eripe me. Luculentiora ſunt, quæ eàndem in rem docet Ordo Romanus X. ubi agit de Feria ſexta in Paraſceve, Num. XIV. In eo dumtaxat ab Ordine I. diſcrepans, quia nempe juxta præſcriptum ipſius Romani Ordinis X. Pontifex, completa Oratione, antequam Sedem aſcenderet, deoſculabatur Altare: *Pontifex*, inquit, *deoſculato Altari, aſcendat Sedem more ſolito, non tamen in Sede ornata, & ſolemni, ſed in Faldiſtorio ad dextrum Altaris, quaſi ante gradus, ubi ſtat Subdiaconus in Miſſa, & Subdiaconus ſtatim procedat ad legendum, & ſine titulo ſic incipiat*; Hæc dicit Dominus: In tribulatione ſua. *In tono Lectionis leguntur Lectiones ſine reverentia, & oſculo pedum. Finita Lectione, cantatur Tractus*, Domine audivi auditum tuum. *Finito Tractu, dicat Pontifex*. Oremus, *& Diaconus*, Flectamus genua. *Reſp.* Levate: *Et dicat Orationem*, Deus, a quo & Judas. *Qua finita, Subdiaconus legat ſimiliter ſine titulo*, In diebus illis dicit Dominus ad Moyſen, *Tractus*, Eripe me Domine.

II. His concinunt Romani Ordines XIV. Cap. XCIII. & XV. Cap. LXXV. in quibus tamen non idem Diaconus dicit, *Flectamus genua*, & reſpondet, *Levate*; ſed, *prior Diaconus ſtans a dextris Papæ dicit*, Flectamus genua, *& immediate Diaconus Cardinalis, qui eſt a ſiniſtris Papæ, dicit*, Levate; *& tunc Papa dicit Orationem*, Deus, a quo &c. *& in fine reſpondetur*, Amen. *Qua finita, Subdiaconus, depoſita Planeta, legit ſine titulo Prophetiam*. In diebus illis dixit Dominus ad Moyſen; *qua finita, cantatur Tractus &c.* Loquitur de Prophetia ſecunda, poſtquam ſcilicet paulo ſuperius mentionem fecit alterius Prophetiæ, quæ incipit: *Hæc dicit Dominus: In tribulatione &c.* quam, ut ait laudatus Ordo XV. *abſolute ſine titulo in modum Lectionis dicit*, Sane errat Grancolas, ubi in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXIII. ſcribit, primam Lectionem eſſe de immolatione Agni, ex Libro Exodi deſumptam, ſecundam ex Propheta Oſea; cum conſtet ex Libris Miſſalibus, & Ritualibus non modo hodiernis, ſed ex antiquis Romanis Ordinibus, primo legi Oſeæ Lectionem, & deinde Exodi; tametſi in nonnullis Eccleſiis contrarium ſervatum fuerit, ut teſtatur Durandus in ſuo Divinorum Officiorum Rationali Lib. VI. Cap. LXXVII. cujus verba ad illuſtrandum magis magiſque hunc noſtrum §. mox deſcribemus.

III. Ergo incipit hoc Officium Feriæ VI. in Paraſceve a Lectionibus, *quia*, ut notat laudatus Durandus, *in primitiva Eccleſia omnis Miſſa a Lectionibus inchoabat. Sed hoc hac die ſpecialiter fit, pro eo quia Paſſio Domini hodie celebrata eſt, in cujus memoriam omnis Miſſa cantatur, & leguntur Lectiones ſine titulis, quoniam tunc amiſimus Chriſtum caput, qui nos illuminat, ſicut tituli illuminant Libros*. Addit & alia Durandus, quæ & ante ipſum inter alios notaverat Joannes Belethus in ſua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. XLVIII. Sed lubet poſterioris Auctoris hoc loco verba deſcribere: *Leguntur autem duæ Lectiones, quia pro duobus populis Chriſtus paſſus eſt, Gentili videlicet, & Hebræo, vel pro ſalute carnis, & animæ*. Unam ſumptam ex Lege ait, aliam ex Prophetis, *quia Chriſti Paſſio a Prophetis fuit prænunciata, & a Lege, & Patriarchis præfigurata. Abraham enim carnem Chriſti figurative immolavit, cum arietem immolavit. Similiter Abel, quando Agnum ſacrificavit*. Tum paucis interjectis idem Durandus notat, in quibuſdam Eccleſiis legi primo Lectionem Oſeæ Cap. VI. *In tribulatione &c.* & ſecundo Lectionem Exodi, Cap. XII. *Dixit ad Moyſen Dominus*; in aliis vero primo Exodi Lectionem, & deinde Oſeæ. Exponit poſtea utramque Lectionem, & Tractus, quibus Chriſti, & Eccleſiæ paſſionem deſignari ſignificat.

IV. Sed his omiſſis, notandum quod ait noſter §. non fieri ſcilicet hac die reverentiam Papæ per Cardinales, neque Miniſtros Prophetias, Paſſionem, & Evangelium dicturos, oſculari pedem Papæ, ſed ſine oſculo omnia fieri. Atque hic antiquus eſt ritus, cujus mentionem inter alios facit Romanus Ordo XV. Cap. LXXV. ubi inter alia notandum inquit, *quod iſta die Cardinales non veniunt ad Papæ reverentiam*. Sine reverentia, & ſine oſculo pedum Pontificis dici hac die Lectiones, edixit Ordo XIV. Cap. XCIII. quod tamen ex parte correctum eſt ex noſtro §. qui mandat, ut Lectiones ipſæ legantur, factis prius, & poſtea reverentiis Papæ, & Altari.

§. IV.

De Paſſione cantanda in hac die, & ritibus in ea ſervandis.

Alius poſtea Tractus dicitur, qui dum cantatur, portantur paramenta ad Cantores, & tres ex eis parantur pro Paſſione cantanda, ut dictum eſt in Do-

mi-

Digitized by Google

minica Palmarum ; qui in fine Tractus veniunt , & facta reverentia , locantur in loco consueto , & assistentibus tribus Capellanis , ut Librum teneant , cantant Passionem , ut supra in die Palmarum dictum est . Celebrans autem , incœpta Passione , nulla ad Papam facta cæremonia , detecto capite , accedit ad cornu Epistolæ Altaris , stans aliquantulum versus ad Passionem sine Mitra , & Passionem cum Missali ante se posito legit secrete , & cum perventum est per Cantores ad locum , ubi dicitur , *Et inclinato capite tradidit Spiritum* , Papa , & Celebrans , ac omnes alii in suis locis genuflectunt versi ad Altare , aliquantulum orantes . Cum Papa surgit , & se erigit , surgunt omnes , & continuatur Passio usque ad finem ; qua finita , Papa , & Celebrans , ac Cardinales sedent .

COMMENTARIUS.

I. TRactu post secundam Lectionem cantato, ex pervetusto Ecclesiæ ritu dicitur Passio , cujus meminit Ordo I. Romanus Cap. VI. Num. XXXIV. his paucis verbis : *Quo finito* , Tractu scilicet post alteram Lectionem , *pronunciat Diaconus ita* : Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem , *& incipit legere* . Luculentius eundem ritum recenset Romanus Ordo X. ubi agit de Feria sexta in Parasceve , Num. XIV. sic inquiens: *Diaconus, facta reverentia, sine benedictione procedit cum Evangelio sine faculis, & sine incenso, & ascendens nudum pulpitum , similiter incipit* : Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem . *Et nullo respondente , legat* : In illo tempore egressus Jesus trans torrentem. His concinit Ordo Romanus XII. Cap. XIII. ubi ita ait : *Postmodum Diaconus Cardinalis , non osculatis pedibus* , scilicet Papæ , *facta reverentia, ascendit pulpitum nudum , & ibi sine faculis , & incenso , incipit Passionem hoc modo &c.* Enarrat eundem hunc Ritum Romanus Ordo XIV. Cap. XCIII. sic inquiens : *Antequam finiatur Tractus, Diaconus Passionem dicturus , debet exuere Planetam , & eam Planetam ad medium Stolæ recipere debet super humerum sinistrum , ita quod capita ejus firmentur ad latus dextrum, quasi retro* . Tum vero mox ita subjicit : *Notandum , quod in principio Passionis Papa surgit de Cathedra , & deposita sibi Mitra , stat pedes contra Altare circa medium ; qui sustentans se super illud retro in scapulis , respiciens ad illum qui legit Passionem , junctis ante pectus manibus , & sic semper stat , quousque perveniat ad locum Passionis , ubi dicitur* , Et inclinato capite &c. *& tunc Papa genua flectit ibidem versa facie ad Altare , stat que genuflexus per tantum spatium , quod semel possit dici* , Pater noster . *Postea surgit , & stat, sicut prius . Similiter & omnes alii faciunt* . Similia legere est in Ordine Romano XV. Cap. LXXV. ex cujus etiam præscripto Diaconus Cardinalis dicturus Passionem induitur Superpelliceo , Alba , Amictu , Stola lata absque Planeta , & *sic indutus induit Papam sacris vestibus nigri coloris , vel violacei , prout sibi placet* .

II. Ex dictis constat . I. quod alias notavi in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum Lib. II. Cap. XXV. non a tribus , ut hodie fit , & præscribit hic noster §. pronunciatam fuisse Christi Domini Passionem , sed a solo Diacono , qui solemni Missæ inserviebat . II. adhibitum fuisse hac die a Pontifice colorem nigrum , & quidem juxta antiquum Romanæ Ecclesiæ ritum , quem pluribus veterum Scriptorum , ac Ritualium testimoniis probat eruditus Dominicus Georgius in suo Opusculo Italico idiomate exarato , quod inscriptum est , *Gli abiti sacri del Sommo Pontefice pavonazzi , e neri in alcune solenni funzioni della Chiesa* . III. lectam fuisse Passionem super nudum pulpitum , imo teste Durando Lib. VI. Cap. LXXVII. *nudis pedibus* . In quibusdam Ecclesiis , ut idem Durandus tradit , sindon , seu tersoria , vel vestes Altari nudato superimponebantur , usque dum Passio legeretur ; cum vero Cantor ad eum locum pervenerat , *Diviserunt sibi vestimenta mea &c.* tunc Subdiaconi sindonem illam , vel tersoria tollebant , repræsentantes historiam , quia quatuor Milites Christum crucifigentes vestem Christi sustulerant . Addit , in aliis quoque locis , una veste ab Altari sublata , alteram ibi remansisse , quod vestis Domini inconsutulis non fuit scissa , vel partita , sed forte super eam missa , contigit integra uni militi ; & ad notandum , quod Ecclesiæ unitas , numquam potuit a schismaticis , vel hæreticis scindi . IV. luminaria non fuisse adhibita , aliosque omissos ritus , servari alias solitos in lectione Evangelii . Id quod etiam non sine mysterio factum , jam varii antiqui Scriptores notarunt .

III. Passionem cantantes hac die debere esse indutos Stolis nigri coloris , jam supra , & alibi notatum fuit, juxta ritum scilicet communem , & luctui hujus diei magis conformem ; queriturque merito Burchardus non semel in suis mss. Diariis , quod Sacrista Pontificius eum ritum variare tentasset . Sic enim ille ad annum Domini MCDXC. scribit : *Cantores qui Passionem cantaverunt , habuerunt paramenta nigra , quæ magna difficultate , Sacrista omnium bonarum actionum inimico se opponente , obtinui* . Asperiora sunt quidem, quæ ad annum præcedentem tradit , ubi ita inquit : *Tres Cantores, qui Passionem dixerunt , parati erant Albis , & Stolis , ac Manipulis albis , nigris , & rubeis ad modum Abbatis Sacristæ nostri , qui suas ..... non dimittit* Ubi sese illi præbet occasio , carpit jam idem Burchardus passim Sacristas in suis Diariis , ob contentiones scilicet , quæ sæpe, ac sæpius inter ipsos Sacristas , & Cæremoniarios Apostolicos excitabantur occasione emolumentorum . Sed hoc obiter dicto , quod Passionem spectat dici solitam hac die in Capella , teste Mucantio ad annum MDLXXIV. *observatum hac die est , ut Caudatarii Cardinalium , dum Passio Domini nostri Jesu Christi cantaretur , genuflexi manserint , cum alias sedere soliti sint.*

Digitized by Google

sint; rectius tamen erecti stetissent, prout postea ipsos admonui juxta resolutionem in Congregatione reformationis factam, approbatamque a Sanctissimo Domino nostro, a Gregorio scilicet Papa XIII. Qui scilicet initio sui Pontificatus reformari curavit varias Cæremonias in hoc Augustini Patricii præscriptas, institutas ad honorem quorundam Cardinalium Congregatione. Varia hujusmodi reformationum capita jam nos in Commentariis hisce descripsimus.

§. V.

De reliqua Passionis parte, & servatis in ea cantanda ritibus.

Tum Diaconus Capellæ, deposita Planeta, capit illam, vel aliam plicatam, quæ sub bracchio ejus dextero ligatur. Celebrans in Altari perficiat Passionem in toto. Pervento deinde ad locum, qui legitur in tono Evangelii, Cantores, factis reverentiis, revertuntur unde venerunt. Diaconus Capellæ ponit Librum supra Altare, & genuflexus dicit: *Munda cor meum*. Deinde sine benedictione, & sine luminaribus, & absque incenso, præcedente Cæremoniario, & sequentibus ipsum Subdiacono, & duobus Capellanis Celebrantis, accedit ad locum Evangelii, & cantat, ut in Libro, quem Subdiaconus tenet stans in medio inter duos Capellanos prædictos. Consueverunt tamen antiqui portare luminaria ad partem, in qua legitur in tono Evangelii, & ita servatum legi temporibus (1) Gregorii IX. Innocentii III. & aliorum. Hodie non servatur.

COMMENTARIUS.

I. PAssione finita, *Cantores*, ait noster §. *factis reverentiis, revertuntur unde venerunt. Diaconus Capellæ* (qui scilicet paulo ante, deposita Planeta, ut initio ejusdem nostri §. edicitur, ceperat illam, vel aliam plicatam, quæ sub brachio ejus dextero ligabatur) *ponit Librum supra Altare, & genuflexus dicit*: Munda cor meum. *Deinde sine benedictione, & sine luminaribus, & absque incenso, præcedente Cæremoniario, & sequentibus ipsum Subdiacono, & duobus Capellanis Celebrantis, accedit ad locum Evangelii, & legit, ut in Libro &c.* Sed hic ritus recentioris est instituti, nam alias olim non solum *consueverunt antiqui portare luminaria ad partem, in qua legitur in tono Evangelii*, ut ait noster §. verum etiam incensum, aliasque cæremonias servare etiam hac die in lectione hujus Evangelii, quæ in ceteris solemnitatibus servabantur; Diaconusque ipse, qui solus legerat Passionem, & hanc reliquam partem pronunciabat. Testis est hujus moris Romanus Ordo XII. Auctore Cencio S. R. E. Camerario, qui fuit postea Honorius III. Capite XIII. ubi hæc habet: *Cum autem venerit Diaconus ad locum, ubi dicitur*, Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph &c. *Acolythi repræsentant ex more thuribulum cum incenso, & portant ad Evangelium; finitoque Evangelio, Subdiaconus repræsentat Domino Papæ Evangelium ad osculandum*. Una cum thuribulo gestatas fuisse faculas accensas ad hanc Evangelii lectionem, testatur Ordo Romanus XIV. labente Seculo XIII. exaratus, Auctore Jacobo Gajetano, Capite XCIII. *Cum autem ventum fuerit*, inquit, *ad eum locum, ubi dicitur*, Post hæc autem rogavit Pilatum, *Acolythi repræsentent ex more thuribulum, & Pontifex imponat incensum, quod Acolythi portant ad Evangelium, & portant etiam faculas accensas. Finito vero Evangelio, reportatur Liber cum incenso deosculandus Pontifici.*

II. Consuevisse hujusmodi cæremonias adhiberi labente etiam Seculo XIV. constat plane ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. LXXV. in quo etiam fit mentio petitæ benedictionis per Diaconum Evangelium dicturum, & aliorum rituum, qui in solemni Evangelii lectione in Missa servari solent: *Cum pervenitur ad locum illum, qui debet dici in tono Evangelii, videlicet*, Post hæc autem rogavit Pilatum, *Diaconus Cardinalis inclinando se, submissa voce petit benedictionem a Papa ibidem, & Acolythi repræsentant more solito thuribulum cum incenso, & Papa ponit incensum benedictum, quod Acolythus portabit ad Diaconum pro Evangelio incensando, & alii duo Acolythi, vel Capellani portant cereos accensos*. Tum vero mox: *Finita vero Passione, una cum Evangelio reportatur ipse Liber Papæ more solito osculandus, videlicet in loco prædicto*, Post hæc &c. Sed hi ritus jam tribus circiter ab hinc seculis mutati sunt. Nulla enim ad Evangelium hac die petitur benedictio, non deferuntur lumina, non incensum, nec finito Evangelio defertur ad Papam Sacer Evangelii Liber deosculandus.

III. Cetcrum, ut aliquos Ecclesiarum ritus de ipsa Passione recitata hac die recensea-mus, in antiquo Missali Albiensis Ecclesiæ ea verba, *Eli Eli Lammasabactani*, ideſt, *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* cum nota, & cantu singulari proferebantur. In Ecclesia vero Suessionensi, Passione finita, olim Subdiaconus Evangelii Textum quasi in occulto sub sua infula acceptum, velut in sinu suo ad Sepulchrum deferebat, teste Edmundo Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis*, Cap. XXIII. Numero XI. Idem ritus obtinuit etiam in aliis Ecclesiis.

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur, *sempore &c.*

Digitized by Google

§. VI.

De prædicatione hac die post Evangelium, & Indulgentiarum pronunciatione.

Lecto Evangelio, Papa non osculatur Librum, neque incensatur, sed ille, qui est oraturus, accedit ad pedes Papæ, & illis non osculatis, neque petita benedictione, tantum petit Indulgentias. Deinde vadit ad pulpitum, facit Sermonem, & in fine statim pronunciat Indulgentias, quia non dicitur, *Confiteor*, neque datur benedictio.

COMMENTARIUS.

I. QUamvis olim omnes solemnitates, ac cæremoniæ in lectione reliquæ partis Passionis in tono Evangelii dicendæ peragerentur, uti in Commentario præcedenti demonstratum fuit, ex præscripto tamen nostri hujus Cæremonialis, quod ordinavit Augustinus Patricius, solemnitates ipsæ, ac cæremoniæ omnino omittuntur, & ut ait hic noster §. *lecto Evangelio, Papa non osculatur Librum, neque incensatur, sed ille, qui est oraturus, accedit ad pedes Papæ, & illis non osculatis, neque petita benedictione, tantum petit Indulgentias &c.* Uti in prædicta Evangelii lectione, ita & in ejus prædicatione solemnitates hac die omittuntur. Esse autem pervetustum ritum, ut hac die, non modo Passio legeretur, verum etiam explanaretur, docet nos quidem Concilium Toletanum IV. anno Domini DCXXXIII. celebratum, Can. VII. ubi refellens ejus ævi abusum, quo Feria sexta in Parasceve Officium minime celebrabatur, ita inquit: *Comperimus, quod per nonnullas Ecclesias in die sextæ Feriæ Passionis Domini clausis Basilicarum foribus, nec celebratur Officium, nec Passio Domini populis prædicatur, dum idem Salvator noster populis suis præceperit*: Passionem, & mortem, & resurrectionem meam omnibus prædicate. *Ideo oportet eodem die mysterium Crucis, quod ipse Dominus cunctis nuntiandum voluit prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare; ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mereamur, Corporisque ejus, & Sanguinis Sacramentum mundi a peccatis sumamus.*

II. Multa jam essent in hunc Canonem observanda, sed ut quod nostrum est agamus, proxime post recitatam Christi Domini Passionem, Sermonem de eadem haberi ad populum, antiquissima est Ecclesiæ Romanæ præsertim consuetudo, quæ confirmari evidentissime potest auctoritate S. Leonis Magni Pontificis maximi, a quo, ut in ejus Operibus videre est, decem & novem de Passione Domini Sermones concinnati sunt, & ad Populum Romæ habiti. Teste Jacobo Gajetano in Ordine Romano XIV. Capite XCIII. in Pontificia Capella, cantata Passione, *secundum modernos consuevit fieri Sermo per aliquem Magistrum in Theologia, vel Prælatum, & ille, qui facit Sermonem, genibus flexis ante Papam, petit benedictionem, sed non deosculatur pedem, sed habita benedictione, & recepta Indulgentia pronuncianda per Sermonem, vadit ad locum solitum pro Sermone faciendo. Cum autem fit Sermo, Papa sedet in Cathedra nuda, ante Altare tenens Mitram in capite. Quo finito, non dicitur*, Confiteor, *sed statim ille, qui fecit, pronunciat Indulgentiam de mandato, & auctoritate Papæ, verbi gratia de septem annis, & septem quadragenis.* Id ipsum totidem verbis tradit etiam in suo Romano Ordine XV. Amelius, Cap. LXXV. addiscimusque ex utroque Ordine, peti olim consuevisse per Concionatorem etiam hac die benedictionem a Papa; quod tamen ex præscripto nostri hujus §. sublatum est. Porro ex nostri Cæremonialis præscripto, ut videre est infra in eo Capite, quod inscriptum est, *De Officio diei veneris Papa celebrante*, ritus in eo Sermone habendo ita præscribitur: *Qui autem est facturus Sermonem, si est Prælatus, cum Pluviali nigro, & alba Mitra, si est alius, cum habitu alias consueto accedit ad Pontificem, & genuflexus petit Indulgentias populo publicandas, & non benedictionem. Deinde ascendit pulpitum, & facit Sermonem suum, & Pontifex sedet in cornu Epistolæ versus ad Prædicantem; reliqui sedebunt, ut supra diximus. Finito Sermone, Prædicator statim pronunciabit Indulgentias a summo Pontifice concessas. Non fit Confessio, neque datur benedictio.*

III. Prisci ævi morem fuisse, ut in Parasceves die Fideles extra Civitatem convenirent ad audiendam Concionem, testis est Sanctus Joannes Chrisostomus in prima sua Oratione habita in Parasceve, ubi etiam causam ejus ritus adjicit, dicens: *Ut Christum extra Civitatem crucifixum ceu Pastorem sequantur & oves, & ubi est corpus, illuc & aquilæ congregentur, & quoniam Apostolus hortatur, ut exeamus extra castra, improperium Christi portantes.* Subdit etiam S. Pater, locum, quo conveniebant tunc Fideles, fuisse Cœmeterium, quoniam eo die Christus ad mortuos descendit. Solet hodie in multis Ecclesiis fieri Concio de Passione Feria V. in Cœna Domini sero, post Officium Tenebrarum; in aliis vero mane Feria VI. in Parasceve, sed ante Officium Missæ, sicque solemni Passionis lectioni Concio præmittitur; isque vel olim fuit ritus insignis Ecclesiæ Narbonensis, ut ex ejusdem Ecclesiæ Ordinario constat, quod citat Martenius in Lib. *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIII. Num. XI. Ceterum servatur & in Capella Pontificia antiquus ritus prædicandi in hac die, uti addiscere licet ex variis mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, ex quibus etiam habemus nulli Ordini religioso hujusmodi Concionem esse affixam. Sane extat in calce Operis Aurelii Brando-

Digitized by Google

dolini Auguſtiniani cognomento *Lippi*, quod inſcriptum eſt, *De ratione ſcribendi*, Oratio de Paſſione Domini habita coram Alexandro Papa VI. & Cardinalibus in Paraſceve anno MCDXCVI. ac tantum probata, ut iterum, ac iterum eam repetere cogeretur. Ejus initium eſt, *Etſi tuus, tuique Sacratiſſimi Senatus jucundiſſimus conſpectus, celeberrimuſque hic totius orbis terrarum conventus me majorem in modum recreat &c.*

§. VII.

De Orationibus ſolemnibus ante Crucis nudatione.

His peractis, Celebrans ſurgit, dimiſſa Mitra accedit ad cornu Altaris Epiſtolæ, & dicit Orationes ſolemnes, prout in Ordinario, in quibus diligenter advertendum eſt in reſponſione, *Amen*, & ad, *Flectamus genua*, quando dici debeant, & quando omitti.

COMMENTARIUS.

I. PAssione expleta, *ſtatim duo Diaconi*, ait Ordo I. Romanus Cap. VI. Numero XXXIV. *nudant Altare ſindone, quæ prius fuerat ſub Evangelio poſita in modum furantis, Tunc venit Pontifex ante Altare, & dicit*, Oremus. Dilectiſſimi nobis, in primis pro Eccleſia Dei, *& cætera per ordinem, ſicut in quarta Feria diximus*. Orationes ipſas ſolemnes dici olim quotidie conſueviſſe, earumque mentionem facere S. Auguſtinum in Epiſtola ad Vitalem, Cæleſtinum I. in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, S. Leonem, S. Proſperum, & alios, affirmantes, hujuſmodi Orationes ævo ſuo dici conſueviſſe ubique terrarum, notat Grancolas in Commentario hiſtorico ad Brviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXIII. ubi etiam ſcite obſervat, a ſeptimo tantum Sæculo Liturgiæ abbreviandæ cauſa, Feriæ IV. majoris hebdomadæ, & Feriæ VI. Paraſceves addictas fuiſſe, poſtea vero Feriæ VI. tantum aſſignatas. Eſſe antiquiſſimum ritum, ut poſt Paſſionem dicantur Orationes ſolemnes, quæ hodieque in Miſſali leguntur, pervetuſti Libri Rituales nos docent, inter quos Durandus Joannis Belethi interpretationem deſcribens Lib. VI. ſui Rationalis Cap. LXXVI. Num. XI. ita inquit: *Quia vero Chriſtus in Cruce pendens prolixe oravit ..... ideo & nos, poſtquam recitata eſt Paſſio ejus. Orationes dicimus*.

II. Diligenter autem ex præſcripto noſtri §. *advertendum eſt in reſponſione*, Amen, *& ad*, Flectamus genua, *quando dici debeant, & quando omitti*. Sane orat Eccleſia hac die pro omnibus etiam, pro Schiſmatis, Hæreticis, Gentilibus, ac Judæis, flectitque genua in Orationibus, ut per habitum corporis, devotionem, & mentis humilitatem oſtendat, inſinuans etiam, quod in Nomine Jeſu omne genu genuflectendum eſt. Sed eſt tamen antiquus ritus, ut ad Orationem pro Judæis, minime dicatur, *Flectamus genua*, ejuſque jam olim meminit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Capite XIII. Num. XXIX. ſic dicens, *Cum autem ad Orationem Judæorum venerit, non dicitur*, Flectamus genua, *quia ipſi hac die Dominum irridendo, genua flectebant. Eccleſia illorum horreſcens facinus, genua pro iſtis non flectit in Oratione*. Similia habet Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCIII. & ut alios omittam, Durandus citato loco, ubi etiam notat, *in Orationibus pro Judæis, & Paganis, non reſponderi*, Amen, *ut quidam dixerunt, & hoc ideo quia cum illi ſint extra Collegium, ſive Corpus Eccleſiæ Fidelium, populus non oſtendit affectum ſuum ad eos*. Tum paulo poſt: *Præterea licet pro illis oretur, ut eorum duritia convertatur, quia tamen hoc impleri non poterit uſque circa finem Sæculi, Apoſtolo teſtante, qui dicit*, Donec plenitudo Gentium introierit, & omnis Iſrael ſalvus fiat, *ideo ad Orationes pro illis non reſpondetur*, Amen.

III. Quamvis & hic noſter §. & Rubricæ Miſſalis admoneant diligenter eſſe advertendum in reſponſione, *Amen*, & ad, *Flectamus genua*, quando dici nempe debeant, & quando omitti, ob myſticas ſcilicet rationes, quas poſt Belethum, & alios Scriptores congeſſit Durandus, ſæpe tamen erratum etiam in ipſa Pontificia Capella fuiſſe, in ſuis Diariis Cæremoniarii Apoſtolici teſtantur, inter quos Franciſcus Mucantius in ſuo Diario ms. Pontificatus Gregorii Papæ XIII. ad annum MDLXXIV. loquens de Feria ſexta in Paraſceve, ſic inter alia inquit: *Officium proceſſit ordine conſueto deſcripto in Libro Cæremoniali, ſed Cantores aliquando errarunt reſpondentes*, Amen, *quando non erat opus, ad Orationes*. Cæterum etſi pro perfidis Judæis, qui genua flectendo, Chriſto illuſerunt, prædicta genuflexio omitti ſoleat, eamque inhibeant omnes fere ad unum Libri Rituales antiqui, & recentiores, teſtatur nihilominus accuratus Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap XXIII. Num. XII. *in quibuſdam vetuſtioribus ad Orationem, quæ pro eorum ſit converſione, perinde atque ad alias præmitti*, Flectamus genua.

IV. Modus dicendi ſolemnes haſce Orationes juxta quarumdam Eccleſiarum ritum, quas recenſet citato loco idem Martene, ita plane olim fuit. Præmiſſa admonitione, Epiſcopus, ſeu Sacerdos celebrans cantabat, *Oremus*. Deinde dicente Diacono, *Flectamus genua*, proſtrabantur omnes, excepto Sacerdote, qui licet & ipſe ad eam Diaconi admonitionem genua flecteret, ſurgebat tamen mox ſtatim, & dicebat Collectam, aliis proſtratis jacentibus uſque ad *Per Dominum*; quod quidem antequam diceretur a Celebrante, ſurgebat Diaconus, & dicebat, *Levate*. Sane quod olim idem Diaconus, qui dicebat, *Flectamus genua*, dicere etiam paulo poſt ſolitus eſſet, *Levate*, antiqui Codices Rituales paſſim nos docent, de eoque ritu jam alias nos diximus, ac præſertim in Commentario ad Cæremoniale Epiſcoporum.

Digitized by Google

§. VIII.

De Crucis denudatione, & adoratione, atque pecuniæ oblatione ad Crucem.

Cum dicitur ultima Oratio, vel parum ante, Clerici Capellæ ponunt unum magnum tapete a superiori gradu Altaris per longum Capellæ, & super primos gradus ponunt cussinum magnum violaceum, & desuper mappulam unam sericeam pulchram, super qua postmodum Crux ponitur. Finitis Orationibus, Celebrans, accepta Mitra, vadit ad Faldistorium, ubi deponit Mitram, & Casulam, & procedit ad posterius cornu Epistolæ juxta parietem, & Diaconus accipit Crucem velatam de Altari, & illam offert Celebranti, qui eam reverenter accipiens, ejus summitatem ad Crucis transversum detegit manu dextra; deinde ambabus manibus eam elevans ad oculorum altitudinem, stans voce demissa solus cantat, *Ecce lignum Crucis*, Capellano suo assistente cum pluribus a sinistris Librum tenente. Omnes tunc surgunt, & capita detegunt, Cæremoniarius, Ministri, & Capellani omnes Celebrantis apud Altare omnes prosequuntur, *In quo Salus mundi pependit*. Cantores tunc perficiunt, *Venite adoremus*. Ad quæ verba, videlicet, *Venite adoremus*, Papa, & omnes alii, excepto Celebrante, genuflectant. Deinde Celebrans procedit ad ipsum cornu Altaris, in eodem latere manens, & discooperit brachium dextrum Crucis, & Caput figuræ Crucifixi, & eam elevat, ut supra, & aliquantulum altius cantat, ut supra, cui respondetur, & genuflectitur, ut supra. Tertio Celebrans procedit ad medium Altaris, & versus ad populum discooperit totam Crucem, & elevans, & altius cantans facit, ut supra, &, ut supra, respondetur, & genuflectitur. Finitis responsionibus, Celebrans cum reverentia, & devotione solus sine Ministris vadit ad locum paratum prædictum, non faciendo reverentiam, neque Papæ, neque Altari, ubi genuflexus reponit Crucem reverenter, surgit, & facta tantum Papæ reverentia, ad Faldistorium suum revertitur, ubi unus ex Scutiferis suis ei sedenti calceamenta detrahit. Interim per Cæremoniarium ponitur ad sinistrum brachium Crucis pro offertorio vas unum aureum, & Cantores incipiunt cantare, *Populo meus*; & continuant usque ad finem adorationis. Tum per Cæremoniarium nudatur Crux Papalis, & Acolythi omnes accedunt ad elevandas fimbrias, Cubicularii secreti subtus genuflexi extrahunt ejus calciamenta. Quod si forte Pontifex propter ejus invaletudinem, aut alia ratione, non velit sibi calciamenta detrahi, debent nihilominus Acolythi fimbrias tenere, & Cubicularius subtus genuflectere, ac si calciamenta deponeret, ad devotionem, & exemplum circumstantium. Auditores fimbrias non elevant, sed Papa demissa Mitra, vadit ad adorandum Crucem, medius inter duos Diaconos Cardinales assistentes, quem aliqui ex suis Episcopis assistentibus sequuntur; & ter cum distantia genuflectit, & orat, antequam illam osculetur; & postquam illam osculatus fuerit, projicit in bacile ibi paratum vigintiquinque ducatos in auro, vel plures, ut sibi placet, & revertitur ad Sedem suam, & Acolythi, ut supra, fimbrias tenent, & Cubicularii calceos reponunt. Quo facto, accedunt duo Episcopi assistentes cum Libro, & candela, & Papa legit Versus, *Populo meus*, prout in Ordinario usque ad finem. Cum primum Papa ad Sedem suam reversus est, Cardinales vadunt bini & bini ad Crucem, ad adorandum. Primus erit Celebrans, qui solus de Faldistorio sine Ministris vadit, & revertitur, & in adoratione ad sinistram suam habebit Priorem Episcoporum Cardinalium, quos sequantur alii Cardinales bini & bini. Quod si numerus Episcoporum Cardinalium impar sit, ultimus Episcopus adorabit cum primo Presbytero. Idem fiat de Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus in ultimo tantum loco. Si Cardinalium impar sit numerus, poterunt tres ultimi simul adorare, Duo Diaconi assistentes adorent in loco suæ receptionis. Interim veniunt duo alii Diaconi ad assistendum Papæ, & Celebrans cum assistente sedendo legit, *Populo meus &c.* Si autem Imperator, aut Rex intersint, adorant, & osculantur in ordine, sicut recipiunt Cineres, idest, post omnes Cardinales. Ceterum post Cardinales, adorant Episcopi assistentes, quorum si impar sit numerus, ultimus assistens venit ad dextram primi ex aliis Prælatis. Idem observetur in singulis Ordinibus infrascriptis, & si inter assistentes sit aliquis Protonotarius, vel Abbas, ille adorabit primus post Episcopos omnes.

Post

Digitized by Google

Poſt Aſſiſtentes, veniunt alii Epiſcopi, poſtea Oratores laici ſucceſſive, Protonotarii, Abbates, Pœnitentiarii, Subdiaconi Apoſtolici, Clerici Cameræ, Acolythi, Cubicularii ſecreti, Clerici Cæremoniarum, Diaconus & Subdiaconus Capellæ, Cubicularii extra, Secretarii cum Advocatis, Procuratores Ordinum, Cantores, Capellani aſsiſtentes, Scutiferi Papæ, Caudatarii, & alii omnes.

COMMENTARIUS.

I. CRucis denudatio, & adoratio in Paraſceve antiquiſſima eſt in Eccleſia, ejuſque ritus fit paſſim mentio in Ordinibus antiquis Romanis, in quorum tamen primo, Cap. VI. Num. XXXV. nulla fit mentio ritus nudandæ Crucis: *Poſt Orationes*, inquit, *præparatur Crux ante Altare, interpoſito ſpatio inter ipſam & Altare, ſuſtentata hinc inde a duobas Acolythis, poſito ante eam Oratorio. Venit Pontifex, & adoratam deoſculatur Crucem, deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & ceteri per ordinem, deinde populus. Pontifex vero ſedet in Sede uſquedum omnes ſalutent. Presbyteri vero duo Priores, mox ut ſalutaverint, intrant Secretarium, vel ubi poſitum fuerat Corpus Domini, quod pridie remanſit, ponentes eum in Patena, & Subdiaconus teneat ante ipſos Calicem cum vino non conſecrato, & alter Subdiaconus Patenam cum Corpore Domini; quibus tenentibus, accipit unus Presbyter Patenam, & alter Calicem, & deferunt ſuper Altare nudatum. Pontifex vero ſedet, dum perſalutet populus Crucem. Nam ſalutante Pontifice, vel populo Crucem, canitur ſemper Antiphona*, Ecce lignum Crucis, in quo Salus mundi pependit, Venite adoremus. *Dicitur Pſalmus* CXVIII. Beati immaculati in via.

II. Hactenus Ordo I. Romanus, in quo, ut illum attente legenti patet, nulla fit mentio ritus nudandæ Crucis, eaque verba, *Ecce lignum Crucis &c.* quæ ex præſcripto noſtri §. & ex Rubricis Miſſalis dici ſolent, quum Crux ante adorationem nudatur, canebantur olim, cum Pontifex, vel populus Crucem ſalutabat. In ſequioribus Romanis Ordinibus nihil quoque expreſſum de eo ritu habetur, excepto Romano Ordine XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCIII. ubi ritus ipſe conſentaneus Rubricis Miſſalis, ac præſcripto noſtri hujus §. ita enarratur: *Finitis Orationibus, procedit Pontifex ad Altare, & ſtans ad dextrum cornu Altaris, accipit Crucem a Miniſtris ſibi præparatam Sindone munda coopertam, & diſcooperiens eam a ſummitate, elevatis manibus, ſolus incipit Antiphonam*, Ecce lignum Crucis, *adjuvantibus eum in cantu qui aſſiſtunt ei. Cum autem*, Venite adoremus, *cantaverint, omnes proſtrati reverenter adorent, & uſque ad terram ſe inclinent, & repetitur Antiphona*, Ecce lignum &c. *a Cantoribus in Choro. Iterum Pontifex paululum procedens, & Crucem ad medietatem diſcooperiens, amplius elevatis manibus, exaltando vocem, eandem Antiphonam ſolus incipit, in cantando adjuvantibus eum, qui circa ipſum ſunt, & ſecundo a Cantoribus Antiphona repetitur. Et tertio procedit Pontifex ante Altare, diſcooperiens Crucem totam, erectis ſurſum manibus, altius incipit*, Ecce lignum Crucis, *& tertio a Cantoribus repetitur Antiphona; & tertio, dum cantatur*, Venite adoremus, *adoratur ab omnibus &c.*

III. Fuſe & de eodem ritu agit Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. LXXV. & ſequenti, cujus locum tametſi prolixum ad majorem noſtri §. intelligentiam, & ad notitiam ritus ſeculo XIV. ſervati cenſui deſcribere: *Orationibus*, inquit, *finitis, Papa ibidem ſtando in Altari, deponit ſpinellos, Pallium, Planetam, & Mitram, & vadit ad cornu Altaris dextrum a parte retro, & ibidem Sacriſta, ſi eſt Epiſcopus, vel alius Epiſcopus familiaris, non tamen Cardinalis, paratus cum Pluviali nigro, qui etiam Epiſcopus ſervit Papæ in Miſſa, tradit Papæ Crucem; qui tenens in manibus, verſa facie ad populum, indutis Chirothecis, diſcooperit ſiniſtram partem Crucis. Qua diſcooperta, Papa ſolus incipit*, Ecce lignum Crucis, *& quando tunc incipit, eum adjuvant in cantu adſtantes, quouſque finita ſit Antiphona ipſa, & Cantores cantant*, Venite adoremus. *Qua finita, Papa progreditur parum ultra, quaſi in cornu Altaris, & diſcooperit aliam partem Crucis, videlicet dextram; & ipſa diſcooperta, Papa iterum, vocem altius elevando, ſolus incipit Antiphonam prædictam*, Ecce lignum Crucis, *adjuvantes eum. Qua finita Antiphona, Papa progredietur ultra quaſi in medio Altaris, diſcooperiendo totam Crucem, & elevando vocem, altius incipiendo, quæ eſt tertia, Antiphonam prædictam*, Ecce lignum Crucis, *adjuvantes eum in cantu, ut ſupra. Interim vero fulcarius ponit tapetum cum pulvinari, & munda tobalea ante Altare. Qua finita, Chirothecis non extractis, deſcendens gradus Altaris, genibus flexis ponit Crucem ſuper prædictam mundiſſimam tobaleam, & ſuper illam ornatam de ſirico, quam ponit Sacriſta ante Altare in terra ſuper pulvinare extenſam, cum illa etiam. cum qua cooperta fuerat Crux, & ipſa Cruce ſic poſita ibi per Papam, ſtatim Subdiaconus flexis genibus a parte dextra Crucis, cum manu una tenet pedem Crucis, & cum alia ejus ſummitatem cum illa tobalea de ſirico.*

IV. Ex dictis conſtat, Crucis denudationem, atque adorationem Feria ſexta in Paraſceve, rituſque in ea ſervatos, antiquos profecto eſſe in Eccleſia, licet non eodem ordine peragerentur. Teſte Durando Lib. VI. Cap. LXXVII. Num. XIII. Sacerdos poſt Orationes, Crucem velatam bajulabat ad dextrum cornu Altaris, ibique Crucem ſuper humeros tenens in perſona Chriſti Judæis improperabat beneficia eiſdem a Deo elargita, dicens, *Populo meus quid feci tibi.* In quibuſdam Eccleſiis duo Presbyteri Crucem ipſam bajulabant; *ad notandum*, inquit Durandus, *quod in Chriſti perſona duæ fuerunt naturæ, Divinitatis videlicet, & Humanitatis. Quod dicitur*, Populo meus quid feci tibi, aut

Digitized by Google

in quo contristavi te, responde mihi: quia eduxi te de terra Ægypti &c. *ad Divinitatem refertur. Quod verè sequitur*, Paraſti Salvatori tuo Crucem, *ad Humanitatem &c.* Ergo hujusmodi improperia, quæ juxta Rubricas Missalis cantantur post denudationem Crucis, Durandi ævo, in aliquibus saltem Ecclesiis, ipsam Crucis denudationem præcedebant: *Deinde Crux denudatur*, ait hic Auctor, *in signum quod perversi Judæi Salvatorem denudaverunt, & fit denudatio inter tres vices, ad notandum quod illi ter Christo in Passione illuserunt. Primo, quando in Atrio Principis velata facie ejus, colaphis eum cædebant. Secundo ante Prætorium. quando eo tradito ad crucifigendum, Milites plectentes Coronam spineam, illudebant ei, flexis genibus odorando eum, dicentes*: Ave Rex Judæorum. *Ad quod repræsentandum, in secunda revelatione cooperitur Caput, & facies Crucifixi ... Tertio, quando ei in Cruce pendenti transeuntes dicebant*: Vah qui destruis Templum Dei; *& quia quando hæc illusio fiebat, Christus totus nudatus in Cruce pendebat, ideo tertia revelatione totus nudus ostenditur Crucifixus; & etiam ad significandum, quod omnia, quæ in Lege & Prophetis obscura fuerant, in Passione aperta, & manifesta sunt.* Addit & alia Durandus, quæ apud ipsum legi possunt, & apud Joannem Belethum in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. XCVIII. ex quo Auctore multa Durandus desumpsit.

V. Adoradæ Crucis hac die ritus est profecto antiquissimus, ejusque meminit Sacramentarium S. Gregorii Papæ, ex quo etiam addiscimus, ipsam Crucis adorationem, & Communionem hac die fieri vespere consuevisse. Jerosolymis olim Crux ipsa, in qua pro nobis Salvator expiravit, omnibus hac dumtaxat die adoranda præbebatur, ejusque consuetudinis testem habemus S. Paulinum in Epistola XXXI. novæ editionis ad Severum, ubi asserit, in ipso Passionis loco erectam fuisse Basilicam auratis coruscam laquearibus, aureis divitem Altaribus, quæ arcano positam Sacrario Crucem servabat, *quam Episcopus*, inquit, *Urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantum promit. Neque præter hanc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ Sacramentorum causa est, quasi quoddam solemnitatis insigne profertur.* Idem asserit S. Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesi IV. Atque ex hac Jerosolymitanæ Ecclesiæ consuetudine provenire potuit id, quod scribit Amalarius Libro I. *De Divinis Officiis*, Cap. XIV. *Fuerunt quidam*, inquit, *qui volebant dicere, se velle eandem Crucem adorare, in qua Dominus crucifixus est. Utinam in omnibus Ecclesiis haberetur, præ cæteris merito veneraretur. Quamvis omnis Ecclesia eam non non possit habere, tamen non deest ei virtus Sanctæ Crucis in eis Crucibus, quæ ad similitudinem Sanctæ Crucis factæ sunt.* Eo respicere videntur ea vulgati Alcuini verba: *Qui vero non possunt habere de ligno Domini, salva fide adorent illam, quam habent.*

VI. Adorandam Crucem veteri ex consuetudine Rusticus Diaconus Justiniano Imperatore contra Acephalos scribens, testatur his verbis: *Et adoramus omnes Crucem, & per ipsam illum, cujus est Crux.* Patrum traditionem vocat quidem cultum Crucis Jonas Aurelianensis Episcopus, & adversus Claudium Taurinensem strenue propugnat in Libro, *De Cultu Imaginum*, licet ipse non plane Catholice sentiens. Cum enim Claudius *falsæ religionis, atque superstitionis cultores* appellasset *eos, qui ob recordationem Salvatoris nostri Crucem pictam, atque in ejus honorem imaginatam colunt*, hunc acriter Jonas redarguit, adorarique Crucem utramque, hoc est tam simplicem, quam imaginatam a Christianis, inquit, *maxime in Sanctissimo die Paraſceves secundum traditionem Ecclesiasticam*; idque auctoritate Sancti Gregorii Magni Romani Pontificis approbat, cujus & peculiarem illi diei, ac religioni e Libro Sacramentarii Orationem describit. Sed describamus celebrem locum memorati Episcopi Aurelianensis Jonæ sic inter alia adversus Claudium loquentis: *Ob recordationem salutiferæ Passionis Dominicæ, annuatim in Sanctissimo die Paraſceves, secundum traditionem Ecclesiasticam, Crucem Christi adorat, idest, supplicando salutat: quæ etiam tota diffusa per Orbem, in Christi laudem prorumpens gratulabunda canit*: Crucem tuam adoramus Domine, & Sanctam Resurrectionem tuam laudamus. *Et iterum*, Ecce Lignum Crucis, in quo Salus Mundi pependit, venite adoremus; *Et Beatus Gregorius, de cujus dictis nemo, nisi immemor salutis suæ, ambigit, in Libro Sacramentorum ita meminit.* Deus, qui Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi pretioso Sanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam Crucem adveniunt, a peccatorum suorum nexibus liberentur.

VII. Ritus adorandæ Crucis Feria VI. in Paraſceve, meminit inter alia Concilium Parisiense in causa Imaginum Seculo IX. habitum, aitque, inclinari ea die Fideles ante Crucem, illamque venerari: *Et ideo Sancta Mater Ecclesia toto Orbe terrarum inter cetera innumera Crucis Sacramenta decrevit, licitum esse universis Catholicis ob amorem Passionis Christi, ubicumque eam viderint, inclinando, si voluerint, venerari, & insuper die Sancto, quo Passio Domini in universo Mundo specialiter celebratur, cum omni devotione universum Ordinem Sacerdotalem, seu cunctum populum adorare.* Toto ad terram prostrato corpore adorari vel olim consuevisse hac die Crucem, docent vulgatus Alcuinus, & Amalarius: *Quando hanc Crucem adoramus*, ait ille, *omne corpus nostrum hæreat terræ, & ipsum, quem adoramus, quasi pendentem in ea, mente cernamus virtutemque, quam accepit ex Dei Filio, ipsam adoramus. Prosternimur corpore ante Crucem, mente ante Dominum. Veneramur Crucem per quam redemti sumus, & illum deprecamur, qui redemit.* Amalarius vero Lib. I. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XIV. sic inquit: *Prosternimur ante Crucem, ut fixa humilitas mentis per habitum corporis demonstretur. Humilitatem mentis non possumus amplius monstrare, quam ut totum corpus ad terram prosternatur.* Similia docent alii Auctores de Divinis Officiis agentes, ubi ritum adorandæ Crucis in Paraſceve enarrant.

VIII. Con-

Digitized by Google

VIII. Consuevisse præterea hac die vel ab ipso Summo Pontifice discalceato, atque tertio prostrato adorari Crucem, docent nos Romani Ordines XIV. & XV. quorum alter eum ritum describens, ait, quod, finita Antiphona, *Ecce lignum Crucis*, Papa, *Chirothecis non extractis, descendens gradus Altaris, & genibus flexis ponit Crucem super prædictam mundissimam tobaleam, & super illam ornatam de serico, quam ponit Sacrista ante Altare in terra super pulvinare extensam cum illa etiam, cum qua cooperta fuerit Crux, & ipsa Cruce sic posita ibi per Papam, statim Subdiaconus flexis genibus a parte dextera Crucis, cum manu una tenet pedem Crucis, & cum alia ejus summitatem cum illa tobalea de serico. Cruce vero posita per Papam, Papa vadit ad Cathedram nudam, & bassum sine scabello paratam, & ibi sedendo, calceamenta deponit, quæ sui Cubicularii deponere consueverunt, uno Episcoporum cum Pluviali suo cooperiente ea, & nudis pedibus, & Mitra sibi deposita, cum Chirotbecis in manibus, vadit quasi ad portam regiarum Capellæ, comitantibus eum prædictis duobus antiquioribus Diaconibus Cardinalibus, uno a dextris, & alio a sinistris, & versa facie ad Altare, ibi genuflectit, inclinando caput ad terram junctis manibus, & hoc facit tribus vicibus, antequam perveniat ad Crucem, surgendo, & progrediendo paulisper usque ad locum, ubi Crucem posuerat, & prostratus ibi ad terram, ipsam Crucem adorat, eam deosculand, & postea surgens, revertitur ad Cathedram supradictam, & ibi sedens, calceatur a prædictis Cubiculariis, non tamen Sandalibus, sed quotidianis calceamentis.*

IX. Ita plane in ipso memorato Romano Ordine XV. Amelius, Cap. LXVI. ubi etiam mox subdit, Gregorium XI. necnon Urbanum VI. Summos Romanos Pontifices nunquam voluisse *se discalceare in Cathedra prædicta prope Altare propter reverentiam Altaris, quia ambo devoti, sed in illa magna Cathedra nuda longe ab Altari, ubi consueverunt se induere in Solemnitatibus*. Sed & in ms. Codice Piersanctiano inter alia etiam habetur, quod Benedictus XIII. sive potius pseudopontifex Petrus de Luna Paniscolæ degens, *quando fuit reposita Crux super tobaleam, ivit, amota Mitra, nudisque pedibus, substentantibus eum duobus antiquioribus Diaconis Cardinalibus, & adoravit Crucem, ut fieri consuevit, cum tribus genuflectionibus, & idem fecerunt Cardinales induti Cappis laneis obscuri coloris foderatis grisiis, quas recipiunt pro Matutinis IIII Feriæ in Passione, & deferunt usque ad Sabbatum Sanctum.*

X. Quamquam vero Papa hac die non celebret, ubi tamen Officio hujus diei adesset, ex præscripto nostri hujus §. discalceatus pergit ad Crucem adorandam. *Quod, si forte Pontifex*, ut idem noster §. subdit, *propter ejus invaliditatem, aut alia ratione non velit sibi calciamenta detrahi, debent nihilominus Acolythi fimbriam tenere, & Cubicularii subtus genuflectere, ac si calciamenta deponeret, ad devotionem, & exemplum circumstantium*. Certe Julius II. quod pedum infirmitate laboraret, nunquam discalceatus ad adorandam Crucem hac die processit, atque hanc causam allegavit Grassus Leoni Papæ X. qui ritum a laudato Julio intermissum consuetudinem putabat. Sed audiamus memoratum Grassum, qui in suo ms. Diario ad annum MDXIII. loquens de ritibus in Feria VI. prædicti anni a Leone X. servatis, sic inter alia inquit: *Cum autem Pontifex iturus esset*, ad adorandam scilicet Crucem hac die, *non volebat deponere calceamenta, asserens, id quidem fieri debere, sed non consuevisse. Dixi, imo debere per Pontificem, quando valet in pedibus, sed Sanctissimum Dominum Julium Secundum non voluisse unquam deponere, qui totus erat ex morbo ulcerosus; & sic Papa deposuit calceamenta, & venit, & sibi ipsi fimbrias albæ vestis sustinens, medius inter duos Diaconos, sequentibus quatuor Prælatis tantum, & factum est Officium satis bene*. Ceterum jam ante Julium II. Papam Innocentius VIII. cum calceamentis procedere solitus fuit ad Crucis adorationem, tametsi Cubicularii visi fuerint ei calceamenta extrahere, teste Burchardo ad annum MCDLXXXVII. ubi ait venisse Pontificem ad adorationem Crucis associatum a duobus Cardinalibus assistentibus, *deposita in Solio Mitra, discooperto capite, Auditoribus vestem non elevantibus, quia discalceatus non erat, licet Acolythi fimbrias tenuerint, & Cubicularius Secretus egerit, ac si Pontifici calceamenta extraheret*.

XI. Ex præscripto nostri §. Papa pergens ad adorationem Crucis, *ter cum distantia genuflectit, & orat, antequam illam osculetur*. Est antiquus ritus, cujus inter alios mentionem faciunt Romani Ordines, XIV. & XV. quorum primus, Capite XCIII. ita habet: *Discalceatus*, Pontifex scilicet, *tertio prostratus solus Crucem adorat*. Alter vero Cap. LXXVI. sic inquit: *Nudis pedibus, & Mitra sibi deposita, Chirothecis in manibus, vadit quasi ad portam regiarum Capellæ, comitantibus eum prædictis duobus antiquioribus Diaconibus Cardinalibus &c.* ut supra. Juxta ritum recentiorem, teste Francisco Mucantio Apostolicarum Cæremoniarum Magistro in ms. Diario ad annum MDLXXV. Gregorius Papa XIII. *in adoratione Crucis excalceatus traxit per terram caudam Cappæ absque eo, quod ullus eam sublevaret, ac ter genuflectendo adoravit*. Similia leguntur de aliis Summis Pontificibus sequioris ævi apud Apostolicos alios Cæremoniarios, tum veteres, tum recentiores. Atque hic est ritus etiam in Cæremoniali Episcoporum præscriptus, ut in nostris ad ipsum Cæremoniale Commentariis perpetuis suo loco notavimus.

XII. Notat autem Martene in suo Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIII. Num. XVII. prostratos olim Sacerdotes, antequam Crucem deoscularentur, devotissimas ad Christum preces aliquas direxisse, qualis est ea, quam profert antiquum Missale ms. Pictavense, a Sacerdote sub silentio dicenda: *Domine Jesu Christe, qui pro nobis Crucis, & mortis patibulum subiisti, ut mortis a nobis expelleres potestatem, & Sanguinis tui nos pretio liberares; mihi Domine humillimo famulo tuo, & veniam omnium peccatorum meorum concede, meque coram adoranda Cruce tua prostratum ab omnibus malis eripe, bonisque tuis misericorditer respi-*

Digitized by Google

respice. Qui cum Patre. In veteri ms. Missali Tolosano extat hæc Oratio, quæ in ipsa adoratione Crucis ab ipso Præsule antequam prosterneretur, recitabatur: *Domine Jesu Christe adoro te in Cruce pendentem, spineam coronam in capite portantem, deprecor te, ut ipsa Crux liberet me de angustia, & de Angelo percutiente animam. Adoro te in Cruce vulneratum. Deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Adoro te descendentem ad Inferna, liberantem captivos. Precor te, ut non permittas me ibidem introire. Adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem ad Cælos, sedentem ad dexteram Patris. Precor te, miserere mei. Adoro te Salvatorem venturum, & judicaturum. Depreeor te, ut in tuo sancto adventu non intres in judicium cum me peccatore, sed ante dimittas peccata mea, quam judices. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis &c.* Atque hanc Orationem, ut notat idem Martene, antequam prosterneretur, Præsul recitabat; in ipsa autem prostratione, quam per tres vices totidem spatiis, tribus passibus ab invicem distantibus repetebat, Psalmum, *Miserere mei Deus*, submissa voce dicebat.

XIII. Sed his obiter dictis, ex præscripto nostri §. postquam Pontifex Crucem osculatus fuerit, *projicit in bacile ibi paratum viginti quinque ducatos in auro, vel plures, ut sibi placet*. Oblatio pecuniæ hac die ad Crucem, est ritus profecto antiquus, cujus meminit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XIII. ubi etiam ait, *quod secundum antiquam consuetudinem, quicquid super Crucem offertur, Scholæ Crucis debet esse*. Quæ esset olim Romæ Schola Cruci, diserte exponit doctissimus Sacrarum Pontificiarum Antiquitatum indagator Amicus noster Petrus Morettus in nunquam satis laudato Opere, *De Presbyterio*, in Appendice I. quæ est, *De veteri Schola Crucis &c.* Compositam illam fuisse arbitratur e variis Palatinis, sive Sedis Apostolicæ Ministris sub diversis appellationibus, propter diversa singulorum munia aliunde cognitis, ac plene distinctis, sed propter quandam in aliquibus analogiam Collegii speciem insimul constituentibus. Fuisse illos subjicit, qui nunc Sacristæ, Subdiaconorum Apostolicorum, & Magistrorum Cæremoniarum nomine, ac officio dignoscuntur, quorum utique munus perantiquum est, licet fortasse recens nonnullorum nuncupatio.

XIV. Quod nostrum spectat §. mentionem facit prædictæ oblationis & Ordo Romanus XIV. Cap. XCIII. ex ejusque præscripto *pecuniam oblatam in Crucis adoratione Sacrista recipit sola hac die, in aliis vero est Capellani*. Romanus Ordo XV. Cap. LXXVII. ait, pecuniam ipsam hac sola die recipi quidem a Clerico Capellæ, in aliis vero a Capellanis. Fuisse Romæ antiquum ritum, ut non modo hac die, sed & aliis quoque in Ecclesiis fierent a Fidelibus oblationes ad Cruces, addiscere licet ex Generali Concilio I. Lateranensi sub Callisto Papa II. celebrato anno MCXXIII. Can. XIV. in quem videri potest noster Commentarius Tomo nostro III. Conciliorum. Quicquid vero de eo ritu fuerit, ex nostro Cæremoniali, quod ordinavit Augustinus Patricius diu Apostolicarum Cæremoniarum Magister, dum Papæ calceamenta extrahuntur, *per Cæremoniarium ponitur ad sinistrum brachium Crucis pro offertorio vas unum aureum*; & postquam Papa nudis pedibus Crucem deosculatus fuerit, *projicit in appositum vas viginti quinque ducatos in auro, vel plures, ut sibi placet*. Agit autem causam suam Patricius, cum infra ait, quod, ubi post adorationem Crux ad Altare defertur, *Cæremoniarius vas accipit, & pecunia ex lance in panniculo ligatas reponit super Altare*. Quid de ea pecunia fiat, in fine Cpitis hujus ita declarat: *Cum Papa fuerit in Camera, conveniunt Sacrista, Subdiaconi Apostolici, & Clerici Cæremoniarum, & dividunt pecunias in adoratione Crucis oblatas in tres partes. Unam Sacrista, aliam Subdiaconi, tertiam Clerici Cæremoniarum accipiant*. Ita Patricius.

XV. Consueviss Pontifices utplurimum offerre hac die in adoratione Crucis *ducatos viginti quinque*, eosque dividi inter Sacristam, Subdiaconos, & Magistros Apostolicarum Cæremoniarum, testantur passim mss. istorum Diaria. Sed audiamus tamen Franciscum Mucantium, Cæremoniarium & ipsum Apostolicum, qui in suo ms. Diario, ubi enarrat Pontificatum Gregorii XIII. de ea oblationis summa conqueritur, sic inquiens ad annum MDLXXIV. *Papa obtulit Cruci ducatos auri de Camera XXV. quamvis alii Pontifices ejus Prædecessores quinquaginta, & septuaginta quinque obtulerint usque ad Pontificatum felicis recordationis Pii Papæ V. quod in præjudicium nostrum, aliorumque Officialium, qui dictos ducatos inter se dividunt, videlicet Sacristæ. & Subdiaconorum Apostolicorum redundat, ita nostris temporibus ferentibus*. Sed consolatus est tandem homines iltos Gregorius ipse XIII. teste eodem Mucantio, qui eum morem offerendi ducatos dumtaxat viginti quinque obtinuisse affirmat usque ad annum MDLXXVIII. quo laudatus Gregorius Papa XIII. eam summam auxit. Sic enim ille in suo ms. Diario ad ipsum annum, ubi recenset ritus Feriæ VI. in Parasceve: *Papa obtulit hoc mane Cruci ducatos quinquaginta auri in auro de Camera, & julios centum argenteos novos, licet annis præteritis obtulerit tantummodo ducatos XXV. quæ oblatio fuit divisa juxta ordinem Cæremonialis inter Sacristam, Subdiaconos, & Magistros Cæremoniarum; quod acceptum ferimus Ludovico Collegæ, qui pridie accesserat ad Sanctitatem suam, cui ostendit Diaria diversorum Magistrorum Cæremoniarum, in quibus notabatur, consuevisse Summos Pontifices offerre dictam summam, & majorem*. Addit tum mox & hæc idem Mucantius: *Itaque Papa libenter annuit, se idem in posterum observaturum, prout fecit, ridens de hac Collegæ propositione. Qua de re benignitati, & liberalitati Sanctitatis suæ perpetuo devincti erimus*. Certe quod aliquando Prædecessores Gregorii XIII. Pontifices soliti fuerint majorem summam erogare, testatus est Paris de Grassis in suo ms. Diario ad annum MDXIII. & primum Pontificatus Papæ X. sic dicens: *Pontifex priusquam ad Capellam descenderet petiit a nobis cæremoniarum Magistris, quod consuetum esset, ac quantum donari Cruci in ejus adoratione; ad Pontificem respondi, in arbitrio suæ Sanctitatis esse plus, vel minus offerre, sed anno præteri-*

Digitized by Google

terito ſanctæ memoriæ Dominus Julius, Secundus ſcilicet ejus nominis Pontifex, *ipſo abſente, obtulit ducatos ſexaginta, videlicet quinquaginta in auro novos, & decem in juliis novis, & ſic Papa obtulit ſexaginta in totum, & ſumma fuit oblationis ducatorum centum, & decem*, quia ſcilicet, ut inferius dicemus, etiam Cardinales, ac alii adorantes hac die Crucem in Capella offerunt.

XVI. Facta oblatione Cruci, Pontifex, ut ait noſter §. *revertitur ad Sedem ſuam, & Acolythi, ut ſupra, fimbrias tenent, & Cubicularii calceos reponunt; quo facto, accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro, & candela, & Papa legit Verſus*, Populo meus, *prout in Ordinario uſque ad finem*. Papam poſt factam adorationem Crucis reverti ad Sedem ſuam, & ibi recipere depoſita calceamenta, tradit etiam Romanus Ordo XIV. Capite XCIII. Ex Ordine Romano XV. Cap. LXXVI. *interim Cantores cantant*, Agios &c. *viciſſim repetentes*, Sanctus Deus, Sanctus fortis &c. Populo meus quid feci &c. *& alias Antiphonas, prout in Miſſali Romano continetur. Papa etiam prædictas Antiphonas, & omnia prædicta legit, ſedendo in Cathedra, dum ipſa Crux adoratur per Cardinales, & alios*. Debere tunc Papam ſedere cum Mitra, dum legit improperia, notavit Mucantius in ſuo Diario ad annum MDLXXVI. *Cum Papa rediit ad Solium, non recepit Mitram, prout debebat, legendo &c.* Improperia, *Populo meus*, &, *Agios o Theos*, extant in Concordia S. Dunſtani, & in Statutis Lanfranchi. In Ordine Romano XIV. Cap. citato, dum fit Crucis adoratio, Cantores cantant viciſſim, *Agios*, repetentes, *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis &c.* Antiphonam, *Populo meus*, cum toto improperio, & alias Antiphonas, *Adoramus te Chriſte*, *Crucem tuam*, & *ſalva nos Chriſte*, *ſalva*, & Pſalmum, *Deus miſereatur*, & Hymnum, *Pange*, & *Crux fidelis*.

XVII. Ex antiquis mſs. Miſſalibus Eccleſiæ Pariſienſis, ejuſdemque Eccleſiæ ms. Pontificali, quorum meminit Martene in citato toties Opere, Cap. XXIII. Num. XIV. *duo Presbyteri nudis plantis, induti Cappis fuſcis, poſt tergum Crucis*, dicebant, *Populo meus &c.* Duo alii Sacerdotes præcedentes Crucem nudis pedibus, & in Cappis ſericis dicebant, *Agios o Theos &c.* Chorus reſpondebat, *Sanctus Deus &c.* item primi Presbyteri, *Quia eduxi te &c.* ſecundi Presbyteri dicebant, *Agios*, Chorus, *Sanctus* Dum autem cantabantur iſta, procedebant duo Diaconi, qui nudis pedibus, induti Albis, Crucem portabant, quam Presbyteri uſque in medium Chori, præferente Crucem Subdiacono cum pulvinari, ſequebantur. Tunc Epiſcopus, depoſita Caſula, nudis pedibus, ſequentibus eum Diacono & Subdiacono, accedebat ad Crucem mitratus, & flexis genibus diſcooperiens Crucem, incipiebat alta voce Antiphonam, *Ecce lignum Crucis*. Sequebatur Pſalmus, *Deus miſereatur &c.* tuncque Epiſcopus, & alii Crucem adorabant, & interim cantabantur Antiphonæ, quæ ſequuntur, & incipiebantur a Cantore, *Tuam Crucem adoramus &c.* Pſalmus, *Confiteantur tibi &c.* & Antiphona, *Adoremus Crucis &c.* Cantabatur tum Hymnus, *Pange lingua*, ante Crucem a Subdiaconis indutis Albis, nudis pedibus, cui reſpondebat Chorus, Hymnoque ipſo cantato, veniebant duo pueri in Albis, & nudis pedibus, & cantabant ante Crucem Hymnum, *Vexilla Regis &c.* cui etiam & ipſi pueri reſpondebant; iſtoque Hymno completo, deferebatur Crux ipſa a duobus Diaconis ſuper Altare, atque tunc Epiſcopus flexo genu incipiebat Antiphonam, *Super omnia ligna &c.* finita autem Antiphona, ponebat Sacerdos Crucem diſcoopertam in convenienti loco, ubi ſolet eſſe, ſumebatque Epiſcopus Caſulam, & deinde calceamenta, quæ depoſuerat.

XVIII. Longum eſſet alias Eccleſiarum conſuetudines referre, libuit tamen nonnullas recenſere ad illuſtrandos magis magiſque ritus, quos in hoc Commentario explicamus. Verborum, quæ canuntur, dum Crux adoratur, expoſitionem legere eſt apud Belethum, & apud Durandum in ritibus Romanæ Eccleſiæ ſumme verſatum. Unum eſt, quod hic a nobis prætermitti non debet, Triſagii nempe, quod ad Crucis adorationem hodieque cantatur, quodque acclamatum legitur in fine Actionis primæ Concilii Chalcedonenſis, ita deſcribi originem in veteri Græcorum Menologio: *Die vigeſima quarta Septembris, imperante Theodoſio, terræ motus factus eſt magnus, & talis, qualis numquam antea factus fuiſſe commemoratur, quo factum eſt, ut totus populus una cum Imperatore, & Patriarcha exierit extra Urbem in loco, qui dicitur*, Campus, *propterea quod ſine ceſſatione aliqua erat illa terrarum commotio. Cum igitur Imperator ipſe Theodoſius, & Proclus Patriarcha, & totus Populus Litaniis, & ſupplicationibus divinam opem imploraret, repente puerulus quidam de media turba in aerem raptus eſt. Omnibus autem præ timore clamantibus* kyrie eleiſon, *deſcendit puer, & voce magna populum compellans, petit, ut Triſagium in hunc modum decantaret*, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus, & immortalis, miſerere nobis. *Quæ cum dixiſſet, animam reddidit, & terræ motus quievit*.

XIX. His conſentiunt Epiſtolæ Quintiani, Acacii, & Aſclepiadis ad Petrum Fullonem, quæ licet extent in Actis Conciliorum, a nonnullis tamen Viris eruditis exploſæ ſunt. Quicquid ſit, cum memoratus Petrus Fullo Patriarcha Antiochenus maligno ſpiritu hæc addidiſſet verba, *Qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*, hancque additionem ſub finem Seculi VII. adhuc uſurparent Græcorum Eccleſiæ nonnullæ, eam ſub anathematis interminatione deinceps decantari vetuit Trullana Synodus Can. LXXXI, quem nos fuſe explicuimus noſtro II. Tomo Conciliorum. Ceterum, cum adhuc Seculo XI. additionem ipſam Armeni uſurparent, eos merito Gregorius VII. Pontifex Maximus Lib. VIII. Epiſtola I. ad Synnadenſem Archiepiſcopum ſcripta ita admonuit: *Clauſulam, quam in illa laude ſubjungitis*, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, *iſtam videlicet*, Qui crucifixus es pro nobis, *quoniam nulla Orientalium, præter veſtram, ſed nec Sancta Romana Eccleſia habet, vos totius ſcandali occaſionem, pravique intellectus ſuſpicionem vitantes, ſuperaddere de cetero omittatis*. Videri & de hoc Triſagio, ejuſque additamento poſſunt, quæ peculiari Tractatu ſcripſit eruditiſſimus,

Digitized by Google

mus, ac ſanioris doctrinæ Theologus S. R. E. Cardinalis Noris, quem vivum, mortuumque perfidi homines, hoſteſque veritatis perperam carpunt, quique veluti pygmæi Gigantem commovere minime potuerunt.

XX. Nunc, ut alia quæ in noſtro §. continentur, enarremus, *cum primum Papa ad Sedem ſuam reverſus eſt, Cardinales vadunt bini ad Crucem, ad adorandum. Primus erit Celebrans, qui ſolus de Faldiſtorio ſine Miniſtris vadit, & revertitur, & ad ſiniſtram ſuam habebit Priorem Epiſcoporum Cardinalium, quos ſequuntur alii Cardinales bini & bini &c.* Binos & binos procedere Cardinales, alioſque ad adorationem Crucis, & quidem nudis pedibus, tradit Romanus Ordo XV. Capite LXXVII. his verbis: *Poſtea vero omnes Cardinales diſcalceati in locis ſuis per eorum familiares nudis pedibus vadunt per modum prædictum bini & bini ad adorandum Crucem ſecundum ordinem ſuum, & ter flectunt genua. Similiter & omnes alii ibidem præſentes eodem modo eandem Crucem adorant.* Notant hæc paſſim in ſuis mſs. Diariis Cæremoniarii Apoſtolici, inter quos Franciſcus Mucantius in ſuo Diario ad annum MDLXXIV. ita ſcribit: *In adoratione Crucis poſtquam Pontifex adoravit, venerunt Cardinales ordine ſolito, & primi fuerunt Cardinalis Varmienſis Summus Pœnitentiarius celebrans a dextris, & Cardinalis Moronus Decanus Collegii a ſiniſtris.* Notat & mox errorem, qui eo anno contigit, quia ſcilicet, *in fine adorationis Cardinalium, nulli, nec Cardinales Diaconi, nec Prælati aſſiſtentes aſtiterunt Papæ, donec duo primi Diaconi aſſiſtentes adorarent; quod male fuit, quia ſaltem debebant duo primi Prælati aſſiſtentes genuflexi aſſiſtere.* Sed id genus errores paſſim notarunt ingenui Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtri, uti in his Commentariis frequenter oſtendimus, allatis ipſis eorundem Cæremoniariorum teſtimoniis, qui non erubeſcunt ſuos, & collegarum ſuorum errores, ubi ſe ſe illis præbet occaſio, fateri, ne ſcilicet, ut alias non ſemel notavimus, errores ipſi improbatas cæremonias tranſirent. Atque huc facit quod refert idem Mucantius ad annum Domini MDLXXVIII. ubi notans varios errores in ipſa Feria VI. commiſſos, *Primo*, inquit, *in adoratione Crucis aliqui Cardinales, & quidem ex Officialibus ejuſdem habitus voluerunt trini incedere, diſtinguendo inter ſe gradum pro qualitate ordinis, vel officii, licet eos fruſtra admonerem, ut procederent bini juxta regulam Libri Cæremonialis hac die.*

XXI. Excitatas præterea hac die varias controverſias ob præcedentiam in proceſſu ad adorationem Crucis, teſtantur non uno in loco mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria. Præ ceteris audiendus eſt laudatus Mucantius, qui ritus deſcribens adorationis Crucis Feria VI. in Paraſceve anni MDLXXIV. ſic inter alia inquit: *Interim ſecundum Paridem de Graſſis in ſuo Cæremoniali, dum Prælati aſſiſtentes poſt Cardinales adorabant, acceſſi ad Oratorem Regis Franciæ apud Solium ſtantem, admonens ipſum, quod in hoc actu adorationis deberet poſt omnes Epiſcopos cum aliis Oratoribus, & Nobilibus apud Solium cum ipſo ſtantibus accedere ſecundum pias hactenus obſervatas cæremonias, quod ipſe facere recuſabat, niſi etiam Vicecamerarius pariter poſt Epiſcopos adoraſſet, dicens*, ſe nolle a latere ipſius Vicecamerarii diſcedere, poſtquam ſemper ſolitus eſſet locum habere in quibuſcumque actibus, maxime cum ipſe Vicecamerarius non eſſet Epiſcopus, ſed ſimplex Protonotarius. *Reſpondi, quod locus Vicecamerarii hodie non mutabatur, cum haberet eundem habitum, quem habent Epiſcopi, videlicet Cappam, & Rochettum, & ipſe etiam eſſet in ordine Clericali; alias autem cum Prælati parantur ſacris paramentis, incedit immediate ante Protonotarios; ſed nec his rationibus acquieſcere volebat. Cumque conſulerem aliquos Cardinales ex principalioribus, quid agendum, voluerunt ſuper ea re dicere eorum ſententiam, remittentes ſe ad nos Magiſtros Cæremoniarum. Tandem cum jam Vicecamerarius adorans appropinquaret, incedens ad dexteram Archiepiſcopi Florentini, ac Magni Ducis Etruriæ Oratoris, redii ad dictum Oratorem Franciæ, relinquendo ejus arbitrio, quo loco ire vellet in hujuſmodi adoratione, an cum Epiſcopis, vel poſt eos. Ipſe autem videns jam præfatum Camerarium ante Crucem perveniſſe, adhortatus ab aliis Oratoribus apud ipſum ſtantibus, quamquam ægre, & ſubiratus, ivit cum ipſis poſt omnes Epiſcopos ante Protonotarios. Pontifex vero, quamquam hæc omnia, quæ ſupra narravi, perfecte audiſſet, nunquam de ſtatu ſuo, ne latum quidem unguem, ſe movere viſus eſt.*

XXII. Pergit Mucantius, aliorumque inſolentiam carpit, qui nullo jure fulti, præcedere tamen vel ipſos Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtros contendebant: *Ego Magiſter Cæremoniarum*, inquit, *in medio Diaconi, & Subdiaconi Capellæ, acceſſi ad adorationem poſt duos Cubicularios aſſiſtentes, & Secretarium, quod ægre tuleruut alii Cubicularii ſecreti, prætendentes, ſe debere præcedere, quod nullo jure, nec ratione æquum eſt, præſertim in hoc actu adorationis Crucis. Sed ipſi favore Principis tumidi, non ratione, ſed potentia contendunt, cum tamen deberent eſſe ceteris proniores ad parendum, obſervandumque debitas cæremonias, ut cæteris exemplo eſſent.* Periculoſum ſane eſt Cæremoniarii Apoſtolici munus, inſultibus, reprehenſionibuſque obnoxium, oportetque iccirco, ut qui eo munere funguntur, patientes ſint, atque ſumma prudentia præditi.

§. IX.

De ritu deferendæ Crucis Chriſti poſt ejus adorationem ad Altare, & deinde ſacræ Euchariſtiæ ex præcedentis diei Sacrificio reſervatæ.

Circa finem adorationis, accenduntur candelæ ſuper Altare, & credentiam, ac intorticia ſuper cancellum, Diaconus accipit burſam Corporalium ſuper creden-

Digitized by Google

dentia, & Corporalia extendit ſuper Altare more conſueto. Deinde finita adoratione, accedit ad Crucem, quam reverenter accipiens, nulli faciens reverentiam, portat ad Altare. Cæremoniarius bacile accipit, & pecunias ex bacili in panniculo ligatas reponit ſuper Altare. Interim in loco, ubi Corpus Domini poſitum eſt, parantur duo thuribula cum igne, duodecim intorticia, & baldachinum, & Subdiaconus Apoſtolicus capiens Crucem Papæ, præcedentibus Scutiferis, & Officialibus conſuetis, procedit ad locum prædictum medius inter duos Ceroferarios. Ipſum ſequuntur Cardinales in eorum Cappis, deinde Papa, Fimbrias Cappæ Pontificiæ portat primus Epiſcoporum aſſiſtentium. Papam ſequuntur Prælati ordine conſueto. Celebrans autem conſuevit etiam aliquando Papam aſſociare, aliquando vero remanere prope Altare. Quando autem Papam aſſociat, quod eſt honeſtius, debet ire in paramentis Miſſalibus ſolus immediate ante Papam, vel medius inter duos Cardinales ſeniores, Miniſtris ſuis apud Altare manentibus. Cum Papa pervenerit ad locum, ubi reponitur Sacramentum, deponitur ei Mitra. Deinde cum venerit ad locum, ubi eſt Sacramentum, primum genuflectit, & facit Orationem. Deinde Sacriſta aperit Capſulam, & Papa ſtans ſine Mitra, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, ponit incenſum in thuribulis per duos Acolythos in Cappis coram ſibi oblatis; & cum uno thuribulo genuflexus in ſuperiori gradu Altaris incenſat Sacramentum, antequam extrahatur ex Capſa. Quo incenſato, Celebrans, ſi adeſt, vel Diaconus Cardinalis a dextris Papæ aſſiſtens extrahit Calicem cum Sacramento de Capſula, & dat ad manus Papæ, qui illum cum devotione, & reverentia capite detecto portat ad Altare, ubi Officium erit peragendum, ordine quo venerant; & portantur intorticia per Capellanos Celebrantis immediate ante Papam, & duo tburibula per Acolythos cum Cappis, qui continuo incenſant. Super Papam autem portatur baldachinum per Epiſcopos aſſiſtentes digniores. Cantores interim, cum portatur Corpus Domini, cantant, *Vexilla Regis prodeunt*. Cum venerint ad ultimum gradum Altaris, Celebrans capit Calicem de manibus Papæ, & Papa rurſus incenſat Sacramentum, & ad Sedem ſuam revertitur, & ibi ſtat detecto capite cum devotione verſus ad Sacramentum. Interim intorticia ſemper manent accenſa uſque poſt Communionem, & ea tenent dicti Capellani genuflexi per ordinem, videlicet una pars eorum a cornu dextro, alia a cornu ſiniſtro Altaris.

COMMENTARIUS.

I. INſpectis antiquis Romanæ Eccleſiæ ritibus, Crucis adoratione finita, deferebatur ad Altare Chriſti Corpus ex præcedentis diei Sacrificio reſervatum, uti nos inter alios docet Romanus Ordo I. Cap. VI. Num. cujus locum, ſicut & aliorum, Ordinum inſequentium inferius deſcribemus. De relatione Crucis poſt ejus adorationem, quam ex præſcripto noſtri hujus §. *Diaconus reverenter accipiens, nulli reverentiam faciens, reportat ad Altare*, nulla prorſus in antiquioribus Romanis Ordinibus mentio. Meminit ejus ritus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. LXXVII. ubi tamen ait, deferri Crucem a Sacriſta, vel ab alio ad hoc deputato: *Finita vero Crucis adoratione, Sacriſta, vel alius ad hoc deputatus eam reponit in loco ſuo ſuper Altari*. Sane licet in hoc §. præſenti dicatur, Diaconum deferre ad Altare Crucem, infra nihilominus Cap. LV. quod eſt de Officio hujus diei, Papa celebrante, expreſſe habetur, Crucem per Sacriſtam reponi ſuper Altare. Quidquid autem ſit de hac diverſitate, ex præſcripto laudati Romani Ordinis, *ipſa Cruce in Altari inter faculas, ſeu cereos collocata, Dominus Camerarius, vel vices ejus gerens aliam Crucem portat extra regias, comitantibus eum Clericis Cameræ, & Capellæ ad adorandum aliis*. Porro quod adorata Cruce debeat Diaconus expandere Corporale ſuper Altare, ut præſcribit noſter §. ritus eſt & iſte antiquus, cujus mentionem facit Romanus Ordo X. Cap. *De Feria ſexta in Paraſceve*, Num. XIV. *Adorata Cruce, Diaconus expandat Corporale ſuper Altare &c.* Sed videtur tamen contrarium aliquando ſervatum, uti non obſcure innuit Ordo I. Romanus citato ſuperius loco, ubi expreſſe edicitur, Corpus Domini ex Sacrificio præcedentis diei reſervatum, deferri *ſuper Altare nudatum*.

II. His notatis, atque explicatis, ex præſcripto noſtri §. inſtituitur ſolemnis Proceſſio ad locum, ubi heſterna Corpus Domini repoſitum fuerat, ut ad Altare, ibidem conſummandum, deferatur. Juxta Romanum I. Ordinem citato Capite VI. poſt veneratam, ac deoſculatam Crucem ſedebat in Sede Pontifex, uſque dum omnes Crucem ipſam venerarentur: *Presbyteri vero duo priores, mox ut ſalutaſſent, intrabant Sacrarium, vel ubi poſitum fuerat Corpus Domini, ponentes eum in Patena*; tenebatque Subdiaconus ante ipſos Calicem cum vino conſecrato, & alter Subdiaconus Patenam cum Corpore Domini; accipiebat mox Presbyter unus Patenam, & alter Calicem, & deferebant ſuper Altare nudatum. Sane ex præſcripto Romani Ordinis XV. Cap. LXXVII. *facta adoratio-*

Digitized by Google

ne in Capella, dum illi de extra aliam Crucem adorant, quam, ut superius dictum est, Camerarius, seu ejus vices gerens portabat extra regias, *Papa, lotis manibus, & depositis Chirothecis, quas amplius non resumit, surgens de Cathedra, ibi stando, resumit prædictam Planetam nigram, & Pallium cum spinellis de manu Diaconi Cardinalis, qui dixit Passionem, & sic progreditur ad Altare sine Mitra, & sine Confessione consueta, assistentibus sibi dictis duobus Diaconis Cardinalibus. Deinvadit cum Cruce, luminaribus, & incenso ad armariolum, seu copbinum, in quo die externa fuit Calix cum Corpore Christi reservatus.* Addit mox, servatum fuisse hunc ritum tempore Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI. Urbani V. Gregorii XI. & Urbani VI. Romanorum Pontificum, sub quorum Pontificatu, *Papamet ad armariolum, seu cophinum* ibat, *& Corpus Christi* portabat *ad Altare cum illa tobalia de sirico, coopertum cum uno capite, & cum alio, quod sibi pendet super humerum sinistrum, licet secundum Dominum Jacobum Gaytani junior Presbyter Cardinalis Corpus Christi antiquitus ad Altare portare consuevit.* Constat id quidem ex laudati Jacobi Romano Ordine XIV. Cap. XCIII. cujus hæc sunt verba: *Presbyter Cardinalis portat Corpus Christi, & ponit super Altare.* Juxta Romanum Ordinem XI. Auctore Benedicto, Num. XLII. *quidam Cardinalis honorifice portat Corpus Domini præteriti diei conservatum in Capsula Corporalium.* Cæterum teste Augustino Patricio nostri hujus Cæremonialis ordinatore, uti legitur infra in eo Capite, quod est de Officio hujus diei, Papa celebrante, *ante Joannem XXII. Diaconus portabat ad Altare Sacramentum, quod etiam communis Rubrica habet; post illa tempora Pontifex celebrans illud reportat, & melius.*

III. At vero sive Pontifex celebret hec die, sive alius, eo præsente, ipse quidem Pontifex vel ex præscripto hujus præsentis §. Calicem cum Sacramento extractum e Capsula a Celebrante, vel a Diacono Cardinale a dextris assistente *cum devotione, & reverentia capite detecto portat ad Altare.* Atque hic est ritus, qui hodieque servatur juxta præscriptum hujus §. cui adhærent passim mss. tum veterum, tum recentiorum Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, inter quos Joannes Burchardus ad annum MCDLXXXVI. ita ritum ipsum describit: *Facta adoratione*, Crucis scilicet, *Sanctissimus Dominus Noster*, Innocentius scilicet Papa VIII. *processionaliter ivit ad parvam Capellam pro Sacramento, & Reverendissimus Dominus Vicecancellarius celebrans ..... solus post omnes Cardinales, & ante Papam immediate ivit, post eum tamen fuerunt Diaconi Cardinales Papæ assistentes, & hinc, & inde fimbrias Pluvialis Papæ elevatas portantes. In parva Capella dictus Vicecancellarius, adjuvante ipsum Sacrista Capellæ suæ Palatii, aperuit Capsam Sacramenti, Papa incensavit genuflexus. Deinde Vicecancellarius extraxit Calicem cum Sacramento de Capsa, & per Sacristam, adjuvantibus Cardinalibus Diaconis imposita, fuit tobalia sericia Papæ circa collum, & Vicecancellarius dedit Sacramentum in Calice Sanctissimo Domino nostro, qui illud portavit ad magnam Capellam, Prælatis assistentibus baldachinum portantibus, & Cantoribus*, Vexilla Regis, *cantantibus. Portata fuerunt beri, & hodie, qualibet vice ante Sacramentum per Capellanos Celebrantis XVI. intorticia alba, XII. coram, & quatuor magna, quibus in Capella magna pro elevatione Sacramenti utimur, deinde duo candelabra cum luminaribus. In Capella magna Papamet posuit Sacramentum super Altare, adjuvante ipsum Vicecancellario &c.*

IV. Rursus teste eodem Burchardo ad annum MDLXXXVII. finita Crucis adoratione, *Papa*, idest idem Innocentius VIII. *venit ad Capellam parvam pro Sacramento, præcedentibus Officialibus, Cruce, & Cardinalibus suo ordine. Vicecancellarius celebrans venit omnibus paramentis indutus immediate ante Papam, medius inter Neapolitanum, & Andegavensem Episcopos Cardinales, & ante Sacramentum, dedit clavem Sacristæ, qui aperuit Capsam. Papa imposuit incensum in duo thuribula. Incensatur Sacramentum*, a Papa scilicet, *quod deinde extraxit de Capsa Vicecancellarius, & ministravit Papæ, qui illud detecto capite portavit ad Altare Capellæ majoris ordine, quo venerat. Baldachinum portarunt Episcopi assistentes.* Tum paulo post: *Ante majus Altare Vicecancellarius accepit Sacramentum ex manibus Papæ, & illud posuit super Altare, quod Papa iterum, imposito incenso, ministrante Presbytero Cardinale naviculam, incensavit more consueto.* Similia & apud alios sequioris ævi Apostolicos Cæremoniarios leguntur, apud quos semper aliqua varietas occurrit, imo & errores, ut iidem fatentur; & ut alios omittam, teste Francisco Mucantio, Cæremoniario & ipso Apostolico, in suo Diario, anno MDLXXIII. *in eo fuit erratum, quod Celebrans, dum tradidit Papæ genuflexo Calicem cum Sanctissimo Sacramento de Altari sumptum, ipse prius genuflexit, quod facere non debuit, nisi prius demum posito Sacramento in manibus Papæ; quod curare debuit tunc Magister Cæremoniarum.* Feria sexta in Parasceve anni MDLXXIII. jam non erat Mucantius Cæremoniarius Apostolicus, sed eo donatus fuit postea munere anno sequenti.

V. Lubet insuper in hoc Commentario & alia notare, quæ idem Mucantius scripsit ad annum MDLXXV. de ritibus, quos nos in præsenti explicamus; varia enim ex ejus Diario addiscimus, quæ ritum antiquum, recentioremque mirifice enarrant: *Cum non adessent*, inquit, *tot Capellani, fuerunt portata tantummodo decem funalia, quæ debuissent esse xvj. aut saltem xij. Illustrissimus Dominus Cardinalis Farnesius, & alii dixerunt, fuisse solitum, ut darentur candelæ croceæ Cardinalibus pro deportando Sanctissimo Sacramento, quod ego dixi, me nunquam vidisse, audisse, aut legisse.* Pergit Mucantius, aliaque tradit, quæ operæ pretium duxi hic adnotare: *Providi etiam in parva Capella, ne Sacramentum, postquam fuit per Pontificem incensatum, caperetur per Cardinalem Diaconum assistentem, quod Nicolaus substitutus ordinaverat; sed feci, ut Cardinalis celebrans illud caperet, & ad manus Pontificis offerret, prout decet, & consuetum est.*

VI. Jam

Digitized by Google

VI. Jam neque omittenda quæ idem accuratiſſimus Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter ad inſtructionem Cæremoniariorum Apoſtolicorum ad annum ipſum MDLXXV. ſubjicit: *In Capella majori ad Altare Celebrans genuflexus recepit Sanctiſſimum Sacramentum de manu Pontificis pariter genuflexi, qui tamen ſtare debuerat, & ſtans de novo ponere incenſum in thuribulum, deinde genuflexus incenſare, quod per errorem aliter fuit factum, nec Pontifex poſuit de novo incenſum, ideo advertatur pro alia vice.* Nihil de noſtro hic dicimus, ne videamur nos omnium minimi Cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſtros docere, ſed nemo jam queri poteſt, ſi ad ipſas cæremonias magis magiſque illuſtrandas deſcribimus tandem, quod laudatus Mucantius citato loco notavit, ſic inquiens: *Hoc facto, Pontifex detecto capite rediit ad Solium, ibique ſtetit, uſquequo Celebrans Communionem ſumſit. Funalia autem accenſa per errorem, dum Papa rediret ad Solium, fuerunt remota: quod non adverti, quod eſſem intentus Pontifici. Sed & alter error pejor prioribus eveniſſet, niſi opportune obſtitiſſem, nam poſtquam fuit incenſatum Sanctiſſimum Sacramentum, & Altare, Diaconus volebat incenſare ipſum Celebrantem in cornu Epiſtolæ ita monſtrante, vel tolerante Nicolao* (erat & is Apoſtolicus Cæremoniarius) *quod ego licet aſſiſterem Pontifici, etiam voce altiori prohibui, quia hodie nullus incenſari debet, ut cavetur in Cæremoniali. Ipſe autem Nicolaus quamquam in Capella Papæ veteranus, & qui omnes cæremonias callere ad unguem profitetur, atque adeo omnes reprehendere, & notare audet, cum ſuppleret vicem Cæremoniarii hoc mane propter abſentiam Ludovici Collegæ, omnes prædictos errores ſua negligentia, vel incuria cauſavit, quamquam ipſum prius admonuiſſem de omnibus agendis, etiam traditis ſchedulis in ſcriptis.*

VII. Atque hæc ſunt, quæ ad inſtructionem Apoſtolicorum Cæremoniariorum adnotare cenſui ex teſtimonio Viri accuratiſſimi Franciſci Mucantii, qui a Gregorio XIII. creatus fuit Papalium Cæremoniarum Præfectus, quique, ubi ſeſe illi præbet occaſio, errores notat, qui ſuo tempore occurrerunt in celebratione Sacrarum functionem, ut ſcilicet in poſterum caveantur. Adhibenda autem ſumma diligentia eſt ab ipſis Cæremoniarum Magiſtris, ac præſertim a Præfectis Apoſtolicarum Cæremoniarum, ne errores committantur, periculum enim eſt, ut ipſi in exemplum trahantur, uti non ſemel inter alios notavit idem Mucantius, cujus loca paſſim in his Commentariis deſcripſi, quod ipſum præ cæteris noverim Papalium rituum peritiſſimum.

§. X.

De ritibus Miſſæ hujus diei.

Cum autem Sacramentum poſitum fuerit ſuper Altare, Celebrans extrahit Sacramentum de Calice, & ponit ſupra Patenam, quam Diaconus tenet, nihil dicens. Diaconus Patenam cum Sacramento affert Celebranti, qui Hoſtiam Sacram ſuper Corporalia ponit, nihil dicendo. Diaconus imponit vinum, & aquam in Calice, nihil dicens; deinde offert Calicem Sacerdoti, qui illum imponit ſuper Altari, ſimiliter nihil dicens. Interim Papa ponit incenſum more conſueto, miniſtrante Presbytero Cardinali, qui mox ad ſuum locum inter alios Cardinales revertitur, & Cæremoniarius portat thuribulum Celebranti, qui incenſat Sacramentum, & Altare more ſolito, & non incenſatur Celebrans, neque Papa; ſed Altari incenſato, in cornu Epiſtolæ ſtans ſine Mitra verſus, ut pridie, Celebrans lavat manus, deinde verſus ad medium Altaris inclinans ſe, dicit: *In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur a te Domine, & ſic fiat Sacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.* Deinde vertit ſe ad populum, dicens: *Orate Fratres, ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem.* Tum convertens ſe ad Altare, omiſſis omnibus aliis, abſolute dicit: *Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, & Divina inſtitutione formati audemus dicere. Pater noſter &c.* uſque ad finem. Chorus reſpondet, *Amen.* Continuat in priſtino tono, abſolute dicens: *Libera nos Domine &c.* Quo dicto, Celebrans, facta prius uſque ad terram reverentia, Sacramentum in dextram accipit, & elevat altius, quam alias fieri ſolet, ut ab omnibus videri poſſit, & ſtatim deponit, dividitque in tres partes, quarum unam ultimam mittit in Calicem more conſueto, nihil dicendo. Deinde dicit: *Perceptio Corporis tui, Domine Jeſu Chriſte &c. Panem cæleſtem accipiam, & Nomen Domini invocabo. Domine non ſum dignus &c.* Tum continuat: *Corpus Domini noſtri &c.* & hoc dicto, ſignat ſe cum Sacramento, & illud ſumit reverenter; tum nihil dicens, ſumit vinum & aquam cum particula in Calice exiſtente. Interim exportantur intorticia, & extinguuntur more ſolito. Deinde in cornu Epiſtolæ accipit Mitram, & lavat manus more conſueto. Tum depoſita Mitra, redit ad medium Altaris, ubi dicat: *Quod ore ſumpſimus Domine, pura mente capia-*

mus,

Digitized by Google

mus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Quo dicto, redit ad Faldistorium, reponit omnia paramenta, reassumit Cappam, & vadit inter alios Cardinales ad locum suum.

COMMENTARIUS.

I. Missa, quæ hoc die celebratur, ut jam alibi notavimus, appellari solet Missa Præsanctificatorum, quæ tamen æquivoce dicitur Missa, cum careat consecratione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi. De ea inter alios scripsit Leo Allatius eruditissimam, & omnibus numeris absolutam Dissertationem ad Bartoldum Nihusium, editam in fine Operis, *De Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis perpetua consensione*, in qua curiosus lector quicquid ad eam pertinet, solide pleneque explicatum reperiet. S. Basilio & Chrysostomo antiquior est ipsa Missa, ejusque originem ad Synodum saltem Laodicenam initio Seculi IV. ante Nicenam celebratam', referendam notat Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*. Cap. XV. Num. V. quod in ea scilicet sancitum fuerit, Can. XLIX. *non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominicis tantum*. Quibus diebus fiat, statutum fuit Canone LII. Concilii Trullani, in quem nos plura scitu digna notavimus nostro II. Tomo Commentariorum in Concilia Oecumenica. Hunc morem adhuc servat Orientalis Ecclesia. Occidentalis vero, ea numquam utitur, aut usa est, nisi hac die Feria VI. majoris hebdomadæ, ejusque ritus mentionem facit pervetustus Ordo I. Romanus, Cap. VI. Num. XXXV. hisce paucis verbis: *Salutata*, Cruce scilicet, *& reposita in loco suo, descendit Pontifex ante Altare, & dicit*, Oremus. Præceptis salutaribus moniti &c. Pater noster. *Sequitur*: Libera nos quæsumus Domine. *Cum Dixerint*, Amen, *sumit de Sancta, & ponit in Calicem, nihil dicens; & communicant omnes cum silentio, & expleta sunt universa. Et dicit Pontifex*: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Pax tibi. *Respondent*. Et cum spiritu tuo.

II. Expressius loquitur de eodem ritu Ordo Romanus X. Num. XIV. ita inquiens: *Adorata Cruce, Diaconus expandat Corporale super Altare, super quo posito Corpore Domini, & Calice cum vino & aqua, dicat Pontifex plena voce, ut mos est*, Per omnia secula seculorum, Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti &c. Pater noster. *Similiter in eadem voce*, Libera nos. Oremus. Quæsumus Domine. *Finita vero Oratione*, Pax Domini, *non dicatur*. Agnus Dei, *non cantatur, nec pacis osculum datur, nec Postcommunio cantatur*. Sane quod memoratus Ordo de Missa agat, quam hac die olim Papa solitus erat celebrare, de ejusdem Communione sic habet: *Communicat autem solus Pontifex sine Ministris, non ad Sedem solemniter, sed ibi tantum eo die ad Altare, ob humilitatem reverentiæ, & Passionem Christi, & Feria sexta præsenti, & quando celebratur pro Defunctis, perfusionem facit in Calice, & ipse sumit, & postea lavat cum aqua in bacilibus*. His concinit, aliaque addit Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. XIII. Numero XXIII. his verbis: *Osculata vero Cruce a Clero, & populo, Dominus Papa revertitur ad Altare, & facta Confessione, sine Capitulo, sine incenso, & sine osculo Evangelii, communicat*, Pontifex scilicet hac die celebrans, *de Corpore Christi, quod Cardinales adducunt. Et notandum, quod hodie*, Pax Domini, *non dicitur*, Agnus Dei, *non cantatur, neque pacis osculum datur, neque Postcommunio canitur*. Tum etiam mox subjicit: *Siendum vero, quod Acolythi repræsentant incensum ad Calicem. Pontifex etiam non communicat ad Sedem, sed ante Altare ob humilitatem reverentiæ Dei, & Passionis Christi*. Atque in hactenus recitato loco jam multi continentur Ritus, ab attento lectore, & Pontificiorum rituum veterum studioso observandi.

III. Audiendus nunc Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCIII. ubi non modo ritus Missæ hujus Præsanctificatorum prolixius describuntur, sed etiam mysticæ eorum rationes explicantur. Hæc ejus verba: *Presbyter Cardinalis portat Corpus Christi, & ponit super Altare, & Dominus Papa aperit Capsulam, & cum manu accipit, & ponit Corpus in Patena, quam accipit Diaconus a Subdiacono, & tenet in manu, & Diaconus offert ei in Patena Corpus Domini, quod pridie fuerit reservatum; quod accipiens collocet super Corporale ab eodem Diacono prius super sindonem expansum. Offerat ei Calicem similiter cum puro vino, & Subdiaconus offerat ampullam cum aqua, quam Pontifex vino commisceat, ut repræsentet, quod eo die emanaverunt Sacramenta Ecclesiæ, videlicet Sanguis, & Aqua de Corpore*. Addit mox, *in quibusdam Ecclesiis purum vinum hodie sine aqua offerri, ut in puro, & forti vino crudelitas Judæorum repræsentetur, & asperitas Passionis Christi*. Tum vero subjicit: *Collocato autem Calice de consuetudine ad latus Dominici Corporis a Diacono, offerat ei incensum, & Pontifex, ut mos est, utrumque adoleat; deinde inclinat se ante Altare orans, & dicens*: In spiritu humilitatis, *& erectus Pontifex vertit se ad populum, dicens*: Orate Fratres *Deinde dicat plana voce, ut mos est*: Per omnia secula seculorum. Oremus. Præceptis salutaribus. Pater noster &c. *Oratione Dominica completa, dicat hanc Orationem in eadem nota*: Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis &c. *Responso autem*, Amen, *frangit Hostiam secundum consuetudinem, ponens de ea in Calice, nihil dicens. Sanctificatur enim vinum non consecratum per Corpus Domini immissum*. Pax Domini, *non dicitur*; Agnus Dei, *non cantatur, nec pacis osculum datur, nec Postcommunio cantatur. Communicat autem solus Pontifex sine Ministris, non ad Sedem solemniter, sed ibi tantum eo die ante Altare, ob humilitatem reverentiæ Dei, & Passionis Christi; perfundit in Calice, & ipse sumit, & postea cum aqua in bacilibus*.

IV. Plu-

Digitized by Google

IV. Plura jam in hoc Ordine habentur, quæ jam longe ante ipsum in vetustioribus Romanis Ordinibus præscripta fuerant, ut ex recitatis superius locis constat, sed antequam ea observemus, operæ pretium ducimus prædictis Ordinibus adjungere Ordinem Romanum XV. Cap. LXXVII. ubi ritus ipsi Missæ hujus diei luculentius quam in recitatis hactenus enarrantur. Postquam ergo dixit, Calicem cum Christi Corpore deferri a Papa ad Altare, ita statim subdit: *Discooperto Calice, recipit ab inde tamen manu Corpus, & ipsum ponit super Patenam, quam Diaconus, qui dixit Passionem, tenet in manu, & ipse Diaconus Corpus Christi cum Patena offert Papæ, quam Papa suscipiens, collocat super Altare, ibidem extenso Corporali. Postea Calicem Sacrista præsentat Papæ absque lotione, & tersione, propter Sacramentum, ne aliquid de fragmentis intus esset, & nihil dicendo, infra dictum Calicem ponit Sacrista. Postea prædictus Diaconus Cardinalis offert prædictum Calicem cum mero, & puro vino, & Subdiaconus offert ampullam cum aqua, quam Papa vino commiscat, nihil dicendo, & reputet, quod ista die emanaverunt Sacramenta Ecclesiæ, videlicet Sanguis, & Aqua de Corpore Christi.* Citat mox Jacobum Gajetanum Romani Ordini XIV. Auctorem, ubi ait, in quibusdam Ecclesiis purum vinum sine aq ua consuevisse offerri, ut in puro & forti vino crudelitas Judæorum repræsentetur, & asperitas Passionis Christi.

V. Sed ut filum prosequamur narrationis ritus ex Ordine XV. Romano Amelii, *Collocato*, inquit, *per modum consuetum ad latus Dominici Corporis Calice a Diacono Cardinali prædicto, offerat ipse Diaconus Cardinalis Papæ thuribulum, manum Papæ osculando, in dando, & recipiendo, & Papa, ut moris est, incensat tam Corpus Christi, quam Calicem; deinde Papa vadit ad cornu Altaris, & ibi lavat aliquantulum digitos cum aqua in duobus bacilibus per unum de Militibus, vel Domicellis suis, vel per nobiliorem ibidem præsentem, ipsum juvante priore Episcoporum, qui servit in Officio Capellani, & ipsa ablutione facta, vadit Papa ante medium Altaris absque Confessione, prout dictum est, inclinat se orans, & dicens*, In spiritu humilitatis; & *erigens se, vertit se ad populum, dicens*, Orate pro me Fratres &c. *deinde dicit plana voce, ut moris est, sine*, Per omnia secula &c. & *sine*, Te igitur; *sed absolute incipit cantando*, Oremus. Præceptis salutaribus moniti &c. Pater noster &c. & *quando erit in alio loco, ubi dicitur*. Sicut in Cælo, & in terra, *Celebrans accipiens Corpus Christi, elevat ipsum, ita ut possit videri a circumstantibus, & incontinenti reponit eum ubi prius; & in fine*, Pater noster, *respondetur*, Sed libera nos a malo. *Sacerdos vero sub silentio dicit*, Amen; & *tunc Diaconus offert Papæ Patenam, & deinde Papa frangit Hostiam consecratam secundum consuetudinem, ponens de ea tertiam particulam in Calicem, nihil dicendo. Sanctificatur enim vinum non consecratum per Corporis Domini immissionem.* Pax Domini, *etiam non dicitur, nec* Agnus Dei, *cantatur, nec pacis osculum datur, nec Postcommunio dicitur.*

VI. Quoniam insuper agit hoc loco Amelius de Missa celebrari suo ævo solita hac die per Papam, uti vel ex hactenus dictis liquet, hinc de Communione ita mox subdit: *Communicat autem solus Papa sine Ministris, non ad Sedem solemniter, sed ibi tantum eo die ante Altare ob humilitatem reverentiæ, & Passionis Christi, & non cum calamo, sed cum Calice sumit Sanguinem; & vinum post sumptionem Sanguinis in Calice funditur per Sacristam, vel alium Episcopum, qui sibi in Missa servit, & sumitur cum Calice in cornu Altaris, & ibidem cum aqua in bacilibus per unum e Militibus, vel Domicellis portata lavat manus.* Atque hæc sunt, quæ Ordo XV. Romanus labente Sæculo XIV. exaratus Auctore Amelio, Cap. LXXVII. statuit de ritibus Missæ celebratæ hac die per Papam, in quibus vetus æque, ac recentior Romanæ Ecclesiæ disciplina elucet, si pauca excipias, quæ ex recentiorum Rubricarum præscripto mutata deinde sunt, vel aucta.

VII. Observanda nunc quædam sunt in recitata hactenus veterum, & recentiorum Romanorum Ordinum loca, ac primum, morem fuisse antiquum, depositio super Altari Sacramento cum Calice vino aqua mixto, Celebrantem Orationem Dominicam cum sequenti, *Libera nos &c.* dicere consuevisse, tametsi Canonici Turonenses Sancti Martini sola Dominica Oratione videantur fuisse contenti, ut ex eorum veteri Rituali constat, ex cujus præscripto, Sacerdos *dicit*, Præceptis salutaribus, &, Pater noster. *Post descendunt in Stallis, & incipit Inceptor Antipbonam*, Calicem, *Cantor Psalmos, & interim communicat Sacerdos externo Sacrificio.* Clarius in Ordinario circa annum MCDL. scripto apud Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XXIII. Numero XXIII. ubi ita legitur: *Hoc facto, suppressa voce incipiat*, Præceptis salutaribus moniti, *ita tamen quod a circumstantibus possit audiri. Completa Oratione Dominica, fiat fractio, & eadem voce dicat*, Per omnia secula seculorum *tantummodo. Non dicitur*, Agnus, *nec datur Pax, sed statim dicto*, Per omnia sæcula, *ponat partem Sacramenti in Calicem, sicut solet, & se communicat sub silentio.* Atque hic adverte, quod citato loco observat laudatus Martene, quo pacto scilicet dici debeat Oratio Dominica, nimirum, *suppressa*, seu, uti alii loquuntur, *submissa voce*. Id quod præterea præscribunt mss. Missalia, Lugdunense, Parisiense, Melodunense, itemque Ordinaria, Turonense S. Gatiani, & Conomanense, sive, uti habet Præmonstratense, *mediocri voce*, aut *communi*, ut legitur in Uticensi.

VIII. Rursus ex Laudunensi Ordinario Sacerdos incipiendo Orationem Dominicam Calicem manu gestare debet; ex Missalis autem Tolosani præscripto, *antequam dicat*, Fiat voluntas, *debet recipere Corpus Christi; dum cantat*, Sicut in Cælo, *debet levare Corpus Christi, ut videatur a populo; & quando dicitur*, & in terra, *debet deponere, & eodem tono debet perficere Orationem Dominicam.* Sed nota quod statim subjicit: *Et iste modus Ostensionis Hostiæ Sanctæ servatur ista die in Ecclesia Tolosana, quod non servatur Romæ, nec in Romana Curia, nec alibi.* Sed errant Missalis hu-

jus

Digitized by Google

jus compactores ; quod enim existimant Ecclesiæ Tolosanæ singulare, commune extitit & aliis Ecclesiis non paucis, ac præsertim Romanæ, ut constat ex superius recitato Romano Ordine XV. & ex Missalibus, Lugdunensi, Pictavensi, Lingonensi, Remensi, Catalaunensi, Mozarabico, & quibusdam aliis, ut notat memoratus Edmundus Martene.

IX. Constat præterea ex relato superius I. Romano Ordine omnium vetustissimo, morem olim fuisse Romanæ Ecclesiæ, ut non modo Celebrans, sed & omnis Clerus, ac populus hac die communicaret : *Communicant*, inquit, *omnes cum silentio, & expleta sunt universa*. Addit, dici tum consuevisse a Pontifice, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Pax tibi*, eique responderi, *Amen*. Præter hanc additionem, *In nomine Patris &c.* eadem quoque leguntur in Appendice ejusdem Romani I. Ordinis, eumque ritum, Communionis scilicet generalis fieri solitæ hac die ab omni Clero, & populo, præscribunt absolute antiqui Sacramentorum Codices, Gellonensis, Remensis, Noviomensis annorum circiter mille, Noviomensis alter annorum circiter CM. Dionysianus, Trecensis S. Prudentii, & Bisuntinus, itemque Ordinaria, Gallinense, & Cassanense. Cæterum quidquid sit de aliis Ecclesiis, quod diximus de pervetusto Romanæ Ecclesiæ ritu communicandi omnes hac die, expresse negatur a vulgato Alcuino, ubi de Cœna Domini ita scribit : *Sunt qui quotidie Eucharistiam volunt sumere ; quia in Parasceve non conficitur Corpus Domini, necesse est, ut bi, quibus est voluntas communicandi, habeant Sacrificium ex priori die, quod tamen Romani non faciunt*,

X. Idipsum totidem verbis legere est quidem apud Amalarium, Lib. I. Cap. XII. excepta clausula illa, *quod tamen Romani non faciunt*, sed tamen rem ipsam Cap. XV. adducto loco præmisso ex Ordine I. Romano : *In superius memorato Libro inveni scriptum*, inquit, *ut duo Presbyteri afferant post salutationem Crucis, Corpus Domini, quod pridie reservatum fuit, & Calicem cum vino non consecrato, quod tunc consecretur, & inde communicet populus ; de qua observatione interargavi Romanum Archidiaconum, & ille respondit : In ea Statione, ubi Apostolicus salutat Crucem nemo ibi communicat*. Sed hæc minime adversantur ritui olim communicandi omnes hac die Romæ servato ; dicimus enim desiisse tunc Romæ ritum ipsum præscriptum in pervetusto Ordine I. Romano. Nam, ut scite observat Mabillonius in Commentario Historico ad Ordinem Romanum, Capite XI. pag. LXXII. Archidiaconus Romanus morem sui temporis ignorare non poterat, utpote testis oculatus ; & Amalarius in hujusmodi rebus accuratus, aberrati, multo magis a falsi suspicione alienus censendus est. Certo in Romano X. Ordine, quem exaratum Sæculo XI. idem Mabillonius censet, solus Pontifex in Cœna Domini, & in Parasceve, seclusis etiam Ministris, communicasse memoratur, tametsi alibi Communio generalis perseverabat : *Communicat autem Pontifex sine Ministris, non ad Sedem solemniter, sed ibi tantum eo die ante Altare, ob humilitatem reverentiæ Dei, & Passionem Christi*. Atque hæc eadem leguntur in aliis sequioris ævi Romanis Ordinibus superius jam a nobis descriptis.

XI. Illud vero observandum potissimum est in eisdem Romanis Ordinibus, *sanctificari vinum non consecratum per Corpus Domini immissum*. Plura jam in hunc locum notavit Mabillonius in suo Commentario Historico ad Romanum Ordinem, Capite XII. quod inscripsit, *De Sanctificatione Calicis non consecrati ex contactu particulæ consecratæ* ; ubi duo inter alia docet, ac primum a privato quodam Auctore fuisse verba illa addita, quæ non communem Ecclesiæ Romanæ, sed privatam cujuspam hominis sententiam exprimunt, quæque glossema redolent privati interpretis, non primi Auctoris eum ritum instituentis. Atque hinc est, quod licet Ordo Romanus XIV. Cap. XCIII. expresse habeat, *sanctificari vinum non consecratum per Corpus Domini immissum*, & Romanus Ordo XV. Cap. LXXVII. diserte quoque dicat, *sanctificari vinum non consecratum per Corporis Domini missionem*, quod idem est : ad tollendam omnem ambiguitatem S. noster, iis omissis verbis, *vinum* simpliciter appellat : *Sumit vinum, & aquam cum particula in Calice existenti*, Celebrans scilicet Cardinalis hac die, Papa præsente, & ut habetur Cap. LIV. ubi agitur de Papa celebrante hac die : *Non fugit vinum cum calamo, sed de Calice bibit*. Quod quidem concinit Romano Ordini XI. Auctore Benedicto, ubi expresse dicitur, Pontificem, sumpto Corpore Christi Domini, confirmari *de vino missio in Calice*, non de vino consecrato, seu sanctificato.

XII. Alterum quod idem Mabillonius docet, illud est, etiam permisso, ea verba esse ipsius Romani Ordinis propria, non ascititia, sensum eorum videri illum esse, ut nempe vinum non consecratum sanctificationem accidentariam accipiat ex particulæ immissæ contactu, non autem consecrationem veram, ac realem, qua vinum in Christi Sanguinem re vera commutetur. Id jam nemini obscurum videbitur, si attente expendatur locus ex Officio in Cœna Domini, prout in vulgatis extat : *Pontifex veniens ad Altare, dividat Oblatas, & sumat de ipsis Oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicant absque Sanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus consummatur*. Ex quibus verbis liquet, hanc esse illius loci sententiam, ut in Parasceve Communio fiat *absque Sanguine Domini*, quia scilicet pridie *Sanguis penitus consumptus* fuit. Ergo, ut scite concludit laudatus Scriptor, mens Auctoris est, vinum vere ac proprie Sanguinem haudquam fieri ex contactu particulæ in Calicem injectæ ; alias Communio non fieret *absque Sanguine Domini*. Itaque cum in Officio Parasceves legitur apud aliquos Romanos Ordines, vel Auctores, *sanctificari vinum non consecratum per Corpus Domini immissum*, si hæc verba in citatos superius Ordines Romanos intrusa non sint, de sanctificatione tantum accidentaria explicari debent, non vero de consecratione vera, ac reali. Sed qui plura in hanc rem scire desiderat, adire memoratum Mabillonium poterit, qui fuse, ac erudite eam rem dilucidavit.

XIII. Restat, ut aliquid dicam de thurificatio-

Digitized by Google

eatione Oblatorum, de qua mentionem facit hic noſter §. & mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria. Ne autem longius præſens Commentarius protrahatur, referam quod ad annum MDLXXVIII. ſcriptum reliquit Mucantius agens de Feria VI. in Paraſceve, *poſt reportatum Sanctiſſimum Sacramentum*, inquit, *illudque thurificatum, non fuit amplius a Papa impoſitum thus in thuribulo, nec benedictum, ut debuerat, ut thurificentur Oblata, ſeu vinum, quod in Calice ponitur, quod factum fuit per oblivionem noſtram, ſed nos ipſi impoſuimus in thuribulum abſque benedictione cognito errore, ut citius, & ſine ſcandalo Officium expediretur.*

§. XI.

De Veſperis hujus diei.

Facta Communione, Cantores incipiunt pro Veſperis ſine nota Antiphonam, *Calicem ſalutaris accipiam*, & alia, prout in Ordinario. Cum dicetur, *Magnificat*, Papa ſurgit, depoſita Mitra, & dum replicatur Antiphona, reaſumpta Mitra, deſcendit ad Faldiſtorium, & cum dicetur, *Chriſtus factus &c.* genuflectit, ſic manens uſque ad finem Pſalmi, *Miſerere*, & in fine dicit Orationem, *Reſpice &c.* ut in Matutinis dictum eſt; & finitis omnibus, revertitur ad Cameram ſuam eo ordine, quo venit. Dignior Aſſiſtens portat fimbrias Cappæ Pontificiæ ſimul collectas. Cum Papa fuerit in Camera, conveniunt Sacriſta, Subdiaconi Apoſtolici, & Clerici Cæremoniarum, & dividunt pecunias in tres partes; unam Sacriſta, aliam Subdiaconi, tertiam Clerici Cæceremoniarum accipiant.

COMMENTARIUS.

I. Statim poſt Communionem dictas fuiſſe Veſperas hac die, docent omnes Romani Ordines, & variarum Eccleſiarum Ritualia paſſim, tametſi in iis Diariis non unus ac idem ritus fuerit ſervatus. Ordo I. Romanus, Cap. VI. Num. XXXV. poſtquam dixit, communicari omnes hac die cum ſilentio, ita ſubdit: *Et poſt paululum Veſperam dicit unuſquiſque privatim, & ſic vadunt ad menſam.* Variat Ordo X. qui mandat, ut Pontifex, accepta Communione ad Altare, *rediens ad Sedem exuat ſe, & cum Clericis ſuis dicat Veſperas præteriti diei, non cantando, ſed recitando*, Ex præſcripto Romani Ordinis XI. Auctore Benedicto, videntur dictæ Veſperæ ipſæ per viam, dum Pontifex una cum aliis Ordinibus ad Palatium rediret: *Finito Officio*, Miſſæ ſcilicet, *ita induti redeunt eadem proceſſione, ſicut prius, tamen calceati, uſque ad Palatium, cantando reſiduos Pſalmos*. Sed variat quoque ab hoc Ordine Ordo XII. Auctore Cencio, ex cujus præſcripto, Pontifex, *expleto Officio*, in Baſilica ſcilicet S. Crucis, *exuit ſe cum aliis Ordinibus, & cantat ibi Veſperas in die Jovis recitatas*. Concinit Ordini X. Romano Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCIII. ubi eadem verba leguntur, ac deinde etiam hæc addit: *Antiphona*, Calicem ſalutaris *uſque ad finem, ſine Lectione, ſine Hymno. Ad* Magnificat, *Antiphona*, Cum accepiſſet acetum. *Alia Antiphona ad* Magnificat, *Ait latro ad latronem, & in aliis omnibus non dicitur*, Gloria Patri. *Quibus expletis, dicatur*, Chriſtus factus eſt pro nobis &c. *totum, poſtea ſine* kirye eleiſon, *ſub ſilentio dicatur*, Pater noſter, *Pſalmus*, Miſerere mei Deus, *& Oratio*, Reſpice &c.

II. Expreſſiora his ſunt, quæ habet Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. LXXVII. ſic inquiens: *Vadit ad Sedem altam nudam*, Pontifex ſcilicet, poſtquam lavit manus, accepta Communione, *& ibi deponit paramenta, & cum Miniſtris, & Capellanis, ac Clericis ſuis dicit Veſperas diei præteriti, non cantando, ſed legendo etiam Antiphonam*, Calicem ſalutaris, *cum aliis ſequentibus, & Pſalmis, prout ſunt notatæ in Breviario Romano, ſemper ſine* Gloria, *& ſine Capitulo, & ſine verſu. Nec incipit Antiphonam ad* Magnificat, *ipſe Papa, ſed omnia dicuntur legendo. Quibus completis, dicitur*, Chriſtus factus eſt pro nobis &c. *& ſine* kyrie eleiſon, *& ſub ſilentio dicitur*, Pater noſter, *& nota, quod poſt*, Chriſtus factus eſt &c. *ſtatim Papa deſcendit de Cathedra magna, & vadit ad illam ante medium Altaris, & nudam cum ſcabello, & ibi genibus flexis dicit Pſalmum*, Miſerere mei Deus &c. *quo completo, ſine* Gloria Patri, *dicit Oremus*, Reſpice &c. Atque hæc ſunt, quæ noſtro huic §. concinunt, ipſumque etiam quammaxime illuſtrant.

III. Obſervanda nunc quædam ſunt in deſcriptos hactenus Romanos Ordines veteres æque, ac recentiores, & primo quidem hodiernas Veſperas fuiſſe veluti in Cœna Domini, quæ videntur primæ Veſperæ Paſſionis Dominicæ, quibus quemadmodum Matutino, Pſalmi proprii inſerti ſunt. Qui quidem ritus, ut ad Veſperas ſcilicet iidem Pſalmi cum iiſdem Antiphonis, ea excepta, quæ ad *Magnificat* notatur, dicerentur, licet in omnibus fere Ritualibus præſcriptus ſit, ex Ordinario Lingonenſi tamen Pſalmi *Confitebor, Domine probaſti me &c.* ſine Antiphonis debebant recitari; id quod etiam præſcriptum eſt in Miſſali Catalunenſi, & in Miſſali veteri celebris Bibliothecæ Colbertinæ. Secundo, Veſperas ipſas Romæ olim aliquando privatim dictas fuiſſe, aliquando vero in Choro a Pontifice una cum ſuis Clericis. Privatim dicendas, præſcribit quidem antiquiſſimus omnium Ordo I. Romanus, teſtaturque Martene in ſuo Ope-

Digitized by Google

re, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite XXIII. Num. XXVI. idipsum statutum legi in veteri Missali Ecclesiæ Noviomensis, *annorum circiter* DCCC. itemque in alio Ecclesiæ Turonensis, in Pontificali Apamiensi, & in Ordinario Silvanectensi. Tertio, ipsas quoque Vesperas aliquando Romæ cantari, & aliquando legi, consueviſſe, cui ritui consentire videtur Rabanus Lib. III. *De institutione Clericorum*, Cap. XXXIII. ubi ita scribit: *In hac die Vespera cum silentio celebratur, ut quieti Dominicæ sepulturæ veneratio adhibeatur*. Imo ex Ordinario Lingonensi dicebant *omnes Canonici, Præbendarii, & Clerici sub silentio bini Vesperas.*

CAPUT LII.

De Matutinis Tenebrarum Quintæ, & Sextæ Feriæ majoris hebdomadæ.

In Matutinis tenebrosis hoc sero, & in quinta Feria præterita idem servatur per omnia, ut in Matutinis Quartæ Feriæ superioris diximus, hoc mutato, quod Altare, Sedes Papæ, & tota Capella debent esse nuda.

COMMENTARIUS.

I. QUOD brevi in hoc Capite edicitur, jam supra a nobis explicatum fusius fuit, idemque habetur passim in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis. Teste Burchardo ad annum Domini MCDLXXXVII. ubi recenset ritus Feriæ VI. in Parasce, *Sacrista posuerat ante Altare pallium de ratia cum figuratione Passionis Christi, & super Altare tobaleam mundam, quæ omnia Dominus Episcopus Pientinus* (erat hic Augustinus Patricius ordinator nostri hujus Cæremonialis, tunc Cæremoniarius Apostolicus) *antequam Papa exiret* (e Camera scilicet, & ad Capellam veniret) *fecit amoveri; sed remansit Altare nudum, & Sedes Papæ; & omnia, ut heri, sunt observata.*

CAPUT LIII.

De Indulgentia danda populo.

Et notandum, quod si populorum multitudo convenerit ad Urbem hoc tempore devotionis gratia, consueverunt Pontifices, antequam vadant ad Missam de mane, & similiter in die, antequam vadant ad Matutinas tenebrosas, exire ad locum benedictionis publicæ cum Pluviali rubro, & Mitra simplici, & populo benedicere, Cardinalibus, Prælatis, & aliis Officialibus in habitu consueto Capellæ euntibus. Et si hoc debet fieri, locus ille paratur per aliquot horas ante, ut populus intelligat, Pontificem daturum esse benedictionem. Post benedictionem, Papa reversus ad Cameram, & dimissis sacris vestibus, cum Cappa, & Mitra plana ad Missas, Vespere autem cum Cappa, & sine Mitra, cum tempus sibi videbitur, vadit ad Capellam ad Matutinas, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. Tempore sanctioris hebdomadæ solitos fuisse Fideles ad Urbem confluere, ut Divinis Officiis quæ a Summo Pontifice peragi solent magnis, ac multiplicibus ritibus, adessent, notum omnibus est. Fidelium pietate commotos Pontifices, consuevisse ipsos antequam ad Missam procederent, sive ad celebrandum Tenebrarum Matutinum, ire ad locum benedictionis publicæ cum Pluviali rubro, & Mitra simplici, & populo benedicere, Cardinalibus, Prælatis, & aliis Officialibus in habitu consueto Capellæ euntibus, testatur Augustinus Patricius ordinator nostri Cæremonialis in præsenti Capite, & quidem ex antiquis monumentis, quæ hic non opus est recensere. Unum addiderim, quod nempe in suo ms. Diario ad annum MDLXXVIII. scribit Mucantius de Feria V. in Cœna Domini agens: *Adventante nocte Processiones Confraternitatum cum innumeris pœnitentibus sese disciplinantibus transierunt per Aulam regiam, Sanctissimo Sacramento in sepulchro sumptuose composito, & ornato, ac multiplici luminum, ac cereorum ardentium copia, & ordine conspicuo existenti reverentiam facientes, cum esset ibi concessa Indulgentia plenaria, quod a Paulo Papa Quarto incœptum, hucusque observatur mira populi devotione, & concursu.* Similia legere est in sequioris ævi Diariis apud alios Apostolicarum Cæremoniarios Magistros. Sed placuit, Mucantii locum describere, quod ex eo originem habemus plenariæ Indulgentiæ a Paulo Papa IV. concessæ visitantibus Sepulchrum, seu Sacellum decentissime ornatum, in quo hac die condi solet Sanctissima Eucharistia in Pontificia Capella. Sed hujusmodi Processiones nostro hoc tempore in desuetudinem abierunt, prohibueruntque ipsas Episcopi passim in suis Diœcesibus ut ex eorundem Synodis liquet, quarum loco non est opus hic describere,

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIV.

De Officio diei Veneris, Papa celebrante.

Si in Paraſceve Papa voluerit ipſemet celebrare, quod antiquitus Romani Pontifices, & noſtris etiam diebus Nicolaus V. facere conſueverunt, hic ordo ſervabitur. Parantur duæ credentiæ more ſolito, ſed non cum pompa, nam in credentia Papæ non erunt, niſi vaſa neceſſaria ad Sacrificium, alia ad ornatum non ponuntur, & Capella tota nuda, ſedes nudæ, Altare nudum, & ſine aliquo ornamento. Hora competenti Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Cappa rubra Cardinalari, & Mitra alba ſimplici more ſolito exit ad Eccleſiam, orat ante Altare, accedit ad Sedem, ubi conſuevit accipere paramenta, & nunquam hac die aſcendit ad Sedem eminentem, niſi in fine ad Veſperas. Cum aliquantulum quieverit ſedens, ſurgit ſine Mitra, nulla enim fit hodie reverentia, nullæ oſculationes, & verſus ad Altare ſub ſilentio dicit, *Pater noſter*, & mox Cantores legunt Nonam. Pontifex, ut illi incipiunt, ſedet. Interim Diaconus Evangelium dicturus, & Subdiaconus, capiunt paramenta; omnia ſibi opportuna præter Manipulum, & Planetam, & in albis parant Pontificem, cum eſt tempus. Similiter Subdiaconi, Auditores, Clerici Capellæ, & Acolythi capiunt Superpellicea. Pontifex non dicit, *Quam dilecta*, & cetera, quia non utitur Sandaliis, ſed in tempore vadit ad Faldiſtorium ante Altare, & dum dicitur in fine Nonæ, *Chriſtus factus eſt &c.* genuflectit ſine Mitra uſque in finem, & dicit Orationem, *Reſpice quæſumus*, genuflexus. Deinde revertitur ad Sedem prædictam, deponit Mitram, & Cappam, lavatque manus cæremoniis conſuetis, & Prior Presbyterorum Cardinalium ſervit pro Aſsiſtente. Deinde per Diaconum & Subdiaconum paratur conſuetis paramentis, exceptis Sandaliis, Subcinctorio, Fanone, & Chirothecis, quibus hodie non utitur, & ad paramenta dicuntur Orationes conſuetæ. Pontifex, & omnes alii utuntur paramentis nigri coloris. Cum Papa incipit parari, Cardinales, & omnes alii Prælati capiunt paramenta ſibi convenientia, Epiſcopi Pluvialia, Presbyteri, & Diaconi Planetas ante pectus. Pontifex, accepto Pallio cum ſpinulis, & Mitra ſimplici, & Annulo Pontificali, ſedet aliquantulum, & Diaconus, ac Sabdiaconus Miniſtri accipiunt Manipulum, & Planetam. Et tunc præcedente alio Subdiacono cum Cruce inter duos Ceroferarios cum candelis extinctis, & ſine incenſo, Papa ordine conſueto accedit ad Altare, ſed tres Presbyteri non procedunt obviam Papæ. (1) Apud Altare abſtrahitur ei Mitra a Diacono Evangelii, & Papa genuflexus, ac procumbens ſuper nudum Faldiſtorium diutius orat, & ſimiliter omnes alii genuflexi orant. Interim extenditur ſuper nudum Altare a Sacriſta, & Cæremoniariis mappula munda alba. Finita Oratione, ſurgit Pontifex, oſculatur Altare, deinde cum Mitra ſedet ſuper nudam Cathedram poſitam in cornu ſiniſtro, ideſt, Epiſtolæ, ita ut faciem vertat ad dextrum cornu Evangelii. Presbyter Cardinalis aſſiſtens ſedet ſuper gradum primum ad pedes Papæ, & poſt eum tres Diaconi, in quorum medio ſedet, qui Evangelium eſt lecturus. Subdiaconus ſedet in gradu inferiori ad pedes Diaconi Evangelii. Aſſiſtentes Epiſcopi ſuper gradus, & in terra poſt Papam. Alii in loco conſueto. Omnibus conſedentibus, unus ex Auditoribus, factis reverentiis Altari, & Papæ, accedit ad locum, ubi dicitur Epiſtola, & ibi Librum ſibi tenens, dicit primam Prophetiam ſine titulo, & in fine non oſculatur pedem Pontificis, ſed dato Libro uni ex Miniſtris, factiſque ſolitis reverentiis, revertitur ad locum ſuum. Finita prima Prophetia, dum cantatur Tractus, Papa legit ipſam Prophetiam, miniſtrantibus Librum Epiſcopis Aſſiſtentibus, ſed ſine candela accenſa. Poſt Tractum ſurgit Pontifex, & omnes alii. Amovetur Cathedra, & ſtans Pontifex ſine Mitra in cornu Epiſtolæ dicit, *Oremus*; & Diaconus a dextris dicit, *Flectamus genua*, & genuflectunt omnes; & mox Diaconus a ſiniſtris, *Levate*, & omnes ſurgunt, & Pontifex dicit Orationem. Subdiaconus interim dimittit Planetam, & vadit cum Libro ante pectus ad locum conſuetum, ubi, finita Oratione, legit Epiſtolam more ſolito. Illa finita, non oſculatur pedem Pontificis, ſed reaſſumpta Planeta, redit ad locum ſuum, & Papa legit Epiſto-

(1) Ita in *Romana* editione, in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur ſic: *Tres Presbyteri non procedunt obviam Papæ apud Altare.* Tum puncto interpoſito ſequitur: *Abſtrahitur ei Mitra &c.*

Digitized by Google

lam, & Tractum, ministrantibus Librum assistentibus, ut supra. Consuevit antiquis temporibus, ut legi, Diaconus Cardinalis Evangelii cantare Passionem, & etiam partem, quæ dicitur in tono Evangelii. Quod si facere voluerit Diaconus, ipse circa finem Tractus exuit Planetam, & Planetam accipiet super humerum sinistrum in modum Stolæ, & assumpto Libro Evangeliorum ante pectus, factis reverentiis, illum ponit super Altare, & genuflexus dicit Orationem, *Munda cor meum*. Surgens deinde accipit Librum, & factis reverentiis, sine benedictione, incenso, aut luminaribus, accedit ad pulpitum, ubi lecturus est Passionem in loco consueto. Subdiaconus Epistolæ stat post pulpitum, & duo Acolythi juxta eum; & sic finito Tractu, Diaconus incipit, *Passio &c.* Et cum perventum fuerit ad locum, qui legitur in tono Evangelii, non petit benedictionem, absolute prosequitur Evangelium. In antiquis tamen Libris invenio, quod ad hanc partem Evangelii hodie, & aliis tribus diebus, quibus legitur, *Passio*, portantur luminaria, quæ, lecto Evangelio, extinguuntur. (1) Hodie non portantur, nec incensum, & etiam Rubrica communis hoc innuit. In eo tamen tempore servatum est, ut supra diximus. Si autem Diaconus non cantabit Passionem, tunc tres Cantores habitu, & ordine in Missa superiori prædicto cantabunt Passionem, & circa finem Diaconus Evangelii exuet Planetam, & plicatam super humerum sinistrum accipiet, ponet Librum super Altare, genuflexus dicet, *Munda cor meum &c.* & illo reassumpto, ibit ad pulpitum cum Subdiacono, & Acolythis, ut supra diximus. Pontifex, dum incipitur, *Passio*, surgit, & deposita Mitra, stans legit & ipse Passionem secrete ex Libro super Altare posito in cornu Epistolæ versus aliquantulum ad legentes Passionem. Finita Passione, sedebit, quousque incipiatur Evangelium, tunc surget, & stabit, ut supra usque in finem; tunc iterum sedebit, nec osculabitur Librum, neque incensabitur. Diaconus, finito Evangelio, & alii, qui secum erant, factis reverentiis, revertuntur ad loca sua. Qui autem est facturus Sermonem, si est Prælatus, cum Pluviali nigro, & alba Mitra; si alius, cum habitu alias consueto, accedit ad Pontificem, & genuflexus petit Indulgentias populo publicandas, & non benedictionem; deinde ascendit pulpitum, & facit Sermonem suum, & Pontifex sedet in cornu Epistolæ versus ad prædicantem, reliqui sedebunt, ut supra diximus. Finito Sermone, Prædicator statim pronunciabit Indulgentias a Summo Pontifice concessas. Non fit Confessio, neque datur benedictio; sed mox surgit Pontifex, amovetur Cathedra, deponit Mitram, & stans in dicto cornu, ex Libro super Altare stante cantat Orationes, *Oremus dilectissimi &c.* ut in Ordinario; & Diaconi cantant, *Flectamus genua*, *Levate*, hoc ordine. Ad primam Orationem Prior Diaconorum, ideſt, qui dixit Evangelium, nam ad eum spectat Pontifici ministrare, dicit, *Flectamus genua*; & secundus dicit, *Levate*. Ad secundam Orationem secundus Diaconus, ideſt, qui assistit a dextris dicit, *Flectamus genua*; & tertius, qui a sinistris, dicit, *Levate*. Ad tertiam Orationem tertius dicit, *Flectamus genua*, & primus dicit, *Levate*. Ad quartam primus dicit, *Flectamus*, & secundus, *Levate*, & sic per circulum usque in finem. Pro Judæis non dicitur, *Flectamus*, quorum impietatem exhorrescens Ecclesia, pro illis orans, non genuflectit, quia hodie ipsi illudebant Salvatori nostro, genua ante illum flectentes. Finitis Orationibus, Pontifex, deposito Pallio super Altare, exuit Planetam, & expectat in angulo posterioris cornu Epistolæ. Sacrista capiens Crucem ex Altari, illam reverenter portat ad manus Diaconi, qui illam dat ad manus Pontificis. Pontifex Crucem detegit, imponit, & adorat iisdem cæremoniis, quas supra scripsimus. Papa, facta Oratione, reversus ad Cathedram suam, quæ ponitur ei ad cornu Epistolæ, reassumit calciamenta sua communia, & sedens legit improperia, quæ a Choro cantantur. Interim Cardinales, Prælati, & alii omnes ordine superius dicto, Crucem adorant. Diaconus autem Evangelii, ut Crucem adoravit, simul cum Subdiacono vadit ad Credentiam Papæ, & ibi ambo lavant manus, deinde reversi ad Altare, explicant super illud mappulam sericeam, & Subdiaconus cum suo panniculo circa collum ex credentia Sacristæ portat Corporalia tantum cum Purificatorio, quæ Diaconus explicat super Altare. Deinde revertitur ad Pontificem, qui, finita adoratione Crucis, lavat manus consuetis cæremoniis cum Mitra, & mox illa deposita, reassumit Planetam, Pallium, & Mitram

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero 1. & Colonienſi minus recte legitur, *extinguuntur hodie, & incensum, & etiam Rubrica &c.*

Digitized by Google

tram per manus Diaconi, Crux vero per Sacriſtam reponitur ſuper Altare, & accenduntur luminaria. Pontifex, impoſito incenſo in thuribulo, miniſtrante primo Presbytero Cardinali aſſiſtente, proceſſionaliter vadit ad locum, ubi reconditum eſt Sacramentum, quod reportat ad Altare cæremoniis ſupradictis, niſi quod hîc omnes habent paramenta, & omnia alia ſervantur, quæ ſuperius, & in Ordinario dicta ſunt. Papa communicat in Altari ſolus, & non ſugit vinum cum calamo, ſed de Calice bibit. Notandum tamen, quod ante Joannem XXII. Diaconus portabat ad Altare Sacramentum, quod etiam communis Rubrica habet. Poſt illa tempora Pontifex celebrans illud reportat, & melius. Advertendum tamen, quod hodie nullus incenſatur, neque Papa, neque alius, niſi ſolum Sacramentum. Sacriſta in tempore cum Acolytho, Calice, ampullis, Patenis, vadit ad Credentiam Papæ, & more ſolito mundat omnia, & mandat, fieri præguſtationes per Credentiarios, & portat vinum, & aquam primo, & poſt cum vaſis ſuis ſuperior Presbyterorum Cardinalium infundit vinum ſuper digitos Papæ, cum purificat, quod alias facit Prior. Communione facta, Pontifex in cornu Altaris cum Mitra lavat manus ſolitis cæremoniis; deinde, depoſito Pallio ſuper Altare, aſcendit Sedem eminentem nudam, ubi depoſitis ſacris veſtibus, induit Cappam purpuream, & cum Mitra ſimplici ſedet. Interim omnes alii deponunt paramenta, & mox a Cantoribus leguntur Veſperæ, & in fine Pontifex deſcendit ad Faldiſtorium, & genuflectit, cum dicitur, *Chriſtus factus eſt &c.* & poſt, *Miſerere*, dicit Otationem, *Reſpice quæſumus Domine &c.*

COMMENTARIUS.

I EX iis, quæ in ſuperioribus Commentariis diximus liquido conſtat, conſueviſſe olim Summos Romanos Pontifices celebrare ipſoſmet divina Officia hac die. Laudat ordinator noſtri hujus Cæremonialis Patricius in præſenti Capite Nicolaum V. Pontificem, quod ſuo ævo Pontifex ipſe in Paraſceve celebrare conſueverit. Sed profecto laudandus præ ceteris ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. qui licet decrepitæ eſſet ætatis, indefeſſus fuit in celebrandis Divinis Officiis, ac in Pontificalibus munii obeundis. Neque enim ſat ipſi Pontifici religioſiſſimo fuit Miſſarum Solemnia celebrare, verum etiam tametſi innumeris Apoſtolicæ Sedis curis eſſet diſtentus, frequenter ritu ſolemni Sacramenta conferebat, præſertim vero Confirmationis, ac Ordinis ſtatis anni temporibus, ut omittam innumeras pene Eccleſiarum, atque Altarium dedicationes, & frequentes Campanarum, ac ſacræ ſupellectilis benedictiones. Cum autem ea, quæ in hoc Capite notantur de Officio Feriæ VI. in Paraſceve, Papa celebrante, explicata a nobis abunde in ſuperioribus Commentariis fuerint, deſcribemus hoc loco, quod in ms. Pierſanctiano Diario legimus, ad annum MDCCXXV. de ritibus hac die ſervatis, celebrante laudato Pontifice Benedicto XIII. Sic autem inquit.

II. Die XXX. Martii Feria VI. in Paraſceve. Hoc mane deſcendit Papa ad Aulam hora XIII. indutuſque ſupra Rocchettum Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, ac Cappa rubra, venit cum Mitra ſimplici ad Secretarium, ut heri, precibuſque effuſis ante Altare ornatum Cruce, quatuor candelabris, & candelis cæruleis tantum, aſcendit ad Sedem eminentem, Cantoribuſque Nonam perlegentibus, Orationes nonnullas cum Cæremoniario recitavit, deſcenditque ad Faldiſtorium, ac poſt Verſiculum, & Pſalmum, *Miſerere*, recitavit ſine Libro Orationem, *Reſpice &c.* reverſuſque ad Sedem depoſita Cappa, indutus fuit ab Eminentiſſimo Diacono Miſſæ in albis, adjuvante Subdiacono pariter in albis, omnibus paramentis Miſſalibus nigris, exceptis Sandalibus, Succinctorio, Fanone, & Chirothecis, omnibus interim indumenta ſacra nigra ordini convenientia ſumentibus, videlicet Eminentiſſimis Diaconis, & Presbyteris Caſulas plicatas, & Eminentiſſimis Epiſcopis Pluvialia abſque formaliis. Eminentiſſimus autem Presbyterorum Prior Pluviale redimitus, fuit in aſſiſtentia, impoſuitque de more Annulum Papæ, ſumptiſque deinde a Diacono, & Subdiacono miniſtrantibus Caſulis plicatis, ordinata fuit Supplicatio ad Sixtinam, omnibuſque de more incedentibus, obſeratoque oſtio Capellæ Paulinæ cum repagulo ex aulæis pannis, Papa pedibus ſuis proceſſit ſub baldachino quaſi rubro ad præfatam Sixtinam, procubuit ſine Mitra in Faldiſtorio, procumbentibus hinc inde retro Eminentiſſimis Presbytero Aſſiſtente, Diacono miniſtrante, ac duobus Diaconis aſſiſtentibus in ſcabellis, Cæremoniarum Magiſtris ſupra menſam Altaris tobaleam extendentibus, quod deinde Papa oſculatus fuit, ſeditque Mitratus in cornu Epiſtolæ in Faldiſtorio, facie ad cornu Evangelii converſa; eodemque modo in plano ſederunt præfati quatuor Eminentiſſimi in ſcabellis in linea diſpoſitis, nec non in gradu ejuſdem Altaris omnes Epiſcopi aſſiſtentes; ſervatiſque debitis genuflexionibus R. P. D. Chriſpoltus Auditor Rotæ Rochetto, & Cotta redimitus legit de more primam Prophetiam, & Cantoribus Tractum concinentibus, Papa eandem legit, ſtanſque Orationem cecinit, iterumque ſedit, dum Subdiaconus Miſſæ, dimiſſa Planeta plicata, Epiſtolam cecinit, eandemque in cantu Græco replicavit Subdiaconus Græcus Græco habitu rubro redimitus, perlectaque a Papa Epiſtola cum Tractu, tres Cantores in laterali cornu Evangelii ſupra Presbyterium locati, faciebus ad

Digitized by Google

ad cornu Epistolæ conversis, Passionem cecinerunt, qua a Sanctitate sua perlecta, Eminentissimus Diaconus cum Stola ampla cecinit in eodem loco Evangelium, assistentibus sibi duobus tantum Acolytis Apostolicis sine candelabris, idemque Evangelium iteravit Diaconus Græcus pariter indutus suo habitu Græco. Mox Papa cecinit Orationes, Diaconis Evangelii, & assistentibus successive respondentibus, *flectamus genua*, *Levate*, depositisque in medio Altaris Pallio, & Casula in cornu Epistolæ, discalceatus de more fuit, receptique de manibus Diaconi Crucem, quam in summitate discooperiens, cantavit, *Ecce lignum Crucis*, ad populum semiconversus tantum, imo ultima vice ad Altare totaliter conversus, eamque in loco consueto deposuit, & adoravit, reversusque ad Faldistorium, sedens calceatus fuit, legitque improperia, non omissa oblatione per manus Illustrissimi Depositarii consueta, interimque Cardinales omnes, & Episcopi Sacris redimiti, ac discalceati pariter adoraverunt, idemque calceati fecerunt ceteri omnes, necnon præter consuetudinem, plurimi de populo laici, ac Togati, quorum aliqui oblationem non omiserunt. Cætera ad normam Cæremonialis de more processerunt. Missa completa, Papa Sedem eminentem baldachino vacuam conscendit, indumenta sacra deposuit, Cappam, & Mitram sumpsit, ceterique omnes sacris se exuerunt, & Cantores Vesperas sine nota cecinerunt. Psalmis completis, Papa ad Faldistorium descendit, dictoque Versiculo cum Psalmo, *Miserere*, memoriter sine Libro, recitavit Orationem, *Respice*, recessitque, ac prope Sacrarium exutus ad sua delatus fuit.

CAPUT LV.

Quod Papa hac die non sedet in Sede in Camera.

Et nota quod hoc die secundum antiquas cæremonias Papa in Camera sua non consuevit sedere super sedes, sed super scabella, & Cardinales, finito Officio, & deducto Pontifice ad Cameram, discedunt sine confabulatione aliqua.

COMMENTARIUS.

I. SPectat ad luctum hujus diei, quod in hoc Capite edicitur, nempe hac die Feriæ VI. in Paraseve secundum antiquas cæremonias Papam in Camera sua non consuevisse sedere super sedes, sed super scabella, & Cardinales, finito Officio, & deducto Pontifice ad Cameram, inde discedere sine confabulatione aliqua. Meminit profecto hujus ritus Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. XCIII. ubi etiam ait, Papam non cœnare hac die cum suis Capellanis: *His omnibus expletis, quisque cum pace, & absque confabulatione adinvicem revertitur ad propria. Dominus Papa eo die non cœnat cum Capellanis, neque Capellani cum eo.* Quod Cardinales hac die solerent etiam *absque confabulatione ad propria reverti*, tradunt etiam Romanus Ordo XV. Cap. LXXVI. in fine, & inter alios mss. Codices Piersanctianus, ac Brunonis Joannis de Davantria.

CAPUT LVI.

De Officio veneris sancti, Papa absente.

Si Papa hac die absens erit, Cardinalis Officium peracturus, tempore congruo ad Capellam veniens, capit sacras vestes, ut superius diximus; & cum alii Cardinales convenerint, ad Altare procedit cum Ministris, & Mitra in Capite, & facta reverentia Cardinalibus, conversus ad Altare, deponit Mitram, & genuflexus procumbens super scabellum nudum cum cussino ante Altare positum, & ibi prolixius orat; tum surgens ascendit ad Altare, & illud tantum osculatur. Deinde reassumpta Mitra, vadit ad Faldistorium, & in Officio proceditur, ut supra dictum est, usque ad finitam Passionem, & Evangelium. Tunc habiturus Sermonem, accedit ante Cardinalem, petit Indulgentias, & ascendit ad pulpitum. Reliqua servantur, ut prius, usque ad denudationem, & depositionem Crucis, qua in loco parato posita, revertitur ad Faldistorium, ubi detractis sibi calceamentis, vadit sine Ministris ad adorandum Crucem, & cum eo ad sinistram primus Cardinalis, qui secum adoret, deinde alii Cardinales, & alii ordine supradicto. Cruce adorata, Cardinalis revertitur ad Faldistorium, ubi calciamenta sibi reponuntur, ac Planeta, & Mitra; sic sedet usque ad finem adorationis. Papa ante tempus consuevit mittere Celebranti eandem pecuniam, quam præsens solet offerre, ut illam pro se offerat. Finita adoratione, Subdiaconus Capellæ indutus Planeta plicata, accipit Crucem, quam præcedentem Scutiferi Papæ, Officiales, & Cantores, ut moris est, sequuntur, Diaconi, Presbyteri, Episcopi Cardinales, deinde Celebrans cum Mitra medius inter Diaconum a sinistris,

Digitized by Google

ſtris, & ſuum aſsiſtentem a dextris, ſequentibus ipſum omnibus Capellanis ſuis Superpelliceis indutis, & aliis Prælatis ſuo ordine. Cum Celebrans pervenit ad locum, ubi Corpus Domini repoſitum eſt, deponit Mitram, & procedit ante locum, & genuflectit. Cum Diaconus aperit Capſulam, & Cardinalis ſurgens incenſat, ut ſupra dictum eſt, Sacramentum, & illud in Calice conditum a Diacono devote accipit, & ſericea mappula, quæ a collo ei dependet, honeſte coopertum ſine Mitra defert ad Capellam ordine, quo venerunt, Cantoribus cantantibus, *Vexilla Regis prodeunt &c.* Ante Cardinalem, qui facit Officium, immediate procedunt Capellani præfati, intorticia deferentes, & Cæremoniarius, qui continuo incenſat Sacramentum. Cum pervenerit ad Altare, Celebrans imponit Calicem ſuper Corporalia, & iterum incenſat, ut prius. Alia omnia fiunt, ut ſupra, & dicto, *Chriſtus factus eſt &c.* &, *Miſerere*, pro Veſperis, ipſe qui fecit Officium, cum Cappa ſua inter alios Cardinales in loco ſuo genuflexus dicit Orationem, *Reſpice &c.* Qua dicta, omnes ad ſua loca revertuntur.

COMMENTARIUS.

I. PAucis hic me expediam; nihil enim in hoc §. continetur, quod ſuperius explicatum non fuerit; atque hinc eſt, quod vel ipſi Cæremoniarii Apoſtolici in mſs. Diariis, ubi agunt de Divinis Officiis celebratis in Capella, Papa abſente, vix aliquid referunt notatu dignum. Teſte Burchardo ad annum MCDLXXXV. *Feria ſexta Veneris ſancta, prima menſis Aprilis Reverendiſſimus D minus Cardinalis S. Petri ad Vincula major Pœnitentiarius celebravit Miſſam ſolemnem in Capella præfata*, in majore ſcilicet Palatii Apoſtolici Capella, *Papa abſente, Cardinalibus præſentibus*. Obſervata fuiſſe ait omnia, prout in Cæremoniali, Celebrantemque *in adoratione Crucis nomine Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ* (erat is Innocentius VIII.) *obtuliſſe ducatos xxv. auri in auro de Camera.* Eodem teſte Burchardo ad annum MCDXCI. quo idem Cardinalis Feria VI. in Paraſceve divinum peregit Officium Papa abſente, *nullus ad gradus Solii interfuit. Papa miſit celebranti per Sacriſtam xxv. ducatos Cruci offerendos. Sermonem fecit Archiepiſcopus Patracenſis ſine magna laude.*

CAUT LVII.

De Sabbato Sancto, Papa præſente,

I. MYſticam Jeſu Chriſti requiem in ſepulchro, deſcenſumque ad inferos, tempus videlicet, quo ejus anima a Corpore ſeparata fuit, ſeu myſterium ſepulturæ ejus hodierna die celebrat Eccleſia. In Ordine I. Romano omnium vetuſtiſſimo Officium nocturnum a media nocte incipiebat, totumque, ſicut precedenti biduo peragebatur: *Media nocte*, inquit, Cap. VII. *ſurgendum. Dicuntur viiii. Pſalmi cum Reſponſoriis. Tres Lectiones leguntur de lamentatione Hieremiæ ab eo loco, ubi dicit*, Miſericordiæ Domini multæ, *uſque ad finem. Deinde leguntur Homeliæ Sanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes, & in candelis accendendis, vel extinguendis, ſicut ſuperius habetur.* Sane, ut ex eodem Romano I. Ordine ritum narremus, qui olim ſervari Romæ ſolitus fuit, celebratis media nocte ſolemni ritu Vigiliis, diurniſque curſibus privatim abſolutis, circa horam diei tertiam Catechumeni ad Eccleſiam procedebant, Symbolum reddituri, ultimumque ſcrutinium ſubituri. Ibi ſtabant ordinati, maſculi quidem ad dextram, feminæ vero ad ſiniſtram. Tum Sacerdos Cruce ſingulorum frontibus impreſſa, ritus exorciſmorum, & abrenunciationum explebat, ac tandem impoſita ſingulorum capitibus manu, recitatoque Symbolo, poſt factam orationem ab Archidiacono, dimittebantur, donec Baptiſmi celebrandi hora adveniſſet.

II. Sed audiamus iterum ipſum Ordinem primum Romanum, qui notatum a nobis ritum citato loco ita recenſet: *Poſt horam tertiam Sabbato procedunt, qui baptizandi ſunt ad Eccleſiam, & ordinantur per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, maſculi ad dextram, feminæ in ſiniſtram. Faciens Crucem Sacerdos in frontibus ſingulorum, poſtea impoſita manu ſupra capita eorum, dicit*: Nec te latet Satanas. *Ipſa expleta, tangit ſingulis nares, & aures de ſputo, & dicit eis*: Epheta, quod eſt ad aperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim judicium Dei. *Poſtea tangit de Oleo ſancto ſcapulas, & pectus, & dicit*: Abrenuncias Satanæ? ℟. Abrenuncio. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuncio. Ego te lino Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro propitiatus in vitam æternam. Pax tibi. *Hac expleta, ambulet in circulum; impoſita manu ſuper capite eorum, dicat tantum excelſa voce*: Credo in Deum. *Vertit ſe ad feminas, & facit ſimiliter. Poſtea dicuntur eis ab Archidiacono*: Orate electi, flectite genua. *Et poſt paululum dicit*: Levate. Complete Orationem noſtram in unum, & dicite, Amen. *Et reſpondent omnes*, Amen. *Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis*: Cathecumeni recedant. Siquis Cathecumenus eſt, recedat. Omnes Cathecumeni exeant foras. *Iterum dicit Diaconus*: Filii cariſſimi revertimini in locis veſtris, expectantes horam, qua poſſit circa vos Dei gratia Baptiſmum operari.

III. Ho-

Digitized by Google

III. Hora nona, ut idem Ordo nos docet, & inter alios notavit Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum, Cap. xv. Pontifex cum Sacerdotibus, aliisque Ministris e Sacrario absque cantu prodibat cum vestibus sacris, præcedente Cereo accenso, qui in candelabro ante Altare statuebatur. Deinde facta Cerei Paschalis benedictione, de qua infra nos suo loco dicemus, Lector, deposita Planeta, ascendens in Ambonem, Lectionem ex Libro Geneseos ab que titulo Græce pronunciabat, mox alter veto Latine, & sic alii alias consequenter, hi que absolutis, decantabatur mox Psalmus *Sicut cervus &c.* Græce primum a Lectore Græco, & deinde Latine ab alio Lectore Latino. Post hæc in Sancti Joannis Baptisterium procedebatur, decantando Letaniam, ibique Fontis benedictio fiebat, qua finita, Presbyteri, Diaconi, &, si necesse erat, Acolythi, excalceati in ipsos Fontes ingrediebantur, ut in citato I. Romano Ordine legitur: quod etiam totidem verbis notat Sacramentarium Gregorianum in ms. Codice Gellonensi Sæculo VIII. exarato, ut idem Mabillonius censet, viderique potest vulgatus Ordo Romanus apud Hitorpium, in quo eadem res habetur.

IV. Quot infantes baptizare soleret Pontifex, non exprimunt antiquiores Romani Ordines. *Unum, aut duos, vel quantos, sibi placuerit*, ait Ordo VIII. Tres tantum assignat Ordo X. eumque ritum imitati sunt Episcopi aliarum Ecclesiarum. Nam in Actis S. Udalrici Episcopi Augustensis, qui in Sæculo X. floruit, legitur, S. Antistitem in Sabbato Sancto, *baptizatis tribus pueris, cum septena Litania*, se in Sacrarium recepisse, *ad Missam se præparandum*. Eundem numerum exhibet Concilium Lemovicense anni MXXXI. ubi exposito ritu Baptismi quotannis celebrari soliti in Monasterio S. Martialis, *de tribus non minus infantibus in Paschâ solummodo, & Pentecoste*, subditur, majorem numerum baptizandorum esse apud Matrem Ecclesiam, ubi peracto Baptismo *de tribus tantum infantibus*, scilicet per Episcopum, *cæteri, si plus fuerint, ab alio Presbytero baptizantur*. Diaconos etiam Romæ cum Presbyteris baptizasse, testantur ipsi Romani Ordines, sic ajentes: *Cæterique a Diacono, cui jusserit*, Pontifex scilicet, *baptizantur*. Baptizabantur autem infantes ipsi per trinam immersionem, ut inter alios tradit Ordo I. Romanus: *Et acceptos infantes de parentibus, baptizent eos sub trina mersione, tantum Sanctam Trinitotem semel invocantes, ita dicendo*, Baptizo te in Nomine Patris, *& mergit semel*, & Filii, *& mergit iterum*, & Spiritus Sancti, *& mergit tertio*.

V. Accepto Baptismo, excitato Romano Ordine, singuli infantes uni Presbytero offerebantur, ipse vero Presbyter Chrismate Crucis signum cum pollice in eorum vertice imprimebat. Mox eorum Susceptores lintea in manibus habentes, ipsos infantes a Presbyteris, & Diaconis, qui eos baptizaverant, accipiebant, & eos Pontifici offerebant. Is vero, data singulis Stola, Casula, & Chrismali cum decem siliquis, universos albis vestibus induebat, & dicta super eos Oratione, *cum Chrismate Crucem faciens in frontibus singulorum cum invocatione Sanctæ Trinitatis, tradebat eis septiformem gratiam Spiritus Sancti*, tdest Sacramentum Confirmationis conferebat. Hanc duplicem unctionem, unam quidem per Presbyterum, aliam per Pontificem faciendam, præscribunt plures Romani Ordines, qui de ritu Baptismi agunt, atque etiam Sacramentarium Gellasianum hisce verbis: *Postea cum ascenderit a Fonte infans signatur à Presbytero in cerebro de Chrismate his verbis*: Deus Omnipotens &c. *Deinde ab Episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum his verbis*; Deus Omnipotens &c *Postea signat eos in fronte de Chrismate, dicens*: Signum Christi in vitam æternam. *Resp.* Amen. In VII. Romano Ordine alio modo legitur, ita nempe: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Pax tecum*. Resp. *Amen*. De utraque unctione agit Innocentius I. in Epistola ad Decentium quod omnibus notum est, sed verba ipsa, quibus Spiritus Sanctus baptizatis ab Episcopo tradebatur, dicere non audet, nimirum, quod eatenus arcana essent: *Ne magis*, inquit, *prodere videar, quam ad consultationem respondere*. Porro hac Pontificali Chrismatione *omne Baptisma legitimum Christianitatis nomine confirmari*, tradit memoratus Ordo I. Romanus, non quod unctio posterior sit appendix Baptismi, sed quod Baptismi gratiam corroboret, ac confirmet, ut scite explicat Mabillonius in citato suo Commentario ad Romanum Ordinem, Capite XV. Totum Baptismi ritum paucis exprimit Sanctus Augustinus in fine Sermonis CCCXXIV. *Baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus Sacramentis, assumptus est*; eundemque ritum jam longe Augustinum expressit S. Cyprianus in sua Synodica Epistola, quæ modo est LXX.

VI. Induti, & confirmati in orbem ordinabantur baptizati, & infantes quidem in brachiis tenebantur, ut habet vulgatus Ordo Romanus, *majores vero pedem ponebant super pedem Patrini sui*, ut in Ordine X. Romano legitur, & ostendimus nos Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum I. Interim Schola jussu Pontificis Litaniam inchoabat ante Altare primum septenam, deinde quinam, ac demum ternam; quem ritum ita recenset vulgatus Ordo Romanus apud Hitorpium: *Interim Schola jussa facit Litaniam ad Fontem ante Altare, primo septenam, & spatio facto, faciunt alteram quinam, ita enim inchoatur. Stat Primicerius unus in dextro Choro, & dicit cum ipso*, kyrie eleison, *& respondet Secumdicerius cum sinistro Choro*, kyrie eleison, *usque ter. Deinde*, Christe eleison, *usque ter. Hoc fiunt septem vices repetitæ, unde & septenæ dicuntur. Post hæc*, Christe audi nos, *usque septies, & sic per ordinem. Hoc ordine, intervallo facto, sequuntur, ut prædictum est, Litaniæ quinæ, idest, quinquies repetitæ*. Postea cum *Agnus Dei* cantaretur, Magister Scholæ luminaria jubebat accendi; quo facto, Pontifex e Sacrario ad Altare procedebat Sacra celebraturus de nocte; neque enim die Sabbati Sancti hæc celebrari antiquus ritus sinebat, sicut nec hodiernus, cum hodieque solus hic dies Missam non habeat, ne Præsanctificatorum quidem, servatusque est Romæ ritus, de quo loquitur

Digitized by Google

quitur Innocentius I. cujus verba alibi retulimus. Ex quo autem Nocturnum Officium Paschatis in diem præcedentem anticipatum est, tunc solummodo dici Missa cœpta fuit, quæ tota est de Vigilia, seu nocte Paschatis, estque inter Vigilias Ecclesiæ maxime solemnis. Incipiebat olim post Nonam circa occasum Solis, & durabat usque ad auroram Paschatis, nec unquam egredi licebat ab Ecclesia. Quilibet jejunus erat a die præcedenti, totumque illud spatium dabatur lectionibus, precibus, instructionibus, Baptismo Catechumenorum, & Sacrificio Missæ, quod per Communionem Paschalem adstantium terminabatur.

VII. In hac Missa magna cum solemnitate primum canebatur *Alleluja*, cujus rei meminit Sozomenus, Lib. VIII. Capite XV. ubi asserit, Romæ quotannis semel cani, *Alleluja*, primo die Paschalis Festivitatis, adeo ut multi Romanorum hoc jurejurando uti solerent, ut hunc Hymnum audire, & canere illis contingeret. Huc spectat quod ait Victor Vitensis Lib. I. *Lector unus pulpito sistens Allelujaticum melos canebat*, nempe die solemni Paschæ, *quo tempore sagitta in gutture sagittatus, cadente de manibus Codice, mortuus cecidit*. In superiori Sozomeni testimonio id difficultatis est, quod Romæ quotannis *Alleluja* semel tantum cani affirmat; cum per totos quinquaginta dies, qui a Pascha ad Pentecosten effluebant, sæpius a Romanis frequentaretur ante S. Gregorium Magnum, qui etiam extra Pentecosten *Alleluja* cani præcepit. Quamobrem conquerentibus de Sicilia nonnullis, quod hic ritus a Græcis mutatus esset, respondit Lib. VII. Indictione II. Epistola LXIV. ad Joannem Episcopum Syracusanum, *Ut* Alleluja, *hic diceretur, de Jerosolymorum Ecclesia ex Beati Hieronymi traditione, tempore Beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideo magis in hac Sede illam consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita*; forsan quæ in exequiis Defunctorum, & in Quadragesima hanc vocem induxerat, uti observat Mabillonius inter alios antiquos Scriptores. Sane in exequiis mortuorum, *Alleluja*, quondam apud Romanos fuisse decantatum, testis est S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ. Idem etiam colligit Menardus ex Codice Ratoldi. Imo etiam in Quadragesima Hispanicas quasdam Ecclesias cecinisse, *Alleluja*, addiscere licet ex Concilio Toletano IV. cujus Canon X. eum usum abrogavit. Consimilem sustulit S. Gregorius Papa Magnus, statuitque, ut in Missis etiam post Pentecosten *Alleluja* caneretur, non tamen in Missis Defunctorum, & in Quadragesima. Porro Amalarius ex superiori Epistola S. Gregorii recte infert in Libro IV. Cap. XXXIII. *quod aliquo tempore*, idest ante Gregorium Magnum, *cantabatur Missa in Romana Ecclesia absque* Alleluja. Cæterum quod recitatum Sozomeni locum spectat, forte in eodem errore Auctor is fuit, quo & Michael Cerularius, cujus & inter alias hæc erat adversus Romanos objectio, *quod Alleluja in Quadragesima non psallerent, sed semel in Pascha tantummodo*. Quod postremum de Sæculo XI. quo scribebat Cerularius, falsum esse constat.

VIII. Communicasse in hac Missa infantes, testis est Ordo I. Romanus, qui etiam ita ritum ejus Communionis describit: *Illud autem de parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramenta Corporis Christi, & omnibus diebus Septimanæ Paschæ ad Missas procedant, & parentes eorum offerant pro ipsis, & communicent omnes*. Joannes Diaconus in Epistola, quam legere est apud Mabillonium Tomo I. Musei Italici, pag. 69. ad quæstionem sibi a Senatio factam, *cur in Sacratissimum Calicem lac mittatur, & mel, & Paschæ Sabbato cum Sacrificiis offeratur?* Respondet, *Baptizatis hoc Sacrificii genus offerri, ut intelligant, quia non alii, sed ipsi, qui participes fiunt Corporis, & Sanguinis Domini, terram repromissionis accipient, cujus iter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriuntur, & melle*. At de hoc ritu, immittendi scilicet in Calicem lactis, & mellis, nulla fit mentio in vetustis Ordinibus Romanis, & licet in vulgato Romano Ordine extet *benedictio lactis, & mellis* in Sabbato Sancto, ea tamen extra Calicem fiebat, atque seorsim parvulis porrigebatur. Verum, quod forte nonnulli utrumque in Calice commiscerent, huic quæstioni occasionem dedere, statuitque ideirco Concilium Africanum, ut in Canone XXXVII. Africanæ Ecclesiæ legimus, *ut primitiæ, seu mel, & lac, quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in Altari offeratur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur*. Sed de his vide plura nostro II. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem LVII. Concilii Trullani, ubi edicitur; *quod in Altare lac, & mel offerre non oportet*. Alium hujus diei ritum parum dissimilem carpebant etiam Græci, referente Ænea Parisiensi Episcopo, quod scilicet Latini *agnum simul cum Corpore Christi super Altare ponerent, & more Judæorum offerrent*. Sed hæc agni benedictio seorsim fiebat, ut ex vulgato Ordine intelligitur, non ut Deo agnus ille offerretur, sed ut carnium esus cum Ecclesiæ benedictione fieret. Unde & aliarum etiam carnium benedictio in eodem Libro habetur.

IX. Illud hoc loco revocandum superest, quod superius de Baptismo præmisimus, ex Ordine scilicet Romano XII. Auctore Benedicto Canonico S. Petri. Nempe completis Lectionibus, Pontifex descendebat ad Fontem cum Diaconis, & Subdiaconis Regionariis, dum Litania decantaretur, & Psalmus, *Sicut cervus*, usque ad porticum S. Venantii, ubi Pontifex tantisper sedebat. Interim Cardinales, qui in Choro Lateranensis Basilicæ remanserant, exibant per posterulam post absidem, & per porticum S. Joannis in Oratorium S. Venantii procedebant. Tunc Archidiacono præcipiente, duo Cardinales, priorem Cardinalium medium habentes, adibant ad Pontificem, aliis Cardinalibus sequentibus. Priori autem Cardinalium, ter petita, tertioque accepta nomine omnium benedictione, Pontifex dicebat: *Ite, baptizate omnes gentes in Nomine Patris & Filii & Spirisus Sancti*. Qua missione accepta, Cardinales equis insedentes ad suos Titulos revertebantur, sui quisque Tituli parvulos baptizaturi. Addit vero Ordo I. Romanus, die Paschæ Pon-

Digitized by Google

tifici ad S. Mariam Majorem procedenti Notarium Regionarium occurrisse ad Merolanas, & salutato Pontifice, dixisse: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi baptizati sunt hesterna nocte in Sancta Dei Genitrice Maria infantes masculi numero tanti, & feminæ tantæ.* Ad quæ verba respondebat Pontifex: *Deo gratias.* Porro Diaconi Baptisma conferebant etiam præsente Pontifice, adjuvantibus & Acolythis, ut vel in recitato Romano I. Ordine legitur. At vero teste Anastasio, Bonifacius V. constituisse dicitur, *ut in Lateranis Acolythus non baptizaret cum Diacono*, sed Subdiaconi subsequentes. Solum Diaconum designat Ordo VII. Romanus, cui præivit Concilium Romanum sub Innocentio I. Can. VII. Præter hactenus explicatos ritus, jam & alii peragi consueverunt die Sabbati Sancti, quos nos fuse enarrabimus in Commentariis ad sequentes paragraphos, ubi se se nobis præbebit occasio.

§. I.

De Apparatu Capellæ, Altaris, & Sedis Pontificis, ac Cerei Paschalis, & pulpiti juxta illum, die Sabbati Sancti.

Sabbato Sancto paretur Capella more consueto, & Altare, & Sedes Papæ ornentur palliis duplicibus, intus albo, & violaceo exterius. Paretur etiam Cereus Paschalis, qui ponatur in loco convenienti ante faciem Pontificis, & juxta Cereum ponatur unum pulpitum albo panno aureo coopertum.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam explicemus ritus in hoc nostro §. præscriptos, notandus est ritus ille servari solitus Romæ hac die Sabbati Sancti, quem suggerit in sua ad Senarium Epistola Joannes Diaconus apud Mabillonium Tomo I. Musei Italici, Parte II. pag. 69. & seqq. nempe septem Altaria moris fuisse *consecrari*. Meminit & ejus ritus Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum, Cap. XV. pag. c. in fine, ubi tamen scribit contra Epistolæ expressum locum, *celebrari*, atque, *componi*, idest, ornari, eoque sensu *sacrosanctum Altare compositum* vocari ait a S. Ambrosio in Libro, *De Mysteriis*, Cap. VIII. novæ editionis, Num. XLIII. Verum, ut dixi, diserte inquit memoratus Joannes Diaconus in ipsa Epistola, *septem Altaria in Urbe Sabbato Paschæ consecrari*; eamque mox rationem assignat: *Quia majores nostri, sive in septiformis gratiæ Spiritu decreverint faciendum, sive quia septem regionibus Ecclesiastica apud nos militia continetur, a qua hæc ipsa parantur Altaria, ut singulis benedictio præstaretur.* An alia quadam ratione constitutum id fuerit, ingenue fatetur se prorsus ignorare, rectèque docet, *quod non a majoribus tradita custodiret Ecclesia, nisi certa sui ratio poposcisset; nec ea possumus dicere inania videri, ac frivola, quia eorum minime rationem accepimus. Nam multa qui proxime ante nos fuerunt, & nos, ubi nobis ratio persuaderet, in Ecclesiis quædam nova sancimus, quæ dum ad posteros transmittimus observanda, etiamsi qua id ratione a nobis factum sit, longe posterior ætas ignoret, non putabit tamen inania, si in Deum piam præcedentium intelligat voluntatem.* Ceterum mirari subit, nullum prædicti ritus vestigium, quod quidem sciam, apud alios Auctores, haberi, nedum in Ordinibus Romanis a laudato Mabillonio descriptis Tomo II. Musei Italici.

II. His notatis, cautum est ex nostro §. ut *Sabbato Sancto paretur Capella more consueto, & Altare, ac Sedes Papæ ornentur palliis duplicibus, intus albo, & violaceo exterius.* Clariora sunt, quæ de ea re docet Cæremoniale Episcoporum Lib. II. Cap. XXVII. §. I. *Sabbato Sancto*, inquit, *summo mane vestiuntur Altaria, & Sedes Episcopalis ornatur cortinis duplicibus, videlicet intus alba, exterius violacea; sic etiam duo pallia ante Altare majus applicantur, & aptantur, ut cum opus fuerit, facilius removeri cito possit violaceum, & remaneat album.* Sed audiamus Burchardum, qui enarrans ritum servatum Sabbato Sancto anni MCDLXXXVI. varia adnotavit, quibus noster §. magis magisque explicatur: *Sabbato Sancto*, inquit, *Vigilia Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, quæ fuit XXV. die mensis Martii, Altare Capellæ majoris paratum fuit festivaliter. Crux pretiosior in medio, Imagines Apostolorum Petri & Pauli, ac sex candelabra hinc & inde. Pallia duo ante Altare, subtus album, & desuper violaceum. Similiter Papæ Sedes duobus palliis ornata fuit. Credentia etiam parata fuit rebus, & more consueto. Cereus Paschalis, & pulpitum, prout in Cæremoniali dicitur.*

III. Mandat præterea idem noster §. ut *paretur etiam Cereus Paschalis, qui ponatur in loco convenienti ante faciem Pontificis.* Cereum Paschalem consuevisse olim columnæ marmoreæ affigi prope Ambonem constitutæ, in quo etiam solebat Paschale Præconium Diaconus canere, notant Ciampinus Tomo I. veterum monumentorum, Martenius in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIV. Num. VIII. & inter alios Jacobus Eveillon, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XIII. *Columnam*, inquit, *repræsentat Cereus benedictus, lumine suo ignem populo in nocte prælucentem exhibens, crassitudine vero, seu more solito grandiore, nubem per æstum diei obumbrantem. Atque est causa, cur idem Cereus apud nos columnæ imponi soleat.* Eum columnæ forma olim fieri solitum conjici posse, inquit ex Eusebio, Lib. IV. *De Vita Constantini*, Cap. XXII. ubi Constantinus sublimes e cera columnas passim tota Urbe accendi mandavit ipsa nocte Paschalis solemni-

Digitized by Google

lemnitatis in ſignum reſurgentis Chriſti, & ex illis benedictionis Cerei verbis: *Sed jam columnæ hujus præconia novimus*. Sed audiamus quæſo, ut ipſa verba exponat Libro VI. *De Divinis Officiis*, Rupertus Abbas Tuitienſis, Cap. XXIX. ubi ita inquit: *Quod enim ait*, Columnæ hujus præconia novimus, *aperte nobis innuit, quod illud idem per hanc pretioſam lampadem intelligere debeamus, quod per illam præfigurabatur columnam, quæ caſtra Filiorum Iſrael de Ægypto exeuntium per mare rubrum præcedebat. Significabat autem illa columna nubis bene notam nobis Humanitatem Chriſti, in qua proprie Thronum ſuum poſuit Sapientia Dei, ſicut ipſa dicit*: Thronus meus in columna nubis. *Siquidem nunc illa columna nubis populum ſuum a diaboli ſervitute liberatum, & rubrum mare Baptiſmi tranſeuntem præcedit Dux itineris, ut inducat in terram veram promiſſionis, terram viventium, quam ſicut Moyſes ait*, Dominus Deus noſter die, ac nocte intuetur; *nunc cæleſtibus doctrinis compluens, ut vere columna nubis; nunc igne ſui Spiritus accendens, ut vere columna ignis*.

IV. Hactenus Ruperti locus, in quo obiter notandum eſt, quod in eum obſervat eruditus Eveillon loco citato, quodque jam nos in laudato noſtro Opere Cæremonialis Epiſcoporum deſcripſimus, nempe quod ait Rupertus, Sapientiam Dei poſuiſſe Thronum ſuum in Humanitate Chriſti, non ita accipi, quaſi ſentiat cum Neſtorio, qui aſſerebat, B. Virginem non eſſe Dei Genitricem, ſed Genitricem templi, in quo Deus inhabitat, ut refert S. Cyrillus Alexandrinus in defenſione primi anathematiſmi, Parte III. Concilii Epheſini. Ex quo ſequebatur, Verbo Divino non eſſe unitam humanitatem in perſona, ſed illud in ea verſatum per modum externæ cujuſdam habitationis. Loquitur plane ibi Rupertus per quandam ſimilitudinem, quod ſicut dicebatur Deus habitare in nube illa columnæ, & ex ea quid fieri vellet, denunciare, & iter populo ad terram promiſſionis oſtendere, ita Sapientia Divina humanam naturam aſſumens, in ea quaſi in Throno quodam videtur ſedem ibi collocaſſe, unde doctrinam vitæ hominibus daret, & hominibus viam ad vitam æternam præmonſtraret. Ceterum ſimilia iis, quæ de Cereo Paſchali tradit Rupertus, complures alii Scriptores, qui poſt, & ante illum claruerunt, docent, Durandus, Belethus, & creditus Alcuinus, qui ita ad rem inquit: *Concordat Cereus hic in ſignificatione cum columna ignis, qui illuminabat populum Iſrael in nocte, ut illud in ipſa benedictione*: Sed jam columnæ præconia novimus. *Columna illa Chriſtum ſignificabat. Illa columna præcedebat Filios Iſrael. Noſtra columna, ideſt, Cereus præcedit Catechumenos noſtros. Lumen ipſius Chriſtum ſignificat, quo & præſens nox illuſtratur, gratia ſcilicet reſurrectionis, & Catechumeni ad Baptiſmum venturi*. Sane conſtat non modo ex laudatis Scriptoribus, ſed ex ipſa Cerei benedictione, fuiſſe Cereum Paſchalem ab origine ſua ceream columnam, collocari ſolitam ſuper columnam prope Ambonem conſtitutam, in quo benedictio Cerei cantabatur, uti hodieque cernitur in antiquis quibuſdam Urbis Baſilicis, in quibus juxta Ambonem extat columna marmorea in qua poni ſolebat Cereus Paſchalis. In quibuſdam Eccleſiis ſolebat adhiberi Cereus triginta trium librarum, in honorem ſcilicet, ut ajunt, triginta trium annorum Chriſti.

VI. Mos ille quoque alicubi invaluit, ut Diaconus priuſquam benedictionem Cerei cantare inciperet, in ipſius Cerei ſtipite annos Dominicæ Incarnationis, atque præſentis anni indictionem ſtylo imprimeret, ut fidem faciunt veteres Libri Miſſales, & inter alios antiquos Auctores Venerabilis Beda, qui in Libro, *De temporum ratione*, Cap. XLV. refert, Monachos Romam a ſe miſſos cognoviſſe Natalis diem in Cereo S. Mariæ Majoris anno DCCI. Vide Papebrochium in menſe Majo, ubi ait, rationem Feſtorum pro anno ſequente inſcribi Cereo conſueviſſe. Præter annum Incarnationis Dominicæ, & Indictionis, nonnulli plura addebant, quæ in tabella Cereo benedicendo appendenda inſcribebantur, cujuſmodi ſunt ea, quæ ex Rituali Provinciæ Remenſis edito anno MDLXXXV. refert Edmundus Martene in ſuo Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Capite XXIV. Num. VII. Ejus ritus affigendæ Cereo tabulæ, ſeu chartæ, in qua plura notabantur, & inter alia annus ab origine mundi currens, meminit in ſuo Rationali Durandus, Lib. VI. Cap. LXXX. Num. X. & ante ipſum Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CVIII. Notat autem & illud Martene, in quibuſdam locis conſueviſſe inſcriptioni illi, quæ Cereo affigebatur, duas haſce literas Græcas præmitti A. & Ω. Id plane docet Pontificale Eccleſiæ Apameenſis in Syria, ex cujus præſcripto, *Diaconus, qui benedicere debet Cereum, cum ſtylo facit Crucem in ipſo Cereo, & A, Ω, & annum ab Incarnatione Domini deſcribit*. Eadem leguntur & apud alios Auctores, de iiſque jam diximus nos in noſtris perpetuis ad Cæremoniale Epiſcoporum Commentariis, ex quibus nonnulla deſumpſimus ad hoc S.R.E. Cæremoniale explicandum.

§. II.

De benidictione novi ignis, & incenſi.

Hora competenti Cardinalis celebraturus venit ad Capellam, & more ſolito induitur Sandaliis, & aliis paramentis uſque ad Dalmaticam incluſive. Deinde capit Pluviale violaceum, & ſtans in cornu Epiſtolæ verſus ad Altare, & Libro ſuper Altari poſito, benedicit novum ignem in aliquo vaſe ſibi oblatum, & incenſum ponendum in Cereo, & imponat ex navicula incenſum in thuribulo, miniſtrante Diacono, & Subdiacono albis tantum indutis. Deinde aſpergit ignem novum, & incenſum, & ea poſtea incenſat. Tum revertitur ad Faldi-

Digitized by Google

storium suum, ubi deposito Pluviali, accipit Chirothecas, Planetam violaceam, Mitram albam simplicem, Annulum Pontificalem, & sedet in Faldistorio suo.

COMMENTARIUS.

I. PEr novum ignem ex præscripto nostri hujus §. incipitur hodiernum Officium. Quod ejusdem novi ignis benedictionem spectat, quam in plerisque mss. insigniorum Ecclesiarum Ritualibus prætermissam animadvertimus, ante omnia præmittenda videntur ea, quæ scribit Zacharias Papa in Epistola sua XII. ad S. Bonifacium Moguntinum his verbis: *De igne autem Paschali, quod inquisisti a sanctis priscis Patribus, ex quo per Dei, & Domini nostri Jesu Christi gratiam, & pretioso Sanguine ejus Ecclesia dedicata est, quinta Feria Paschæ, dum Sanctum Chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diversis candelis Ecclesiæ oleo collecto, in secretiori Ecclesiæ loco, ad figuram interioris Tabernaculi insistente, indesinenter cum multa diligentia ardebunt, itaut oleum sufficere possit usque ad tertium diem; de quibus candelis Sabbato Sancto pro Sacri Fontis Baptismate sumptus ignis per Sacerdotem renovabitur. De crystallis autem, ut asseruistis, nullam habemus traditionem.* Conitat ex recitato hactenus loco, novi ignis e silice, seu crystallo extracti benedictionem medio Seculo VIII. quo claruit Zacharias Pontifex, ignoratam fuisse Romanæ Ecclesiæ; viguisse tamen in aliquibus locis, & maxime in Galliis, probat Bonifacii interrogatio, ad quam Zacharias respondit. Benedici consuevisse Romæ novum ignem, testatur inter alios Gregorius Papa IV. in Homilia de Cura pastorali, sic inquiens: *In Sabbato Paschæ, extincto veteri, novus ignis benedicatur, & per populum dividatur, & aqua similiter.* Hora sexta factum Romæ novum ignem, ac Cereum etiam benedictum, docet Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XLIII. *Ad sextam Sabbati Sancti efficitur novus ignis, & Cereus benedicitur.* Ex præscripto Ordinis Romani XII. Cap. XIV. *in Sabbato Sancto hora sexta* efficiebatur *novus ignis in Atrio ante portas Lateranensis Ecclesiæ* & benedicebatur *a juniori Presbyterorum Cardinalium cum incenso, & aqua benedicta.*

II. Notatu plane dignum est, quod de eadem re præscribit Romanus Ordo XIV. Cap. XCIV. *Sabbato Sancto*, inquit, *hora sexta a Ministris Ecclesiæ ignis excutitur de crystallo, sive lapide, & accenditur &c.* Similia habet Ordo XV. Cap. LXXVIII. *Ipsa etiam die*, nempe Sabbati Sancti, *extrahitur ignis novus de crystallo, vel lapide, & benedicitur in Capella, præsente Domino Papa, per juniorem Presbyterum Cardinalem sacris indutum vestibus, cum Cruce, aqua benedicta, & incenso, legendo Orationes.* Additque mox: *Ignis benedicitur, antequam Papa veniat ad Capellam.* Quæ postrema verba laudati Ordinis jam minime iis cohærent, quæ paulo superius dixerat, nempe ignem benedici, *præsente Domino Papa, per juniorem Presbyterum Cardinalem.* Jam ante Ordinis hujus præscriptum, Ordo XIV. edixerat, quod *junior Presbyterorum Cardinalium sacris indutus vestibus, cum Cruce, aqua benedicta, & incenso benedicit novum ignem*, cum Orationibus scilicet, *Deus qui per Filium tuum, angularem &c. Domine Deus, Pater Omnipotens, lumen indeficiens &c. Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicentibus nobis &c. Veniat quæsumus Omnipotens &c.* quæ Orationes extant hodieque in Missali Romano, earumque postrema dicitur quidem ex præscripto ejusdem Missalis, cum benedicit Sacerdos quinque grana incensi ponenda in Cereo. Porro mirum videri posset, quod in ipsis Romanis Ordinibus XIV. & XV. dicatur ignis excuti de crystallo, sive lapide, cum hoc non probet Zacharias Pontifex in recitata sua ad Bonifacium Moguntinum Epistola. Ceterum ex rubrica Romani Missalis, ubi agitur de Sabbato Sancto, *excutitur ignis de lapide, & accenditur*; ad eumque ritum alludit Oratio, quam ad benedicendum novum ignem dicit Sacerdos: *Deus qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, claritatis tuæ Fidelibus ignem contuliisti productum ex silice &c.* Ecclesiæ Florentine morem olim fuisse ignem ipsum excutere ex silice Jerosolymis allato, docet Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIV. Num. III.

III. Præter ignis novi benedictionem benedici etiam consuevit incensum, variasque de ipsa benedictione Orationes descripsit ex antiquis Missalibus laudatus Martene.

§. III.

De accessu Papæ ad Capellam, & Paschalis Cerei benedictione.

Papa deinde venit ad Capellam indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea cum Pluviali rubro, & Mitra simplicibus, & facta Oratione in Faldistorio ante Altare, ascendit ad Sedem, ubi fit ei reverentia a Cardinalibus; & cum accedit primus Presbyter, accedit etiam Cæremoniarius cum thuribulo, & Papa imponit incensum more solito; cum quo incenso itur ad parvam Capellam, vel extra locum, ubi fit Capella, hoc modo. Primo procedit Cæremoniarius, quem sequuntur Capellani duo Celebrantis, quorum alter a sinistris nihil tune defert, alter vero a dextris in dextra thuribulum, & in sinistra navieulam portat cum incenso; & (1) inter illos Subdiaconus Capellæ omnibus paramentis indutus,

(1) *Ly inter* deest in editione Romana, sed legitur tamen in Veneta editione prima, & Colonienſi.

Digitized by Google

dutus, in quibus debet in Altari miniſtrare, portans Crucem, cujus imaginem ante ſe vertit. Sequuntur ipſum Diaconus Dalmatica alba indutus, & quatuor Capellani Celebrantis; ſic vadunt ad Capellam parvam, vel ad locum deputatum, ubi Diaconus accipit arundinem cum tribus candelis in ſummitate illius ibi paratam, & revertuntur ad Capellam Papæ hoc ordine. Procedit Thuriferarius cum ſocio portante in quodam (1) bacili quinque illa magna grana incenſi benedicti; quos ſequitur Subdiaconus cum Cruce, & illum Diaconus cum arundine, ad cujus ſiniſtram ſtat Cæremoniarius candelam parvam accenſam de novo igne in manu portans, quem ſequuntur alii quatuor Capellani prædicti. Cum pervenerint intra portam Capellæ, inclinet arundinem Diaconus, & Cæremoniarius accendit unam ex illis tribus candelis deſuper poſitis, & ille elevans arundinem genuflectit, ſimiliter & omnes alii cum eo, & cantat ipſe ſolus, *Lumen Chriſti*, quod dum dicit, Papa, & Celebrans cum Mitris, ac omnes alii, qui ſedebant, ſurgunt, & manent ſic erecti, quouſque tertio dictum fuerit. Cantores reſpondent, *Deo gratias*. Procedunt deinde intra portam cancelli, & ibi reverſus accenditur alia candela, & intrant Cancellum cum Cruce, ubi altius dicitur per Diaconum, *Lumen Chriſti*, & reſpondetur, ut ſupra. Tertio procedunt ante Papam, & Altare, ubi accenditur tertia candela, & ibi genuflexus Diaconus verſus ad Altare, iterum altius dicit, *Lumen Chriſti*; reſpondent Cantores, ut ſupra. Deinde in eodem loco Diaconus dat arundinem uni ex illis quatuor Capellanis eum ſequentibus, qui ibidem cum Subdiacono Crucem tenente, ac Thuriferario, & aliis Capellanis expectant. Diaconus vero accipit Librum Evangeliorum, & ante infimum gradum Sedis Papæ genuflexus petit benedictionem a Papa, Cæremoniario tantum ipſum comitante; qua habita, accedit ad pulpitum, ponit Librum ſuper illud, quem deinde incenſat, ut fit in Evangelio. A dextris Diaconi ſtent Subdiaconus cum Cruce, & Thuriferarius, a ſiniſtris vero ille Capellanus cum arundine, & alius Capellanus tenens in vaſe quinque grana incenſi benedicti figenda in Cereum. Tunc Diaconus verſa facie ad Papam cantat, *Exultet jam &c.* Quo incepto, deponitur Mitra Papæ, & Celebranti, & ſurgunt omnes, ut ad Evangelium, ſtantes uſque, *In hujus igitur &c.* Tunc dimiſſo cantu per Diaconum, Cæremoniarius porrigit ei unam candelam accenſam, cum qua Diaconus accendit (2) illa quinque grana incenſi, & infigit unum poſt aliud in Cereum in modum Crucis, itaut Crux verſa ſit ad Pontificem. Deinde (3) proſequitur cantum ſuum uſque ad, *Qui licet ſit diviſus*; tunc interim cantu dimiſſo, Diaconus accipit arundinem, & accendit Cereum, deinde cantum ſuum proſequitur uſque ad finem.

COMMENTARIUS.

I. BEnedictionem novi ignis peragi conſueviſſe a juniore Presbyterorum Cardinalium ſacris veſtibus indutum, cum Cruce, aqua benedicta, & incenſo, jam ſuperius diximus ex teſtimonio Romani Ordinis XIV. Cap. XCIV. & Ordinis XV. Cap. LVIII. in quorum altero etiam habetur, benedici ignem, *antequam Papa veniat ad Capellam*. Ex præſcripto utriuſque Ordinis, licet ipſemet Pontifex celebraret hac die Miſſarum ſolemnia, benedicebat nihilominus junior ipſe Cardinalis Presbyter novum ignem, atque incenſum. Cohæret itaque noſtrum Cæremoniale antiquis Romanis Ordinibus, ubi in hoc §. edicit, *quod Papa deinde venit ad Capellam, indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, cum Pluviali rubro, & Mitra ſimplicibus, & facta Oratione in Faldiſtorio ante Altare, aſcendit ad Sedem, ubi fit ei reverentia a Cardinalibus*, Sed audiamus laudatum Ordinem XV. Romanum, ubi & acceſſus Pontificis ad Capellam hac die, & reverentia eidem a Cardinalibus exhibenda luculentiſſime exprimitur his plane verbis: *Hora vero debita, omnibus prædictis primo completis, ut dictum eſt, Papa indutus Manto rubeo, & cum Mitra prædicta* (plana ſcilicet, & alba de garnello ſine aurifriſiis, & perlis, ut paulo ſuperius dixerat) *venit ad Capellam, eum aſſociantibus Cardinalibus, qui ſunt ibi in Camera cum eo præſentes, cum duobus antiquioribus Diaconis Cardinalibus ſibi aſſiſtentibus, ut moris eſt, uno a dextris, & alio a ſiniſtris; & depoſita ſibi Mitra per Diaconum Cardinalem, qui eſt a dextris ejus, flexis genibus orat aliquantulum ante Altare, ubi eſt Cathedra cum ſcabello, & pulvinari parata; & facta Oratione, ſurgit, & vadit ad Sedem ſuam magnam quodam panno nobili coopertam, & depoſita ſibi Mitra, ſedet. Deinde veniunt Cardinales more ſolito ad reverentiam Papæ*. Eadem totidem verbis leguntur in ms. Codice Pierſanctiano, & in Cæremoniali ms. Brunonis Joannis de Davantria Trajectenſis Diœceſis, atque in aliis non paucis.

II. Exhibita Papæ reverentia per Cardinales, itur deinde ſolemni proceſſione ad benedictio-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur, *in quodam vaſe*. (2) In eiſdem legitur *accedet*. (3) In Romana perperam legitur, *quo ſequitur*.

Digitized by Google

ctionem Cerei Paschalis, quæ quidem pervetusta est in Ecclesia, eamque institutionem Zosimo Papæ tribuunt Amalarius, Lib. *De Divinis Officiis*, Cap. XVIII. vulgatus Alcuinus, Rabanus, Valafridus Strabo, Micrologus, Honorius Augustodunensis, Rupertus Abbas Tuitiensis, Durandus, aliique Auctores, atque varii antiqui Libri Missales. Sane Zosimo, qui creatus fuit Romanus Pontifex Maximus anno CDXVII. tribuit Liber Pontificalis, quod licentiam benedicendi per singulas Parochias Cerei Paschalis concesserit. Quod tamen non ita intelligendum inquit Cardinalis Baronius, quasi Zosimus, Paschalis Cerei usum primus instituerit, sed illud tantum a Zosimo institutum, ut idem Cereus, qui in majoribus tantum Basilicis incendi soleret, eque singulis Parochis concederetur. Antiquiorem enim fuisse in Ecclesia ejusdem Cerei benedictionem, ex Prudentio, qui de eo Hymnum compositi, docet inter alios Pagius in laudati Zosimi Vita, Num. x additque Num XI. hanc Cerei Paschalis benedictionem cecinisse S. Augustinum, cum adhuc Diaconus esset, ut legitur in Sacramentario Gallicano a Mabillonio tomo I. Musei Italici publicato, non vero cum ordinatus fuit Presbyter a Valerio Episcopo Hipponensi, ut volunt Rivius in ejus Vita, & Gretzerus, Lib. I. *De benedictionibus*, Cap. XXXI.

III. Teste Edmundo Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XXIV. Num V. in veteri Codice Ecclesiæ Noviomensis annorum circiter mille, & in Missali Gallicano ejusdem ætatis, quod ex ms. Codice Bobiensi edidit memoratus Mabillonius loco citato, atque in Gothico Gallicano Missali, quod ante annos mille exaratum publici juris fecit Religiosissimus S. R. E. Cardinalis Thomasius, legitur: *Benedictio cereæ Beati Augustini Episcopi quam, adhuc Diaconus cum esset, edidit, & cecinit feliciter*, idest, *Exultet jam Angelica turba Cælorum &c* Huic opinioni favet id quod idem Augustinus, Lib. XV. *De Civitate Dei*, Cap. XXII. scripsit: *In laude quadam Cerei*, inquit, *breviter Versibus dixi*.

Hæc tua sūt, bona sūt, quia tu bonus ista creasti.
Nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes.

Sane non mirum, si desiderentur in benedictione Cerei Paschalis, quæ nomen Augustini præsefert; emendata enim fuit benedictio ipsa, uti docet vetus Pontificale insignis Ecclesiæ Pictavensis, ubi ita inquit apud laudatum Martene: *Usum benedicendi Cereum a Beato Augustino repertum tradit Ecclesia, qui benedictionem illius perficiens, a Sancto Hieronymo reprehensus est, cur Virgiliana verba inseruerit, sed sicut a Beato Hieronymo emendata tunc fuit, ita nunc per Ecclesias canitur.*

IV. Duplex benedictio Cerei Paschalis, nec inelegans habetur quidem apud Ennodium Diaconum Ticinensem; verum utraque ab ea, quam adhibere solet Ecclesia, omnino diversa. Sunt qui ejus benedictionis formam, qua hodieque Ecclesia Romana utitur, S. Ambrosio adscribunt, ut inter alios Honorius Augustodunensis in sua Gemma animæ, Lib. III. Cap. CII. & Durandus in Rationali Divinorum Officiorum Lib. VI. Cap. LXXX. docent. Verum in Ordine Missæ Ambrosianæ principium quidem ejus iisdem verbis descriptum est, sed reliquus textus longe a Romano dissidet. Quidquid sit, addubitari nequit, uti jam notavimus Tomo II. Commentariorum Cæremonialis Episcoporum Lib. II. Capite XXVII. in Commentario ad §. IX. Num. IV. quin benedicendi Paschalis Cerei ritus sit antiquissimus, tametsi non ubique receptus, aut retentus, uti addiscimus ex Concilio Toletano IV. anni DCXXXIII. Can. IX. qui ita inquit: *Lucerna, & Cereus in prævigiliis Paschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, & cur a nobis benedicantur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter hæc benedicimus, ut Sacræ Resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione sanctificati luminis accipiamus Et hæc quia observatio per multarum loca Ecclesiarum, regioneſque Hispaniæ in Ecclesiis commendatur, dignum est, ut propter unitatem pacis in Gallicanis Ecclesiis conservetur.* Hactenus Canon Concilii IV. Toletani, ex quo addiscimus, una cum Cereo benedici olim consuevisse & Lampadem, qua Cereus scilicet accendebatur; ait enim, *Lucerna, & Cereus in prævigiliis Paschæ &c.* Id, quod etiam legitur in Missali Mozarabico, in quo primo habetur benedictio Lucernæ, & deinde sequitur Cerei benedictio, ut notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Libro II. Cap. LXVI.

V. Singulare autem in hac benedictione illud est, quod ex antiquo ritu fieri debeat per Diaconum, qui est minoris Ordinis, etiam præsente Episcopo, vel Sacerdote, imo & ipso Pontifice Maximo, ut docent passim antiqui Auctores, & habetur in Ordine Missæ Ambrosianæ, & in antiquis Romanis Ordinibus, in quorum primo, Cap. VII. non modo ejus ritus, sed & aliorum plurium fit mentio, quibus noster §. quammaxime illustratur: *Hora nona*, inquit, *ingrediuntur Sacrarium Pontifex, Sacerdotes, & ceteri, & induunt se vestimentis, cum quibus Vigilias celebrare debent, & accenso Cereo, procedunt simul omnes de Sacrario cum ipso Cereo in Ecclesiam cum silentio, nihil cantantes, & ponitur in Candelabro ante Altare; & unus Diaconus rogat unum de Sacerdotibus, vel Levitis, qui ibidem revestiti adstant, pro se orare; &, ut surrexerit, dicit ipse Diaconus:* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo, & *dicit Orationem, sicut in Sacramentorum*, Libro scilicet, *continetur.* Postea *sedent Pontifex, & Sacerdotes in sediculis suis. Diaconi permanent stantes. Ipsa expleta, dicit:* Dominus vobiscum. *Resp* Et cum spiritu tuo. *Inde:* Sursum corda. *Resp.* Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. *Resp.* Dignum & justum est. *Inde vero accedit ad consecrationem Cerei, decantando quasi Canonem. Inde vero accenduntur in duobus candelabris duo Cerei, & de ipso igne accendunt in omni Domo, quia omnis anterior extingui debet.* Porro in Additamento hujus I. Ordinis Cap. III. Num. IX. aliter postrema laudati Romani I. Ordinis verba leguntur. Sic enim inquit: *Sabbato Sancto veniunt omnes in Ecclesiam, & tunc inluminantur duo Cerei, tenentibus duobus Notariis, unus in dextro cornu Altaris, & alter in sinistro.* Quæ qui-

Digitized by Google

quidem totidem verbis, Libellum Romanum, ideſt Romanum Ordinem citans, refert Amalarius, Lib. I. Cap. XX.

VI. Cereum a Diacono benedici, jam & alii Romani Ordines, & antiqui Auctores, ac Rituales Libri paſſim teſtantur, addique eidem poſsunt illa ipſius benedictionis verba, *Ut qui me non meis meritis intra Levitarum numerum dignatus eſt aggregare &c.* ex quibus conſtat, a prima ſua inſtitutione ipſam Cerei benedictionem ad Diaconum pertinere. Cæterum cur a Diacono benedici ſoleat, & quidem ex pervetuſto ritu, & a prima, ut dictum eſt, inſtitutione, rationem reddunt Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CIX. Rupertus Abbas Tuitienſis, Lib. VI. *De Divinis Officiis*, Cap. XXX. Durandus in ſuo Divinorum Officiorum Rationali, Lib. VI. Cap. LXXX. & poſt eos Sacerdotale Romanum, Parte III. quia ſcilicet Chriſtus reſurgens ex mortuis, primo ſeſe obtulit, & oſtendit mulieribus, per quas utpote quæ erant ſexus debilioris, gloriam ſuæ reſurrectionis Diſcipulis ſuis nunciavit: *Benedicitur quidem, etiam præſente Epiſcopo, vel Sacerdote, a Diacono, qui eſt minoris Ordinis, quia Chriſtus reſurgens a mortuis, primum Mariæ Magdalenæ ſe manifeſtans, voluit per debiliorem ſexum gloriam ſuæ Reſurrectionis Apoſtolis nuntiari, ut ſicut noſtræ mortis initium per mulierem in mundum intraverat, ita & reparationis initium per mulierem in mundo nunciaretur.* Verba ſunt Durandi loco citato, eaque ex Beletho deſcripſit. Quicquid autem de hac explicatione ſit, licet ex pervetuſta, & conſtanti Romanæ Eccleſiæ, & aliarum pene omnium traditione Paſchalis Cereus a Diacono benedicatur, in Ravennenſi tamen Eccleſia ipſa benedictio ab ipſo Epiſcopo peragi ſolebat, ut addiſcimus ex teſtimonio S. Gregorii Papæ, qui Lib. IX. Epiſtola XVIII. Mariano Epiſcopo ſcribens, jubet, ut propter graves, quibus ille laborabat, infirmitates, *preces, quæ ſuper Cereum in Ravennatis Civitate dici ſolent, vel expoſitiones Evangelii, quæ circa Paſchalem Solemnitatem a Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur*; quas proinde ſi convaluiſſet, ipſe Marianus Epiſcopus dixiſſet.

VII. Ergo Diaconus benedictionem Cerei Paſchalis peragit, *Dalmatica alba indutus*, ut juxta antiquas rubricas ait hic noſter §. ex cujus etiam præſcripto, poſito a Papa incenſo in thuribulo, itur ad parvam Capellam, vel extra locum, ubi fit Capella, hoc modo. Primo procedit Cæremoniarius, quem ſequuntur Capellani duo Celebrantis, quorum alter a ſiniſtris nihil tunc defert, alter vero a dextris in dextra thuribulum, & in ſiniſtra naviculam portat cum incenſo, & inter illos Subdiaconus Capellæ omnibus paramentis indutus, in quibus debet in Altari miniſtrare, portans Crucem, cujus imaginem ante ſe vertit. Sequuntur ipſum Diaconus Dalmatica alba indutus, & quatuor Capellani Celebrantis; ſic vadunt ad Capellam parvam, vel ad locum deputatum, ubi Diaconus accipit arundinem cum tribus candelis in ſummitate illius ibi paratam, & revertuntur ad Capellam Papæ hoc ordine. Præcedit Thuriferarius cum Socio portante in quodam bacili quinque illa magna grana incenſi benedicti, quos ſequatur Subdiaconus cum Cruce, & illum Diaconus cum arundine, ad cujus ſiniſtram ſtat Cæremoniarius candelam parvam accenſam de novo igne in manu portans, quem ſequuntur alii quatuor Capellani prædicti. Cum pervenerint intra portam Capellæ, inclinat arundinem Diaconus, & Cæremoniarius accendit unam ex tribus illis candelis deſuper poſitis, & ille elevans arundinem, genuflectit, ſimiliter & omnes alii cum eo, & cantat ipſe ſolus, *Lumen Chriſti*, quod dum dicit, Papa, & Celebrans cum Mitris, ac omnes alii, qui ſedebant, ſurgunt, & manent ſic erecti, quouſque tertio id dictum fuerit. Cantores reſpondent: *Deo gratias*.

VIII. Hactenus noſter §. concinens quidem antiquo Romanæ Eccleſiæ ritui, cujus mentio fit in Romano Ordine XII. Auctore Cencio, Cap. XIV. his paucis verbis: *Pergunt in Eccleſiam cum novo igne poſito in canna, & Diaconus dicit*, Lumen Chriſti, *tribus vicibus; poſtmodum Cereus benedicitur ab ipſo Diacono*. Sed audiendus præ ceteris eſt Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCIV. ubi ritum fuſe deſcribit, ſic inquiens: *Benedicto igne, aſpergatur aqua benedicta, & adoleatur incenſo de ipſo igne in thuribulo poſito. Deinde Diaconus junior Diaconorum Cardinalium, Dalmatica indutus venit, & de manu Miniſtrorum accipit arundinem trium cubitorum, & dimidii cubiti, triplicem candelam, quam de novo igne illuminatam imponit arundini, comitantibus eum Subdiaconibus, Cantoribus, & reliquis de Clero cum populo, præcedentibus Miniſtris cum Cruce, & incenſo, ſtans in porta Eccleſiæ, elevatis paululum manibus, dicit magna voce*: Lumen Chriſti. *Reſpondent alii*: Deo gratias. *Procedit uſque ad oſtium Chori, & elevatis manibus, amplius excelſius dicit*: Lumen Chriſti; *reſpondentibus iterum*: Deo gratias. *Procedit uſque ad medium Chori, & plus elevatis manibus, tertio altius dicit*: Lumen Chriſti; *reſpondentibus omnibus*: Deo gratias. *Aſcendit ad ornatum pulpitum, & illuminato magno Cereo, & incenſato Libro, incipit abſolute benedictionem Cerei*: Exultet jam Angelica turba Cælorum &c. *ſicut in Libris habetur. Omnia luminaria debent eſſe extincta, ut de novo igne accendantur*. Notandum quod & mox ſubjicit, mandans, ut, *interim dum Cereus benedicitur, Pontifex dicat Tertiam, & Sextam in Camera ſua, Nonam vero dicat in Eccleſia*. Ex quo addiſcimus, conſueviſſe ævo ſaltem Jacobi Gajetani Auctoris Ordinis Romani XIV. qui claruit labente Seculo XIII. Cerei Paſchalis benedictione peragi abſente Pontifice.

IX. Variat nonnihil a recitato hactenus Ordine Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, qui claruit labente Seculo XIV. cujus verba hæc leguntur in Cap. LXXVIII. ubi Officium Sabbati Sancti deſcribit: *Reverentia facta*, Pontifici ſcilicet, ut dictum ſuperius fuit, *junior Diaconus Cardinalis, qui debet benedicere Cereum, indutus paramentis albis, videlicet Amictu, Superplicio ſtricto, Alba, Stola, Tunicella, Dalmatica, & Manipulo, exit regias Capellæ, & præcedentibus eum Miniſtris cum Cruce, concomitantibus eum Capellanis, & Cantoribus, & reliquis de Clero, & populo, vadit quaſi ad finem Capellæ, & recipit de manu Aco-*

Digitized by Google

Acolythi, vel Miniſtri arundinem trium cubitorum, & dimidii cubiti triplicem candelam accenſam de novo igne illuminatam habentem, & ibi genuflectendo arundini, elevatis paululum manibus cum arundine, dicit cantando, Lumen Chriſti; *& reſpondentibus omnibus aliis,* Deo gratias, *vadit quaſi ad portam regiarum dictarum, & ibi ſecundo genuflectit, & plus ſolito manibus elevatis, vocem magis elevando dicit,* Lumen Chriſti; *& omnibus reſpondentibus,* Deo gratias, *poſtmodum vadit uſque ante Altare, & ibi tertio genuflectit, & plus elevatis manibus, elevando vocem, magis dicit,* Lumen Chriſti, *& omnibus reſpondentibus,* Deo gratias, *poſtea aſcendit ad pulpitum adornatum, & abſolute incipit benedictionem Cerei, & cantando dicens, ut ſequitur,* Exultet jam Angelica turba Cælorum, *continuando ipſam benedictionem uſque ad finem; & tempore debito ponuntur per ipſum Diaconum Cardinalem quinque grana incenſi in ipſo Cereo ad modum Crucis. Poſtea tempore debito accendatur Cereus de igne novo prædicto, prout in Rubricis in dicta benedictione poſitis præcipitur, & mandatur.*

X. Eadem fere ad verbum leguntur in ms. Codice Pierſanctiano, & in Cæremoniali ms. Davantriæ, in Rubrica, quæ inſcripta eſt, *Ordo Officii de Sabbato Sancto*, in quibus, ſicut & in citatis Romanis Ordinibus, nulla ſit mentio benedictionis petendæ a Pontifice, vel a Celebrante per Diaconum cantaturum ipſam Cerei benedictionem, ſeu Paſchale Præconium; videturque iccirco primum in hoc noſtri Cæremonialis §. præſcriptum, ut Diaconus, tradita arundine uni ex prædictis quatuor Capellanis, qui una cum Subdiacono Crucem tenente, ac Thuriferario, & aliis Miniſtris apud Altare manent, accipiat Librum Evangeliorum, & ante infimum gradum Sedis Papæ genuflexus, benedictionem petat a Papa, Cæremoniario tantum ipſum comitante, acceptaque benedictione, accedat ad pulpitum, ponat ſuper illud Librum, *quem deinde incenſat, ut fit in Evangelio.* Porro habita benedictione, & incenſato Libro, ut ait hic noſter §. *Diaconus, verſa facie ad Papam, cantat,* Exultet jam &c. *quo incæpto, deponitur Mitra Papæ, & Celebranti, & ſurgunt omnes, ut ad Evangelium ſtantes uſque,* In hujus igitur &c. *Tunc dimiſſo cantu per Diaconum, Cæremoniarius porrigit ei unam candelam accenſam, cum qua Diaconus accendit illa quinque grana incenſi, & infigit unum poſt aliud in Cereum in modum Crucis, itaut Crux verſa ſit ad Pontificem; deinde proſequitur cantum ſuum uſque ad,* Qui licet ſit diviſus; *tunc interim cantu dimiſſo, Diaconus accipit arundinem, & accendit Cereum, deinde cantum ſuum proſequitur uſque ad finem.*

XI. Statuit hæc quidem noſter §. a quo tamen nonnihil diſſentit Rubrica Romani Miſſalis, uti illam legenti patet, & conferenti cum eodem noſtro §. Alicubi, teſte Martene, antequam Paſchalis Cerei benedictionem Diaconus inciperet, ſolebat ille accendi, idque ex Miſſali Albienſi Subdiaconus præſtare debebat. Ex Rubrica ejuſdem Romani Miſſalis Diaconus, dum memorat Imperatorem, advertere debet, ut, ſi non eſt coronatus, dicat, *Reſpice etiam ad Imperatorem electum N.* iſque ritus ſervatur Romæ, ut ſolus Imperator in ipſo Paſchali Præconio nominetur; verum in Regnis aliis Regibus, quam Imperatori ſubjectis, non quidem Imperatoris nomen, ſed Regum ipſorum Regnorum memoratur nomen. Sed his omiſſis, ritus antiqui infigendi Cereo quinque illa grana thuris in modum Crucis, cum ſcilicet dicit Diaconus: *Suſcipe Sancte Pater hujus incenſi Sacrificium veſpertinum,* teſtis eſt in Divinorum Officiorum Explicatione Belethus, & ejus ſequax Durandus Lib VI. Rationalis Divinorum Officiorum, Capite LXXX. ubi etiam ait, quinque grana illa thuris deſignare aromata, quæ mulieres emerunt, ut ungerent Crucifixum, vel ſignificare quinque Redemtoris noſtri plagas in Cruce receptas. Licet autem ex antiquo ritu thuris grana affigantur Cereo ad illa verba, *hujus incenſi Sacrificium veſpertinum*; notat nihilominus poſt cæteros Auctores Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXVI. vocem incenſi ſignificare quidem accenſum Cereum, non vero thus.

XII. Porro de ipſo Paſchali Præconio minime illud eſt omittendum, quod alias diximus in Commentario ad §. X. Capitis XVIII. Lib. II. Cæremonialis Epiſcoporum, nempe, teſte Udalrico in antiquis Conſuetudinibus ſui Monaſterii Lib. I. Cap. XIV. S. Hugonem Abbatem Cluniacenſem juſſiſſe expungi locum illum, ubi peccatum Adæ dicitur neceſſarium, & felix culpa, quod talem ac tantum meruerit habere Redemptorem. Verum, uti ſcite obſervat Martene, non prius S. Hugo ea verba ex benedictione Cerei Paſchalis, nempe, *O felix culpa*, & *O neceſſarium Adæ peccatum*, abraſit, & ne legeretur amplius, interdixit; nam deſiderantur ea quidem verba in vulgato Romano Ordine apud Hitorpium, in Gallicana Liturgia ex Bobienſi ms. antiquo Codice a Mabillonio deſcripta, in veteri Sacramentorum Libro Carnotenſis S. Petri Monaſterii annorum circiter DCC. & in duobus mſs. Codicibus Eccleſiæ Turonenſis annorum utminimum DC. Deſiderari etiam ea verba inquit in duobus mſs. Miſſalibus Bibliothecæ Colbertinæ annorum circiter CD. in Rituali Diœceſis Senonenſis juſſu Cardinalis Borbonii edito, in Remenſi pervetuſto Codice, in Miſſali Tolonienſi, in Melodunenſi, & in Lingonienſi; ſed in hoc ultimo etſi deſiderentur hæc verba, *O certe neceſſarium Adæ peccatum*, ea, quæ ſequuntur, *O felix culpa*, reperiuntur.

XIII. Cerei Paſchalis occaſione quædam hoc loco a nobis jam alias Tomo I. hujus Operis in Commentariis ad Titulum VII. explicata, addenda duxi de Agnis Dei, quæ vel ex iſto Paſchali Cereo, vel ex nova cera benedicta conficiebantur, & Sabbato in Albis diſtribuebantur. Nonnulli exiſtimarunt, Agnos Dei benedicendi uſum Urbano Papa V. antiquiorem non eſſe, ut aſſerit Victorellus in Notis ad Ciaconium in Urbano V. Verum hanc opinionem invicte refellunt non modo idem Victorellus ibidem, ſed & Joſephus Maria Suareſius in Libello Romæ edito anno MDCLVI. qui inſcriptus eſt, *De Baptiſmo Paſchali, & origine, ac ritu conſecrandi Agnos Dei*; in cujus Capite VII. citat Ordinem Romanum a Gelaſio Papa circa annum CDXCII. concinnatum, in quo legitur: *Mane itaque primo venit Archidiaconus in Eccleſiam, & fun-*

Digitized by Google

fundit ceram in vas mundum majus, & miſcitat ibidem oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum, & ſervat in loco mundo. Hæc Titulo, *De Sabbato Sancto*, ſeu de Ordine benedicendi Cerei. Et poſtea in Titulo, *In Octavis Paſchæ*, hæc leguntur: *In Dominica poſt Albas infra Civitatem Romanam dantur Agnus Dei ab Archidiacono poſt Miſſam, & Communionem populo, & ex eis faciunt infra domos ſuas incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacumque neceſſitate.* Eadem verba leguntur in Appendice Ordinis Romani I. omnium, quos publicavit Mabillonius Tomo 1. Muſei Italici, antiquiſſimi, ab Amalario paſſim laudati. Ejuſdem ritus alii quoque ſequioris ævi Romani Ordines meminere, quos ſupervacaneum eſt hoc loco deſcribere, cum de ipſo ritu conficiendi, ac benedicendi, & diſtribuendi Agnos Dei ſatis jam in citato ſuperius Commentario dixerimus.

§. IV.

De Lectionibus, & Orationibus.

Quo finito, revertitur ad Altare, quilibet ad locum ſuum, ubi Diaconus exuitur Dalmatica, & capit Planetam plicatam ante pectus. Interim Clerici Capellæ ponant pulpitum nudum in medio Capellæ verſum ad medium Altaris, prout in Matutinis noctis Natalis Domini poni ſolet, & ſuper illud Librum Epiſtolarum, ex quo cantantur Prophetiæ. Faldiſtorium ponatur ad cornu Epiſtolæ Altaris, ſuper quo ſedet Celebrans verſus ad cornu Evangelii. Tunc Cæremoniarius conducit cum debitis reverentiis unum ex Cantoribus Superpellicio indutum ad pulpitum prædictum, qui, facta reverentia Altari, & Papæ, dicit Prophetiam ſine Titulo. Deinde, factis reverentiis, oſculatur pedem Pontificis, & redit ad locum ſuum. Celebrans vero, finita Prophetia, ſurgit, & amoto Faldiſtorio, cantat Orationem, prout in Ordinario. Eodem modo cantenrur aliæ undecim Prophetiæ per Cantores.

COMMENTARIUS.

I Cerei Paſchalis benedictionem ſequuntur Lectiones ad Catechumenorum inſtructionem olim recitatæ, quæ tamen antiquitus præceſſiſſe aliquando videntur, uti obſervat Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXIV. Num. XXIII. ubi affert locum antiqui Romani Ordinis, ad uſum Corbejenſis Monaſterii ante annos DCCC. accommodati, in quo inter alia hæc leguntur: *Et interrogavimus nihilominus Dominum Apoſtolicum Adrianum ſecundum veſtra mandata, ſi in Paſchali Sabbato debent flecti genua, dum Lectiones recitantur, & ipſe reſpondit, hoc debere omnimodis fieri. Cui cum diceremus, & quomodo Sacerdotes, & Miniſtri, ſeu Clerus cum Stolis, & Planetis poſſunt in terram proſterni? Ille adjecit, non debere Sacerdotes, vel Miniſtros, ſeu Clerum Stolis prius, Planetiſque veſtiri, niſi tunc demum, cum lumen novum introducitur, ut Cereus benedicatur.* Ex his patere, inquit Martene, Lectiones olim pronunciatas fuiſſe ante Cerei benedictionem, prò qua Sacerdotes, & Miniſtri, ſeu Clerus Stolis, & Planetis veſtiebantur. Eundem fuiſſe ait uſum Eccleſiæ Lugdunenſis, & Biſuntinæ. Quod tamen reſpondit Adrianus, ad Lectiones, ſive ad Orationes, quæ Lectionibus ſubjiciuntur, flectenda eſſe genua, ſubdit mox idem Martene, in Galliis haudquaquam receptum, aut ſaltem diu non fuiſſe obſervatum: *Nam omnes ad unum antiqui noſtri Rituales, atque Miſſales hujuſmodi genuflexionem fieri vetant, quam etiam ad Lectionem, quæ agit de Nabucdonoſor, qui impie ad ſtatuam ſuam auream genuflecti præcepit, prohibet Pontificale Apamienſe.* Sed & jam longe ante idipſum prohibuit Ordo Romanus X. apud Mabillonium, ut nos infra dicemus.

II. Si pervetuſtos editos Romanos Ordines inſpiciamus, docet nos quidem omnium primus, Capite VII. poſt Cerei benedictionem dictas fuiſſe ipſas Lectiones non modo Latine, verum etiam primo Græce: *Deinde*, poſt benedictionem Cerei, *Lector exuit ſe Planeta, aſcendens in Ambonem, non pronunciat*, Lectio Libri Geneſis, *ſed inchoat ita*, In principio fecit Deus Cælum, & terram; *nam & reliquæ omnes ſic inchoantur. In primis Græca legitur, deinde ſtatim ab alio Latina. Tunc primum ſurgens Pontifex dicit*, Oremus, *& Diaconus*, Flectamus genua, *deinde*, Levate, *& datur Oratio a Pontifice, & legitur Lectio Græce*, Factum eſt in vigilia matutina, *& ab ipſo cantatur Canticum hoc Græce*, Cantemus Domino. *Poſt hæc aſcendit alius, & legit ſupradictam Lectionem Latine, & Canticum cantat ſupraſcriptum Latine. Deinde Pontifex ſurgens dicit*, Oremus, *& Diaconus, ut ſupra, & datur Oratio. Poſt hoc legitur Lectio Græce*, Apprehendent ſeptem mulieres, *& ab ipſo cantatur Canticum Græce*, Vinea. *Deinde aſcendit alius legere ſupraſcriptam Latine, Canticum Latine cantat ſupraſcriptum; & Pontifex*, Oremus. *Diaconus, ut ſupra. Et iterum legitur Lectio Græce*, Scripſit Moyſes Canticum, *& alius aſcendens legit eam Latine. Deinde Pontifex, vel Diaconus, ut ſupra. Poſt hoc cantatur Pſalmus*, Sicut cervus, *Græce, & alius ipſum Pſalmum Latine.* Ita Ordo I. Romanus.

III. Longe luculentius eundem ritum recenſet Romanus Ordo X. in eo Capite, quod inſcriptum

Digitized by Google

ptum est, *In Sabbato Sancto*, Num. XVII. cujus hæc ad rem nostram sunt verba: *Dum Cereus benedicitur, Pontifex cum Cardinalibus, & ceteris Scholis procedit ad Altare, & facta reverentia ascendit ad ornatam Sedem. Subdiaconus vero, finita benedictione Cerei, ascendens Ambonem, incipit legere sine titulo*, In principio Deus creavit Cælum, & terram. *Eo vero completo, si Dominus Papa velit, Græcus Subdiaconus eandem Lectionem Græce relegit; qua expleta, dicit Pontifex*, Oremus. *Diaconus*, Flectamus genua, *& post paululum*, Levate, *& vicissim dicant Diaconi, si plures sunt*, Flectamus genua, *&*, Levate. *Deinde sequitur Oratio, & sic per ordinem* XII. *Latine, &* XII. *Græce, sicut Domino Papæ placet, vicissim leguntur. Cum autem ventum fuerit ad Lectionem, qua legitur Nabucodonosor, ad illam Orationem, quæ sequitur, dicitur*, Oremus, *& non*, Flectamus genua, *eo quod Rex ille omnem populum sub ditione coegerat flectere genua ante statuam auream, quam erexerat; quod Ecclesia reputans factum in contemptum Dei Omnipotentis, post illam orationem non flectuntur genua*. Varia ex recitato hactenus loco addiscimus. I. Lectas fuisse Lectiones in Ambone. II. Primum latine, ac deinde Græce, modo Pontifici placuisset. III. Duodecim numero lectas fuisse in Romana Ecclesia, licet in aliis alius fuerit ritus servatus, teste Beletho in sua Divinorum Officiorum Explicatione, Cap. CVI. ubi ita scribit: *Tandem vero viginti quatuor in quibusdam Ecclesiis leguntur Lectiones. At Romæ quidem hoc pacto fieri solet, ut duodecim recitentur Græcæ, & totidem Latinæ. In nonnullis autem Ecclesiis legunt tantum duodecim, & in nonnullis dumtaxat septem. At qui viginti quatuor legunt, duodecim ob id Græce recitant propter auctoritatem Septuaginta Interpretum, quorum auctoritas quondam in Græcia maxime floruit, atque etiam in illa parte Italiæ, quæ magna olim dicebatur Græcia*, Calabria scilicet, in qua etiam ritus Græcus diu viguit, ut nos jam alibi notavimus.

IV. Pergit Belethus, aitque, ideo duodecim Lectiones dici Latine, *propter auctoritatem translationis Hieronymi; in minimis tamen Ecclesiis non haberi, nisi sex, ob senarium numerum, qui quodammodo perfectus est*. Observat præterea Durandus in suo Rationali, Lib. VI. Cap. LXXXI. *Lectiones in quibusdam Ecclesiis legi quatuor, in quibusdam sex, in quibusdam duodecim, & in quibusdam quatuordecim.* Certe quatuor Lectiones, & non plures recensent Amalarius Lib. I. Cap. XIX. vulgatus Alcuinus, Rupertus Abbas Tuitiensis, Codex Ecclesiæ Turonensis annorum circiter CM. alter ejusdem Ecclesiæ Codex annorum DCC. Ordinarum Lugdunense, Pontificale Argentinum, Missale Arelatense, Parisiense, Bituricense, Autissiodorense, Pictaviense, Gladatense, Sarisberiense, Catalaunense, itemque Ordinarium Remense, Silvanectense, Laudunense, Cenomanense, & Canonicorum Regularium Cruciferorum, ac Rituale Suessionense. Lectionem quintam addit unus Codex Turonensis annorum circiter CM. Ordinarium Uticense, Carnotense S. Joannis, & Gastinense, cum Missali Tholonienſi. Sex exhibet Codex ms. Bibliothecæ Colbertinæ Num. 6198. cum Missali Tolosano. Totidem leguntur in Missali Ambrosiano, totidemque Gregorii Sacramentarium a Menardo editum continet. Missale Rhodonense S. Melanii octo Lectiones recenset. Ordo Gelasianus duodecim habet, qui numerus extat in vetustissimo Codice Luxovienſi Lectiones antiquæ Liturgiæ Gallicanæ continente, itemque in Missali Mozarabum, in Missali Narbonensi, & Augustodunensi, atque in antiquo Codice insignis Monasterii S. Dionysii in Francia annorum circiter CM. Sane si vetustissimo Pontificali Pictavienſi fides sit, qui Gregorianum Ordinem sequebantur, quatuor dumtaxat pronunciabant Lectiones; duodecim vero qui Gelasianum, tametsi Ordo ipse Gelasianus decem dumtaxat Lectiones contineat.

V. Porro quod de Lectionibus Græce, ac Latine recitatis Romæ dicitur, in memoriam revocat id. quod de Benedicto III. qui creatus fuit Romanus Pontifex anno Christi DCCLV. scribit Anastasius in ejus Vita, quod scilicet Lectionum, quæ per cunctas Ecclesiarum Stationes leguntur, *volumen præparare studuit, in quo Græcas, & Latinas Lectiones, quas die Sabbato Sancto Paschæ, simulque & Sancto Pentecostes, Subdiaconi legere soliti sunt, Scripturas adjungi præcepit, miræque operationis tabulis argenteis decenter adornans, Sanctæ Ecclesiæ Romanæ libenter obtulit.* Quod autem dicit Belethus, duodecim Lectiones Græce, & totidem Latine fuisse recitatas, hoc est, viginti quatuor, confirmatur ex superius citato Apamiensi Pontificali, in quo idem reperitur. Verum in Romano I. Ordine, cujus etiam locum superius descripsimus, quatuor dumtaxat Græcæ cum quatuor Latinis, idest, octo recensentur. Scribit etiam Durandus, ex his, qui duodecim pronunciant Lectiones, aliquos sex Græce, totidemque Latine cantare. Hic autem ritus, ut scite notavit citato loco Martene, Num. XIX. Romanæ Ecclesiæ singularis non extitit, nam & in Casinensi Monachorum Benedictinorum Monasterio Lectiones olim in Vigiliis Paschæ, & Pentecostes Græce, & Latine legebantur, uti testatur Leo Marsicanus in Casinensi Chronico Lib. I. Cap. XXXII.

VI. Sequioribus etiam Sæculis viguisse Romæ eum ritum canendi ipsas Lectiones Latine, & Græce arbitrio Pontificis, testes sunt Ordines Romani sequentes. Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XLIII. ita quidem habet: *Leguntur duodecim Lectiones Latine, & duodecim Græce &c.* Eadem habentur in Ordine XII. Cap. XIV. Num. XXX. Ex præscripto Ordinis Romani XIV. Cap. XCIV. *finita benedictione Cerei, Subdiaconus ascendens Ambonem, incipit legere Lectionem sine titulo*, In principio creavit Deus Cælum, & terram. *Eo vero complente, si Dominus Papa velit, Græcus Subdiaconus eandem Græce relegit &c.* His concinit Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Capite LXXVIII. his verbis: *Unus de Clericis Capellæ seu Acolythus vadit ad pulpitum nudum, ubi debet esse Liber Epistolarum paratus ad legendum Lectiones, & absolute sine titulo incipit, & legit Lectionem*, In principio creavit Deus Cælum, & terram &c. *& ipsa Lectione finita, si*

Digitized by Google

ſi Papa velit, Græcus Diaconus legit eam in Græco. Similia his legere eſt in ms. Pierſanctiano Codice, atque in aliis. Ex quibus omnibus addiſcimus, prædictum ritum legendi Latine, & Græce ipſas Lectiones uſque ad finem Sæculi XIV. duraſſe, ſublatumque demum fuiſſe Sæculo XV. quo ordinatum a Patricio fuit hoc Cæremoniale, quod nos primi perpetuis Commentariis illuſtramus, omniaque in eo contenta conati ſumus non ſine ingenti labore ad ſuam primam originem revocare.

VII. Præteriri nequit quod & in §. ultimo Capitis hujus edicitur: *Notandum*, inquit, *quod felicis recordationis Sixtus Papa Quartus ordinavit, quod Cardinales dicerent Prophetias ſupradictas, primam junior Cardinalis, ſive Diaconus eſſet, ſive Presbyter, aliam ſequens, & ſic de aliis continue gradatim aſcendendo uſque ad nonam incluſive, decimam Cardinalis aſſiſtens a ſiniſtris, undecimam a dextris aſſiſtens, duodecimam dixit Sanctitas ſua, & hæc ordinatio fuit tempore ſuo obſervata, poſtea dimiſſa; quia non videbatur dignitati Apoſtolicæ convenire, ac quadrare Cæremoniis Papalibus, & debitis*. Teſte Burchardo ad annum Chriſti MCDLXXXVI. *Cantores cantarunt omnes Prophetias, quia Sanctiſſimus Dominus noſter* Innocentius nempe VIII. qui tunc temporis Eccleſiam regebat, *ita voluit, quia noluit, illas per Cardinales cantari, prout Sixtus*, ſcilicet quartus, ut ſupra diximus, alias ordinaverat. Ita Burchardus, qui etiam mox errorem recenſet eo anno in cantanda X. Oratione commiſſum: *Loco decimæ Orationis poſt decimam Prophetiam per errorem meum, quia verti duo folia Miſſalis, Cardinalis celebrans cantavit undecimam Orationem, ſed deinde loco undecimæ dixit decimam*. Sed hujuſmodi errores paſſim notantur in ipſis Apoſtolicorum Cæremoniarium Diariis, ut non uno in loco obſervavimus. Porro quod ait §. noſter, poſt finem Lectionis oſculandum pedem Pontificis, præſcriptum jam antea fuit in Ordine XV. Romano Capite LXXIX. *Lector poſt finem ſuæ Lectionis vadit ad oſculandum pedem Papæ*. Idem legitur in ms. Codice Pierſanctiano, & in aliis.

§. V.

De Litaniis.

Finita duodecima Prophetia, & Oratione, in qua non dicitur, *Flectamus genua*, bene tamen dicitur, *Oremus*, Papa deſcendit ad Faldiſtorium, ſupra quod procumbit cum Mitra, retinens illam per totam Litaniam. Celebrans vero, depoſita Mitra, & Planeta, aſſociatus a Diacono, & Subdiacono vadit ad ſcabellum ad ſiniſtram paratum, ſupra quod ſimiliter procumbit, & duo ex Cantoribus cantant Litanias, prout in Libro, genuflexi ante ſcabellum poſitum poſt Pontificem in medio Capellæ, ſupra quod Librum tenent. Cum perventum fuerit ad, *Peccatores te rogamus &c.* Papa ſurgit, depoñit Mitram, & Pluviale violaceum, & accipit album precioſum, & Celebrans cum Miniſtris revertitur ad Faldiſtorium, ubi deponit violacea paramenta, & accipit alba. Idem faciunt Miniſtri. Forerii (1) deponunt ab Altari, & Sede Papæ pallia violacea, & dimittunt alba. Accenduntur tunc etiam luminaria ſuper Altari, & credentia, & intorticia ſuper cancellum, & deponitur per Clericos Capellæ velum ante Imagines ſuper Altare, & pallium ante Altare. Interim Cantores proſequuntur Litaniam; qua finita, ſtatim cantant, *Kyrie eleiſon*, pro Miſſa, & illud reiterant, quouſque Papa dixerit Confeſſionem cum Celebrante, & redierit ad Sedem, & fuerit incenſatum Altare, & Papa cum Cardinalibus dixerit, *Kyrie eleiſon*.

COMMENTARIUS.

I. Finita duodecima Prophetia, qua legitur, Nabucodonoſor Regem erexiſſe ſibi ſtatuam auream, & coegiſſe ſubditos ad eam adorandam, monet primum hic noſter §. ad Orationem, quæ ſequitur, non dici, *Flectamus genua*, juxta ſcilicet antiquum ritum in præcedenti Commentario explicatum ex variis Ritualibus, atque Romanis Ordinibus, & præſertim ex Ordine X. ubi & ritus ipſe, atque ejuſdem ratio recenſetur his plane verbis: *Cum autem ventum fuerit ad Lectionem, qua legitur Nabucodonoſor, ad illam Orationem, qua ſequitur, dicitur*, Oremus, *& non*, Flectamus genua, *eo quod Rex ille omnem populum ſub ditione coegerat flectere genua ante Statuam auream, quam erexerat; quod Eccleſia reputans factum in contemptum Dei Omnipotentis, poſt illam Orationem non flectuntur genua*. Juxta præſcriptum Romani I. Ordinis Cap. VII. Num. XLI. finita Oratione, ſtatim veniebat unus ex Miniſtris, tenenſque ampullas in manibus ſuis, ſtabat in dextro cornu Altaris, ibatque mox præcedens Pontificem ad Fontes, ad quos & alii e Schola deſcendebant ad Litaniam faciendam expectantes parati Pontificem. Triplicem hac die conſueviſſe Romæ cani Litaniam, ſeptenam, quinam, ac ternam, conſtat ex eodem Romano I. Ordine, & ex aliis variarum Eccleſiarum Ordinariis, atque Miſſalibus ab erudito Martene allatis in Libro,

(1) Ita in *Veneta* 1. & Colonienſi editione; in *Romana* legitur, *Fererii*.

Digitized by Google

De antiqua Ecclesiæ disciplina &c. Cap. XXIV. Num. XX. Sed audiendus præ cæteris Ordo Romanus X. Num. XIX. sic inquiens : *Inter hæc, dum Lectiones leguntur, septem Subdiaconi Crucem portantes, præcedentibus eos Acolythis, reverenter descendunt ad benedictionem Fontium, & faciunt ibi Letaniam septenam, quinam, & trinam &c.* Litaniæ septena, quina, & trina, seu, ut apud alios legitur, terna, sic dictæ sunt, quod primæ invocationes singulæ septies repeterentur, secundæ quinquies, ter tertiæ, uti notat laudatus Martene loco citato.

II. Notatu autem dignus est ritus, quem in eandem rem recenset Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XIV. ubi hæc habet : *Finito hoc Officio*, Lectionum scilicet, atque Orationum, *Dominus Pontifex descendit ad Fontem cum Diaconis, & Subdiaconis Regionariis, cantando Litanias ; Primicerius cum Schola cantando*, Sicut cervus, *usque in porticum S. Venantii. Ibi præparato Faldistorio, Pontifex sedet. Cardinales autem, qui remanserunt in Choro, exeunt per posterulam post Absidam, & intrant per porticum S. Joannis, & veniunt ad præsentiam Domini Papæ. Prior autem induit se, & dicit*, Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit eum. Progrediens parum facit similiter, & benedicit eum similiter. Benedicit eum Pontifex, & dicit* : Ite, baptizate omnes gentes. *Cardinales vero ita induti cum equitatibus revertuntur ad Titulos suos. Tunc Pontifex surgit, & vadit ad Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ, & aliquantulum requiescit ibi. Deinde procedit ad Fontes, & benedicit eos. Hoc facto, revertitur ad eandem Ecclesiam, ibique exuit se de Pallio, & Planeta, & induit brachalia cerata, & revertitur ad Fontes, & baptizat tres parvulos, & junior Diaconus baptizat cæteros, cum Canonicis Lateranensibus. Postmodum Pontifex ad locum chrismandi revertitur, & chrismat tres infantes.* Ex quibus patet, Romanos Pontifices die Sabbati Sancti, finitis Lectionibus, Litanias cantasse, benedixisse Fontem, seu Baptisterium, baptizasse, & confirmasse. Sed de Baptismo conferri solito olim hac die, vide quæ diximus initio hujus Capitis.

III. Præteriri quoque hoc loco non debet quod tradit Ordo Romanus XV. Capite LXXIX. de ritu servari solito a Papa, ubi hac die Ordinationem celebraret : *Notandum vero*, inquit, *si Papa velit aliquos Ordines facere, & aliquos de Cardinalibus hac die consecrare, iste modus observandus est. Primo, lecta prima Prophetia, fiunt Minores Ordines in Sede prædicta ; & lecta secunda Prophetia, alii Ordines Acolythatus, prout in Pontificali Domini Guillelmi Durandi continetur. Verumtamen Ecclesia Romana istum modum observare consuevit, quod lectis XII. Prophetiis, Minores Ordines distribuuntur, & dicto novies*, kyrie eleison, *cum Letaniis, prout in Missali continetur*, &, Gloria in excelsis Deo, *decantato ante primam Collectam, Ordo Subdiaconatus distribuitur, & ultimus Ordinatus legit Epistolam. Distributis ergo Minoribus Ordinibus, & etiam Subdiaconatu, lectisque Orationibus, Epistola, Graduali, usque ad ultimum Versum, vel*, Alleluja, *prout notantur omnia in Ordinatione Diaconi, & Presbyteri Cardinalis, tunc Archidiaconus præsentet eos Papæ.* Sed de Ordinationis ritu, & aliis ad eam spectantibus videri possunt, quæ fuse diximus nos nostro I. Tomo Romani Pontificali, satisque nobis fuit in præsenti mentionem ejus ritus facere, Ordinationis scilicet & hac die peragi olim solitæ a Summo Pontifice. Qui ritus licet per plura secula intermissi fuerint ab ipsis Romanis Pontificibus, servati tamen summa Fidelium ædificatione fuere a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. qui licet decrepitæ ætatis, solitus fuit hac die & Fontem benedicere, & baptizare, & confirmare baptizatos, & Ordines conferre.

IV. His obiter notatis, ut nunc nostrum §. explicemus, mandat is, ut dicta Oratione post ultimam Lectionem, Papa descendat ad Faldistorium, supra quod recumbat cum Mitra, retinens illam per totam Litaniam, Celebrans vero, deposita Mitra, & Planeta, associatus a Diacono, & Subdiacono vadat ad scabellum ad sinistram partem, supra quod similiter procumbat, & duo ex Cantoribus cantent Litanias, prout ex Libro, genuflexi ante scabellum positum post Pontificem, super quod Librum tenent ; & cum perventum fuerit ad Versum, *Peccatores te rogamus audi nos*, surgat Pontifex, deponat Mitram, & Pluviale violaceum, & accipiat album preciosum &c. Sane juxta Romanum Ordinem XV. Cap. LXXX. *completis Lectionibus, Orationibus, & Tractis, Subdiaconus Tunicella alba, ut præditur, indutus, vadit ad pulpitum, & ibi cantando dicit Litaniam, & respondetur sibi per omnes qualibet vice, verba ipsius Subdiaconi, & in eadem nota repetendo. In principio Letaniæ, Papa, dep sito Pallio, spinellis, & Planeta, descendit de Sede prædicta, & vadit ad Cathedram coram Altari paratam cum scabello, & pulvinari, Mitram prædictam tenens in capite, & ibi stat genibus flexis, quousque perveniatur ad locum, ubi dicitur*, Peccatores te rogamus audi nos.

V. Pergit laudatus Ordo, rituque describit, qui a celebrante Papa hac die labente Sæculo XIV. quo Auctor prædicti Ordinis Amelius claruit, servabantur, & sunt hujusmodi : *Tunc vero Papa surgens, vadit ad aliam Cathedram longe ab Altari paratam, vel ad vestiarium, si sit ; & dep sitis paramentis violaceis prædictis, induitur ipse Papa paramentis albis, & solemnibus per Diaconum Cardinalem, qui Evangelium est dicturus, qui quidem Diaconus paratus debet esse paramentis albis, quando induit Papam, prout erat in Cerei benedictione. Similiter & omnes alii Cardinales paramenta alba recipiunt, videlicet Episcopi Cardinales Cottam, Amictum latum, Pluviale ; Presbyteri vero Cardinales similiter, non tamen Pluvialia, sed Planetas recipiunt ; Diaconi vero Cardinales & similiter Amictum strictum, Tunicellam, & Dalmaticam recipiunt, & omnes Prælati Pluvialia : Quibus paramentis per Papam receptis, imponitur sibi Mitra nobilis, & solemnis, & recipit ambos Anulos de manu Presbyteri Cardinalis, & assistentibus sibi duobus antiquioribus Dia-*

Digitized by Google

Diaconis Cardinalibus, uno a dextris, & alio a ſiniſtris, vadit proceſſionaliter ad Altare, & veniendo occurrunt ei tres Presbyteri Cardinales parati, & ipſe, ut moris eſt, recipit eos ſecundum ordinem ſuum ad oſculum oris, & pectoris &c.

VI. Ritum fuiſſe antiquum, ut ipſemet Pontifex ſacras hujus diei functiones perageret, ac Miſſarum Solemnia celebraret, teſtantur paſſim Romani Ordines, ut infra dicemus in Commentariis ad Caput LX. Sed invaluit mos poſt ipſum Romanum Ordinem XV. ut licet hac die Officio Papa interſit, Cardinalis Sacrum ſolemne peragat, &, ut ait noſter §. ad Verſiculum illum Litaniæ, *Peccatores &c.* ſurgens e ſcabello, ad quod erat genuflexus cum Miniſtris, revertatur ad Faldiſtorium, *ubi deponit violacea paramenta, & accipit alba &c.* Porro notat in ſuo ms. Diario Burchardus ad annum MCDLXXXVI. quod *duo Cantores, qui Letaniam cantaverunt, per errorem, antequam pervenirent ad*, Te rogamus audi nos, *verterunt duo folia, inter quæ omnia ibidem ſcripta omiſerunt, cantantes*, Chriſte audi nos, *prout in fine Letaniæ; ex quo ſcandalum evenit; oportuit enim omnia ſuo ordine facere, quæ inter Verſum*, Peccatores &c. *& finem Letaniæ cum ordine agenda erant*. Rurſus licet Papa ex præſcripto noſtri hujus §. ſupra Faldiſtorium procumbat *cum Mitra, illam retinens per totam Litaniam*; teſtatur nihilominus idem Burchardus ad annum MCDLXXXVII. Papam in Faldiſtorio procubuiſſe ſine Mitra, additque ſtatim: *Quod mihi inconveniens videbatur, cum in omnibus Conſecrationibus Pontifices Mitras habeant, ſed Dominus Pientinus* (Auguſtinus ſcilicet Patricius noſtri Cæremonialis ordinator, poſtea Epiſcopus Pientinus) *ſalva reverentia mihi dixit, id hodie pro tanto die ſatis convenire, quod Papa ſine Mitra pro hoc actu procumbat. Dicunt tamen Cæremonialia antiqua, quod cum Mitra procumbere debeat, & ita etiam mihi videtur obſervandum.*

VII. Multa ſunt, quæ & in aliis Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis adnotata legi, ſed cum non omnia recenſeri, ac deſcribi hic poſſint, non omittendum tamen cenſui, quod ad annum MDLXIII. qui fuit primus Gregorii Papæ XIII. Pontificatus, ſcriptum reliquit Franciſcus Mucantius: *Illud fuit omnino novum, & antehac nunquam uſitatum, quod circa finem Litaniarum ad Verſum*, Peccatores te rogamus &c. *ſicut Papa mutavit paramenta ..... accipiens alba, ſic & Reverendiſſimi Domini Cardinales, depoſitis Cappis violaceis, acceperunt rubeas ex nova reformatione.* Rurſus ad annum MDLXXIV. ita ſcribit: *Obſervata ſunt omnia in hujuſmodi ſolemnitate more ſolito uſque ad finem Litaniarum, videlicet ad Verſum*, Peccatores &c. *quia tunc ſimul cum Pontifice paramenta alba capiente, Cardinales omnes depoſuerunt Cappas violaceas, & acceperunt rubeas, prout ab anno præterito obſervari cœptum eſt, ſed ſubtanas violaceas retinuerunt.* Eadem repetit ad annum MDLXXV. concinitque noſtro huic §. quod deinde ſcripſit ad annum MDLXXVI. ubi ita inquit: *Ad Verſiculum*, Peccatores, *cum Papa, & Cardinales mutarent habitum, fuit demiſſum velum cooperiens Imaginem ſuper Altari.* Subdit mox idem Scriptor, quod *multi tamen magis convenire dicebant, ſi dimitteretur*, velum ipſum ſcilicet Sacram Imaginem ſuper Altari poſitam cooperiens, *cum dicitur*, Gloria in excelſis &c. *ut ſæpe ſæpius obſervatum fuit.* Præter ipſum velum, amovenda etiam pallia violacea ante Altare, & ad Sedem Papæ poſita, atque accendenda etiam luminaria ſuper Altari, & credentia, & intortitia ſuper cancellum, cum nempe a Cantoribus dicitur Verſus, *Peccatores &c.* recte præſcribit noſter §. Atque hic eſt ritus, qui in omnibus Eccleſiis Urbis hodie ſervatur.

§. VI.

De Miſſa hujus diei, & ritibus in ea ſervatis uſque ad Communionem.

Cum primum Litania eſt finita, & Papa acceperit Pluviale, Celebrans accedit ad ſiniſtram Papæ, & ſimul faciunt Confeſſionem, ut moris eſt. Deinde Papa aſcendit ad Sedem ſuam, & miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium naviculam, imponit incenſum in thuribulo. Celebrans vero aſcendit ad Altare, oſculatur illud, & Librum, ut moris eſt; & accepto thuribulo, incenſat Altare more conſueto, deinde incenſatur ipſe, & Papa. Interim Cardinales faciunt Circulum ante Papam, & dicunt cum eo, *Kyrie eleiſon*. Quibus completis, Cantores finiunt, *Kyrie eleiſon*, & Celebrans ante Faldiſtorium cantat, *Gloria in excelſis Deo*; & ſtatim pulſantur campanæ Palatii, & aliæ omnes per Urbem. Dicitur deinde, *Pax vobis*, & una Oratio tantum. Subdiaconus dicit Epiſtolam, (1) & Diaconus interim tenet Librum ante Celebrantem, ut legat Epiſtolam, cum ea finita dicturus ſit *Alleluja*. Finita Epiſtola, poſtquam Subdiaconus, qui dixit eam, oſculatus eſt pedem Papæ, Subdiaconus Apoſtolicus, qui opportuno tempore paramenta omnia, ac ſi Epiſtolam lecturus eſſet, in Camera Sacriſtæ, vel alio loco idoneo acceperat, ante gradum ultimum Solii, Papæ facta debita reverentia, ſtans, dicit alta voce verſus ad Papam, *Pater Sancte, annuncio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluja*. Et tunc depoſita Mitra,

(1) Verba illa, *& Diaconus interim &c.* uſque ad illa verba, *ut legat Epiſtolam*, deſunt in Veneta 1. editione, & Colonienſi, ſed leguntur in Romana.

Digitized by Google

tra, surgit, & cantat *Alleluja*, tertio, semper vocem elevando, prout in Ordinario, Pontifice vero interim cum Mitra stante. Consuevit tamen Sixtus Quartus stans sine Mitra cantare primum, *Alleluja*, postquam Subdiaconus Apostolicus illud nunciaverat. Secundo, & tertio Celebrans cantabat, quod, quantum conveniat, alii judicent. Deinde dicitur Tractus; *Laudate Dominum omnes gentes*; quo incœpto, Diaconus accedit cum Libro ad Altare, & alia facit more consueto. Ad Evangelium portatur thuribulum sine luminaribus; tamen duo Capellani Celebrantis Thurifera-rium loco Ceroferariorum ipsum associant. Post Evangelium non dicitur, *Credo*, neque Offertorium, sed tantum, *Dominus vobiscum*, &, *Oremus*, & alia dicuntur, prout in Ordinario. Oblata incensantur, similiter (1) Celebrans, Papa, & alii omnes, ac proceditur in Missa more consueto usque ad Communionem. *Pax Domini* dicitur, *Agnus Dei* non dicitur; propterea Cardinales non veniunt ad Circulum, & Pacis osculum non datur, sed omnes Orationes dicuntur, prout in Missali, usque ad Communionem exclusive.

COMMENTARIUS.

I. Recte admodum observat eruditissimus Edmundus Martene in citato toties Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite LXXIV. Num. XXXIV. tantam fuisse Sacrorum rituum diversitatem, atque prolixitatem Sabbati Sancti, ut opus esset protrahi hujus diei Officium ad multam noctem, & non ante populum ab Ecclesia dimitti, quam media noctis parte transacta. Id sane ex Apostolica traditione provenisse, testatus est inter alios S. Hieronymus in Commentario super Matthæum, ubi sic loquitur: *Traditio Apostolorum, & Judæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis. Unde & reor, traditionem Apostolicam permansisse, ut die Vigiliarum Paschæ ante noctis medium populos dimittere non liceat expectantes adventum Christi.* Idem docent Amalarius Lib. I. Cap. XVI. atque vulgatus Alcuinus, qui etiam memoratum Hieronymi locum citant; quinimo Carolus Magnus Imperator Divinum hujus diei Officium *supra mediam noctem* protraxisse memoratur apud Monachum Sangallensem in Libro, *De Ecclesiastica cura Caroli Magni*, Cap. XXIV. Atque hinc est, quod S. Augustinus in Sermone CXIX. quem in hujus noctis Vigiliis pronunciavit, ita populum suum alloquutus est: *Quanto ergo alacrius in hac Vigilia velut matre omnium Sanctarum Vigiliarum vigilare debemus, in qua totus vigilat Mundus?* Sermone CCXXVIII. quem ipso Paschatis die *ad populum, & infantes* habuit, sic eosdem est alloquutus: *Post laborem noctis præteritæ, quoniam etsi spiritus promptus est, caro tamen infirma, diu vos tenere sermone non debeo.*

II. Eadem ratione Innocentius Papa I. in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum scribit, Ecclesiæ traditionem habere, *isto biduo*, Feria scilicet sexta, & Sabbato Sancto, *Sacramenta penitus non celebrari*; quia nempe, ut idem Martene adnotavit, revera hujus diei Missa, tota in nocte peragitur; unde & ant qui Sacramentorum Codices, quales sunt Gellonensis, Remensis, Noviomensis annorum circiter mille; Turonensis, Dionysianus annorum circiter CM. cum aliis pluribus, non ante volunt Missam inchoari, *quam appareat una ex stellis in Cælo*. His adde Concilium antiquum Autissiodorense, cujus Canone II. statutum fuit, *non licere in Vigilia Paschæ ante horam secundam noctis Vigilias perexplere*. Et illud Concilii Rotomagensis anni MLXXII. Decretum: *Ut in Sabbato Paschæ Officium ante nonam non incipiatur; ad noctem enim Dominicæ Resurrectionis respicit, ob cujus reverentiam*, Gloria in excelsis Deo, & Alleluja, *cantatur*. Ceterum perseveravit hæc pia sanctaque traditio aliquibus saltem in locis usque ad finem Seculi XIV. uti constat ex Consuetudinibus Canonicorum Regularium Carisanensis Monasterii anno MCCCLXXXVII. renovatis, in quibus sic inter alia se legisse docet idem Martene: *Sabbato Sancto Missa dicitur tardius, & in quibusdam locis celebratur nocte*.

III. Certum profecto illud est, Missam quæ dicitur hodie mane Sabbati Sancti, ad Officium ipsius Sabbati non pertinere; erat enim, ut ait Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Capite LXXI. Sacrificium pro Neophytis, quod post Baptismum, adventante magno Paschatis Festo, circa quartam noctis vigiliam peragebatur. Missa autem perquam solemnis erat præ ornamentis, præ cantu lætitiæ, decorationibus, illuminationibus, thurificationibus, campanarum sonitu, aliisque festivitatis, & exultationis publicæ signis. Ex eo quod omitti videtur in hac Missa, conspicitur plane id, quod ei reliquum fuit, postquam noctis Officium ad mane Sabbati anticipatum fuit. In Missa ista omittitur Introitus, qui semper omittebatur, quando Missa immediate subsequebatur Officium, quoniam cœtus omnis interea a Fontibus jam congregatus erat. Introitus autem in id solum institutus erat, ut populos occuparet, dum Celebrans veniebat ad Altare; & quia de Fontibus ad Altare transibat, dum canerentur Litaniæ, vel, *Kyrie eleison*, ideo intonatur statim, *Gloria in excelsis Deo*. Atque hinc capiendus est Ordo I. Romanus, qui post enarratos ritus Baptismi, qui conferri solebat hac die Sabbati Sancti, Cap. VII. Num. XLV.

(1) *Celebrans* legitur in Romana editione, & deest in Veneta I. & Colonienſi,

Digitized by Google

XLV. ita subjicit: *Interim vero Schola jussa facit Letaniam ante Altare, primam septenam, & spatio facto, faciunt alteram quinam, iterum spatio facto, faciunt ternam, & dum dicitur*, Agnus Dei, *Magister Scholæ dicit*, Accendite, *& tunc inluminatur Ecclesia, & procedit Pontifex de Sacrario, cum duo cereostata, unde sicut superius diximus, stant, sicut antea, a dextris, & a sinistris Altaris. Letania expleta, dicit Pontifex*, Gloria in excelsis Deo.

IV. Eadem constant ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Num. XLIII. ubi etiam post enarratos ritus Baptismi, ita mox subdit: *Deinde revertitur*, Pontifex scilicet, *ad Altare cum Litania facta a Subdiacono regionario. Primicerius cum Cantoribus cantat*, kyrie, *Dominus Papa incipit*, Gloria in excelsis Deo. *Primicerius cum Schola respondet &c.* Ex præscripto Ordinis Romani XII. Cap. XIV. Papa post tres infantes chrismatos, *ablutis manibus, cum Litania facta a Subdiaconis regionariis regrediebatur ad Altare ante Ecclesiam Sancti Pancratii, ibique modicum quiescebat, & induebat Planetam. Interim vero Diaconi Cardinales reportabant mensam Altaris, & aptabant eam super ipso Altari, sicut prius fuerat. Pontifex autem cum Processione & Litania ibat ad Altare, & celebrabat Missam.* Sciendum etiam monet, *quod in Missa septem faculæ cum septem candelabris sunt*. Ceterum tametsi olim ipsimet Romani Pontifices celebrare hac die Missarum solemnia consueverint, testatur nihilominus Petrus Amelius Auctor Romani Ordinis XV. qui claruit labente XIV. Seculo, Romanos Pontifices non consuevisse suo ævo facere Officium hac die, sed post datam populo Indulgentiam, *in reversione audisse parvam Missam secrete, in qua non dicitur*, Alleluja, *quia consuevit esse de Missis votivis, nisi diceretur de die &c.*

V. Tradit hæc quidem Amelius in laudato Ordine, Cap. LXXXIII. ubi etiam agens de solemni Missa, quæ a Cardinali, vel Prælato hac die, Papa præsente, celebrabatur, ita ejus Missæ ritum mox recenset: *Cum Cantores incipiunt primum Kyrie eleison*, post finitam scilicet Litaniam, *Papa surgit, & ibimet cum duobus Diaconis Cardinalibus, & Prælato, qui facit Officium, qui stare debet a latere sinistro Papæ cum suis Ministris, facit Confessionem more solito, & facta Confessione, faciens Officium ascendit ad Altare, & Papa revertitur ad Cathedram suam ponens incensum in thuribulo, & incensato Altari, incensatur ipse, & Prælatus procedit ad Missam; & dum incipitur*, Gloria in excelsis Deo, *Papa deponit Pluviale rubeum, & Stolam, & Mitram, quæ omnia debent esse sine perlis, & Subdiaconus custodit prædicta cum Mitra consistoriali cum perlis. Sacrista vero, vel ejus Socius, tradit Pluviale album de samito cum aurifrisiis de perlis, & cum cardonibus, & Diaconus, qui stat a dextris Papæ, induit Papam, & dum incipitur*, Gloria in excelsis Deo, *parvæ campanæ debent pulsari, & etiam illa magna Consistorialis, & Papa dicit*, Gloria in excelsis Deo, *cum Cardinalibus sibi assistentibus ante ad modum circuli*. Multa hic habes, quæ nostro huic §. conciunt, eademque legere est passim in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, in quibus etiam errores ad posterorum instructionem notantur, qui in Cæremoniis hujus Missæ soliti fuere committi.

VI. Teste Burchardo ad annum MCDLXXXVI. ubi enarrat ritus Sabbati Sancti, & errores eo anno commissis, *Cantores & alium errorem commiserunt; cessarunt enim a cantu*, kyrie eleison, *antequam Papa incensaretur, & circulus per Cardinales fieret coram Papa; ex quo aliud scandalum evenit, nam Cardinalis celebrans, cum Cantores a cantu cessassent, non expectato a me avisamento, antequam diceret*, kyrie eleison, *cantavit*, Gloria in excelsis. Sed ut alios omittam, recenset Mucantius in suo ms. Diario ad annum MDLXXVII. & alios errores, qui in Missa Sabbati Sancti ejus anni intervenerunt, *quos referre expedit, ut in futurum præcaveantur. Primo Papa incœpit Confessionem cum Celebrante, antequam complerentur Litaniæ, ita Collega*, alio scilicet Apostolico Cæremoniario, *monente, quod fuit reprehensum ab antiquioribus Cardinalibus. Secundo Papa non potuit dicere*, kyrie eleison, *cum Cardinalibus in Circulo, quia Celebrans nimis propere incœpit*, Gloria in excelsis, *nec potui præcavere, cum nemo hoc cogitaret; sed iste error successit occasione alterius jam dicti, nam Cantores celerius prosequuti sunt cantum*, kyrie eleison. Notat mox & alios errores, quos nos suo loco referemus; referre enim *expedit*, ut verbis utar laudati Mucantii, *ut in futurum præcaveantur*. Quicquid sit de hisce erroribus, notat Belethus in explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CXI. cani ideo in hac Missa, *Gloria in excelsis Deo*, quia Angeli ob renatos Baptismate, & Neophytos, in Cœlo gloriantur, qui Domino jam nato hunc Hymnum decantarunt. Ex quo vides, quod alias supra diximus, decemusque iterum iterumque inferius, Missam hujus diei ad ipsos baptizatos pertinere.

VII. Sed ut nostrum §. explicemus, ubi *Celebrans ante Faldistorium cantat*, Gloria in excelsis Deo, *statim pulsantur Campanæ Palatii, & aliæ omnes per Urbem*, estque hic antiquus ritus, cujus meminit Romanus Ordo XV. cujus locum supra retulimus, de eoque nonnihil diximus Tomo II. Cæremonialis Episcoporum Libro II, Capite XXVII. in Commentario ad §. XXIII. ubi inter alia citavimus Constitutionem Leonis Papæ X. qua prohibentur cæteræ Ecclesiæ pulsare campanas mane Sabbati Sancti ante sonitum campanarum Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis. Ceterum licet ex præscripto veterum Missalium dicendus sit in hac Missa Hymnus Angelicus, nempe, *Gloria in excelsis Deo*, ad quem etiam ex Missali Saresberiensi genuflectebant omnes *exuentes cappas nigras*, ex Ambrosiano Missali jam minime prædictus Hymnus dicebatur, sed Sacerdos, *facta solito more Confessione, & osculato Altari, antequam Missam incipiat, debet accipere Calicem cum Patena, & Corporali in manibus, & dicere ter alta voce*, Christus Dominus resurrexit, *in tono, Choro respondente per singulas vices*, Deo gratias, *videlicet, primo ad cornu Altaris dextrum, secundo post Altare, tertio ad cornu Altaris sinistrum*. Quicquid sit de his ritibus particularium Ec-

Digitized by Google

Ecclesiarum, dicto Hymno, *Gloria in excelsis Deo*, ex ejusdem §. nostri præscripto, *dicitur deinde*, Pax vobis, *& una Oratio tantum*; ad quam non dicitur, *Flectamus genua*, quemadmodum dicitur in Orationibus hujus diei, quæ Prophetias subsequuntur, quia Lectiones istæ ad Quadragesimam spectare censebantur, & Missa ad Festum Paschatis pertinet, ac propterea omissis violaceis, alba sumuntur ornamenta. Sane ante Orationem dicitur, *Pax vobis*, ejusque ritus meminit Burchardus in suo ms. Diario ad annum MCDLXXXVI. ubi ait, quod *cum Cardinalis celebrans dicere debebat*, Pax vobis, *incœpit dicere*, Dominus vobiscum, *sed in prima syllaba cognovi, & ipsum præmonui statim, & sic dixit*, Do.. Pax vobis, *uno anhelitu*.

VIII. Dicta a Celebrante Oratione, *Subdiaconus dicit Epistolam, & Diaconus interim tenet Librum ante Celebrantem, ut legat Epistolam, cum ea finita dicturus sit*, Alleluja. Scite observat Durandus Lib. VI. sui Rationalis, Cap. LXXXV. Epistolam, quæ in hac legitur Missa, desumptam ex Beati Pauli Epistola ad Colossenses, *Fratres, si consurrexistis cum Christo &c.* sicut & Orationem, *Deus qui hanc sacratissimam noctem &c* referri ad baptizatos ipsa die, ad quos videtur hæc Missa pertinere, uti alias supra notavimus, probarique etiam potest ex iis verbis, quæ leguntur infra actionem hujus Missæ, in qua Celebrans dicit, *pro his quoque, quos regenerare ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Porro finita Epistola, ut ait noster §. postquam Subdiaconus, qui dixit eam, osculatus est pedem Papæ, Subdiaconus Apostolicus, qui opportuno tempore paramenta omnia, ac si Epistolam lecturus esset, in Camera Sacristæ, vel alio loco idoneo acceperat, procedens ante gradum ultimum Solii, Papæ facta debita reverentia, stans dicit alta voce versus ad Papam, *Pater Sancte annuncio vobis gaudium magnum, quod est Alleluja*, & tunc deposita Mitra, surgit, & cantat, *Alleluja* tertio, semper vocem elevando, Pontifice vero interim cum Mitra stante Extat vestigium hujus ritus in Romano Ordine XV. Cap. LXXXIII. a quo tamen nonnihil variat noster §. quia scilicet ex præscripto ejusdem Ordinis, *lecta Epistola, Subdiaconus, qui ipsam legit*, non ergo alius Subdiaconus, *debet venire ad Prælatum, qui facit Officium*, non ergo ad Papam, *& versa facie ad ipsum, alta voce dicit*, Annuncio vobis gaudium magnum, videlicet Alleluja; *& incontinenti Prælatus surgit, & deposita Mitra, dicit*, Alleluja, *& tribus vicibus incipit semper vocem exaltando in qualibet vice*.

IX. Juxta præscriptum nostri Cæremonialis, jam nulli alii fit hæc cæremonia annunciandi *Alleluja*, sed soli Papæ Missæ præsenti, uti expresse habetur infra Cap. LIX. quod inscriptum est, *De Sabbato Sancto, Papa absente*, ubi inter alia ita legitur: *Subdiaconus Apostolicus non paratur, nec annunciatur*, Alleluja; *sed finita Epistola, postquam Subdiaconus ejus manum*, Celebrantis scilicet, *osculatus fuerit, surgit Celebrans deposita Mitra versus ad Altare ante Faldistorium stans, cantet*, Alleluja, *ter, ut supra dictum est, Cantoribus toties idem respondentibus*. Hinc teste Burchardo in suo ms. Diario ad annum MCDLXXXV. in Missa hujus diei, quam celebravit Cardinalis Parmen. Papa absente, *non fuit ei annunciatum gaudium magnum, quod est*, Alleluja, *quia Papæ tantum solet nunciari*. Narrat præterea idem Burchardus ad annum MCDLXXXVI. noluisse Innocentium VIII. Papam in Missa solemni Sabbati Sancti prædicti anni *cantare primum*, Alleluja, *prout Sixtus*, Quartus scilicet, *solebat facere*, sed voluisse, *quod Celebrans omnes tres cantaret, prout fecit*. Sed notandum quod mox subjicit: *Intravit tamen Sacristiam juxta Altare majus D. Hieronymus Calagranus Subdiaconus, cum a Cantoribus diceretur*, Et in terra &c. *ubi accepit paramenta alba, ac si Epistolam esset dicturus, & finita Epistola, exivit, stans ante ultimum gradum Solii Papæ, videlicet in plano Capellæ ante Papam cantavit*, Pater Sancte, annuncio vobis gaudium magnum, quod est, Alleluja; *quo dicto, surrexit, & non osculato pede Papæ. Ad se ego fui ad ejus sinistram, cum cantaret, ac in eundo, & redeundo ipsum præcessi; debebat tamen ipsis verbis præintonatis idem Subdiaconus pedem Papæ osculasse, quod per errorem omisi, quia in Cæremoniali Domini Pientini* (nostro nec scilicet, quod Augustinus Patricius Apostolicus Cæremoniarius, postea Episcopus Pientinus ordinavit), *non inveni, sed in Cæremoniali D. A. Rabioli &c.* Licet itaque nulla in hoc nostro §. fiat mentio deosculationis pedis Papæ peragendæ per Subdiaconum Apostolicum, servari tamen ea cæremonia debet.

X. Sed audiamus iterum Burchardum, qui eundem ritum ita recenset ad annum Domini MCDLXXXVII. *Finita Epistola, & per Subdiaconum*, qui scilicet illam cantavit, *pede Papæ osculato, D. Matthæus Cibo Subdiaconus Apostolicus, omnibus paramentis Subdiaconalibus albis in Camera Sacristæ indutus, factis reverentiis Altari, & Papæ, stans ante Papam dixit more consueto*, Pater Sancte &c. *quo dicto, surrexit Papa cum Mitra, & Celebrans cantavit* Alleluja *more solito, quo inchoato, rediit idem D. Matthæus ad Cameram Sacristæ ad se exuendum; debebat autem idem Subdiaconus, postquam prædictam dixit, ascendisse ad osculandum Papæ pedem, quod per oblivionem dimissum est*. Noluit itaque & hoc anno Innocentius VIII. intonare, *Alleluja*, sed intonavit illud Celebrans, tametsi servata sit ea cæremonia, ut Subdiaconus Apostolicus ipsum *Alleluja* Papæ præintonaret. Id quod etiam factum est anno MCDLXXXVIII. teste eodem Burchardo, sic scribente: *Finita Epistola, D. Hieronymus Calagranus Sedis Apostolicæ Subdiaconus Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Tunicella albis stans paratus ante Pontificem, annunciavit ei gaudium magnum, quod est*, Alleluja, *deinde osculatus est pedem, & in Camera Abbatis*, nempe S. Sebastiani, qui tunc temporis erat Sacrista, *dimisit paramenta, & reassumpsit Cappam. Papa autem noluit incipere*, Alleluja, *sed surrexit cum Mitra, & Celebrans dixit*, Alleluja, *successive tribus vicibus, & alia, prout in Ordinario*.

XI. Dicto, *Alleluja*, ex præscripto nostri §. atque omnium Missalium, *deinde dicitur Tractus*, desumptus scilicet ex Psalmo CXVI. *Laudate Dominum omnes gentes*. Ex eo quod dici-

Digitized by Google

dicitur, *Alleluja*, & illico Tractus, S. Petrus Damiani Lib. VI. Epistola XXXV. eorum opinionem refutat, qui solvere se posse jejunium credebant, postquam dictum erat, *Alleluja*; affirmans, per subsequentem Tractum Missam pœnitentiæ designari: *Missa simul Quadragesimalis esse videtur, atque Paschalis, dum postquam* Alleluja *canitur, mox Tractus, qui Quadragesimæ proprius est, adhibetur*. Verum observatio ista non habet locum, nisi postquam hora, & Ordo hujus Missæ inversus est. Quicquid sit de ea Damiani observatione, non posse solvi Quadragesimale jejunium, nisi post mediam noctem Sabbati Sancti, ex pluribus Conciliis cautum est, statuitque inter alios Herardus Archiepiscopus Turonensis in suo Capitulari, Capite LXXXV. ut *qui Sabbato Sancto usque ad noctis initium non jejunant, excommunicentur, & a Paschali Communione secernantur*. Similia fere leguntur Lib. VII. Capitularium Regum Francorum Cap. CCLXXX. Sed præ cæteris videri possunt quæ scripsit eruditus Filesacus in Opella, *De Quadragesima Christiana*, Capite XV. ubi varia Patrum loca, & Conciliorum Decreta recenset. Cæterum, ut magis magisque probetur, pertinere hujus Missæ Officium ad recens baptizatos, lubet & hoc loco adnotare, quod scribit Belethus in sua Divinorum Officiorum Explicatione, Cap. CXI. *Graduale*, ait, *propterea non canitur, quia baptizati nulla adhuc opera, nullumque gradum in virtutibus fecerunt*. Alleluja, *quæ vox est plane Angelica, vel ob id maxime cantatur, quod Angeli lætantur, baptizatos ex servitute diaboli ereptos, & ad Fidem conversos esse. Sed quoniam adhuc eis sit laborandum, quandiu quidem in hac vita fuerint, idcirco Tractus, scilicet,* Laudate Dominum omnes gentes, *statim subjungitur &c.*

XII. Ad Evangelium hujus Missæ quod attinet, *portatur*, ait noster §. *thuribulum sine luminaribus, tamen duo Cappellani Celebrantis sequentes Thuriferarium loco Ceroferariorum ipsum associant*. Luminaria non deferendi ad hujus Missæ Evangelium ritus profecto antiquus est, cujus meminit Ordo I. Romanus, Cap. VII. Num. XLV. Amalarius Lib. I. Capite XXXI. & inter alios Durandus, Lib. VI. Capite LXXXV. ubi diserte ait, *ante Evangelium non portari lumen, nec etiam in quibusdam Ecclesis candelabra cum luminariis stare ad Missam super Altare. Primo, quia ille, qui est lumen, nondum nobis redditus est, quoniam ejus resurrectio nondum erat manifesta, imo credebatur adhuc in Sepulchro latere. Secundo, quia mulieres Christum, non Deum, sed solummodo esse mortalem credentes, occulte sine lumine ibant ad Sepulchrum, ut ungerent Corpus Jesu. Tertio, ad notandum cæcitatem cordis ignorantium, ipsum resurgere posse*. Addit mox, incensum ferri in signum, *quod mulieres tulerunt aromata, ut ungerent Jesum*; atque præterea accensa luminaria non ferri, sed incensum, *ad notandum, quod tunc orationis affectio, quæ per incensum exprimitur, animis infirmorum non deerat, sed veritatis lux, quæ per accensa luminaria designatur, eis certitudinaliter non clarebat propter Domini Sepulturam*. Sane Evangelium hujus Missæ desumtum est ex Evangelio Matthæi Cap. XXVIIII. incipitque, *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati*, in quo, ut notat idem Auctor, de sollicitudine mulierum circa Domini Sepulchrum, & de mysterio Angelorum, & resurrectione Salvatoris agitur: *Usque nunc enim fuit Sacrificium Neophitorum, se dehinc resurrectio ad memoriam revocatur*. Notandum demum subdit, quod *Vespere Sabbati*, hic accipitur pro nocte, & est sensus, *Vespere Sabbati*, idest, in nocte Sabbati. Sed quia credi posset, quod venissent mulieres in principio noctis, vel in medio, idcirco adjunctum est, *quæ lucescit in prima Sabbati*; idest, quæ pertinet ad lucem primi Sabbati, *lucescerat enim jam, quando venerat Maria Magdalena, & altera Maria videre Sepulchrum &c.* Ita ille.

XIII. Monet deinde & illud noster §. quod alias præscripsere jam olim antiqui Romani Ordines, ac prisci mss. Libri Missales, & Rituales, non dici in hac Missa, *Credo*, neque Offertorium, sed tantum, *Dominus vobiscum*, & *Oremus*. Certe Romanus Ordo I. Capite VII. ubi recenset ritus Sabbati Sancti, nullam facit mentionem Symboli dicendi in hac Missa, expresse tamen ait, non cantari Offertorium. Et quidem quod Symbolum spectat, mirum videri non debet, quia, ut notat inter alios Grancolas in Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXXI. Romæ nonnisi sero admodum cantari cœptum est, citatque Bernonem Augiensem, qui ait, a Benedicto VIII. anno MXIV. suadente Henrico Imperatore, præscriptum fuisse, ut diceretur, *Credo* in Missis. Porro introducto hoc ritu, expresse cautum fuit ex sequioribus Ordinibus Romanis, ut *Credo* in Missa hujus diei minime caneretur: *Eo die*, inquit Romanus Ordo XI. Num. XLIII. *non cantatur* Credo, *nec Offerenda, nec*, Agnus Dei, *nec Communio*. Sciendum etiam monet Ordo Romanus XII. Capite XIV. Num. XXXI. non dici in hac Missa, *Credo in unum Deum*, nec Offerendam, nec *Agnus Dei*, neque Communionem. Subticeri ait in ipsa Missa Offertorium Belethus, *ut per hoc expresse indicemus, mulieres tacite ad monumentum venisse. Tres enim Mariæ stabant juxta Sepulchrum cum silentio, & voce compressa*. Cæterum ait quidem Durandus, non dici *Credo* in hac Missa, *ut per hoc infirmorum animorum dubitatio denotetur*. Sed addit mox tamen, *quasdam Ecclesias dicere hac die*, Credo, *& per totam sequentem hebdomadam, quo renati asseverant, se in Deum tendere, & ea, quæ de Christo dicta sunt in Evangelio, firmissime credere*.

XIV. Est vero & ille antiquus ritus, quem & §. noster præscribit, ut nempe Oblata incensentur, & similiter Celebrans, Papa, & alii omnes. Thuris namque, seu incensi usus in hac Missa mentionem passim faciunt, & antiqui Romani Ordines, & Missales, atque Authores prisci, inter quos Amalarius Lib. I. sub medium Capitis XXXI. citans Romanum pervetustum Ordinem, qui incensum adhiberi mandat, ita scribit: *Ut opinor, propter mulierum imitationem, dicit Romanus Libellus, non portari hac nocte ante Evangelium, nisi thymiama &c.* Porro Amelius in suo Romano Ordine XV. Capite LXXXII. diserte describit ritum incensatio-

Digitized by Google

nis, de qua loquitur noster §. aitque, Cardinalem Diaconum recipere thuribulum cum incenso de manu Acolythi, & offerre Papæ (enarrat enim ritum, quo ipse Papa hac die Missarum Solemnia celebrat) ipsumque Diaconum ponere incensum infra thuribulum, osculando manum Papæ, eique tradere thuribulum, quem Papa recipit, & incensat Altare, ut moris est. Addit & alia, quæ in citato Ordine legi possunt.

XV. Non cantari *Agnus Dei* in hac Missa, neque dari pacem, neque Postcommunionem dici, tradunt passim Romani Ordines, & alii Auctores, inter quos Durandus de eo ritu varias rationes explicat, additque non multo post, in quibusdam Ecclesiis dici ter, *Agnus Dei*, sine, *dona nobis pacem*. Non dari autem pacem ait in detestationem oculi proditoris Judæ, & quia Christus, qui est vera pax nostra, nondum pacem nunciavit, quia nondum surrexit qui in die resurrectionis Apostolis ait, *Pax vobis*. Postcommunionem quoque non dici inquit ob has rationes, quas statim subjicit: *Primo, ad notandum, quod non erant tunc qui in Fide Christi communicarent; secundo, quia baptizati nondum communicaverunt, sed in die Paschæ communicare debent; tertio, quia nondum surrexit, qui nobis dat, quod communicemus; quarto, quia Vesperæ, quæ sequuntur, vicem obtinent Postcommunionis; quinto, quia omnes tacuerunt in Christi comprehensione, & crucifixione, ideo Cantores tacent*. Similia legere est & apud alios Auctores, quorum loca hic recensere supervacaneum est.

XVI. Quamquam vero ex Durandi dictis constet, nullam factam hac die Communionem, contrarium tamen addiscere licet ex Ordine I. Romano Cap. VII. Num. XLVI. ubi edicitur, illud de parvulis providendum esse, *ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramenta Corporis Christi*. Alios etiam Fideles communicasse hac die, testantur Libri Rituales antiqui pene omnes tam manu scripti, quam editi, præscribuntque Theodulphus Aurelianensis Episcopus, & Joannes Abrincensis, ejusque rei praxim videre est in Chronico Hugonis Flavianacensis ad annum CMXXIII. quo *in territorio Tullensi Villa Commarciaco, puella sancta post acceptam Communionem jejunare cœpit, ac per tres integros annos nihil cibi percepisse perhibetur*. Hinc Lucas Constentinus in nostra citoriori Calabria Antistes, in suo Ordinario inquit: *Consecrantur plures Hostiæ, & in Eucharistiali pro communicandis mane pueris, & populo reservandæ*. Tradit vero Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIV. Num. XXXI. *perseveasse adhuc hunc ritum in Ecclesia Rotomagensi ante annos 300. quo tempore scriptum videtur Ordinarium & Missale ejusdem Ecclesiæ, in quibus hæc legi*: Communicatis Presbyteris, & aliis, quibus placuerit, Vesperæ incipiantur.

XVII. Antequam de Vesperis dicamus, notandum & hoc loco censemus, quod de immissione lactis, ac mellis facta hac die in Sacrum Calicem scripsit Joannes Diaconus in sua ad Senarium Epistola: *Quod autem quæsistis, cur in Sacratissimum Calicem lac mittatur, & mel, & Paschæ Sabbato cum Sacrificiis offeratur? Illud in causa est, quia scriptum est in Veteri Testamento, & Novo, populo figuraliter repromissum*: Introducam vos in Terram repromissionis, Terram fluentem lac, & mel. *Baptizatis ergo hoc sacramenti genus offertur, ut intelligant, quia non alii, sed illi, qui participes fiunt Corporis, & Sanguinis Domini, Terram repromissionis accipient, cujus iter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriuntur, & melle*. Ad hunc ritum accedere videtur istud Concilii Africani Decretum: *Primitiæ vero, seu mel, & lac, quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in Altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur*. In vulgato etiam Romano Ordine extat benedictio lactis, & mellis in Sabbato Sancto, sed extra tamen Calicem facta, & seorsim pueris porrecta, ut alibi notavimus.

§. VII.

De Vesperis, & reliquis Missæ ritibus.

Facta Communione per Celebrantem, & eo purificato, cantatur a Cantoribus *Alleluja* ter, Psalmus, *Laudate &c.* prout in Ordinario pro Vesperis. Interim Celebrans accedit ad cornu Epistolæ, ubi accepta Mitra, lavat manus. Deinde illa deposita, stans ibidem, versus ad Altare, legit Vesperas. Cum cantatur Antiphona ad *Magnificat*, Cæremoniarius accedit ad Papam. cum thuribulo, qui, ministrante Presbytero Cardinali, imponit incensum, & Celebrans incensat Altare; incensatur ipse Celebrans, Papa, & omnes alii per Diaconum Capellæ ordine consueto. Replicata post *Magnificat*, Antiphona, Celebrans stans in medio Altaris versus ad populum dicit, *Dominus vobiscum*; deinde ante Librum, *Oremus*, & Orationem. Qua finita, Diaconus dicit, *Ite Missa est*, cum duplici *Alleluja*, & Papa dat benedictionem, & Indulgentias, quas denunciat Celebrans, & non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. QUum Missa Sabbati Sancti olim nocte celebraretur, hinc factum est, ut in Romana Ecclesia olim Vesperæ hujus diei post Missam prætermitterentur, cum iis persolvendis non superesset satis temporis. Testem hujus rei habemus vulgatum Alcuinum, qui

Digitized by Google

qui ita inquit: *In hac nocte de vespertinali apud Romanos nihil agitur, neque ante Missam, neque post Missam, quia secundum Augustinum, & alios Doctores istud Sabbatum non habet Vesperam.* Certe in Ordine I. Romano nulla in hac die Vesperarum mentio. Ex præscripto tamen Romani Ordinis XI. Num. XLIII. *dicitur ad Vesperas*, Alleluja, *Psalmus*, Laudate Dominum omnes gentes, *Antiphona*, Vespere autem Sabbati, Magnificat, & *dicitur Oratio*, &, Ite Missa est, *cum benedictione.* Excepta ergo Indulgentia, jam omnes alii ritus contenti in nostro §. olim in usu fuerant. In Ordine Romano XII. Vesperarum quidem fit mentio, sed nihil dicitur de Benedictione danda post Missam, & Indulgentiarum largitione: *Ad Vesperam*, inquit, *dicitur*, Alleluja, *Psalmus*, Laudate Dominum omnes gentes, *Antiphona*, Vespere autem Sabbati, *Oratio*; Ite Missa est.

II. Audiendus nunc Romanus Ordo XV. Cap. LXXXIII. ubi ritus omnes in hoc nostro §. præscripti, luculentissime recensentur his plane verbis: *Recepto igitur Corpore, & Sanguine domini nostri Jesu Christi, faciens Officium remanet super cornu dextrum Altaris, & Subdiaconus Papæ incipit Antiphonam*, Vespere autem Sabbati &c. *ante Papam, & Summus Pontifex incipit dictam Antiphonam, deposita Mitra, & ponit incensum in thuribulum, & iste qui facit Officium, thurificat ante Altare, & cantato per Cantores* (Cantico scilicet, *Magnificat*) *faciens Officium dicit Collectam in cornu Altaris prædicto, & non Papa, & semper stat sine Mitra. Aliqui Romani Pontifices consueverunt stare per totum*, Magnificat, *sine Mitra. Nota, quod in ista Missa, non dicitur*, Lætatus sum. *Data benedictione per Papam, vadit ad dandam Indulgentiam populo, comitantibus Cardinalibus.* Ita Romanus Ordo XV. in cujus recitatum locum multa observari possent, quibus omissis, describendum duxi hoc loco quod in suo Diario ms. de Vesperis hisce notavit Burchardus ad annum MCDLXXXVI. sic inquiens: *Cum diceretur Antiphona*, Vespere autem &c. *ante, Papa imposuit incensum, & incœpto* Magnificat, *Cardinalis celebrans incensavit Altare, postea fuit incensatus ipse, tum Papa, & alii omnes more consueto.*

III. Pergit Burchardus, aitque, fuisse tunc ipsum de ipsa Altaris incensatione facta per Celebrantem reprehensum a Cardinalibus, Vicecancellario, Neapolitano, & Senensi, dicentibus, *quod postquam pro Vesperis incœpta erat*, Alleluja &c. *Celebrans debuisset in cornu Epistolæ dixisse submissa voce omnia, etiam orationem*, Spiritum nobis Domine &c. *ac deinde in Faldistorio omnia paramenta deposuisse, & ivisse ad locum suum inter alios Cardinales, & sic incensationem Altaris, & orationem prædictam*, Spiritum nobis Domine &c. *cantandam pro Vesperis, Sanctissimo Domino Nostro Papæ reservasse, cujus essent Vesperæ, ex eo quod cras celebraturus erat Sanctitas Sua.* Huic objectioni respondisse se ait mox idem Burchardus, dicens, *quod præfata eo modo, ut dicebant*, prædicti scilicet Cardinales, *fieri non possent, neque deberent, sed eo modo, prout facta erant, quia Vesperæ hujusmodi essent pars Missæ, & non propriæ Vesperæ &c.* Addit, placuisse suam opinionem non modo Cardinali S. Marci, *qui eam omnino laudavit, & ita observari oportere dixit*, verum etiam Innocentio Papæ VIII. tunc regnanti, *qui etiam dixit, se, cum in minoribus esset, pluries in Vigilia hujusmodi in Capella coram Sixto IV. celebrasse, & semper ad* Magnificat *Altare incensasse, prout vere faciendum est, & fieri omnino oportet.*

IV. Itaque, vel teste Burchardo, Vesperæ ipsæ sunt pars Missæ, & non proprie Vesperæ, imo, uti notat Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXXI. perperam appellantur hoc nomine; quomodo enim recte appellari potuissent Vesperæ post mediam noctem, & quando nimis etiam tarda erat hora pro recitandis primis duobus Nocturnis Matutini? Erant igitur ipsæ Vesperæ gratiarum actio pro novis baptizatis, ut colligitur ex Psalmo, *Laudate Dominum omnes gentes*, & ex Cantico, *Magnificat*. Constitutiones Apostolicæ S. Clementi Papæ tributæ, Lib. VII. Cap. XLV. statuunt, ut post Baptismum dicatur Psalmus, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Concilium Aquisgranense anno Domini DCCCXXXVI. celebratum, Cap. II. Can. IX. de his Vesperis loquitur tanquam de gratiarum actione, quas Ecclesia Deo referebat pro filiis suis ad Festum Paschatis perductis, atque etiam pro Neophytis; quas quidem preces Vesperarum loco habendas docet, easque solemniter jubet celebrari: *Vespertinales quoque preces in Vigilia Paschæ melius celebrandæ sunt propter lætitiam resurrectionis Domini, quam dimittendæ*. Porro incensato in Vesperis hisce Altari ad Canticum *Magnificat*, incensatur deinde Celebrans stans sine Mitra, meritoque hunc errorem notat Mucantius in suo Diario ad annum MDLXXVI. agens de Sabbato Sancto, quod *Celebrans incensato altari ad* Magnificat, *fuit incensatus ipse cum Mitra, sed male videtur, cum Papa incensetur sine Mitra, & cantatur* Magnificat, *ad quam, cum sint verba Evangelii, convenit stare capite detecto*. Addit mox publicatam tunc etiam fuisse Indulgentiam decem annorum,

V. Reliquum est, ut de Vesperis ipsis nonnulla observemus, quæ notavit Martene in toties citato Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis officiis*, Cap. XXIV. Num. XXXV. Et quidem I. ex Missali Bituricensi, & Tolosano, atque etiam ex Ordinario Narbonensi, & Uticensi, Psalmus, *Laudate Dominum omnes gentes*, ter decantari debet, qui usus valuit etiam in Ebrodunensi, Glandatensi, & Tholonensi Ecclesiis, ut fidem faciunt earum Missalia. II. Ex Ordinario Argentino, & ex Missali, & Breviario Parisiensi, sine *Gloria Patri*, Psalmus ipse cantabatur; id quod etiam de Cantico *Magnificat*, tradit Belethus in sua Divinorum Officiorum explicatione. III. Antiphona ad *Magnificat* juxta morem Ecclesiæ Arelatensis *triumphabatur*, idest, ter dicebatur. IV. In Ecclesia Lugdunensi Vesperæ cum tribus Psalmis, totidemque Antiphonis, cum Capitulo, Versu, Antiphona ad *Magnificat*, & Oratione concinebantur. V. demum brevissimæ sunt ipsæ Vesperæ ex præscripto non modo Romanorum Ordinum, verum etiam ex communi omnium Ecclesiarum

Digitized by Google

siarum usu, cujus etiam hanc rationem assignat Durandus, dicens scilicet fieri hoc officium breve, *propter ipsos Neophytos, quibus omnia debent breviter cantari, maxime primo die, ne eis generetur fastidium ex prolixitate; unde sub una Collecta Missa & Vesperæ clauduntur, ne forte, si finita Missa, dicerentur Vesperæ, Neophyti non auditis Vesperis recederent, credentes habere licentiam abeundi.* Addit alia Durandus, quæ & ante ipsum notavit Belethus.

§. VIII.

De Prophetiis cantatis hac die a Cardinalibus ex ordinatione Sixti Papæ IV.

Notandum, quod felicis recordationis Sixtus Papa Quartus ordinavit, quod Cardinales dicerent Prophetias supradictas, primam junior Cardinalis, sive Diaconus esset, sive Presbyter, aliam sequens, & sic de aliis, continue gradatim ascendendo usque ad nonam inclusive, decimam Cardinalis assistens, duodecimam dixit Sanctitas sua, & hæc ordinatio fuit tempore suo observata, postea dimissa, quia non videbatur dignitati Apostolicæ convenire, ac quadrare cæremoniis Papalibus, & debitis.

COMMENTARIUS.

I. DE Prophetiis, seu Lectionibus cantandis hac die, jam dictum a nobis superius fuit in Commentario ad §. IV. dicendumque hic iterum est, vel juxta Romanum Ordinem XV. Cap. LXXXVIII. consuevisse eas legi a Clericis Capellæ, novumque iccirco fuit quod statuit Sixtus Papa IV. cantari scilicet eas debere a Cardinalibus; qui ritus, sicut & alii plures ordinati a laudato Pontifice, licet toto sui Pontificatus tempore observati fuerint, dimissi tamen post ejus obitum penitus sunt, uti in hoc §. notatur; quia scilicet, *non videbatur dignitati Apostolicæ convenire, ac quadrare cæremoniis Papalibus, & debitis*, Cavendum itaque a novitatibus, præsertim in Pontificia Capella, quæ tenax semper veterum rituum fuit, munusque Cæremoniariorum Apostolicorum est, curare, ne novi ritus introducantur, ubi scilicet aliqua necessitas non urgeat, & ubi expressa non habita sit Papæ licentia.

CAPUT LVIII.

De habitu, quo utitur Papa die Sabbati Sancti usque ad Sabbatum in Albis inclusive.

Hoc mane Sanctissimus Dominus noster, finita Missa, & dimissis in Camera papagalli paramentis prædictis, accipit Capucium, & birretum alba, quibus utitur deinde usque ad Sabbatum in Albis inclusive, & iisdem diebus Paschalibus non utitur aliquo habitu rubeo, sed albo tantum, & similiter, si uti vellet mantello coloris albi, uteretur his diebus, & non alterius coloris.

COMMENTARIUS.

I. PAulo aliter loquitur de hoc ritu Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Capite LXXXIII. in fine, ubi postquam mentionem fecit dandæ Indulgentiæ Populo, comitantibus eum Cardinalibus, ita statim subdit: *Deinde revertitur*, Papa scilicet, *ad Cameram suam, & deponit paramenta, & recipit Chlamydem cum Capuceo de scarletto albo, quibus utitur per totam Octavam inclusive, vel saltem usque ad Dominicam in Albis post prandium, sed melius est quod portet per totam diem, cum quibus etiam vadit ad mensam, & ad Missam in Capella sua.*

II. Præter ritum hucusque descriptum, notatu dignus est & alius ritus, cujus mentionem faciunt ms. Codex Piersanctianus & Cæremoniale ms. Davantriæ, ex quibus habemus, dici consuevisse olim post prandium a Pontifice & Cardinalibus Matutinum, & tum ante, tum post dari ab ipso Pontifice Pluviali albo induto consuevisse Indulgentiam: *Post prandium vero, antequam Papa vadat ad Matutinas, veniunt Cardinales, & una cum eis, & aliis adstantibus, indutus Pluviali albo, & Mitra cum perlis, ad fenestram, & datis Indulgentiis more solito, venit ad Cameram, & deponit paramenta, & recipit mantellum album cum Caputio, & descendit ad Capellam. & audit Matutinum; quibus finitis, dat benedictionem dicens*: Sit Nomen Domini benedictum, *& acceptis in Camera paramentis prædictis, vadit iterum ad fenestram, & dat ibi Indulgentiam.* Atque hæc sunt, quæ in citatis mss. Codicibus leguntur in ea Rubrica, cui Titulus: *De Presbytero Cardinali ista die serviente Papæ in Officio Capellani*. Sed de eadem hac re nonnihil etiam infra dicemus in Commentariis ad Titulum II. qui est de Paschatis Festo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIX.

De Sabbato Sancto, Papa abſente.

Si autem Papa hujus diei Officio non intereſſet, Cantores legunt omnes duodecim Prophetias ante pulpitum, ut ſupra poſitum. Quibus finitis, Celebrans, depoſita Planeta, reaſſumpta Mitra, aſſociantibus ipſum Diacono & Subdiacono, vadit ad ſcabellum cum cuſsino ſibi paratum, ubi Papa Confeſsionem facere ſolet, ubi genuflectit cum Mitra, quouſque dicatur, *Peccatores*. Tunc ſurgit, & vadit ad Faldiſtorium, deponit paramenta violacea, & capit alba, & Mitram pretioſam. Finita Litania, accedit ad Confeſsionem, Cantores incipiunt, *Kyrie eleiſon*, ac alia fiunt, ut ſupra dictum eſt. Subdiaconus Apoſtolicus non paratur, nec annunciat, *Alleluja*; ſed finita Epiſtola, poſtquam Subdiaconus ejus manum oſculatus fuerit, ſurgit Celebrans, depoſita Mitra, verſus ad Altare, ante Faldiſtorium ſtans, cantet *Alleluja* ter, ut ſupra dictum eſt, Cantoribus totiens idem reſpondentibus. Omnia fiant, ut ſupra, & non fit Sermo.

NOTA.

Nihil eſt in hoc Capite, quod explicatione indigeat, cum quæ ſuperius late jam diximus, faciant quoque ad hujus Capitis explicationem; neque enim decet, ubi opus non eſt, abuti tempore ac literis.

CAPUT LX.

De Sabbato Sancto, Papa celebrante.

§. I.

De benedictione novi ignis peragenda per juniorem Præsbyterum Cardinalem ante Papæ adventum ad Eccleſiam.

Si in hac die Sabbati Sancti Papa voluerit perſonaliter celebrare, hic ordo ſervabitur. Primo ignis novus benedicetur apud Altare, in quo Papa eſt celebraturus, a juniori Presbytero Cardinali, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo induto, & ſimul incenſum Cereo affigendum ordine ſuperius adnotato, & hoc antequam Pontifex veniat ad Eccleſiam.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam olim ipſi Romani Pontifices Miſſarum Solemnia, aliaſque ſacras functiones Sabbato Sancto celebrarent, benedictio tamen novi ignis jam peragi conſuevit a juniore Presbytero Cardinali, uti conſtat ex antiquo Romano Ordine x. ubi agit de Sabbato Sancto, Num. XVI. *Hora ſexta*, inquit, *conveniunt omnes ad Eccleſiam, excuſſo novo igne de cryſtallo, ſive de lapide, unde Cereus debet a Diacono accendi*, Tum vero ſequitur *Benedictio, quæ debet fieri a juniore Presbytero Cardinali &c.* Præterea ex præſcripto Ordinis XII. Romani, Cap. XIV. quod inſcriptum eſt, *Quid debeat Dominus Papa facere in Sabato Sancto*, & ubi expreſſe edicitur, quod Papa celebrat Miſſam hac die, quod benedictionem novi ignis ſpectat, diſerte idem Ordo aſſerit, peragi illam a juniori Presbyterorum Cardinalium: *In Sabbato Sancto hora ſexta efficitur novus ignis in Atrio ante portas Lateranenſis Eccleſiæ, & benedicitur a juniori Presbyterorum Cardinalium, cum incenſo, & aqua benedicta*. Benedici novum ignem a juniore Cardinale Presbytero, etiam celebrante Papa hac die Miſſam, docent Romani Ordines XIV. & XV. quorum alter Capite LXXVIII. inter alia ait, benedici ipſum ignem, *antequam Papa veniat ad Capellam*. Ceterum, licet novus ignis ex noſtro §. benedici debeat *apud Altare, in quo Papa eſt celebraturus*; conſtat nihilominus ex recito loco Ordinis Romani XII. fieri olim conſueviſſe & ipſum ignem *in Atrio ante portas Lateranenſis Eccleſiæ*, & benedici utique ibidem a juniori Presbytero Cardinali, nam ita idem Ordo ſtatim ſubdit: *Deinde pergunt in Eccleſiam cum novo igne &c.* Sed de ipſo igne, ac ejus benedictione, jam ſupra abunde nos diſſeruimus.

§. II.

De acceſſu Pontificis ad Capellam, & benedictione Cerei Paſchalis.

Hora competenti Papa indutus, ut ſuperius dictum eſt, venit ad Capellam, præcedente Cruce more conſueto, ſine Proceſſione tamen. Orat ante Altare, aſcen

Digitized by Google

ascendit Sedem eminentem, & fit ei reverentia a Cardinalibus cum Cappis laneis; imponit incensum per Acolythum sibi delatum, ministrante Presbytero Cardinali; & Diaconus Cardinalis Evangelium, & Subdiaconus Apostolicus Epistolam dicturi, parati cum Dalmaticis, & Tunicellis albis, & aliis ornamentis consuetis accedunt, & Subdiaconus quidem capit Crucem Papalem, & præcedente Thuriferario, incipit iter extra Capellam. Diaconus vero inclinatus ante Pontificem dicit, *Jube Domine benedicere*, & Papa, *Dominus sit in corde tuo &c.* & mox Subdiaconus sequitur, & post eum quatuor alii Acolythi, quorum unus portat bacile cum quinque granis incensi figendis in Cereo. Cum pervenerint extra Capellam in loco præparato, Diaconus accipit arundinem cum tribus candelis, & intrans Capellam, tertio genuflectit, dicens, *Lumen Christi*, ut superius dictum est; & tandem tradita arundine uni ex Acolythis, accedit ad pulpitum, supra quod positus est Liber Evangeliorum. Incensat, & incipit, *Exultet jam Angelica &c.* pro benedictione Cerei, (1) & facit, prout in Ordinario.

COMMENTARIUS.

I. Nihil afferri ad hunc explicandum §. luculentius potest, quam quod legitur in Romano Ordine xv. Auctore Amelio, Capite LXXVIII. ubi agitur de Officio Sabbati Sancti, celebrante Papa: *Hora debita*, inquit, *omnibus prædictis primo completis, ut dictum est, Papa indutus Manto rubeo, & cum Mitra prædicta* (alba scilicet de garnello sine aurifrisiis, & perlis, ut paulo superius in eodem Ordine edicitur) *venit ad Capellam, eum associantibus Cardinalibus, qui sunt ibi in Camera cum eo præsentes, cum duobus antiquioribus Diaconis Cardinalibus sibi assistentibus, ut moris est, uno a dextris, & alio a sinistris, & deposita sibi Mitra per Diaconum Cardinalem, qui est a dextris ejus, flexis genibus orat aliquantulum ante Altare, ubi est Cathedra cum scabello, & pulvinari parata; & facta oratione, surgit, & vadit ad Sedem suam magnam quodam panno nobili coopertam, & reposita sibi Mitra sedet. Deinde veniunt Cardinales more solito ad reverentiam Papæ; qua reverentia facta, junior Diaconus Cardinalis, qui debet benedicere Cereum, indutus paramentis albis, videlicet Amictu, Superpliciostricto, Alba, Stola, Tunicella, Dalmatica, & Manipulo exit regias Capellæ, & præcedentibus eum Ministris cum Cruce, concomitantibus eum Capellanis, & Cantoribus, & reliquis de Clero, & populo, vadit quasi ad finem Capellæ, & recipit de manu Acolythi, vel Ministri arundinem trium cubitorum, & dimidii cubiti triplicem candelam accensam de novo igne illuminatam habentem, & ibi genuflectendo arundini, elevatis paululum manibus cum arundine dicit cantando*, Lumen Christi; *& respondentibus omnibus aliis*, Deo gratias, *vadit quasi ad portam regiarum dictarum, & ibi secundo genuflectit, & plus solito manibus elevatis vocem magis elevando dicit*, Lumen Christi; *& omnibus respondentibus*, Deo gratias, *postmodum vadit usque ante Altare, & ibi tertio genuflectit, & plus elevatis manibus, elevando vocem magis dicit*, Lumen Christi; *& omnibus respondentibus*, Deo gratias, *postea ascendit ad pulpitum adornatum, & absolute incipit benedictionem Cerei, & cantando dicens, ut sequitur*, Exultet jam Angelica turba Cælorum, *continuando ipsam benedictionem usque ad finem; & tempore debito ponuntur per ipsum Diaconum Cardinalem quinque grana incensi in Cereo in medium Crucis. Postea tempore debito accendatur Cereus de igne novo prædicto, prout in Rubricis in ipsa benedictione positis præcipitur, & mandatur*. Scio, hæc superius fuisse a nobis descripta, sed operæ pretium duxi ea hoc loco repetere, sequens ordinem nostri hujus Cæremonialis, in quo sæpe dicta uno in loco, in aliis repetuntur. Cererum quod Cerei benedictionem spectat, & ritus in ea servandos, videri possunt quæ supra notavimus in explicatione ejus Capitis, quod inscriptum est, *De Sabbato Sancto, Papa præsente*.

§. III.

De hora Nona, & præparatione Pontificis ad Missam, ac ejusdem, & Cardinalium, aliorumque Prælatorum indumentis, quibus utuntur, dum recitantur XII. *Prophetiæ, & Litaniæ.*

Finita benedictione Cerei (2), Diaconus, & Subdiaconus deponunt Dalmaticam, & Tunicellam albas, & Pontifex surgens sine Mitra, secrete dicit, *Pater noster* pro Nona, & in fine Pontifex vadit ad Faldistorium, & procumbit, dum dicitur, *Christus factus est pro nobis obediens &c.* & dicit Orationem, *Respice quæsumus Domine &c.* Interim vero Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, ac Acolythi omnes alii capiunt Superpellicea, & Pontifex, finita Oratione, surgit, & vadit ad Sedem, ubi consuevit

(1) Hæc verba, *& facit, prout in Ordinario*, leguntur in editione Romana; desunt vero in Veneta 1. & Colonensi.
(2) Verba hæc quoque, *Finita benedictione Cerei*, leguntur in editione Romana, & desunt in aliis.

Digitized by Google

vit accipere paramenta, ſedet, accipit Sandalia, dicit Pſalmum, *Quam dilecta*, & alias Orationes conſuetas, lavat manus, & paratur omnibus ornamentis Pontificalibus violaceis, Pallio, & Mitra ſimplici, a Diacono, & Subdiacono in Albis exiſtentibus, & dum Papa accipit Planetam, Cardinales, & alii Prælati omnes capiunt paramenta ſibi convenientia violacei coloris. Diaconus, & Subdiaconus, induto Pontifice, accipiunt Planetas ante pectus plicatas, & Manipulum. Prior Presbyterorum Cardinalium aſſiſtit Pontifici cum Pluviali violaceo. Sandalia tamen Papæ erunt alba, cum perlis, quia illa non mutat, & ſimiliter Subcinctorium, & Stola. Tunc Papa cum Presbytero Cardinali, & Diaconis aſſiſtentibus, & cum Diacono, & Subdiacono Miniſtris, non tamen proceſſionaliter, accedit ad Altare, & tres Presbyteri Cardinales non veniunt obviam; aſcendit ad Altare, & ſine Mitra illud oſculatur; deinde reaſſumpta Mitra, aſcendit ad Sedem eminentem, & ibi ſedens aliquantulum quieſcit. Si autem non eſſet ibi Sedes ad partem, ubi accipiat paramenta, poterit illa recipere in Sede conſueta, & inde deſcendere ad Altare, & rurſus illuc redire. Si vero Diaconus Cardinalis Evangelium dicturus, non ſit diſpoſitus cantare, *Lumen Chriſti*, & facere benedictionem Cerei, poterit id fieri non incompetenter per Diaconum Capellæ, ſicut *Paſſio* cantatur per alios, quam per Diaconum ordinarium, & maxime cum Papa tunc non ſit indutus Miſſalibus indumentis. Pontifice igitur in ſua Sede, Diacono Evangelii apud Altare, & aliis omnibus in locis ſolitis conſedentibus, unus Acolythorum cum Superpelliceo ſurgens, vadit ad pulpitum (1) nudum, poſitum contra cornu Epiſtolæ ſub Presbyterio, & ſine Titulo cantat primam Prophetiam, *In principio creavit Deus &c.* & illa finita, ſi placet Domino noſtro, eadem cantatur Græce, ſecundum Jacobum Gajetanum, & ſecundum Petrum Amelii (2) Epiſcopum Senogallienſem, & alios, qui ſcripſerunt de Cæremoniis. Legi etiam apud alios Majores noſtros, coram Pontifice omnes duodecim Lectiones Latine, & Græce legi conſueviſſe, ſed poſteriores de prima tantum fecerunt mentionem. Finita Lectione, accedit ad oſculum pedis Papæ, & Papa ſurgens ſine Mitra, dicit, *Oremus*. Diaconus a dextris, *Flectamus genua*, & Diaconus a ſiniſtris, *Levate*. Deinde Papa proſequitur Orationem. Aliæ Lectiones, ſive Prophetiæ ſimili modo dicuntur per Acolythos, & per Capellanos Papæ, ideſt, per Auditores, & Diaconi aſſiſtentes alternatim dicunt (3) a dextris, *Flectamus genua*, & a ſiniſtris, *Levate*, & ſic de inceps. Finitis duodecim Lectionibus, Papa deſcendit ante Altare, deponit Pallium, & Planetam & cum Mitra procumbit ſuper Faldiſtorium, dum dicitur Litania. Alii autem Cardinales, (4) & Prælati procumbunt ſuper ſedes ſuas, & ſine Mitra. Subdiaconus autem non Epiſtolæ aliquantulum retro Papæ a dextris contra cornu Epiſtolæ genuflexus ante ſcabellum, ſupra quod Librum tenèt, cantat Litaniam, & Chorus reſpondet replicando eadem, quæ ille dicit.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam & explicati ſuperius fuerint ritus notati in noc præſenti §. ubi ſcilicet egimus de Sabbato Sancto, Papa præſente, cogimur & hoc loco aliquid aliud dicere, ſequentes ordinem noſtri Cæremonialis, quod in ipſo præſenti §. ritus præſcribit, qui, celebrante Papa, ſervandi ſunt mane Sabbati Sancti, quique egregie deſcripti habentur in Ordine XV. Romano, Capite LXXVIII. *Facta igitur benedictione Cerei*, ait, *Papa deſcendit de Sede illa, & vadit ad revestiarium longe ab Altari paratum, ſi ſit, alias vero ſi non ſit, ibidem calceatur Sandalia*, legendo, Quam dilecta, *quæ debent eſſe alba cum perlis, quia ea non mutat. Deinde induitur omni ornatu ſuo Quadrageſimali violacei coloris, ſcilicet Alba abſque paramentis, Cingulo, & Succinctorio albi coloris, Pectorali, Fanone, Stola cum perlis (& iſta non mutat) Tunicella, Dalmatica violacea (interdum veſtes iſtas duas propter tædium expoliandi, & induendi, Romani Pontifices conſueverunt portare albi coloris, verumtamen totum ſtat in beneplacito eorum) Planeta violacea per*

(1) *Nudum*, legendum, tametſi in x. Veneta editione, & in Romana quoque, & Colonienſi legatur, *nondum*.
(2) In editione Romana perperam legitur, *Ainelii*. (3) Ita legendum cenſui, nam alias in omnibus citatis editionibus ita legitur, *alternatim dicunt*, Flectamus genua, *& a dextris*, Levate.
(4) Conjunctionem, *&*, poſuimus nos, minus enim proprie in ipſis editionibus legitur: *Alii Cardinales Prælati procumbunt &c.*

Digitized by Google

per Diaconum Cardinalem, qui fecit benedictionem Cerei, ſtantem in Alba tantum cum Stola; & poſtquam Papa Chirothecas induerit, omnes Cardinales paramenta ſua recipiunt; & etiam ipſe Diaconus Cardinalis, qui induit Papam. Papa induto, induit ſibi Planetam violaceam, ſicut & alii Diaconi Cardinales. Subdiaconus vero non Planeta, ſed Tunicella alba utitur in toto Officio, & in Miſſa, ut magis ſit compoſitus, & expeditus ad legendum Lectiones, & alia, quæ ſibi illa die agenda incumbunt. Omnibus paramentis receptis, & Mitra Papæ prædicta repoſita per dictum Diaconum Cardinalem, recipit Anulos, ſcilicet Pontificalem, & minorem de manu Epiſcopi, vel Presbyteri Cardinalis ſibi in Officio, vel in Miſſa de Libro ſervientis.

II. Pergit idem Ordo Romanus, aliaque enarrat, quæ deinde Auguſtinus Patricius Cæremonialis hujus ordinator in meliorem formam redegit, & in hoc §. deſcripſit. Sic autem prædictus Ordo ſubjicit: *Deinde Papa proceſſionaliter vadit ad Sedem ſuam magnam prædictam longe ab Altari cum ſilentio, aſſiſtentibus ſibi duobus Diaconis Cardinalibus prædictis antiquioribus.* Intelligendum id ſane mox monet, *ſi induatur in Sacrario, vel veſtiario, ibidem etiam proceſſionaliter vadit; quod ſi Papa induatur in ipſa Cathedra, & non in veſtiario, ibidem etiam ſedet, duobus Diaconis Cardinalibus, & Presbytero Cardinali ſibi in Officio, & Miſſa ſervienti ante eum ſuper ſcabella, ut moris eſt, aliis vero Diaconibus Cardinalibus ante Altare in loco ſolito ſedentibus. Similiter & omnes alii Cardinales ſedent in locis ſuis, prout eſt conſuetum.* Porro ſedentibus omnibus, ex præſcripto ejuſdem prædicti Ordinis XV. *poſtea unus de Clericis Capellæ, ſeu Acolythis, vadit ad pulpitum nudum, ubi debet eſſe Liber Epiſtolarum paratus ad legendum Lectiones, & abſolute ſine titulo incipit, & legit Lectionem*: In principio Deus creavit Cælum & terram &c. *& ipſa Lectione finita, ſi Papa velit, Græcus Diaconus (forte Subdiaconus legendum, ut in Cæremoniali Davantriæ) legit eam in Græco; qua completa, Papa in prædicta Sede ſtando, ac depoſita ei Mitra per Diaconum Cardinalem ſibi a dextris aſſiſtentem dicit*, Oremus, *& Diaconus Cardinalis, qui eſt a dextris Papæ, immediate dicit*, Flectamus genua; *deinde alter, qui eſt a ſiniſtris, dicit*, Levate; *& poſtea Papa dicit orationem, quæ competit, & reliqua fiunt, & leguntur, prout in Miſſali, ſeu in Ordinario ſunt notata.*

III. Hactenus laudatus Ordo XV. cujus loca tametſi prolixa, & minus elegantia, libenter deſcribo, tum quia multa ex ipſo Ordine accepit Patricius in ordinatione novi hujus Cæremonialis, tum vero potiſſimum, quod non pauci Pontificii ritus in eo luculentius, ac in ipſo novo Cæremoniali enarrentur; ut alia omittam ibidem notata, quæ in Cæremoniali deſiderantur. Unum profecto illud eſt de Presbytero Cardinali ſerviente Papæ hac die in officio aſſiſtentis, de quo hæc habet notatu digna hoc locomemoratus toties Romanus Ordo XV. Cap. LXXX. *De Presbytero Cardinali ipſo die ſerviente in officio Capellani ſciendum eſt, quod in toto Officio hodierni diei ſervit Papæ in officio Capellani unus Presbyter Cardinalis, videlicet ille, cui Papa mandaverit, vel alicui priorum diaconorum Cardinalium, ex præcepto Papæ hoc facere commiſerit, videlicet de Libro, quando Papa dicit dictas Orationes poſt quamlibet Lectionem, tenens Librum ſupra caput ſuum, & in Altari etiam poſt receptionem paramentorum tradit Papæ Anulos, ſcilicet Pontificalem, & minorem in eodem digito; & etiam quando Papa deponit paramenta, ipſe Presbyter Cardinalis recipit dictos Anulos de manu Papæ, & ſemper in dando, & retrahendo, oſculatur manum Papæ.* Addit etiam mox, ſuis modernis temporibus, priorem Epiſcoporum, vel priorem Presbyterorum, vel ſubpriores in priorum abſentia, ſemper Papæ ſervire conſueviſſe in dicto officio Capellani; atque ita ſe vidiſſe teſtatur obſervari *tempore domini Urbani Quinti, Gregorii XI. & Urbani VI. Romanorum Pontificum.* Agunt & de Presbytero Cardinali ipſa die ſerviente Papæ in officio Capellani, ms. Codex Pierſanctianus, & Cæremoniale ms. Davantriæ, in quibus, ſi pauca excipias, eadem leguntur, quæ ex Ordine XV. Romano deſcripſimus.

IV. Porro ipſi Romano XV. Ordini, aliiſque eo antiquioribus concinit noſter §. ex cujus præſcripto, *Pontifice in ſua Sede, Diacono Evangelii apud Altare, & aliis omnibus in locis ſolitis conſidentibns, unus Acolythorum cum Superpelliceo ſurgens vadit ad pulpitum nudum poſitum contra cornu Epiſtolæ ſub Presbyterio, & ſine titulo cantat primam Prophetiam*, In principio creavit Deus Cælum &c. *& illa finita, ſi placet Domino noſtro, eadem cantatur Græce, ſecundum Jacobum Gajetanum, & ſecundum Petrum Amelii Epiſcopum Senogallienſem, & alios, qui ſcripſerunt de Cæremoniis.* Addit tum mox Auctor ipſe hujus Cæremonialis Auguſtinus Patricius ſub variis Pontificibus Maximis Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, ſe legiſſe *etiam apud aliquos Majores noſtros, coram Pontifice omnes duodecim Lectiones Latine, & Græce legi conſueviſſe, ſed poſteriores de prima tantum feciſſe mentionem.* Fuiſſe hunc antiquum Ritum Romanæ Eccleſiæ, & aliarum etiam plurium, ut duodecim ipſæ Lectiones Latine, & Græce legerentur, conſtat ex Ordine I. Romano omnium vetuſtiſſimo, Capite inſcripto, *In Sabbato Sancto*, Num. XVII. apud Mabillonium Tomo II. Muſæi Italici pag. 104. Sed de hoc ritu jam fuſe diximus ſupra in Capite, *De Sabbato Sancto, Papa præſente*, in Commentariis ad ipſum Caput, viderique iccirco poſſunt a curioſo Lectore quæ ibidem notata a nobis fuerunt.

V. De Litania quoque ſupervacaneum cenſeo loqui in hoc Commentario, cum & is pariter ritus explicatus ibidem opportune jam fuerit. Unum deſcribam quod de eodem ritu ſcriptum reliquit Romanus Ordo XV. Cap. LXXX. ubi ſic inter alia inquit: *Completis vero Orationibus, Lectionibus, & Tractis, Subdiaconus Tunicella alba, ut prædicitur, indutus, vadit ad pulpitum, ubi Lectiones lectæ fuerunt, & ibi cantando dicit Letaniam, & reſpondetur ſibi per omnes qualibet vice, verba ipſius Subdiaconi, & in eadem nota repetendo.* Notatu digna

Digitized by Google

digna hæc quidem ſunt; ſicut & alia, quæ ſtatim ſequuntur: *In principio Letaniæ, Papa, depoſito Pallio, ſpinellis, & Planeta, deſcendit de Sede prædicta, & vadit ad Cathedram coram Altari paratam cum ſcabello, & pulvinari, Mitram prædictam tenens in capite, & ibi ſtat genibus flexis, quouſque perveniatur ad locum, ubi dicitur*, Peccatores te rogamus audi nos. Eadem legere eſt in ms. Codice Pierſanctiano.

§. IV.

De veſtium mutatione, ornatu Altaris, & initio Miſſæ celebrante Papa uſque ad Epiſtolam.

Cum perventum eſt ad *Peccatores*, ſurgit Papa cum ſuis aſſiſtentibus, & Miniſtris, & vadit ad Sedem, ubi accipere conſuevit paramenta. Diaconus, & Subdiaconus, dimiſſis Planetis, accipiunt albas Tunicas, & Papam exuunt violaceis, & induunt albis paramentis, & omnes Cardinales, & Prælati accipiunt paramenta alba, & Sedes ornantur albis palliis, & accenduntur luminaria ſuper Altare. Interim Subdiaconus alius proſequitur Litaniam uſque in finem, & Cantores, illa finita, cantant, *Kyrie eleiſon*, quouſque Papa fuerit in Sede eminenti ad cantandum *Gloria*. Papa autem aſſumptis precioſis ornamentis (1) facit Confeſſionem, & poſito incenſo in thuribulo, Cruce præcedente, proceſſionaliter procedit ad Altare, oſculatur Altare, & Librum Evangeliorum incenſat, incenſatur, recipit tres Diaconos ad oſculum ex more, & aſcendit ad Sedem eminentem, ubi dicto, *Kyrie eleiſon*, novies, cantat, *Gloria in excelſis Deo*, pulſantur campanæ, proſequitur, *& in terra*; deinde, *Pax vobis*, & Orationem; & Subdiaconus deinde dicit Epiſtolam more conſueto.

COMMENTARIUS.

I. Idem pene ſunt ritus, qui hic recenſentur, ubi agitur de Miſſa, quæ celebratur a Papa Sabbato Sancto, ac illi ſuperius deſcripti de Miſſa ejuſdem diei ab alio celebrata, Papa præſente. Audiendus nihilominus Ordo Romanus XV. Cap. LXXX. ubi diſertius ritus ipſi notati ſunt his verbis: *Tunc vero Papa ſurgens* (cum nempe in Litania dicitur, *Peccatores &c.*) *vadit ad aliam Cathedram longe ab Altari paratam, vel ad reveſtiarium, ſi ſit, & depoſitis paramentis violaceis prædictis, induitur ipſe Papa paramentis albis, & ſolemnibus per Diaconum Cardinalem, qui Evangelium eſt dicturus, qui quidem Diaconus paratus debet eſſe paramentis albis, quando iuduit Papam, prout erat in Cerei benedictione. Similiter & omnes alii Cardinales paramenta alba recipiunt, videlicet Epiſcopi Cardinales Cottam, Amictum latum, Pluviale; Presbyteri vero Cardinales ſimiliter, non tamen Pluvialia, ſed Planetas recipiunt; Diaconi vero Cardinales & ſimiliter Amictum ſtrictum, Tunicellam, & Dalmaticam recipiunt; & omnes Prælati Pluvialia. Quibus paramentis per Papam receptis, imponitur ſibi Mitra nobilis, & ſolemnis, & recipit ambos Anulos de manu Presbyteri Cardinalis, ut ſupra; & aſſiſtentibus ſibi prædictis duobus antiquioribus Diaconis Cardinalibus, uno a dextris, & alio a ſiniſtris, vadit proceſſionaliter ad Altare, & veniendo, occurrunt ei tres Presbyteri Cardinales parati, & ipſe, ut moris eſt, recipit eos ſecundum ordinem ſuum ad oſculum oris & pectoris. Deinde vadit ad Altare, & facit Confeſſionem ſuam more ſolito, & poſtea oſculatur Altare, & Librum Evangeliorum in principio Evangelii dicendi in Miſſa; & vertit ſe ad Diaconos Cardinales, qui more ſolito faciunt ei reverentiam, & Papa per ordinem ſuum eos recipit ad oſculum oris, & pectoris, & exinde recipit thuribulum de manu Diaconi, qui illa die debet dicere Evangelium.* Addit que mox, Dominum de Francia Cardinalem introduxiſſe conſuetudinem, *quod Cardinalis, qui ſervit Papæ, præſentet thuribulum cum navicula, & Papa ponit incenſum, & Altari incenſato, reponitur ſibi Mitra, & tunc recipit Diacones Cardinales ad reverentiam, & Altare incenſat more ſolito.*

II. Multa inveniet curioſius Lector in recitato hactenus loco luculentius explicata, ac in hoc noſtro §. in quo nulla fit mentio occurſus trium Presbyterorum Cardinalium Pontifici, eorumque receptionis ad oſculum oris, & pectoris, dum Pontifex ad Altare procedit; cujus ritus expreſſe etiam meminere ms. Codex Pierſanctianus, & Cæremonialis ms. Liber Davantriæ. Quidquid ſit, ex eodem Romano Ordine XV. cui prædicti Codices mſs. concinunt, incenſato Altari, *poſtmodum vadit Pontifex ad Sedem ſuam, ubi ſtando, abſque Introitu dicit*, kyrie eleiſon: *& finito novies per Cantores*, kyrie eleiſon, *Papa ſurgit, & depoſita ſibi Mitra per Diaconum Cardinalem, qui ſtat a dextris, incipit ſolemniter*, Gloria in excelſis Deo, *& tunc pulſatur magna campana; quo cantato, ſurgit, & Mitra depoſita, ut ſupra, dicit*, Pax vobis, *& reſpondentibus omnibus*, Et cum Spiritu tuo, *dicit*, Oremus. Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem &c. *qua Oratione finit a, Subdiaconus dicit Epiſtolam.* Eadem & hæc ſunt, quæ in noſtro §. deſcripta ſunt, & quæ ſervan-

(1) Verba ipſa, *fac it Confeſſionem*, leguntur in editione Romana, & deſiderantur in Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

servantur etiam in aliis Missis solemnibus, quæ ab Episcopis celebrari Pontificaliter solent hac die; viderique iccirco possunt non modo quæ diximus supra in Commentariis ad Caput LXVII. quod inscriptum est, *De Sabbato Sancto, Papa præsente*, sed & in illis, quibus Cæremoniale Episcoporum explicuimus Lib. II. Capite XXVII. & sequenti.

§. V.

De aliis hujus Missæ ritibus usque ad Purificationem.

Finita Epistola, Subdiaconus, dimisso Libro in manibus Cæremoniarii, immediate accedens ante Solium Pontificis, stans infra gradus, voce submissa dicit, *Pater Sancte, annuncio vobis gaudium magnum, quod est Alleluja*, & mox ascendens osculatur ejus pedem, & accedens unus ex Auditoribus, præintonat Papæ, *Alleluja*, qui surgens sine Mitra, tertio cantat, *Alleluja*, ut in Ordinario. Deinde sedet, & cantatur, *Alleluja*, & Versiculi, & Evangelium, ad quod non portantur luminaria, sed incensum tantum, & petitur benedictio, & osculatur Liber. Papa non dicit, *Credo*, nec Offertorium, sed dicto, *Dominus vobiscum*, lavat manus; descendit ad Altare, & procedit in Missa, ut alias, usque ad finem Communionis. *Agnus Dei* non dicitur, nec Pax datur; dicit tamen illam Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, pacem &c.* & illa dicta, mox ascendit ad Sedem eminentem, & ibi communicat, & sugit Sanguinem cum calamo more consueto, & non recipit ad osculum oris Diaconum, & alios post Communionem.

COMMENTARIUS.

I. NIhil afferri ad explicandum hunc §. luculentius potest, quam quod legimus in Ordine Romano XV. Cap LXXXI. & in ms. Codice Piersanctiano, ac Cæremoniali Libro Davantriæ, in quibus ritus contenti in hoc §. ac alii plures, qui in eo desiderantur, minutissime recensentur. Ergo, ut ait laudatus Ordo, *immediate, Epistola finita, idem Subdiaconus inclinando se aliquantulum ante Papam, dicit cantando plana voce*, Annuncio vobis gaudium magnum, videlicet Alleluja, *& nihil ei respondetur, & vadit ad osculandum pedes Papæ; quo facto, statim Papa surgit, & ille Subdiaconus, vel Capellanus Papæ alta voce incipit semel tantum coram Papa, cantando*, Alleluja; *& Papa stando, & Mitra deposita, ipsum* Alleluja *cantando ter incipit, secunda vice altius, & in tertia altius vocem elevando, & qualibet vice immediate post Papam Chorus repetit cantando ipsum* Alleluja. *Quo* Alleluja *ter cantato, ut præmittitur, duo Cantores solemniter cantant Versum*, Confitemini Domino; *deinde cantatur Tractus*, Laudate Dominum omnes gentes.

II. Quod Evangelium spectat, finito Tractu, ut iidem Libri mox docent, *recepto prius Manipulo Diaconus Cardinalis de manu Capellani sibi servientis in Missa* (perperam in Romano Ordine XV. legitur, *servientis de Mitra*) *vadit ad osculum pedis Papæ; deinde ad Altare, ubi more solito recipit Librum Evangeliorum, & ibi stando aliquantulum inclinatus, petit a Papa submissa voce benedictionem; qua habita, vadit ad dicendum Evangelium*. Ita ms. Liber Cæremonialis Davantriæ; at vero juxta laudatum Romanum Ordinem, Diaconus cantaturus Evangelium, ubi osculatus est pedem Papæ, debet deinde reverti ad Altare, *ubi more solito recipit Librum Evangeliorum flexis genibus osculando medium Altaris; quo Libro recepto, pars illa, ubi est Crucifixus, stet ante Altare versus Papam, & ibidem stando aliquantulum inclinatus ad Papam, sic semper tenendo prædictum Librum ante pectus suum, petit a Papa submissa voce benedictionem, qua habita, vadit ad Evangelium dicendum*. Monet mox, quod alias in antiquioribus Ordinibus Romanis, ac Ritualibus variarum Ecclesiarum adnotatum legitur, hac die ad Evangelium non portari luminuria, sed incensum tantum, Evangeliique lectione finita, portari Librum Evangeliorum per Subdiaconum ad osculandum Papæ, ut moris est.

III. Deosculato Evangelio, ut ait noster §. multa paucis concludens, *Papa non dicit*, Credo, *nec Offertorium, sed dicto*, Dominus vobiscum, *lavat manus, descendit ad Altare, & procedit in Missa, ut alias, usque ad finem Communionis*. Agendæ prædicto Romano Ordini XV. gratiæ, qui ritus omnes hujus Missæ descripsit, sic inquiens sequenti Capite LXXXI. *Notandum tamen, quod*, Credo in unum, *nec Offertorium dicitur in Missa præsenti, sed extractis Chirothecis, lavat*, Pontifex scilicet, *manus; deinde more solito vadit ad Altare, & deposita sibi Mitra per Diaconum Cardinalem, qui dicit Evangelium, extensa tobalea de auro super Altare per Acolythos, & per Sacristam, idem Diaconus extendit Corporalia in medio Altaris, & Episcopus non Cardinalis, sed Sacrista portat Calicem cum Pyxide Hostiarum, & parvo cochleari, coopertum velo sirico, & portat Calicem cum tribus Hostiis, unam pro Sacramento, & duas pro proba, & in Papæ præ-*

Digitized by Google

præsentia facit probam de vino, & de pane, & fundit vinum in Calicem tantum quantum durat cretulus Hostiæ, & post aquæ benedictionem, ponit cum Cochleari tres guttas aquæ, & tunc facit probam, & tunc ponit Patenam cum Hostia super Calicem, & tunc prædictus Diaconus Cardinalis recipit cum cauda Manipuli Patenam ipsam cum Hostia, & offert Papæ, nihil dicendo, sed osculatur manum Papæ; postea offert Calicem, faciendo tribus vicibus Crucem cum Calice super Altare, tenendo ipsum cum ambabus manibus per medium, nihil dicendo. Hactenus Ordo Romanus XV. cujus descripti hucusque ritus in nullo alio reperiuntur, imo nec in citatis toties mss. Codicibus, Piersanctiano, & Davantriæ, in quibus breviter ritus ipsi recensentur his verbis: *Notandum tamen, quod nec Offertorium, nec* Credo *dicuntur in Missa præsenti, nec fit Sermo.* Et mox: *Deinde more solito vadit ad Altare, & deposita sibi Mitra per Diaconum Cardinalem, qui dicit Evangelium, offert super Corporalia secundum modum consuetum Hostiam, Calicem cum vino, & aqua, & postea recipit thuribulum de manu dicti Diaconi Cardinalis, qui dicit Evangelium, & Oblata, & Altare incensat, ut est moris &c.*

IV. At vero cum de ipsa incensatione modice Codices prædicti loquantur, audiendus iccirro memoratus Ordo XV. Cap. LXXXII. in quo & ritus ipse incensationis, & alii plures solemnis Missæ hujus diei per Papam celebratæ, fusius descripti sunt: *Postea*, inquit, *recipit*, Diaconus scilicet, *thuribulum cum incenso de manu Acolythi, & offert Papæ, & ipsemet Diaconus ponit incensum infra thuribulum, osculando manum Papæ, & tradit Papæ prædictum thuribulum, osculando manum, & semper caudam thuribuli, ubi sunt anuli, teneat in manu dextera, & capit prope ignem in manu sinistra, & sic Papa recipit, & incensat Altare, ut moris est.* Pergit, narratque ritum, quo deinde idem Diaconus incensat Papam alioque per ordinem, ita inquiens: *Et exinde ipse Diaconus Cardinalis recipit thuribulum de manu Papæ, semper manum ejus osculando in tradendo, & recipiendo; quo recepto, incensat Papam ter, & tradito thuribulo Acolytho, parat sibi Planetam, & Pallium cum Fano, incensat Altare, & Presbyterum Cardinalem, qui eo die servit Papæ*, in officio scilicet Assistentis, *deinde duos Diaconos antiquiores, qui Papæ assisterunt in Missa, postea alios Diaconos Cardinales, deinde Regem, si sit ibi, & postea Episcopos Cardinales, & Presbyteros Cardinales, & alios Prælatos paratos, prout in aliis Missis fieri est consuetum.* Legitur mox in ipso Romano Ordine apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 500. *Deinde Papam, prout moris est, tantum* (Mabillonius scribit in margine legi alibi, *tamen*) *in hac Missa.* Sed mendosa ea lectio est, legendumque iccirco, ut habetur in citatis mss. Codicibus Piersanctiano, & Davantriæ: *Et deinde Papa procedit in Missa more alio tempore usitato.* Addunt mox pariter, quod alias legitur in laudato Ordine Romano XV. Auctore Amelio, dici in hac Missa Præfationem, *Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte &c.* itemque alia dici, prout in Ordinario, vel Missali continetur.

V. Ex præscripto nostri §. cui & antiqui, recentioresque Romani Ordines, ac Libri Rituales, Missalesque consentiunt, *Agnus Dei non dicitur, nec Pax datur, dicit tamen Papa illam Orationem*, Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, pacem &c. *& illa dicta, mox ascendit Sedem eminentem, & ibi communicat, & sugit Sanguinem cum calamo more consueto, sed non recipit ad osculum oris Diaconum, aut alios post Communionem.* Ita noster §. in quo parce admodum descriptus est ritus Communionis Papæ, ac Ministrorum, quem alias fusius luculentiusque retulit prædictus Ordo Romanus XV. citato Capite LXXXII. cujus hæc sunt verba: *Cum Papa dixerit loco debito,* Pax Domini sit semper vobiscum, *respondetur,* Et cum Spiritu tuo; *sed* Agnus Dei *non dicitur, nec Pacis osculum datur. Verumtamen dicit Papa nihilominus*, Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, Pacem &c. *nec Communio dicitur, sed immediate Papa descendit ab Altari, & vadit ad Sedem suam, comitantibus duobus Cardinalibus Diaconis, & Diaconus Cardinalis, factis tribus circulis, bina vice vertendo se ante medium Altaris, Patena cum Corpore Christi elevata ante faciem ad partem dextram, & in tertia ad sinistram, & tunc tradit Hostiam cum Patena flexis genibus Subdiacono ipsam Papæ deferendam more solito; & postea idem Diaconus recipit more solito Calicem cum Sanguine, & facit tribus vicibus circulum, & portat Papæ ad Sedem, & ipse ibi stando solemniter communicat. Et post Diaconum Sacrista Episcopus defert Calicem vacuum coopertum cum nobili panno sirico in manu dextra, & in sinistra papilionem, cum fistula, & tribus punctis, quam tradit Presbytero Cardinali, qui servit Papæ. Et post eum venit Acolythus cum vinateriis, & duabus taxeis; & Papa Sanguinem cum calamo sugit, & statim Diaconus Corpus Christi de manu Papæ recipit, & post eum Subdiaconus; quo recepto, dictus Diaconus Cardinalis portat Calicem cum Sanguine ad Altare, & ibidem de ipso Sanguine cum calamo sugit, & postea dat Subdiacono residuum Sanguinis, & postea recipit perfusionem Papæ de manu Cardinalis portantis, prout est fieri alias consuetum.* Notandum mox ait, quod innuit noster §. *quod cum Papa ponit Corpus Christi in ore Diaconi Cardinalis, qui cum ipso communicat, non debet eum recipere ad osculum oris, ut in aliis diebus fieri solet, quando in Sede communicat, nec etiam ipse Diaconus Cardinalis debet Subdiaconum post receptionem Sanguinis osculari, pro eo quod in ista Missa non datur Pacis osculum, ut supra dictum est.*

VI. Atque hæc sunt, quæ de ritibus Missæ per Pontificem celebratæ hac die usque ad Communionem habet citatus Ordo Cap. LXXX. & duobus sequentibus, cui adhærent prædicti mss. Codices, Piersanctianus, & Brunonis de Davantria, tametsi in istis aliqui ex ipsis ritibus strictius notati sint. Scio, aliquos saltem ex iisdem aliqua indiguisse explicatione, sed abstinui tamen in iis enarrandis immorari, tum quod plures jam alibi explicaverimus, tum etiam ne Tomus iste in majorem molem, quam nobis præ-

Digitized by Google

fiximus, excrescat; multis enim sumtibus obnoxii sumus, horremusque ære alieno gravari, vel Mœcenatibus molestiæ esse, quos scimus vix posse eos remunerari, qui ob egregia Opera, quæ sunt edituri in lucem, de Ecclesia, ac Litteraria Republica optime meriti sunt.

§. IV.

De Vesperis, ac reliquis Missæ celebratæ hac die per Papam ritibus.

Facta purificatione, sedet, lavat manus, & Chorus incipit *Alleluja* pro Vesperis. Pontifex in Sede permanet, & ad *Magnificat* Subdiaconus præintonat ei Antiphonam, *Vespere autem Sabbati*. Papa surgens sine Mitra intonat Antiphonam, deinde sedet cum Mitra, imponit incensum, & cum incipitur, *Magnificat*, descendit, incensat Altare, revertitur ad Sedem, incensatur ipse, & alii more consueto. Ipse stans sine Mitra expectat finem; deinde cum repetitur Antiphona, sedet, & circa finem descendit ad Altare, dicit, *Dominus vobiscum*, & Orationem; & Diaconus, *Ite Missa est*, *Alleluja*, *Alleluja*. Datur benedictio, publicantur Indulgentiæ, & est finis; deponuntur paramenta in Capella, ut alias.

COMMENTARIUS.

I. ORdo Romanus XV. cujus narratione, egregie, ni fallor, explicata est solemnis Missa quæ per Summum Pontificem celebratur die Sabbati Sancti, finem nostro huic Commentario imponet, multa enim alia continet, quæ in hoc §. desiderantur, eidemque enarrando lucis plurimum afferunt. Sic ergo inquit citato Cap. LXXXII. *Communione autem facta, & omnibus prædictis expletis, Papa, reposita sibi Mitra, sedet, & Cantores cantant Antiphonam*, Alleluja, Alleluja, Alleluja; *qua cantata, cantatur Psalmus*, Laudate Dominum omnes gentes &c. *cum* Gloria Patri &c. *& in fine reiteratur Antiphona prædicta. Capitulum, Hymnus, Versus non dicuntur; sed immediate Subdiaconus stans Coram Papa incipit cantare Antiphonam*, Vespere autem Sabbati; *& ipsa incepta, Papa, deposita Mitra, cantando incipit ipsam Antiphonam, & Cantores cantant, ipsam cantando usque ad finem; & postea cantatur Psalmus*, Magnificat, *totum cum*, Gloria Patri &c. *& & in fine reiteratur dicta Antiphona per Cantores; & omnia prædicta debet dicere in Sede Papa stando, legendo cum Ministris; quibus finitis, Papa surgens de Sede vadit ad Altare, & ibi deponitur sibi Mitra; & versa facie ad populum dicit*, Dominus vobiscum, *& respondetur*, Et cum spiritu tuo; *postea dicit*, Oremus. Spiritum nobis Domine &c. *Deinde versa facie ad populum dicit*, Dominus vobiscum; *& responso*, Et cum spiritu tuo, *Papa vertit se ad Altare, & Diaconus Cardinalis, qui dixit Evangelium, versa facie ad populum dicit*, Ite Missa est, *cum duplici*, Alleluja; *& respondetur etiam cum duplici*, Alleluja, Deo gratias. *Deinde Papa facit more solito benedictionem, qua benedictione facta, Presbyter Cardinalis, qui servivit in Missa*, in Officio scilicet Assistentis, *de mandato, & auctoritate Papæ pronunciat Indulgentiam de septem annis, & septem quadragenis*. Porro ne quis putet, omissam fuisse incensationem, quæ fieri solet ad Canticum, *Magnificat*, ita mox idem Ordo subjicit: *Hic nota, quod si Papa facit Officium, ut præmittitur, incepto Psalmo*, Magnificat, *descendit de Cathedra, & sine Mitra thurificat Altare, nec ultra revertitur ad prædictam Cathedram, sed ibimet in Altari dicit Orationem*, Spiritum nobis Domine &c.

II. Paucis immutatis, iidem ritus leguntur in recitatis Codicibus, sicut & alii, quos post dictam eam Orationem, *Spiritum nobis Domine &c.* ita describit idem Ordo Romanus loco citato: *Omnibus peractis, Papa, sibi reposita Mitra, totus paratus, cum omnibus Cardinalibus etiam paratis, & cum Mitris in capitibus, & secundum ordinem suum processionaliter gradientibus, assistentibus tamen sibi duabus Diaconis Cardinalibus antiquioribus, uno a dextris, & alio a sinistris, præcedentibus Subdiacono parato cum Cruce, & Capellanis omnibus Superpliceis indutis cum cereis accensis, vadit ad fenestram, in qua Indulgentia populo consuevit dari, & ibi præsentibus omnibus Cardinalibus paratis, facta benedictione solita per Papam, & data Indulgentia populo, omnibus præsentibus Cardinalibus, & aliis Prælatis, ut supra, videlicet de* VII. *annis, &* VII. *quadragenis per unum Cardinalem, ut supra, sicut venerunt processionaliter, etiam omnes sic revertuntur.* Mirum est, quod de hac benedictione nihil dixerit nostrum Cæremoniale a Patricio ordinatum, in hoc §. sicut nec de aliis ritibus, quos post datam ipsam solemnem benedictionem, & memorati Codices Persanctianus, ac Brunonis Davantriæ, atque laudatus toties Romanus Ordo XV. notarunt: *Deinde intrat*, Papa scilicet, *Cameram suam cum Cardinalibus, & cum eo remanet solus Diaconus, qui dixit Evangelium, pro juvando ipsum Dominum Papam ad deponendum paramenta, & alii extra Cameram deponunt; quibus depositis, Papa recipit vestes albas de lana in hac die portari consuetas. Sacrista vero facit plicari paramenta munde & honeste, & Cardinales, paramentis depositis, & Cappis laneis reassumptis, ad domos proprias revertuntur.*

III. Hæc sunt, quæ de Missa Sabbati Sancti, celebrante Papa, tradit Ordo Romanus XV. Sed non

Digitized by Google

non omittenda, quæ leguntur in prædictis Codicibus poſt ritus a nobis huc uſque deſcriptos: *Poſt prandium vero, antequam Papa vadit ad Matutinas, veniunt Cardinales, & una cum eis, & aliis adſtantibus, indutus Pluviali albo, & Mitra cum perlis, ad feneſtram, & datis Indulgentiis more ſolito, venit ad Cameram, & deponit paramenta, & recipit Mantellum album cum Caputio, & deſcendit ad Capellam, & audit Matutinum; quibus finitis, dat benedictionem, dicens*, Sit Nomen Domini benedictum, *& acceptis in Camera paramentis prædictis, vadit iterum ad feneſtram, & dat ibi Indulgentiam*. Ceterum pertinent ad ritus celebritatis Sabbati Sancti quæ legi in ms. Diario Mucantii ad annum MDLXIV. quæ hoc loco deſcribenda cenſui: *Die ſecunda Aprilis Sabbato Sancto Pontifex venit pedibus ſuis ad Capellam, ubi Officium, & Miſſam celebravit Illuſtriſſimus D. Cardinalis de Sermoneta, & dum, præſtita reverentia, portabatur Lumen Chriſti apud portam majorem Capellæ, accidit ob populi frequentiam, quæ ægre dimoveri poterat, ut arundo, cui triplex illud lumen impoſitum erat, a quibuſdam percuteretur tranſeundo, ex quo unus, aut duo ex tribus illis cereis fracti ſunt, & magna difficultate filo, & ligaliculis potueruut reaptari. Qua in re aliquantulum ſpatii interpoſitum eſt non ſine murmure, Pontifice, & Cardinalibus ſtantibus. Quod caute præcavendum eſt, ne alia vice eveniat, nec fortaſſe inconveniens eſſet habere præparatos alios tres ſimiles cereos arundini imponendos ad cautelam*. Adhibenda profecto eſt ſumma diligentia a Cæremoniariis, ne in ſacris functionibus errores committantur, curandum illis eſt, ne in corrigendo errore, pejorem alium committant, uti addiſcimus ex eodem Mucantio, qui ad ipſum annum loquens de aliis ritibus Sabbati Sancti, ita ſubjicit: *In legili ſuper quo Præfatio erat per Diaconum decantanda, non fuerat per errorem Miniſtrorum poſitus pannus ſericeus albus, ideo poſuerunt illum, cum jam incœpta eſſet Præfatio, ſed melius fuiſſet non ponere, conturbando actum*.

IV. Notat præterea & illud Mucantius ad annum MDLXXVI. quod, *dum fuit Cantatum Præconium, Papa ſtetit ſine bireto, & ſine Mitra ſic etiam Celebrans*; ſed ita mox tamen ſubjicit: *Dum autem Diaconus poſuit grana incenſi in Cereo, illumque accendit, Papa ſedit cum bireto tantum, prout etiam tribus proxime tranſactis annis obſervavit, licet Paris de Graſſis cenſeat, debere ad totum Præconium, ſtando, & ſedendo, biretum retinere*. Scribit tandem, quod *in Libro erat Rubrica, quod Cereus accenderetur per Subdiaconum, quod eſt falſum, quia accendi debet per Diaconum*. Ita in citato ms. Diario Mucantius, qui etiam eam Rubricam emendari ſe curaſſe affirmat.

DE FESTO RESURRECTIONIS DOMINI PAPA CELEBRANTE.

TITULUS II.

I. SApientiſſime obſervat doctiſſimus Thomaſſinus Lib. II. *De dierum feſtorum celebratione*, Cap. XV. Jeſu Chriſti Reſurrectioni, tanquam ſolidiſſimæ baſi inniti Chriſtianam Religionem. Nam ut Apoſtoli Pauli argumentationem uſurpemus, ſi Servator noſter, proſtrata morte, non prodiit e tumulo, nulla nobis reliqua ſpes eſt, & ſceleribus adhuc obſtringimur. Sua ille Reſurrectione, & animas, & corpora noſtra excitat, reſurgens ob criminum noſtrorum expiationem. Omnes cum ipſo ad vitam revocati ſumus, ut aliam inſiſtamus viam: *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt Fides veſtra; adhuc enim eſt in delictis veſtris*. Verba ſunt laudati Apoſtoli in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XI. Verſu XVII. & ut ait in Epiſtola ad Romanos, Cap. IV. Verſu XXV. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*. Et ibidem Cap. VI. Verſu IV. *Ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Quæ cum ita ſint, plurimi ſemper feſtus hic dies, ceteris quibuſque præſtantior, eſt habitus, cujus etiam ea fuit prærogativa, ut, teſte S. Auguſtino in Epiſtola LIV. primam ſui originem acceptam Apoſtolis ipſis referat, unde & *feſtivitas feſtivitatum*, & *ſolemnitas ſolemnitatum* a S. Gregorio Nanzianzeno merito nuncupatur. Eadem docent & alii Patres, inter quos S. Leo Magnus Pontifex Maximus Sermone X. *De Quadrageſima*, & alibi, diſerte ait, inter omnes dies, quos multis modis honorabiles habet Chriſtiana devotio, nullum eſſe excellentiorem Feſtivitate Paſchali. Et S. Gregorius Magnus Pontifex itidem Maximus in Homilia XXII. in Evangelia Paſchalem ipſam celebritatem vocat ceterarum principem, & præſtantiſſimam, quod animum, & cogitationes a terrenis rebus abducat, ut gaudiis, & ſolemniis tandem ſempiternis frui poſſit, quorum primordia ſunt Fides, ſpes, & amor Dei: *Hanc enim recte nobilitatem, ſolemnitatis dicam, quia ſolemnitates ceteras antecedit. Sicut enim in ſacro Eloquio Sancta Sanctorum, vel Cantica Canticorum pro ſui magnitudine dicuntur, ita hæc feſtivitas recte dici poteſt ſolemnitas ſolemnitatum. Ex hac quippe ſolemnitate exemplum nobis Reſurrectionis datum eſt, ſpes Cæleſtis Patriæ aperta, & facta ſuperni Regni jam præſumptibilis gloria*.

II. Hanc Feſtivitatem ut majori cum veneratione celebraret Eccleſia, totos ſeptem & integros dies ſolemnitati illius antiquitus conſecravit, uti conſtat ex pluribus Synodis allatis a nobis Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LXVI. Concilii Trullani, cujus verba hæc ſunt: *A ſancta Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis die uſque ad novam diem Dominicam, tota ſeptimana, vacare Fideles jugiter oportet Pſalmis, & Hymnis, & ſpiritualibus Canticis in Chriſto gaudentes, Feſtumque celebrantes, & Divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & Sanctis Myſteriis ju-*

Digitized by Google

jucunde, & laute fruentes. Sic enim cum Christo exaltabimur, & una resurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum cursus, vel aliquod publicum fiat spectaculum. Sed jam longe ante Concilium Trullanum in Oriente habitum Matisconensis II. Synodus in Galliis celebrata anno Christi DLXXXV. statuit Can. II. nequis sex diebus Paschæ consequentibus in opus aliquod servile incumberet, sed unice, tam mane, quam meridie, & vespere in Summi Dei Conditoris, atque Reparatoris nostri laudes, & gratiarum actiones: *Paschæ itaque nostrum*, inquit, *in quo Summus Sacerdos, & Pontifex pro nostris delictis immolatus est, debemus omnes festivissime colere, & sedulæ observationis sinceritate in omnibus venerari, ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunati Hymnis Paschalibus indulgentes, perseverationis nostræ præsertim quotidianis Sacrificiis ostendamus, laudantes Creatorem, & Regeneratorem nostrum vespere, mane, & meridie*.

III. Concinunt his & aliæ Synodi, inter quas Synodus Moguntina anni DCCCXIII. Can. XXXVI. jubet, eadem ratione peragendos esse singulos hebdomadæ Paschalis dies: *Festos dies in anno celebrari sancimus; hoc est, diem Dominicum Paschæ cum omni honore, & sobrietate venerari; simili modo totam hebdomadam illam observari decrevimus*. Synodus Meldensis anni DCCCXLV. Canone LXXVII. cessari jubet istos octo dies ab omni, & quocumque opere servili, & quidem sub pœna excommunicationis, ut nimirum feriatus populus operam det precibus, & verbo Dei: *Dies quoque octo sacrosanctæ Paschalis Festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis exigendis; quatenus eisdem diebus, tanto licentius, quanto liberius, omnibus Christianis Sanctæ Resurrectionis laudibus, & sacrosanctæ prædicationi jugiter insistere liceat. Quod si quis temerare præsumpserit, ex communicetur*. Ubi nota 1. prohiberi a Patribus Meldensibus, in diebus festis venari, ac pingere, tametsi utrumque hodierni casuistæ admittant. II. gynecæum, telæ forte, aut lini, seu lanæ opificium, ita dictum, quod ea loca, ubi mulieres opificium illud conficiebant, gynecæa vocarentur.

IV. Seculo adhuc XIII. Paschales dies octo Romæ, & in universa Ecclesia festivos omnes fuisse, constat profecto ex Gregorio Papa IX. in in Capite v. *De Feriis*, ubi Paschatis diem cum septem sequentibus festivum esse affirmat. Obiit Gregorius anno MCCXLI. ideoque non nisi post Gregorii obitum novus invaluit ubique fere locorum mos, conniventibus Romanis Pontificibus Maximis, ut tribus tantum diebus festivum Pascha celebraretur, quia scilicet importunum molestumque visum fuit, ut multi ex Fidelibus, qui manuum labore, & in sudore vultus sui, pane suo vescuntur, a servili opere tota hebdomada abstinere cogerentur, & consequenter necessariis alimentis carerent. Sane veteres, prudentesque Pontifices imitatus est nostro hoc ævo Sapientissimus Papa BENEDICTUS XIV. quippequi iterum iterumque a variis Episcopis populorum suorum nomine rogatus, misertus pauperum inopiæ, nonnulla Festa diminuit, relictoque iis onere audiendi Missam, servilia opera peragere permisit, ne victum oltiatim mendicare, vel fame laborantes, aliena rapere cogerentur. Atque hanc Pontificis pietatem pii passim cordatique viri commendant, tametsi unus, vel alius contra ipsam erga pauperes pietatem perperam declamarit, & non sine temeritatis nota, religiosissimum æque ac doctissimum Pontificem Maximum etiam carpere non erubuerit.

V. Sed hisce omissis, ad ampliorem quoque in Paschatis Festum demonstrandam religionem, & inter populos caritatem, omnes olim, quicumque dignitate etiam augerentur, tam ex Urbibus, quam ex circumpositis villis ad majorem Ecclesiam convenire debebant, ut cum Episcopo eorum pastore celebritatem peragerent, ut nempe uno animo, una omnes mente cum Episcopo proprio Divina celebrarent Mysteria. Hinc Concilium Aurelianense IV. Can. V. statuit, ut *quisquis de prioribus civibus Pascha extra Civitatem tenere voluerit, sciat sibi a cuncta Synodo esse prohibitum, sed principales Festivitates sub præsentia Episcopi teneant, ubi tantum decet esse conventum*. Quibus similia legere est in Concilio Aurelianensi I. Can. XXV. in Agathensi Can. LXIII. in Epaonensi Can. XXXV. Atque hinc est, quod S. Athanasius in Apologia ad Constantium, rationem reddens, cur in maiori Ecclesia Synaxim coegisset, *Festum erat Paschæ*, inquit, *& tanta vis populorum aderat, quantum Christianorum in Urbe esse Christicolæ Principes optarint*. Sane Discipulos Sancti Pacomii ex variis Monasteriis ad præcipuum Cœnobium hac die confluxisse, & quidem ad quinquaginta circiter Monachorum millia, ut cum suo Abbate simul omnes Dominicæ Resurrectionis gloriam recolerent, notat eruditus Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXV. Num. IV. ubi etiam ait, antiquæ consuetudinis vestigium hodieque reperiri in Ecclesia Lugdunensi, in qua præcipuis festis diebus ad principalem S. Joannis Basilicam conveniunt aliæ Urbis Ecclesiæ ad Missam solemnem.

VI. Itaque si Clerus æque ac populus convenire ad maximam sacram Ædem debebat hac die, multo magis debebat Episcopus eidem adesse sacras functiones peracturus. Hinc quamquam studerent præstantissimi quique Episcopi Ecclesiis suis abesse nunquam, nisi ubi, vel suæ, vel universæ Ecclesiæ utilitas, & charitas alio avocaret; erat tamen id potissimum curæ, ut celebriores festos dies suis in Ecclesiis agerent, maxime autem Solemnitatem Paschalem. Id docet nos S. Chrysostomus Homilia XX. ad populum Antiochenum, ubi inde arripuit ansam commendandæ populo ipsi Antiocheno vigilantiæ Archiepiscopi Flaviani, qui ut ab Ecclesia, & a Civitate sua impendens exitium propulsaret, non dubitasset Paschatis diem peregre agere, quamquam veneranda canitie, & precibus Flaviani delinitus Imperator, illum remiserit quampropere, Paschæ diem cum ovibus suis ut rite perageret: *Elegit solemnitatem in aliena terra, & procul a suis propter Civitatis salutem celebrare. Dies autem ante Pascha ipsum nobis*

Digitized by Google

nobis reddidit, at communem nobiscum solemnitatem ageret. Huc facit institutio Cleri Edessæni ad Photium, & Eustachium Episcopos, inserta Actioni X. Concilii Chalcedonensis; in ea quippe rogant illi, Ibam Episcopum ad Sedem suam propter imminentem Paschalem solemnitatem remitti, *in qua*, inquiunt, *& propter Catechismos, & propter eos, qui digni sunt Sancto Baptismate, opus est ejus præsentia*. Innumera pene hac in re possent, & Patrum, & Canonum testimonia, atque Decreta afferri, quibus maxime diebus solemnioribus, ac præsertim Paschatis, residentia in Cathedrali Ecclesia ab Episcopo exigitur, de qua fuse egit Thomassinus, Tomo II. *Veteris ac novæ Ecclesiæ Disciplinæ*, Lib. III. Cap. XXX. & seqq.

VI. Celebratum olim Romæ Pascha a Summis Romanis Pontificibus magna cum pompa, ac rituum multiplicitate, docent Romani antiqui Ordines passim. Hodiernum Officium, sicut hodie, totum fuit & olim de Resurrectione. Nihil jam de baptizatis dicitur, nisi in Canone Missæ, & post Vesperas in Processione, quæ pro illis fiebat ad Fontes per totam hebdomadam. Quoniam vero in nocte Sabbati sero admodum ab Ecclesia egrediebantur, redibant ad Ecclesiam sub lucis ortum: *Eadem nocte sancta ad Vigiliam post gallorum cantum, matutina luce rumpente tenebras*, ait Ordo Romanus apud Tomasium, quem citat Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXXII. Sed audiendus vulgatus Ordo Romanus, cujus mentionem facit Edmundus Martene citato superius loco, Num. V. *In Vigilia Resurrectionis Domini ante mediam noctem populus non est dimittendus de Ecclesia juxta Canonum Sanctiones. In ipsa nocte, matutina luce rumpente tenebras, surgentes in Ecclesiam veniant, & mutua caritate se invicem osculantes dicant*, Surrexit Dominus de Sepulchro. *Deinde*, Domine labia mea aperies &c.

VII. Quod ergo nimis tarda esset hora prolongo Officio, & quia nox jam transierat, Nocturnis amplius non erat locus; quare unus tantum dicebatur Nocturnas, sicut hodie dicitur per totam hebdomadam. Cessat ritus lugubris, quo præcedenti triduo dictum est Officium, sed nonnihil tamen veteris simplicitatis, ut & idem Grancolas observat, retinetur; Hymni enim, & Capitula non dicuntur, neque Antiphonæ per Horas, sed tantum, *Alleluja*. Introeuntes in Ecclesiam, ut ex vulgato Romano Ordine didicimus, se se invicem osculabantur, dicentes, *Surrexit Dominus de Sepulchro*. Atque hic fuit ritus Ecclesiæ Romanæ, & aliarum plurium, ut pacis nempe osculum mane Paschatis porrigeretur, licet in Gallicanis Ecclesiis præfatum caritatis osculum, non ante Nocturnum, sed eo omnino finito dari soleret. Ita plane decernunt mss. apud laudatum Martene Ordinaria, Turonense, Bajocense, & inter alia Silvanectense, in quo ita legitur: *Post* Benedicamus Domino, *unus Custodum Chori accedit ad Episcopum, vel Decanum, qui osculatur eum, dicens*, Surrexit Dominus. *Dictus autem Custos Chori osculatur alium, qui cum eo Chorum custodit, & tunc ambo deferunt aliis pacem in Chorum, & osculantur se invicem, dicendo*, Resurrexit Dominus. Ex laudato Bojacensi Ordinario osculum porrigenti respondetur, *Deo gratias*; ex Turonensi vero, *Gavisi sunt Discipuli*. Similis ritus viget nunc apud Græcos, qui, ut ait Allatius Lib. I. *De Consensu Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis*, Cap. XVIII. *omnes die Resurrectionis Domino sacro post Matutinum, & alias Horas mutuis amplexibus, cum omnibus, depositis odiis, reconciliati in gratiam redeunt, & cum non omnes in eandem Ecclesiam conveniant, ne tanto bono aliquid desit, per totum Paschatis, & septem subsequentes dies, in plateis quoscumque obvios sibi factos iisdem amplexibus demerentur*.

VIII. Juxta Romanum Ritum jam post datum charitatis osculum, inchoabatur Officium per ea verba, *Domine labia mea aperies*. Audiendus de hoc Officio Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XLIV. ubi ita inquit: *In die Sanctæ Resurrectionis ad Matutinum super* Venite, Alleluja. *Quidam dicunt*, Surrexit Dominus vere. *Tres Antiphonæ, & tres Psalmi*, Beatus vir, Quare fremuerunt gentes, & Domine quid multiplicati sunt. *In loco harum trium Antiphonarum cantatur*, Alleluja, *sicut in Romano Antiphonario scriptum est. Versus*, Hæc dies, quam fecit Dominus, *cantetur, sicut Gradale. Tres Lectiones de Evangelio cum suis Responsoriis. Quibus finitis, cantetur*, Te Deum laudamus. *Matutinæ laudes cum Antiphonis suis, & Psalmis. Perfectis Antiphonis, pro Versu cantetur Gradale*, Hæc dies, quam fecit Dominus. *Antiphona*, Surrexit Dominus de Sepulcro. *Psalmus*, Benedictus Dominus Deus Israel; *& Oratio tantum Festivitatis. Prima sine Antiphona cum tribus Psalmis, quibus peractis, cantatur, Gradale*, Hæc dies, *& Oratio diei*. Esse antiquum ritum. ut hac die, sicut & in Dominica Pentecostes, unus Nocturnus cum tribus Psalmis, totidemque Lectionibus usque ad Sabbatum sequens diceretur, docet S. Gregorius Papa VII. qui ritum ipsum confirmat suo Decreto apud Gratianum, Can. XV. *De consecratione*, Distinctione V. *In die Resurrectionis*, inquit, *usque ad Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbatum ejusdem, tres Psalmos tantum ad Nocturnos, tresque Lectiones antiquo more canimus, & legimus*. Unus tantum Nocturnus dicitur, quia ferme dies erat quando incipiebatur Officium noctis, eratque hora Laudum. Nam referente Amalario, moris erat Romæ, quando aderat Aurora, Lectiones, seu Officium abbreviare, vel eas omittere, & Laudes sub lucis ortum inchoare: *Romana Ecclesia*, inquit, *quantocumque ordine, vel numero Lectionum viderit Matutinum procedere, ut audivi, dimittit Nocturnale Officium, & incipit Matutinale*.

IX. Ad Nocturnum itaque Officium, præmisso Versu, *Domine labia mea aperies*, & *Deus in adjutorium*, cum Invitatorio tres tantum decantabantur Antiphonæ cum totidem Psalmis, prætermisso tam ad Nocturnum, quam ad Diurnum hujus diei Officium Hymno, quem in solo Turonensis Ecclesiæ Ordinario adsignatum se deprehendisse ait Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXV. Numero X. Notat tamen Durandus, consuevisse in qui-

Digitized by Google

quibusdam Ecclesiis ipsum cantari. Lectionum, & Responsoriorum numerus is erat, qui & Psalmorum. Lectiones pronunciabant tres ex insignioribus Chori, puta Archidiaconus, Decanus, & Episcopus. In Bambergensi Ecclesia cum circa annum MXX. Benedictus Papa VIII. Dominica Resurrectionis Matutinali interesset Officio, Aquilejensis Patriarcha Lectionem primam, secundam Archiepiscopus Ravennas, tertiam Apostolicus ipse, idest, Papa recitavit, uti legimus in Vita Sancti Henrici Imperatoris Capite XXIII. apud Surium die IV. Julii.

X. Post Matutinum pergere olim consuevit Romæ Pontifex ad Ecclesiam S. Laurentii, quæ hodie dicitur *Sancta Sanctorum*, ad adorandam antiquissimam Sanctissimi Salvatoris Imaginem, de qua loquitur Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XLV. his verbis: *Mane surgit Dominus Pontifex, vadit, & intrat in Basilicam Sancti Laurentii. Posita ibi Capella, & Subsellio, prius orat; postea induitur a Diaconibus, & Subdiaconibus regionariis usque ad Dalmaticam. Surgit, & ingreditur ad Salvatorem, aperit Imaginem, & osculatur pedes ejus, dicens alta voce cantando tribus vicibus*, Surrexit Dominus de Sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno, Alleluja. *Alii respondent, & redit ad Subsellium. Prius dat pacem Archidiacono, qui revertitur ad locum suum; deinde secundo Diacono, qui revertitur, & dat pacem Archidiacono, & redit in filo. Sic ceteri Diaconi faciunt. Deinde Primicerius cum Cantoribus accipiunt pacem; similiter redeunt in filo. Deinde Prior Basilicarius cum Subdiacono accipiunt pacem, & redeunt in filo. Deinde Acolythi, & alii Palatini.*

XI. Solemni Processione pergere consuevisse Pontificem post Primam ad S. Laurentii Basilicam, testatur Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. XV. ubi ita ipsam describit: *In die Paschæ mane post Primam, indutus albo Pluviali Romanus Pontifex cum duobus Cardinalibus indutis, cum Subdiaconis, cæterisque minoribus Ordinibus, Dalmaticis, & Mitris, & Tunicis indutis, & Capellanis suis vadit ad Basilicam S. Laurentii. Presbyteri Cardinales induunt se Planetis, Episcopi Pluvialibus in loco, qui dicitur Basilica S. Gregorii, ubi post Orationem induitur*, Pontifex scilicet, *usque ad Dalmaticam, & exurgens ingreditur ad adorandum Salvatorem. Aperit Imaginem, osculatur pedes Salvatoris, dicens alta voce tribus vicibus*, Surrexit Dominus de Sepulcro, *& omnes ei respondent*, Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluja. *Tunc Acolythi ponunt Crucem Capellæ super Altare, & Dominus Papa adorat eam. Post osculationem Salvatoris, cum omnibus aliis deinde redit ad Sedem, & dat pacem Archidiacono redeunti ab osculo pedum ejus Imaginis, dicens*, Surrexit Dominus vere; *& ille respondet*, Et apparuit Simoni. *Secundus quoque Diaconus, osculatis pedibus Salvatoris, accedit ad pacem Summi Pontificis, & Archidiaconi, & ponit se in filo. Ceteri vero Diaconi Cardinales similiter faciunt. Deinde Primerius cum Cantoribus eo modo ad pacem vadit, & in filo se dirigit. Prior quoque Basilicæ cum Diaconis similiter. Postmodum Subdiaconi regionarii cum Acolythis, & Capellanis, & aliis Palatinis Ordinibus eodem modo pacem faciunt. Interim Schola canit*, Crucifixum in carne, &, Ego sum Alpha, & Omega.

XII. Similia legere est in Ordine Romano XIV. Cap. XCV. ex quo addiscimus viguisse Romæ ritum enarratum ineunte etiam Sæculo XIV. quo claruit Jacobus Gajetanus Auctor prædicti Ordinis, & S. R. E. Cardinalis creatus a patruo suo Bonifacio Papa VIII. Abiit deinde in desuetudinem post translatam scilicet Pontificiam Sedem Avenionem, uti conjicimus ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio, apud quem nulla fit ejus ritus mentio. Porro mos etiam fuit aliquarum Ecclesiarum, ut ante Nocturnum Officium solemnis ageretur Sanctissimi Sacramenti adoratio, quam ita describit ms. Bajocensis Ecclesiæ Ordinarium: *Ante Matutinas, facta pulsatione, & conglobato Choro ante Altare, cereis, & thuribulis accensis, Episcopus Superpelliceo, & Stola indutus, facta Oratione ante Altare, stans ad cornu dextrum Altaris, lavat manus, incensum benedicit, illudque ponit in thuribulo, & in medio Altaris explicat; deinde accedit ad Sepulchrum ex utraque parte expansum, in quo Pyxis cum Reliquiis supradictis asservatur, quam flexis genibus incensat, eamque postea defert ad Altare, & cum ea Clero, & populo in modum Crucis benedicit more consueto, & supradictum Corporale reponit, & incensat; moxque ex ea sumptum Corpus Dominicum flexis genibus adorandum ostendit. Quo in Pyxide reposito, redit ad eundem locum, unde Calice cum Patena, & bursa sumptis, & ad Altare delatis, ultimo vero Crucem extollens, & ad Altare conversus, incipiat Antiphonam*, Christus resurgens, *cum suo versu, & regressu. Tunc omnes cum gaudio flexis genibus adorent Crucem, cantantes eandem Antiphonam, quæ dum cantatur, super Altare Crucem deponit. Quo facto, stans Episcopus dicat*, ℣. Surrexit Dominus de Sepulchro, & *Orationem*, Deus qui nobis Filium tuum. *Deinde cantatur Antiphona*, Regina Cæli, *cum suo Versu, & Oratione, quæ dum cantatur, Episcopus iterum populo, & Clero cum Pyxide benedicit, eamque incensatam Sacerdos in loco consueto reponit. Deinde lavat manus ad idem cornu dextrum Altaris, & dicit Orationem*, Deus qui per resurrectionem. *Statim post Episcopus Cappa serica, & Mitra cum Baculo, Chirothecis, & Anulo redimitus incipit Matutinas.*

XI. Ab hoc ritu haud multum absimilis est Processio Sanctissimi Sacramenti, quam ita descriptam exhibet Ordinarium insignis Ecclesiæ Laudunensis: *In die Paschatis*, inquit, *ad Matutinum duæ magnæ campanæ de miraculis insimul pulsantur. Processio vadit ad Sepulcrum in modum, qui sequitur. Primo procedit Clericulus aquam benedictam deferens; hunc sequuntur duo Clericuli ferentes insignia, duo alii Clericuli ferentes cereos, duo alii Clericuli Cappis sericis induti ferentes duas Cruces aureas, hos sequuntur Clericuli. Deinde Cantor, & Succentor Cappis sericis induti portantes baculos deargentatos in manibus. Deinde duo Diaconi similiter Cappis sericis induti, & quatuor Subdiaconi Canonici albis Tunicis indu-*

Digitized by Google

induti, pallium supra brachium tenentes. Hos sequuntur alii combinati, unusquisque cereum accensum deferens. Prædicti vero Diaconi ad ostium Sepulcri venientes, incipiunt, Ardens est. *Clericulus stans in Sepulcro respondet*, Quem quæritis? *Diaconi*, Jesum Nazarenum. *Clericulus*, Non est hic. *Postea Cantor, & Succentor incipiunt*, Surrexit Dominus vere, Alleluja. *Deinde Psalmum*, Victimæ Paschali laudes, *& sic cantando procedunt ante Crucifixum in medio Ecclesiæ; Sacerdos alba Casula vestitus, portans Calicem cum Corpore Christi, egrediens de Sepulcro reperit ante Ostium quatuor Subdiaconos albis Tunicis indutos pallium super baculum tollentes, & illo protectus incedit in fine Processionis; præcedentibus duobus Clericulis cum cereis, & aliis duobus juxta ipsum cum thuribulis. Dum autem Processio pervenerit in medio Ecclesiæ, Cantor, & Succentor incipiunt* ℟. Christus resurgens. *Duo Diaconi cantant* ℣. Dicant nunc. *Quo cantato, Processio intrat Chorum cantando*, Quod enim vivit. *Sacerdos Calicem super Altare deponit. Interim campanæ simul pulsantur. Episcopus stans in Cathedra, Mitra, & Cappa præpatus incipit*, Domine labia mea aperies.

XII. Longum esset aliarum Ecclesiarum Ordinaria describere, in quibus idem recensetur ritus. In plerisque etiam Ecclesiis, ut notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXXII. post Matutinum fiebat Officium de Sepulchro, eratque popularis repræsentatio eorum, quæ mulieres egerant ad Sepulchrum, & colloquii cum Angelis. Cum Processione ibatur ad locum, qui dicebatur Sepulchrum, ubi repræsentabantur mulieres ad Christi Sepulchrum præcedentes; tres seniores Clerici retro Altare, Mariarum formam induebant, candido velo super Albam imposito, & dum Chorus canebat, *Victimæ Paschali*, alter Chorus veniebat ad Altare, ubi erant Mariæ, & dicebat, *Dic nobis Maria quid vidisti in via?* Et ipsæ respondebant: *Sepulchrum Christi viventis &c.* Postea subdebat Chorus: *Scimus, Christum &c.* Atque istud Officium, quod Sepulchri dicitur, quodque peragebatur in multis Galliæ Ecclesiis, teste Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XXV. Num. XI. *ad nostram usque ætatem perduravit in Ecclesia Narbonensi, donec tandem illud omnino sustulit Eminentissimus Cardinalis de Bonzi Archiepiscopus Narbonensis*. Addit mox, *simile Officium in aliis passim Ecclesiis, Gallicanis præsertim* fieri solitum fuisse. Verum, ut scite observat laudatus Grancolas loco citato, *curiositate, & risu populi factum est, ut hujusmodi spectaculum, & Cæremonia supprimeretur*.

CAPUT I.

§. I.

De accessu Pontificis ad Ecclesiam ad celebrandum Missarum Solemnia hac die.

In Festo Paschatis Resurrectionis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, in quo est mutatio Capparum, Papa indutus Pluviali albo, & Mitra preciosis, ministrante Priore Presbyterorum etiam parato naviculam, & Acolytho thuribulum, imponit incensum; deinde processionaliter venit ad Ecclesiam sub baldachino, quod Oratores portant, vel Nobiles. Cardinales, & Prælati omnes sunt parati paramentis albis convenientibus, & Officiales omnes in albis, ut moris est. Cardinales duo Diaconi assistentes portant fimbrias Pluvialis Papæ, & Nobilior Urbis caudam. Cum pervenerit ad Ecclesiam Papa, facta Oratione super Faldistorio, vadit ad Sedem, ubi parari debet, & fit ei reverentia a Cardinalibus, & omnibus Prælatis paratis more solito.

COMMENTARIUS.

I. DAta pace, de qua diximus supra, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ antiquum, instituebatur Romæ solemnis Processio, qua Summus Pontifex Missarum solemnia celebraturus pergebat ad S. Mariam Majorem, in qua Statio fiebat, ut testantur Romani Ordines, inter quos Ordo I. omnium antiquissimus hæc habet Num. II. pag. 4. Tom. II. Musei Italici apud Mabillonium: *Diebus itaque solemnibus, sicut est Pascha, primo omnes Acolythi regionis tertiæ, & Defensores omnium regionum convenientes diluculo in Patriarchio Lateranensi, præcedent Pontificem pedestres ad Stationem. Stratores autem laici a dextris, & a sinistris equi ambulant, ne alicubi titubet. Qui autem eum equitantes præcedunt, hi sunt. Diacones, Primicerius, & duo Notarii regionarii, Defensores regionarii, Subdiaconi regionarii. Procedunt vero divisis turmis, spatium inter se, & Apostolicum facientes. Post equum vero hi sunt, qui equitant. Vicedominus, Vestararius, Nomenculator, atque Saccellarius. Unus autem ex Acolythis Stationarius præcedit pedester equum Pontificis, gestans sanctum Chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. Sed & omnes Acolythi absque sacculis, & sindonibus, & Chrismate non procedunt; quod disponit Stationarius. Siquis autem adire voluerit Pontificem, si equitat, statim ut eum viderit, descendat de equo, & ex latere viæ expectet, usquedum ab eo possit audiri; & petita ab eo benedictione, discutiatur a Nomenculatore, vel Saccellario causa ejus, & ipsi indicant Pontifici, & finiunt; quod & similiter observabitur, etiamsi absque ulla petitione ei quisquam obvius fuerit. Qui vero*

Digitized by Google

pedester fuerit, tantummodo loco suo figitur, ut ab eo audiatur, vel benedicatur. Varia in hunc locum essent observanda, quorum nonnulla explicuit laudatus Mabillonius in calce memoratæ pag. 4. viderique etiam de vocibus, quæ in ipso recitato loco occurrunt, eruditus Carolus Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario potest.

II. Pergit laudatus Ordo 1. aliaque enarrat, quæ rem nostram quammaxime spectant: *Die autem Resurrectionis Dominicæ procedente eo*, Pontifice scilicet, *ad Sanctam Mariam*, nempe Majorem, ubi Statio ipsa die fiebat, *Notarius regionarius stat in loco, qui dicitur Merolanas* (locus est in monte Exquilino haud procul a Basilica S. Mariæ Majoris, ubi extat Ecclesia S. Matthæi, quæ dicitur ad Merulanas) *& salutato Pontifice dicit*: In Nomine Domini nostri Jesu Christi baptizati sunt hesterna nocte in Sancta Dei Genitrice Maria infantes masculi numero tanti, feminæ tantæ. *Respondet Pontifex*, Deo gratias; *& accipit a Saccellario* (idest a Thesaurario, sic dicto a sacco, seu saccello) *solidum unum*. Ait mox, Pontificem pergere ad Stationem, atque paulo post ita subjicit: *In die vero Sancti Paschæ omnes Acolythi regionis tertiæ simul, & Defensores omnium regionum conveniunt primo diluculo in Patriarchio Lateranensi, ut dum processerit Pontifex, equum illius præcedant. Acolythi autem, qui inde fuerint, observant, ut portent Chrisma ante Pontificem & Evangelia, sindones, & sacculos, & aquamanus post eum, sicut supra diximus. Apostolum autem Subdiaconus, qui lecturus est, sub cura sua habebit, Evangelium Archidiaconus. Aquamanus, Patenam quotidianam, Calicem, scyphos, & pugillares, alios argenteos, & alios aureos, & gemelliones argenteos, colatorium argenteum, & aureum, & alium majorem argenteum; amas argenteas, cantatorium, & cetera vasa, aurea, & argentea, cereostata aurea, & argentea de Ecclesia Salvatoris per manum primi Mansionarii sumunt, & Bajuli portant. Diebus vero festis Calicem, & Patenam majores, & Evangelia majora de vestiario Dominico exigunt sub sigillo Vesterarii per numerum gemmarum, ut non perdantur. Sellam autem Pontificis Cubicularius laicus præcedens deportat, ut parata sit, dum in Sacrarium venerit.*

III. Indigerent & hæc hactenus dicta aliqua interpretatione, quod non ita nota omnibus sint, præsertim vero tironibus sacræ supellectilis, quæ solemni Papæ Missæ usui erat, sed ne in longum hic Commentarius abeat, quædam notabo, quæ & laudatus Mabillonius observavit in calce paginæ 5. Ergo Pugillaris hoc loco significat calamum, seu fistulam, qua Sanguis Domini e Sacro Calice hauriebatur. Scyphi, Calices ministeriales Acolythorum, de quibus infra, Colatorium vasculum foraminibus ab imo perforatum, quo vinum ex amulis, seu ampullis repurgatum in Calicem refundebatur. Gemelliones Panvinius suspicatur esse urceos, ad infundendam scilicet in manus Pontificis, ejusque forsan Ministrorum aquam, quæ in subjectam pelvim (aquamanum, idest, aquamanile hic vocant) excipiebatur. Anastasius in Gregorio IV. simul conjungit *amas, scyphos, gemelliones*, ut appareat, hos distinguendos esse ab amis, seu amulis. Sane varias voces obscuriores, quæ in hoc, aliisque sequioribus Ordinibus Romanis leguntur, scitissime inter alios explicavit eruditissimus Petrus Morettus in suo celeberrimo Opere, *De Presbyterio*; optandumque esset, ut ipsi Romani Ordines omnes a Mabillonio editi, iterum ederentur in lucem, correctiores tamen, ac fusioribus Notis ab aliquo Viro docto illustrati.

IV. Sed prosequamur nos narrationem describere rituum accessus Pontificis die festo Paschæ, aliisque solemnioribus ad Ecclesiam, ad celebranda ibidem Divina Officia: *Ad denunciatam Stationem*, inquit, *diebus festis primo mane præcedit omnis Clerus Apostolicum ad Ecclesiam, ubi Statio antea fuerit denunciata, exceptis his, qui in obsequio illius comitantur, ut supra diximus, & expectantes Pontificem in Ecclesia cum Supplementario, & Bajulis, & reliquis, qui Cruces portant, sedentes in Presbyterio, Episcopi quidem ad sinistram intrantium, Presbyteri vero ad dextram, ut quando Pontifex sederit, ad eos respiciens, Episcopos ad dextram, Presbyteros vero ad sinistram contueatur, Sed dum venerit Pontifex prope Ecclesiam, exeuntes Acolythi, & Defensores ex regione illa, cujus dies ad Officium fuerit, in obsequio præstolantur eum loco statuto, antequam veniat ubi descensurus est. Similiter & Presbyter Tituli, vel Ecclesiæ, ubi Statio fuerit, una cum majoribus Domus Ecclesiæ Romanæ, vel Patre Diaconiæ, si tamen illa Ecclesia Diaconiæ fuerit, cum subdito sibi Presbytero, & Mansionario thymiamaterium deferentibus in obsequium illius, inclinato capite, dum venerit. Primum Acolythi cum Defensoribus, deinde Presbyteri cum suis, petita benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad Ecclesiam. Advocatores autem Ecclesiæ stant quidem cum majoribus, non autem præcedunt cum eis, sed ipsi tantummodo sequuntur sellarem Pontificis cum Acolytho, qui aquamanus portat. Quem semper necesse est sequi Pontificem usquedum ad Altare ascendat, paratus sub humero in Presbyterio, quando vocatur a Subdiacono regionario ad aquam dandam.*

V. Prolixa est quidem ista narratio, sed describenda tamen tota, ne antiquissimus ritus, ac scitu dignus, quo Romanus Pontifex Missarum Solemnia perageret, ignoretur: *Cum vero Ecclesiam introierit Pontifex, non ascendit continuo ad Altare, sed prius intrat in Secretarium, sustentatus a Diaconibus, qui eum susceperint de sellario descendentem; ubi dum intraverit, sedet in sella sua, & Diacones, salutato Pontifice, egrediuntur Secretarium, & ante fores ejusdem mutant vestimenta sua, & parat Evangelium, qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto Archidiaconi super Planetam Acolythi, & si necesse fuerit propter majora Evangelia, duobus Acolythis super Planetas tenentibus, parat Evangelium. Quo facto, Acolythus Evangelium usque ante Altare in presbyterium, præcedente eum Subdiacono sequente, qui eum desuper Planetam illius suscipiens, manibus suis honorifice super Altare po-*

Digitized by Google

ponat. Nam egredientibus Diaconibus de Secretario, remanent cum Pontifice Primicerius, Secundicerius, Primicerius Defensorum, Notarii regionarii, & Subdiaconus sequens, qui tenet Pallium Pontificis in brachio super Planetam, in sinistro brachio cum acubus. Atque hic duo inter alia notatu sunt digna. Primum est, jam olim consuevisse Papam Sede vectum ire ad Ecclesiam. Nam ait, ingressurum ipsum in Secretarium, sustentari a Diaconibus, *qui eum susceperint de sellario descendentem.* Alterum est, *sigillo* olim munitum fuisse Evangelii Codicem post ejus lectionem, de quo ritu vide quæ scripsimus in Opere nostro, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. Capite XXVIII. ubi etiam causas explicuimus, cur sacrum Evangelium tam crebro in Ecclesia legendum, sigillo semper obsignaretur.

VI. Porro sunt & alia in ipso I. Romano Ordine notatu digna, quæ opportunius inferius describemus sequentes ordinem nostri hujus Cæremonialis. Cum autem in hoc §. agatur de solemni processu Pontificis ad Ecclesiam, operæ pretium ducimus & ea hoc loco referre, quæ inter alios notavit Romanus Ordo XI. Numero XLV. ubi ita processum Pontificis ad eam Basilicam describit: *Finita pace, tunc Dominus Pontifex induit se Planeta alba, & ab isto die usque in Octavas Paschæ similiter, & induit Pallium, & Mitram. Cum eis omnibus ordinibus descendit de Palatio. Præparatis equis cum albis mappulis super sellas, coronatur, & equitat cum Processione ad S Mariam Majorem. Cum autem venerit in Merolanam, stat Notarius ibi, & alta voce dicit:* Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit eum. Notarius dicit:* In Ecclesia Sanctæ Mariæ in hac nocte baptizati sunt tot masculi, & tot feminæ. *Pontifex respondet:* Deo gratias. *Et Notarius accipit a Saccellario unum byzantium.* Addit mox, idipsum similiter fieri Feria secunda ad S. Petrum, & tertia Feria ad Sanctum Paulum.

VII. Sed ut ritum Festi Paschatis enarremus, pergit laudatus Ordo cœptum ritum describere, sic statim inquiens: *Cum autem venerit Dominus Pontifex ad Sanctam Mariam, ubi fit Statio, descendit de equo, deponit Coronam de capite, quam dat Stratoribus, ut diligenter servent eam. Canonici Ecclesiæ cum thuribulo, & incenso, & aqua benedicta suscipiunt eum cum Processione, cantando; sed Pontifex ponit incensum in thuribulo, & aspergit aquam super populum. Deinde intrat Ecclesiam, & orat, & vadit ad Secretarium, ubi paratis omnibus ordinibus, prius dat pacem priori Episcopo, qui ei serviturus est, & redit in locum suum; deinde secundo Episcopo, qui rediens dat pacem priori suo, & redit in filo, & aliis similiter, deinde Cardinalibus similiter, postea Præfecto, & Judicibus, Delungariis quoque, ideſt, Præfectis navalibus, & Majorentibus, qui dicuntur Schola Stimulati, & ceteris laicis Principibus. Tunc surgunt duo Subdiaconi Basilicarii, & accipiunt Priorem Subdiaconum regionarium per manus addextrantes eum ab introitu Secretarii ante Pontificem. Qui alta voce dicit:* Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit eum. Deinde parum producunt eum, & iterum dicit:* Jube Domne benedicere. *Dominus benedicit eum, & dicit:* Servi Domini nostri Jesu Christi; Servi Domini nostri Jesu Christi; Servi Domini nostri Jesu Christi. G. Archidiaconus legat Evangelium. Hyacinthus Subdiaconus legat Epistolam. G. Primicerius, ceteri Cantores cantent.

VIII. His dictis, ex præscripto ejusdem Romani Ordinis, *tunc surgit Dominus Pontifex a duobus sustentatus in Processione progrediens, sicut mos est. Cubicularii in introitu Ecclesiæ habent mappulam extensam, quam portant super caput ejus usque ante Altare. Cum intrat Presbyterium Ecclesiæ, Mansionarius præparat ei arundinem cum cereo accenso, quam accipit, & ponit ignem in stupa super capita columnarum, quæ ibi stant. Cum autem venerit ad primum cereum, Primicerius deponit Mitram, & osculatur scapulam dextram Pontificis, qui benedicit eum. Cum venerit ante Altare, Cubicularii auferunt mappulam super caput ejus; deinde facit Officium, sicut Ecclesia consuevit.* Sequitur mox Introitus Missæ, de quo nos infra suo loco dicemus, varii enim in ea ritus occurrunt, qui licet postea in desuetudinem abierint, digni tamen sunt, ut eorumdem mentionem, ubi se se nobis dabit occasio, faciamus; tum vero præsertim quod ritus ipsi in usu fuerint, quousque Sedes Pontificia translata fuit Avenionem a Clemente V. Papa ineunte Seculo XIV. uti addiscimus ex Romano Ordine XIV. Cap. XCV. quod est de Officio in die Paschæ Resurrectionis Domini. In eo siquidem Capite iidem pene ad verbum descripti sunt Ritus, quos ex Ordine XI. Romano descripsimus, quosque legere est etiam in Romano Ordine XII. Auctore Cencio, Cap. XV.

IX. Porro post Pontificiam Sedem Avenionem translatam novus ritus invaluit, quem ita præscribit Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, qui claruit labente Christi Sæculo XIV. Cap. LXXXIV. sic inquiens: *Dominica in Festo Paschæ, Missa tantum mandatur, neque est Sermo; sed audita bono mane Missa parva, Dominus Papa indutus Pluviali albo cum Mitra aurifrisiata cum perlis vadit ad dandam Indulgentiam populo. Deinde venit ad Capellam, associantibus eum Cardinalibus tunc præsentibus secundum ordinem suum ante eum gradientibus; assistentibus ei duobus Diaconis Cardinalibus antiquioribus, uno a dextris, & alio a sinistris, Subdiacono Crucem portante ante Papam, & ante Cardinales. Cum autem Papa est in Capella, statim vadit ante Altare, ubi debet esse Cathedra pulvinari parata, & reposita sibi Mitra per Diaconum, qui est a dextris, genuflectit, & ibi aliquantulum orat, ut moris est. Deinde sibi Mitra reposita, vadit ad aliam Cathedram longe ab Altari paratam, & ibi sedet, & facta ei reverentia solita per ardinales, & alios Prælatos, Papa incipit more solito alte Tertiam &c* Sed auctus tandem fuit hic ritus Seculo XV. quem Auctor hujus Cæremonialis, quod nos Commentariis illustramus, ita describit in præsenti §. I. *Papa indutus Pluviali albo, & Mitra preciosis, ministrante Priore Presbyterorum*, Cardinalium scilicet, *etiam parato navicularn, & Acolytho thuribulum, imponit incensum, deinde processionaliter venit ad Ecclesiam sub baldachino, quod Oratores*

Digitized by Google

Portant, vel Nobiles &c.

X. Licet autem in nostro §. nulla fiat mentio Ecclesiæ, in qua Summus Pontifex celebret hac die Missarum Solemnia, constat nihilominus ex mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, consuevisse ipsos Pontifices solemniter celebrare hac die in Vaticana S. Petri Basilica. Huc facit, quod in suo Diario scribit Grassus ad annum MDXIII. *Die Paschæ* XIX. *mensis Martii MDXIII cum propter Templi ruinam posita essent aulæa circum circa Tribunam majoris Altaris S. Petri, & vento prævalente omnia lacerata fuissent, nec in die ipso Paschæ potuerit ibidem celebrari, vento omnia discutiente, Papa statuit, quod in Capella Palatina omne Officium ageretur, quamquam timuisset primo, ne id præter ritum esset, cum semper solitum esse dixerit, ut Pontifices non nisi in Basilica S. Petri celebrarent.* Addit mox Grassus, licere utique alibi hac die celebrare, *& tunc maxime propter ruinam Templi.* Sane tradit idem Grassus in suo Romano Ordine, quem Gulielmo Episcopo Albanensi S. R. E. Cardinali dicavit, Cap. v. tres esse solemnes Missas per Papam celebrandas, *videlicet in Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in Resurrectionis ejusdem, & in Sanctorum Apostolorum*, nempe Petri, & Pauli, *Solemnitatibus, quibus Papa sub baldachino processionaliter ad Basilicam*, Vaticanam scilicet S. Petri, *defertur*. Subdit præterea & hæc statim: *Alibi autem communiter celebrare non solet.*

XI. Esse antiquum ritum, ut Pontifex Missarum Solemnia celebraturus, summa cum pompa ad Ecclesiam pergeret in Sede vectus, & sub baldachino, jam non uno in loco notavimus, licetque addiscere hunc ritum gestandi baldachinum super caput Papæ vel ex præsenti hoc Commentario, ubi descripsimus locum Romani Ordinis, ubi traditur, Cubicularios portasse *mappulam extensam super Papæ caput usque ad Altare.* Mappula extensa, cujus passim mentionem faciunt Romani antiqui Ordines, ac Scriptores Liturgici, idem est, ac Baldachinum, seu Umbraculum, quod etiam alio nomine Pallium dicitur. Sed, ut audiamus nunc aliquem ex peritioribus Cæremoniariis Apostolicis, qui aliquo exemplo nostrum §. magis magisque illustret, ita plane scribit Mucantius ad annum MDLXXIII. de accessu Gregorii XIII. ad Basilicam S. Petri hac die, ut ibidem rem Divinam solemni ritu ageret: *Die xxij. Martii, Dominica Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, Pontifex paratus congruis paramentis, acceptaque Tyara; seu Regno in capite, præcedente Cruce delata per Subdiaconum Apostolicum paratum, & post Crucem Pœnitentiariis Prælatis, & Cardinalibus paratis, in Sede gestatoria delatus sub baldachino, cujus hastas Oratores, & Barones semper tulerunt usque ad Basilicam, ne cogerentur ire ante Crucem, descendit ad dictam Basilicam, ubi facta Oratione ad Sanctissimum Sacramentum, accessit ad Capellam majorem &c.* Describit pariter eundem ritum idem Mucantius ad annum MDLXXIV. ubi etiam inter alia ait, eo anno *ante Crucem, ante duos portantes incensum cum thuribulis, processisse Acolythos cum Abbreviatoribus mixtos numero septem, portantes septem candelabra cum cereis accensis.* Sed notanda potissimum, quæ idem Scriptor mox subdit: *Quod ex instituto antiquissimo, licet quampluribus annis omisso, vel potius nunquam nostra memoria observato, nunc demum renovatum fuit ex Decreto Congregationis Cardinalium deputatorum a Sanctissimo Domino nostro Gregorio Decimotertio confirmato. Verum opus fuit aliunde perquirere candelabra argentea, quæ in Sacristia Palatii non aderant apta ad id ministerium; idea erit in futurum manendus Pontifex, ut illa de novo constari, & componi faciat pro decoro majestatis Pontificiæ.* Neque vero omittenda quæ de septem ipsis candelabris in sequioribus annis Paschæ ritus enarrans notavit idem accuratus Mucantius: *Septem candelabra*, scribit ad annum MDLXXV. *non fuerunt delata, prout jam fieri debere conclusum fuit, & jam bis, aut ter observatum; quod evenit, quia non reperiuntur in Sacristia tot candelabra uniformia, quæ sufficiant; ideo esset providendum, ut omnino fierent, prout sæpius memoravi etiam suæ Sanctitati, quæ, ut credo, hucusque supersedit, sperans propediem se Sacristiam visitaturum, quod hactenus non fecit.* Ad annum MDLXXVII. hæc habet: *Acolythi cum Abbreviatoribus portarunt septem candelabra cum cereis accensis ante Crucem, sed cerei statim finita processione*, qua Pontifex scilicet ad Basilicam profectus est, *fuerunt subtracti, quod præcavendum est in futurum, ne fiat, nam illis etiam utimur, dum cantatur Evangelium, quod fieri non potuit hoc mane, sed eorum loco adhibita fuerunt septem funalia, ut alias fieri solebat, antequam usus septem candelabrorum restitueretur.* Adhibenda etiam esse septem ipsa candelabra cum cereis accensis, quum Papa, peractis Missarum Solemniis, ab Ecclesia discedit, docet idem laudatus Scriptor ad ipsum annum MDLXXVII. sic inquiens: *Papa redit eodem processionali ritu cum Pallio Pontificali ad benedictionem; sed duo tantum candelabra cum cereis, non autem septem per Acolythos Ceroferarios portata fuerunt, prout est in usu. Crediderim tamen, septem esse afferenda, cum etiam in reditu sit Processio solemnis.* Hucusque Mucantius.

XII. His alia adjungere, supervacaneum est. Quod ait Mucantius, *ex instituto antiquissimo*, deferri in solemni processu Pontificis ad Ecclesiam septem candelabra cum cereis accensis probari facile potest ex antiquis Romanis Ordinibus, ac præsertim ex Ordine I. omnium antiquissimo, quorum loca jam alias descripsimus. Cæterum ex eodem Mucantio addiscimus, ritum ipsum pluribus annis intermissum, renovatum fuisse prædicto anno MDLXXIII. & quidem a Papa Gregorio XIII. Apostolicas Cæremonias dirigente laudato Viro veterum rituum peritissimo, qui Cæremonias ipsas jam non ex usu callebat, cum tum primum creatus fuisset Apostolicus Cæremoniarius, sed assidua veterum Ritualium Romanæ Ecclesiæ lectione, ac studio diligenti; atque hæc est causa, cur nos ad illustrandum Cæremoniale ipsum Ecclesiæ Romanæ, mss. hujus doctissimi Viri Diariis usi fuimus.

XIII. Unum est tandem, quod in nostro hoc Commentario præteriri non debet, quod scilicet initio nostri hujus §. dicitur, quod nempe

Digitized by Google

pe in hoc Paschalis Resurrectionis Domini Festo *est mutatio Capparum*. Ritus hic planè est, quem Vir doctissimus Petrus Morettus Canonicus Basilicæ S. Mariæ trans Tyberim peculiari, aureoque Tractatu explicuit, qui inscriptus est, *De ritu variandi Chorale indumentum in Solemnitate Paschali apud Clerum Basilicarum Urbis usitato*. Quicquid autem de Capitulis Urbis sit, quod Summum Pontificem, Cardinales, & Prælatos Romanæ Curiæ spectat, *in Festo Paschatis Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, in quo est mutatio Capparum, Papa indutus Plaviali albo, & Mitra preciosis ..... Cardinales, & Prælati omnes sunt parati paramentis albis convenientibus, & Officiales omnes in albis, ut moris est*. Ita habet hic noster §. Cæterum licet ex hoc eodem nostro Cæremoniali infra Cap. XI. ubi agitur de Vigilia Pentecostes, & mutatione Capparum, *Cardinales, & Prælati Romanæ Curiæ, depositis Cappis, & Capuciis pellibus subduplicatis, accipiunt alias cum serico rubro, sive carmesino*; tum paulo post sic habet: *Hæc mutatio Capparum fit hodie in Festo Resurrectionis Dominicæ Decreto Leonis X. in Concilio Lateranensi, quia ita fiebat antiquitus*. Atque hunc antiquum ritum pluribus probat laudatus Morettus, variasque mysticas ejus ritus significationes ex Sanctis Patribus desumptas solide, eruditeque explicat.

XIV. Porro quod recitato nostri Cæremonialis loco dicitur de Leonis X. Decreto in Concilio Lateranensi V. edito circa prædictam Capparum mutationem, intelligendum est de Congregatione quadam præsynodali a Leone habita, qui eam rem confirmavit *Consistorialiter*, uti rem ipsam narrat in suo ms. Diario ad annum MDXIV. Paris de Grassis Apostolicus ejusdem Pontificis Cæremoniarius sic inquiens: *Die Dominica de Passione, secunda mensis Aprilis, anno MDXIV. SS. Dominus noster Pontifex, cum sederet in throno præsens Missæ Papali, dixit mihi, qualiter in Congregatione proxime præterita, in qua fuerant omnes Cardinales, decretum fuit, quod de cetero futuris temporibus mutatio Capparum fieret in die Paschatis Resurrectionis, & non in die Pentecostes, prout nunc fiebat. Unde, quia istud Decretum etiam Consistorialiter confirmare volebat, sic suadentibus Dominis Cardinalibus, mandavit, quod investigarem, quando ista mutatio Capparum introducta fuerit, & quare potius in Pentecoste, quam in Resurrectione, facta fuerit, & quod propter id super hoc responderem in Consistorio proximo futuro. Itaque hodie in præsente Consistorio retuli SS. D.N.Pontifici Consistorialiter cum viginti quinque Reverendissimis DD. Cardinalibus sedenti, hoc modo, videlicet: ante Joannem Papam XXIII Capparum hujusmodi mutationem legimus in Festo Paschatis Resurrectionis fieri solitam, de qua re mentionem facit Antoninus in Chronicis. Verum sub ipso Johanne Papa translatum ad Vesperas Vigiliæ Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, quod utique Auditores Rotæ servare dicuntur; siquidem ab audientia Causarum Rotæ eadem die abstinent, ut scilicet Cappas mutare possint, cum tamen non mutent, sed cum aliis omnibus in die Pentecostes mutant. Deinde per Urbanum Papam V. ipsarum Capparum mutatio prorogata fuit ad Vigiliam Pentecostes propter frigora, quæ forte tunc acriora vigebant in Galliis, ubi Curia residebat. Itaque nostro tempore hac cessante causa, qui mitiori Cælo fruimur, quam illic, posset commode Capparum mutatio reduci ad Festum Resurrectionis, sicut erat prius, &, sicut audio, in locis multis fere omnibus fieri, atque servari. Quibus per me enarratis SS. D. N. Papa quæsivit, ubi talia legissem. Respondi, in Annalibus antiquorum Magistrorum Cæremoniarum, & tunc idem S. D. N. remisit me extra Consistorium, ut desuper liberius vota inquirere posset. Demum mihi introvocari jussò imposuit, ut mutationem Capparum perpetuis futuris temporibus servari facerem in die Paschatis Resurrectionis, quia sic esset Consistorialiter decretum, ut omnibus intimarem, ut sic fieret, & servaretur, quod illico partim feci, partimque faciam.*

§. II.

De Hora Tertia, & præparatione Pontificis ad Missam.

Finita reverentia, Papa, depositâ Mitra, surgit, & stans versus ad Altare, dicit secrete, *Pater noster*. Tum in cantu, *Deus in adjutorium &c.* & stat, quousque Psalmus incipiatur; quo incœpto, sedens accipit Mitram, & accedunt Episcopi assistentes cum Libro, dicendo, *Quam dilecta &c.* & Subdiaconus cum Sandaliis, quem sequuntur Acolythi pro tenendis fimbriis, & Papa dicit Psalmum, & induitur Sandaliis more consueto. Dicta per Cantores Antiphona, *Hæc est dies &c.* Papa, depositâ Mitra, surgit, & dicit, *Dominus vobiscum*; & Cantores dicunt, *Benedicamus Domino*.

COMMENTARIUS.

I. ANte Missarum Solemnia decantari vel olim Tertiam, Canonicam nimirum Horam, consuevisse, jam non uno in loco notavimus, dicemusque de ea iterum in hoc Commentario inferius. Sane juxta Romanum I. Ordinem, ubi agit de Officio Paschæ, Pontifex in Secretario per manus Subdiaconorum regionariorum mutabat vestimenta sua hoc ordine, qui numero VI. recensetur; *Defert ea*, inquit, *plicata Cubicularius tonsuratus, accepta a manibus Ostiarii juxta caput scamni. Subdiaconi regionarii secundum ordinem suum acci-*

Digitized by Google

accipiunt ad induendum Pontificem ipsa vestimenta, alius Lineam, alius Cingulum, alius Anagolaium, ideſt, Amictum, alius lineam Dalmaticam, & alius majorem Dalmaticam, & alius Planetam, & sic per ordinem induunt Pontificem. Primicerius autem, & Secundicerius componunt vestimenta ejus, ut bene sedeant. Novissime autem quem voluerit Dominus Pontifex de Diaconibus, vel Subdiaconibus, cui ipse jusserit, sumit de manu Subdiaconi sequentis Pallium, & induit super Pontificem, & configit eum cum acubus in Planeta retro, & ante, & in humero sinistro, & salutat Dominum, & dicit, Jube Domne benedicere. *Respondet*: Salvet nos Dominus. *Respondet*: Amen.

II. Induto Pontifice, ut idem Ordo mox subjicit, *deinde Subdiaconus regionarius tenens mappulam Pontificis in sinistro brachio super Planetam revolutam, exiens ad regiam* (alibi januam) *Secretarii, dicit*: Schola. *Respondet*, Adsum. *Et ille*, Quis psallet? *Respondet*, Ille, & ille; *& rediens ad Pontificem Subdiaconus, porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua illius, & dicens*: Servi Domini mei, talis Subdiaconus regionarius leget Apostolum, & talis de Schola cantabit; *& postea non licet alterum mutare in loco Lectoris, vel Cantoris. Quod si factum fuerit, Archiparaphonista a Pontifice excommunicabitur* (ideſt, ut quidem interpretari licet, ab Officio suspendetur) *ideſt quartus Scholæ, qui semper Pontifici nunciat de Cantoribus. Quod cum nunciatum fuerit, statim sequitur Subdiaconus, adstans ante faciem Pontificis, usque dum ei annuat Pontifex, ut psallant. Cui dum annuerit, statim egreditur ante fores Secretarii, & dicit*: Accendite. *Qui dum accenderint, statim Subdiaconus sequens tenens thymiamaterium, pro foribus ponit incensum, ut pergat ante Pontificem; & ille quartus Scholæ pervenit in Presbyterio ad Priorem Scholæ, vel secundum, sive tertium, inclinato capite dicit*, Domne jubete. Alibi legitur, *Domini*.

III. His in Secretario peractis, *tunc illi*, ut idem Ordo inquit, *elevantes se, per ordinem vadunt ante Altare, & statuuntur per ordines acies duæ tantum; Paraphonistæ quidem hinc inde aforis; infantes ab utroque latere infra per ordinem; & mox incipit Prior Scholæ Antiphonam ad Introitum, quorum vocem Diaconi dum audierint, continuo intrant ad Pontificem in Secretarium, & tunc Pontifex elevans se, dat manum dextram Archidiacono, & sinistram secundo, vel qui fuerit in ordine; & illi, osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso, sustentantes eum. Tunc Subdiaconus sequens cum thymiamaterio procedit ante ipsum mittens incensum, & septem Acolythi illius regionis, cujus dies fuerit, portantes septem cereostata accensa præcedunt ante Pontificem usque ante Altare; sed priusquam venient ante Altare, Diacones in Presbyterio exuuntur Planetis, & suscipit eas Subdiaconus regionarius, & porrigit illas ad Acolythos regionis, cujus fuerint Diaconi, & tunc duo Acolythi tenentes Capsas cum Sanctis*, cum Eucharistia scilicet, quæ in Ordinibus antiquis Romanis eo nomine appellitatur, *& Subdiaconus sequens cum ipsis, tenens manum suam in ore Capsæ, ostendit Sancta Pontifici, vel Diacono, qui præcesserit. Tunc inclinato capite Pontifex, vel Diaconus salutat Sancta, & contemplatur, ut si fuerit superabundans, præcipiat, ut ponatur in Conditorio*, in loco scilicet, seu vasculo, in quo Eucharistia tunc recondi solebat.

IV. Mirabiles sunt plane hi ritus, egregieque nobis repræsentant magnificam pompam, qua olim Summi Romani Pontifices Solemne Sacrum peragebant; omittendumque iccirco non est, quod & mox memoratus Ordo I. Romanus subdit: *Tunc peraccedens, antequam veniat ad Schalam, dividuntur cereostata, quatuor ad dextram, & tres ad sinistram partem, & pertransit Pontifex in caput Scholæ, & inclinat caput ad Altare, surgens, & orans, & faciens Crucem in fronte sua, & dat pacem uni Episcopo de hebdomadariis* (nempe uni ex septem Episcopis hebdemadariis, de quibus loquitur Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Capite IV.) *& Archipresbytero, & Diaconibus omnibus, & respiciens ad Priorem Scholæ, annuit ei, ut dicat* Gloriam, *& Prior Scholæ inclinat se Pontifici, & imponit*, ideſt, intonat. *Quartus vero Scholæ præcedit Pontificem, ut ponat Oratorium*, ideſt Faldistorium, *ante Altare, & accedens Pontifex orat super ipsum usque ad repetitionem Versus*, ideſt Antiphonæ ad Introitum Missæ, de qua dicemus in Commentario sequenti. Atque hæc sunt, quæ de præparatione Pontificis, ejusque processu e Secretario ad Altare, ubi celebraturus est Missarum solemnia, habet Ordo Romanus I., cui similia narrant etiam sequioris ævi Romani Ordines, etiam decimus quartus, cujus ritus servati haud dubie fuerunt ineunte etiam Seculo XIV. ut alibi dictum est. Ceterum quod Horam Tertiam spectat ante Solemne Sacrum cantandam, & quidem juxta nostrum §. dum interim Pontifex sacris paramentis induitur, mentionem ejus facit Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XV. Num. XXXIII. ubi ita ait: *Perveniente autem Pontifice cum processione ad porticum S. Mariæ*, Majoris scilicet, ubi in die Paschatis fiebat Statio, & Missa solemnis celebrabatur, *descendit ad Petram Papalem in loco antiquitus constituto, & deposito Regno, ducitur a Judicibus ad Ecclesiam, & suscepta processione a Canonicis ipsius Ecclesiæ, & facta benedictione, vadit ad Secretarium, exuensque Palleum, & Planetam, posito Pluviali super humeros, incipit Tertiam*. Clariora sunt quæ habet Ordo XIV. Cap. XCV. cujus hæc sunt verba: *Cum autem venerit Dominus Papa ad S. Mariam, ubi fit Statio, statim descendit de equo, deponit Coronam de capite, quam dat Dextratoribus, ut servent eam Canonici Ecclesiæ cum thuribulo, & incenso, & aqua benedicta suscipiunt eum cum processione cantando. Sed Pontifex ponit incensum in thuribulo, & aspergit aquam super populum; deinde intrat Ecclesiam, & orat, & vadit ad locum præparatum, ascendit ad Sedem suam, & dicit Tertiam &c.*

V. Venio nunc ad Romanum Ordinem XV. cui quidem concinit noster § Sic enim ille Cap. LXXXIV. ubi agitur de Officio Missæ in die Paschæ, inquit: *Facta reverentia solita per Cardina-*

Digitized by Google

dinales, & alios Prælatos, Papa incipit more ſolito alte Tertiam, quam dicit ipſe legendo, & Capellani cum Cantoribus ante eum ipſam cantando. Qua finita, Papa dicit Orationem, & Prior Epiſcoporum tenet ei Librum ſuper caput ſuum, & duo Acolythi cantant. Benedicamus Domino, Alleluja, Alleluja &c. *Deinde Papa ſedet, & Subdiaconus cum uno de Cubiculariis calcet ſibi Sandalia, & ipſe Papa interim legit*, Quam dilecta, *cum illis Orationibus &c.* Similia leguntur in noſtro §. ac in mſs. Apoſtolicorum Cæremoniarjorum Diariis; ſed audiendus præceteris eſt Franciſcus Mucantius, qui ritum ipſum in §. præſcriptum ita recenſet ad annum MDLXXV. ubi de Paſchatis Feſto agit: *Finitis tribus Pſalmis Tertiæ, dum Chorus cantavit Antiphonam*, Hæc dies &c. *Pontifex ſedit, & ea finita ſurrexit ſine Mitra, prout dicitur in Cæremoniali*, in præſenti ſcilicet §. *quamquam Paris de Graſſis aliter ſentiat, videlicet debere ſurgere cum Mitra, dum cantatur prædictus Verſiculus loco Capituli, ut in ſuo Cæremoniali in Capite de hoc Feſto*, nempe Paſchatis.

VI. Nequid demum omittamus quod Miniſtros ſpectat, qui parare Pontificem indumentis Miſſalibus debent, opportune & hoc loco referimus, quod ſcripſit idem Mucantius in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXIV. ſacros Paſchatis ritus enarrans: *Subdiaconus quidem Apoſtolicus*, inquit, *Cotta indutus ambitioſe nimis voluit retro Pontificem manere, dum paramentis Miſſalibus induebatur, ipſum adjuvando contra debitum ordinem, quia non debet ibi aſſiſtere veſtiendo Papam, niſi Cardinalis Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Apoſtolicus paratus pro cantanda Epiſtola, ac duo alii Diaconi Cardinales aſſiſtentes; alii vero Subdiaconi ſiqui adſint, debent ſervire, portando quædam paramenta, ut Phanonem, & Pallium.* Addit mox, monitum tandem, & objurgatum ipſum Subdiaconum a Cæremoniariis Apoſtolicis, inde receſſiſſe, *quamquam murmurando, ac maledicendo.*

§. III.

De Miſſa hujus diei, ejuſque ritibus.

Tum Papa ſedens lavat manus, & paratus omnibus paramentis venit ad Confeſſionem proceſſionaliter, & omnia alia fiunt, prout ſupra in die Nativitatis Domini notatum eſt, uſque ad *Credo in unum Deum*, in quo, dicto, *Et homo factus eſt*, Subdiaconus portat ad Altare criſtallinum cum multis Hoſtiis parvis conſecrandis pro Communione populi Patena coopertum, & deſuper burſam cum Corporalibus, hoſtiariam cum Hoſtiis, & purificatorium, quæ omnia Diaconus accipiens, ponit ſuper Altare in cornu Epiſtolæ. Deinde Sacriſta vadit ad aliam credentiam pro lavandis Calice Papæ, & ampullis, & alia fiunt more conſueto. Diaconus Cardinalis ponit dictum Calicem criſtallinum cum Hoſtiis parvis ſuper Corporalia in medio ante Crucem, itaut non impediat incenſationem Calicis, & Hoſtiæ, ſed quod inter ambos Calices ſit competens diſtantia. Cum dicetur per Papam, *Suſcipe Sancte Pater Omnipotens æterne Deus &c.* Calix Hoſtiarum diſcooperitur, & elevatur aliquantulum per Diaconum, & eo dicto, per eum recooperitur cum Patena, & reponitur.

COMMENTARIUS.

I. CAlceatus Sandaliis Pontifex, & lecta præparatione ad Miſſam, lavabat deinde manus, & ſacris aliis induebatur paramentis juxta Ordinem XV. Romanum, Cap. LXXXIV. illiſque receptis, ſolemni iterum Proceſſione e Sede pergebat ad Altare ad celebrandam Miſſam: *Paramentis receptis imponitur Papæ Mitra ſolemnis, & deinde aſſiſtentibus prædictis duobus Cardinalibus, uno a dextris, & alio a ſiniſtris, & Priore Epiſcoporum eum aſſociante, & præcedente, qui ipſa die ſervire ſibi debet de Libro, & aliis, quæ ſibi competunt in Officio Capellani, proceſſionaliter cum Cruce, incenſo, & ſeptem faculis vadit ad Altare, & veniendo occurrunt ei tres juniores Presbyteri Cardinales parati, & ipſe, ut moris eſt, recipit eos ſecundum ordinem ſuum ad oſculum oris, & pectoris; deinde more ſolito facit Confeſſionem ſuam ante Altare, & alia, quæ in aliis ſolemnibus Miſſis ſunt fieri conſueta &c.*

II. Sed ut rem altius repetamus, explicemuſque hujus Miſſæ ritus, qui olim Romæ ſervari conſueverunt, ex præſcripto Ordinis I. Romani Num. VIII. & IX. ubi celebraturus hac die Pontifex ad Altare accedens oravit ſuper Faldiſtorium, *uſque ad repetitionem Verſus*, ideſt Antiphonæ ad Introitum, *ſurgens oſculatur Evangelia, & Altare, & accedit ad Sedem ſuam, & ſtat verſus ad Orientem. Schola vero, finita Antiphona, imponit*, Kyrie eleiſon. *Prior vero Scholæ cuſtodit ad Pontificem, ut ei annuat, ſi velit mutare numerum Litaniæ, & inclinat ſe Pontifici.* Huc ſpectat id, quod ait Paris de Graſſis apud Mabillonium in Nota ad hunc locum Tomo II. Muſei Italici pag. 9. in Miſſis ſcilicet Papalibus tandiu dici, *Kyrie*, quandiu reverentia Papæ per Cardinales facienda durat. Sane, ut idem Romanus Ordo ſubjicit, finita Litania, *dirigens ſe Pontifex contra populum incipit*, Gloria in excelſis Deo, *& ſtatim regyrat ſe ad Orientem, uſquedum finiatur. Poſt hoc dirigens ſe iterum ad populum, dicens*, Pax vobis, *& regyrans ſe ad Orien-*

Digitized by Google

Orientem, *dicit*, Oremus, *& sequitur oratio*. Sane Amalarius sub finem alterius Præfationis ad Libellum, ut vocat, Officialem, inter ea, quæ *a Romana Sede*, accepit, *Prima salutatio ad populum*, inquit, *Pax vobis pronunciatur, non Pax vobiscum*. Verum ex vetusto Missali Tolosano neque ante Orationem, neque ante Evangelium, neque ante Offertorium præmittitur solita salutatio, *Dominus vobiscum*; hujusque ritus causam affert Durandus Lib. VI. sui Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. LXXXVIII. his verbis: *Hac die fit Statio ad S. Mariam Majorem; quia cum B. Gregorius hac die ibi celebraret, &* Pax Domini, *pronunciaret, Angelus Domini alta voce respondit*, Et cum spiritu tuo, *& propter hoc cum Papa ibi hac die Celebrans dicit*, Pax Domini, *in testimonium hujus miraculi, nil sibi respondetur*. Verum fides sit penes Auctorem, ut verbis utar eruditi Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXV. Num. XIX.

III. Duas in variis Ecclesiis consuevisse hac die celebrari Missas, unam scilicet de Festo Resurrectionis, alteram pro baptizatis, notat inter alios Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXXII. Introitus Missæ Resurrectionis, *Resurrexi &c.* quo hodieque utimur, desumptus est ex Psalmo XXXVIII. occurritque in antiquis Missalibus, ac Romanis Ordinibus, præsertim vero in Ordine XI. Auctore Benedicto, Num. XLVII. ex cujus præscripto Primicerius cum Cantoribus cantabant ipsum Introitum, *Resurrexi, & adhuc sum tecum &c.* quæ verba Dominicæ Resurrectionis Mysterio applicari non posse, nisi per quandam analogiam, notavit Grancolas loco citato. Sed videri possunt, quæ in eundem Introitum scripsit Durandus in memorato suo Divinorum Officiorum Rationali Libro VI. Capite LXXXVIII. Num. IV. & seqq. Quicquid sit de variis mysticis hujus Scriptoris expositibnibus, juxta ritum in Ordine Romano XV. Capite LXXXIV. præscriptum, Pontifex, facta Confessione ante Altare, aliisque peractis, quæ in aliis solemnibus Missis sunt fieri consueta, *deinde vadit ad Sedem suam, ubi stando dicit Introitum Missæ*, & kyrie eleison, *cum Cardinalibus; deinde sedet, & sic proceditur in Missa secundum quod alio tempore est regulariter fieri consuetum*.

IV. Dicta Oratione, fiebant Pontifici Laudes, ejusque ritus mentionem inter alios faciunt Romani Ordines XI. & XII. quorum primus, Num. XLVII. sic ritum ipsum describit: *Pontifex dicit Orationem. Archidiaconus cum Diacono, & Subdiacono stantes juxta Altare ordinate, & Notarii jusum in Choro cum Pluvialibus, Archidiaconus cum sociis alta voce dicit*: Exaudi Christe. *Respondent Notarii*: Domino Nostro Papæ Innocentio, a Deo decreto Summo Pontifici, & universali Papæ vita. *Archidiaconus, & Diaconus iterum dicat*: Exaudi Christe. *Notarii respondent similiter. Sic dicitur tribus vicibus &c.* Audiendus Ordo XII. Cap. XV. Num. XXXIV. ubi ita inquit: *Post orationem vero, antequam legatur Epistola, descendit Archidiaconus cum Diacono, & Subdiacono, & ordinate stant juxta Altare in duobus filis, Scriniariis vero stantibus cum Pluvialibus; & tunc Archidiaconus cum Diacono, & Subdiacono, & aliis Ordinibus incipit Laudes alta voce, & alii respondent, sicut superius scriptum est in Festo Beati Stephani*. Porro nihil habet de Laudibus Ordo ille in Festo B. Stephani, sed potius in Festo Nativitatis Domini, ut post primam Orationem, Missæ nempe tertiæ, quam celebrabat Pontifex in Basilica S. Mariæ Majoris, *Diaconi Cardinales, & Subdiaconi, & alii Ordines cum Scriniariis faciunt Laudes Domino Papæ &c.*

V. In Ordine I. Romano jam nulla hujusmodi Laudum mentio. Post finitam ibi Orationem, *ascendunt Subdiaconi regionarii ad Altare, statuentes se ad dextram, sive ad sinistram Altaris. Tunc Pontifex annuit Episcopis, & Presbyteris, ut sedeant. Subdiaconus vero, qui lecturus est, mox ut viderit post Pontificem Episcopos, & Presbyteros residentes, ascendit in Ambonem, & legit*, Epistolam scilicet, quam etiam Latine, & Græce legi Romæ consuevisse, testatur Ordo Romanus XI. citato loco sic inquiens: *Facta Laude, prior Subdiaconus Basilicarius legit Epistolam Latinam, Subdiaconus Græcus legit Epistolam Græcam*. Idem habet Romanus Ordo XII. *Finitis vero Laudibus, legitur Latina Epistola prius, & postmodum Græca*. Hunc ritum pronunciandi non modo Epistolam, sed & Evangelium hac die in Missa solemni Latine & Græce, hactenus vigere in percelebri S. Dionysii in Francia Monasterio, testatus est Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXV. Num. XX. Certe celebrante Papa Missarum Solemnia non modo hac die, sed in aliis Solemnitatibus, Latine ac Græce, legi Epistolam ac Evangelium, docent nos passim mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria.

VI. Dicta Epistola, sequitur *Alleluja*, de quo hæc habet Ordo I. Romanus: *Postquam legerit*, Subdiaconus scilicet Epistolam, *Cantor cum Cantatorio, ascendit, & dicit Responsum*. Statimque subdit: *Si fuerit tempus, ut dicatur*, Alleluja, *bene; sin autem, Tractum; sin minus, tantummodo Resp nsum*. Quid sit Cantatorium, discimus ex Amalarii Præfatione in Antiphonarium, ubi ita scribit: *Notandum est, Volumen, quod nos vocamus Antiphonarium, tria habere nomina apud Romanos. Quod dicimus Gradale, illi vocant Cantatorium*. Quid vero sit Responsum, idem Amalarius docet Libro III. Cap. XI. sic inquiens: *Lectionem, quæ legitur post sessionem, sequitur Cantus, qui vocatur Responsorius. Responsorium vero iidem, qui supra Itali tradiderunt, quos inde Responsorios Cantus vocant, quod alio desinente, id alte respondeat*. Hinc Psalmus Responsorius apud Gregorium Turonensem Lib. VIII. Cap. III. quod uno Versu dicto per Cantorem, idem a Choro, seu populo repetatur, & consequenter de aliis. Gradalem, seu Gradualem posteri appellarunt, quod in pogio, seu in Ambone caneretur, teste eodem Amalario in Eloga, quam legere est apud Mabillonium, II. Tomo Musei Italici in Appendice Romani Ordinis. Ceterum, ut habet Ordo Romanus XI. *duo Cantores in pulpito cantant Gradale*: Hæc dies, quam fecit Dominus. *Primicerius cum Schola respondet*. Prosa sive sequentia, *Victimæ Paschali*

Digitized by Google

chali &c. recentior est, nec de ea antiquus Auctor, sive Ordo quisquam meminit. Meminit quidem Romanus Ordo XV. Cap. LXXXIV. ubi inter alia notandum monet, *quod in hac Missa post*, Alleluja, *& Versum*, Confitemini, *cantatur per Cantores, & incipitur per eosdem, non per Papam Sequentia*, Victimæ Paschali laudes, *& in fine reiteratur*, Alleluja.

VII. Ad Evangelium quod attinet, constat ex Sermone CXIX. S. Augustini, initium Sancti Evangelii secundum Joannem in Missa pronunciatum fuisse hac die, maxime in ea, quæ pro Neophytis, quibus datum est, filios Dei fieri, decantabatur; duplex quippe hac die, & per totam Paschalem hebdomadam celebrabatur Liturgia, una pro Neophytis, in qua & communicabant, altera de solemnitate, cujus rei restat adhuc vestigium in Missali Ambrosiano, in quo duæ leguntur Missæ hujusmodi. In ea autem, quæ pro solemnitate, Evangelium de Resurrectione Domini legebatur secundum quatuor Evangelistas, ut testis est S. Augustinus in Sermone CCXLVII. qui decimus octavus est in diebus Paschalibus, prodiitque nunc primum in nova Editione Patrum Benedictinorum S. Mauri. Sic autem initio ejus Sermonis S. Augustinus inquit: *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi secundum veritatem quatuor Evangelistarum hesterno die videtur esse completa. Primo enim die lecta est de Resurrectione secundum Matthæum, alio die secundum Lucam, tertio secundum Marcum, quarto, ideſt, hesterno secundum Joannem. Sed quoniam Joannes, & Lucas de ipsa Resurrectione, & quæ contigerunt post Resurrectionem, plurima scripserunt, quæ non possunt una lectione recitari, & heri audivimus aliquid secundum Joannem, & hodie, & adhuc aliæ lectiones restant &c.* Idem videre est in Sermone CCXXXII. CCXXXIV. CCXXXIX. & CCXLVI. ejusdem Augustini. Ex secundo tamen Libro, *De Sacramentis*, S. Ambrosio vulgo adtributo, Cap. II. colligitur, Evangelium de Angeli in piscinam descensu infra Paschalem hebdomadam recitatum fuisse. Sed & de Evangelio notandum illud, quod scribit Sozomenus Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Capite XIX. *Episcopos in præcipuis Festivitatibus iliud legere, ut Constantinopoli primo die Paschalis solemnitatis*. In quem locum videri possunt eruditissimi Valesii Notæ.

VIII. At vero ut Romanæ Ecclesiæ ritus explicemus, de Evangelio cantando hac die sic inquit Ordo I. Romanus, Numero XI. *Deinde Diaconus osculans pedes Pontificis tacite, dicit ei Pontifex*: Dominus sit in corde tuo, & labiis tuis. *Deinde venit ante Altare, & osculatis Evangeliis, levat in manus suas Codicem; & procedunt ante ipsum duo Subdiaconi regionarii, levantes thymiamaterium de manu Subdiaconi sequentis, mittentes incensum, & ante se habent duos Acolythos portantes duo cereostata. Venientes ad Ambonem, dividuntur ipsi Acolythi ante Ambonem, & transeunt Subdiaconi, & Diaconus cum Evangelio per medium eorum. Ille qui absque thymiamaterio est, vertens se ad Diaconem, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu Subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit, & interposito digito, Diaconus in loco lectionis ascendit*, in Ambonem scilicet, *ad legendum, & illi duo Subdiaconi redeunt stare ante gradum descensionis Ambonis*. Sicut Epistola, ita & Evangelium cantari consuevisse Latine, & Græce, testatur Romanus Ordo XI. Num. XLVII. his verbis: *Finitis cantibus, Archidiaconus legit Evangelium Latinum, Diaconus Græcus legit Evangelium Græcum*. Idque testatur etiam Ordo Romanus XII. Cap. XV. Numero XXXIV. sic inquiens: *Finitis vero Laudibus*, fieri scilicet olim Papæ solitis, ut dictum est, *legitur Latina Epistola prius, & postmodum Græca, & Evangelium Latinum, & Græcum*. Servatur hodie & hic ritus, cujus mentionem faciunt passim mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria.

IX. Egimus nos de ritibus in solemni Evangelii lectione in Missa servandis peculiari Opere, quod inscripsimus, *De Codice Sancti Evangelii &c.* eosdemque non semel & in his Commentariis recensuimus, ubi se se nobis dedit occasio. Iis itaque omissis, notandum illud hoc loco censemus, quod in suo ms. Diario scripsit ad annum MDLXXIV. Franciscus Mucantius, ad hunc enim §. quammaxime spectat: *Ad Evangelium Latinum*, inquit, *iidem Acolythi, & Abbreviatores portarunt septem candelabra cum cereis accensis, steteruntque in gyrum retro Subdiaconum Librum*, Evangelii scilicet, *tenentem. Quod etiam nunc primum ab immemorabili tempore citra observari cœptum est, cum prius adhiberentur septem fanalia, eaque tenerentur bina per singulum Accolythum propter paucitatem Acolythorum*. Addit & mox, septem ipsa candelabra mansisse cum dictis cereis accensis super abbacum per totam Missam, idque a quibusdam fuisse reprehensum, *nec fortasse absre, quoniam eo modo nulla videbatur differentia quoad numerum candelarum inter abbacum, & Altare; quod in futurum erit præcavendum*. Ita Mucantius, qui paulo superius notaverat, prædicto anno MDLXXIV. restitutum fuisse antiquum ritum, ut nempe in solemni Processione Pontificis ad Ecclesiam septem candelabra cum cereis accensis præferrentur.

X. Finito Evangelio, ex præscripto Romani Ordinis XV. Cap. LXXXIV. *immediate Diaconus, qui assistebat a parte sinistra, dicit*, Confiteor Deo &c. *& Papa more solito dat benedictionem absque pronunciatione Indulgentiæ*. Similia habet Ordinarium Laudunense, ubi recenset ritus Missæ hujus diei: *Post Evangelium*, inquit, *Diaconus alta voce clamat*, Humiliate vos ad benedictionem. *Chorus respondet*, Deo gratias. *Episcopus facit benedictionem super populum, postea incipit*, Credo. Post datam benedictionem intonari a Papa, *Credo*, testatur etiam laudatus Ordo Romanus sic inquiens: *Data benedictione Papa dicit*, Credo in unum Deum &c. Addit quoque Auctor Ordinis hujus Amelius, se legisse, *quod licet non fiat Sermo, tamen dicitur*, Confiteor, *& datur Indulgentia*. Quod notandum est, cum paulo superius dixerit, dari post Evangelium more solito benedictionem *absque pronunciatione Indulgentiæ*. Porro mirum videri debet, in Ordine I. Romano nullam post Evangelium fieri mentionem ritus cantandi, *Credo &c.* dicit enim statim Pontifex, *Pax vobis*, ac deinde,

Digitized by Google

Dominus vobiscum, & *Oremus*. Sed negari tamen non potest, quin antiquus sit mos Ecclesiæ Romanæ cantandi Symboli in Missa, ut fidem facit secundus Ordo Romanus, aliique sequentes, in quibus Symbolum post Evangelium assignatur. Sed de hac re vide Mabillonium in Commentario ad Romanum Ordinem Cap. VI. Tom. II. Musei Italici, & Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo V. Numero XI.

XI. Ex præscripto nostri §. *dicto*, & Homo factus est, *Subdiaconus portat ad Altare crystallinum pro Communione populi Patena coopertum &c.* De hac Communione dicemus mox intra in Commentario ad §. v. Notandum hic vero illud ad Cæremoniariorum instructionem, quod in suo Diario scripsit loquens de hac Missa Mucantius ad annum MDLXXV. *erratum*, nempe, *fuisse in auferendis chirothecis Papæ post lectum Offertorium, quia eas abstulit Episcopus Cardinalis assistens, qui tunc fuit Illustrissimus Dominus Cardinalis Farnesius, cum potius id facere debuerunt duo Diaconi Assistentes hinc inde.*

§. IV.

De duobus Cardinalibus, præter duos assistentes Diaconos, stantibus a Præfatione ad Altare usque ad Agnus Dei.

Cum Papa dicit, *Per omnia sæcula sæculorum*, ante Præfationem, vel parum ante, duo Diaconi Cardinales juniores, præter illos, qui asistunt Papæ, vel si Diaconi non fuerint, duo juniores Presbyteri Cardinales accedunt ad Altare, unus ad dextrum, alter ad sinistrum cornu Altaris, & stantes hinc inde, alter alterius faciem inspicit, vel, ut alii volunt, & melius, ad populum respiciunt, repræsentantes duos Angelos, qui apparuerunt in albis custodientes Sepulchrum Salvatoris, qui ibidem stare debent, usque ad *Agnus Dei*. Cum Papa ascendit ad Sedem suam, tunc descendunt ad loca sua redeuntes.

COMMENTARIUS.

I. EST & hic antiquus ritus, cujus mentionem faciunt antiqui Romani Ordines, & inter alios Ordo XI. Auctore Benedicto Num. XLVII. sic inquiens: *In Secreta*, Oratione scilicet ante Præfationem, *descendunt duo Diaconi ante Altare, & duo Subdiaconi, ordinate stantes cum silentio*. Idem habet Ordo XII. Num. XV. Cap. XXXIV. *In secreta vero, cum Præfatio incipit, descendunt duo Diaconi cum duobus Subdiaconis, & stant in fronte Altaris ordinatim cum silentio*. Duos quoque Diaconos, ac totidem Subdiaconos memorat Ordo XIV. Cap. XCV. primusque est Ordo Romanus XV. qui duorum tantummodo Cardinalium Diaconorum meminit, his verbis: *Notandum, quod paulo ante inchoationem Præfationis, duo Diaconi Cardinales ultimo electi vadunt retro Altare ad similitudinem, seu repræsentationem Angelorum monumentum custodientium, & ibi morantur erecti versa facie ad populum usque ad intonationem*, Agnus Dei, *quo incepto redeunt ad loca sua pristina, & non ante*. His itaque concinit noster §. qui tamen in eo differt a laudato Romano Ordine, quod ex illius præscripto Cardinales vadunt *retro Altare*; in nostro autem §. *unus ad cornu dextrum, alter ad sinistrum Altaris*. Cæterum ad hunc nostrum §. alludit Franciscus Mucantius Apostolicus Cæremoniarius, ubi in suo ms. Diario ad annum MDLXXIV. ita ad rem nostram scripsit: *Duo ultimi Cardinales Diaconi, qui debebant assistere hinc inde a lateribus Altaris, dum Præfatio per Pontificem inchoaretur, usquequo rediret ad Solium, venerunt jam incepta Præfatione, cum tardius a nobis essent admoniti, nempe cum essemus circa alia occupati, adeo ut non mirum sit, nos ut homines oblivisci; tamen non multo post ibi adfuerunt, non quidem duo Diaconi, quia non aderant, sed ultimus Diaconus, & ultimus Presbyter, qui tali casu supplet vices Diaconi*. Sed hujusmodi ritus occurrunt etiam in aliarum Ecclesiarum antiquis Ritualibus, quorum meminit laudatus toties Edmundus Martene.

§. V.

De generali Communione hujus diei.

In hac die postquam Papa dicit, *Per omnia sæcula sæculorum*, ante *Pater noster*, non respondetur, *Amen*, sed Papa continuat, *Oremus*. *Præceptis &c.* Pax datur omnibus etiam Diaconis Cardinalibus communicandis, præter illum, qui Evangelium cantavit. Cum Papa communicaverit se, & Diaconum, & Subdiaconum de Sanguine more solito, Papa se purificat, sed digitos non abluit; propterea Sacrista (1) patenam illam auream hic non portet, neque adhuc Prior Præsbyterorum Cardinalium ad Papam vocetur. Cum primum autem

(1) Ita in Veneta I. Editione, & Colonensi; in Romana vero legitur, *taciam*.

Digitized by Google

tem Diaconus, & Subdiaconus per Papam communicati apud Altare more ſolito Sanguinem ſumpſerint, Diaconus Evangelii accedit ad ſiniſtram Papæ in Solio ſine Mitra ſtantis pro honore Sacramenti in Altare poſiti; ſtanſque dicit in tono conſueto: *Confiteor Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, ac omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatam Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, & omnes Sanctos, & te Pater, orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Quo dicto, Diaconus revertitur ad Altare ad locum ſuum, & Papa ſtans ſine Mitra, Epiſcopo Cardinali aſſiſtente Librum tenente, dicit in cantu more ſolito, *Miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perducat vos ad vitam æternam.* Reſpondetur, *Amen.* Deinde dicit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis Omnipotens, & miſericors Dominus.* Reſpondetur, *Amen.* Inde omiſſis verbis, & benedictione &c. populum tantum Cruce ſignat, nihil dicens. Tum Diaconus ſtans in medio Altaris, accipit Calicem cum Hoſtiis pro populo conſecratis Patena coopertum (1) & girat, & facit circuitiones bis, ut prius fecerat, cum Patena, & Sacramento pro Papa, & illum dat Subdiacono ante ſe genuflexo, qui illum portat ad ſiniſtram Papæ, ibidem ſtans uſque ad finitam Communionem. Subdiaconum ad Pontificem euntem ſequuntur duo Auditores cum mappula ſericea gremio Pontificis imponenda, antequam populum communicet, quam dicti Auditores hinc & inde apud Papam genuflexi tenent uſque ad finem Communionis. Poſtquam Subdiaconus ad Papam pervenerit, Papa, ut Sacramento reverentiam fecit, ſemitecto capite, ſi frigus ei nocet, vel omnino detecto, ſi recte valet, depoſita Patena, illi ſuperponit plures Hoſtias, & eam dat Epiſcopo Cardinali a dextris ſibi aſſiſtenti tenendam. Eſſet tamen ſecuritas, quod Subdiaconus cum Calice Sacramenti ſtaret ad dextram Papæ, & Papa ſiniſtra manu teneret Patenam inter ſe, & Calicem, & extraheret ſingulas Hoſtias pro ſingulis communicandis. Papa ſingulis, cum communicat, dicit: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.* Singuli communicandi, antequam Communionem ſumant, oſculentur manum Papæ, pedem autem non oſculentur. Cum Papa Communionem populi incipit, Sacriſta, vel Diaconus Græcus ſtans in cornu Epiſtolæ in manibus ſuis teneat Calicem cum puro vino, quo communicati ſe purificent, & in ſiniſtra habeat mappulam albam mundam, qua ipſi (2) ora extergant, deinde ad loca ſua redeant. Venient autem hoc ordine. Primo Diaconi Cardinales, qui oſculantur ante Communionem manum Papæ, deinde communicati os Papæ, quos ſequuntur alii eo ordine, quo fit incenſatio.

COMMENTARIUS.

I. Pervetuſta eſt in Eccleſia generalis Communio hac die in Miſſa, ejuſque meminit Gregorius Turonenſis in Libro, *De miraculis S. Martini*, Cap. XIII. ubi ait conſueviſſe tunc invitari populos hac Antiphona, quæ cum gravi, & ſuavi melodia cantabatur: *Venite populi ad ſacrum, & immortale myſterium, & libamen agendum. Cum timore, & fide accedamus manibus mundis, pœnitentiæ munus communicemus, quoniam propter nos Agnus Dei Patri Sacrificium propoſitum eſt. Ipſum ſolum adoremus, ipſum glorificemus cum Angelis clamantes Alleluja.* Hanc Antiphonam hactenus cantari in Eccleſia Turonenſi, tradit Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXV. Num. XXVI. ubi etiam varia recenſet ad eam rem antiqua Miſſalia, atque Ordinaria variarum Eccleſiarum præſertim Galliæ. Porro cum ex præſcripto Eccleſiæ omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles hac die ad Sacram Communionem accedere tenerentur, ut ea rite perageretur, unica olim in ſingulis Parochialibus Eccleſiis Urbis Remenſis Miſſa celebrabatur ad quam omnes communicabant. Ubi tamen major exiſtebat communicantium multitudo, altera Miſſa addebatur, ut docet idem Martene, Num. XXVIII. probatque ex pervetuſto Rituali Eccleſiæ Remenſis, cujus hæc ſunt verba: *Die Sancto Paſchæ in aliquibus Eccleſiis propter multitudinem communicantium ſolet celebrari una Miſſa de mane poſt Matutinas, in qua adminiſtrantur hi, qui juſta ratione non poſſunt communicari in majori Miſſa, & Presbyter pro libito poteſt facere abſolutionem generalem & ſimiliter in majori Miſſa. In aliis vero Eccleſiis ſola Miſſa eodem die celebratur, ad quam accedunt communicaturi ſecundum morem uniuſcujuſque Eccleſiæ.* Teſte eodem Martene uni-

(1) Ita in Romana Editione; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur: *& qua bis, ut prius fecerat &c.*
(2) Ita quoque in Editione Romana; in aliis vero citatis deeſt, *ora*.

Digitized by Google

eam adhuc hac die celebrant Missam Monachi Carthusienses, in qua omnes Presbyteri de manu Prioris Communionem percipiunt.

II. Sed omissis aliis Ecclesiis, peragi vel olim consuevisse hac die generalem Communionem in Ecclesia Romana ad Missam Summi Pontificis, docet nos vetus Ordo I. Romanus, Num. xx. his verbis: *Venit Archidiaconus cum Calice ad cornu Altaris, & adnunciat Stationem, & refuso parum de Calice in Scyphum inter manus Acolythi, accedunt primo Episcopi ad Sedem, ut communicent post eos. Episcopus autem primus accipit Calicem de manu Archidiaconi, & stat in cornu Altaris sequentis ordinis usque ad Primicerium Defensorum. Deinde Archidiaconus, accepto de manibus illius Calice, refundit in Scyphum, quem supra diximus; & tradit Calicem Subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum. Calicem autem accipit Subdiaconus sequens, dat Acolytho, quem ille revocat in paratorium. Qui dum confirmaverit quos Papa communicat, descendit Pontifex a Sede cum Primicerio Notariorum, & Primicerio Defensorum, tenentibus ei manus, ut communicet eos, qui in Senatorio sunt, post quem Archidiaconus confirmat. Post hæc Episcopi communicant populum, annuente eis Primicerio cum manu sub Planeta, percontato Pontifice. Post eos Diaconi confirmant; deinde transeunt in partem sinistram, ut faciant similiter. Presbyteri autem, annuente Primicerio, jussu Pontificis, communicant populum, & ipsi vicissim confirmant. Nam mox ut cœperit Pontifex in Secretario communicare, statim Schola incipit Antiphonam ad Communionem per vices cum Subdiaconibus, & psallunt, usquedum, communicato omni populo, annuat Pontifex, ut dicant*, Gloria Patri; *& tunc repetito Versu, quiescunt; & Pontifex mox ut communicaverit in parte mulierum, redit ad Sedem, & communicat regionarios per ordinem, & eos, qui in filo steterant; & in diebus festis de Schola XII. Nam ceteris diebus in Presbyterio communicant. Post hos omnes redeuntes Nomenculator, & Saccellarius, & Acolythus, qui Patenam tenet, & qui manutergium tenet, & qui aquam dat, ad Sedem communicant, & post Pontificem Archidiaconus eos confirmat.* Sed nec omittenda, quæ idem mox Ordo subjicit: *Adstat autem Subdiaconus regionarius ante faciem Pontificis, ut annuat. Ille vero contemplans populum, si jam communicati sint, & ille vadit ad humerum, aspicit ad primum Scholæ, faciens Crucem in fronte sua, annuit ei dicere*, Gloriam; *& ille resalutato, dicit*, Gloria, Sicut erat, *& Versum. Finita autem Antiphona, surgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ante Altare, dat Orationem ad Complendam directus ad Orientem.*

III. Communionis antiquus ritus legi etiam potest in antiquo Romano Ordine II. Numero XIII. & sequenti, itemque in Ordine III. Num. XVI. & Ordine V. Num. XI. ac in aliis etiam Ordinibus passim. Sed non omittendus Ordo XV. Cap. LXXXIV. ubi agens de Officio Missæ in die Sancto Paschæ sic ad rem nostram ait: *Notandum vero quod cum Papa dicit ante inchoationem*, Pater noster, Per omnia secula seculorum, *non respondetur*, Amen, *sed immediate dicit*, Oremus. Præceptis salutaribus, Pater noster &c. *in fine respondetur*, Sed libera nos a malo; *&*, Pax Domini *dicitur, & omnia alia, quæ in alio tempore dici solent; & dicitur*, Lætatus sum, Pater noster. *Notandum etiam, quod Sacrista debet portare hodie tres Calices, magnum pro Missa, alium, cum quo Papa bibit vinum, tertium pro Communione; parat etiam custodiam deauratam, & tot Hostias parvas, quot sunt necessariæ.* Rursus Cap. LXXXV. de Communione Diaconorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum, Clericorum, & laicorum idem Ordo Romanus XV. sciendum monet, *quod ista die si Dominus Papa celebrat, omnes Diaconi communicant in Capella Papæ, necnon & Notarii, & Capellani ipsius Domini Papæ, ac Clerici, & laici.* Porro quod in citato Capite LXXXV. memorati Romani Ordinis varii ritus ad ipsam Communionem spectantes recensentur, censui integrum locum describere, qui est hujusmodi.

1. Nota de pace danda ut sequitur immediate post Papam, cujus contrarium reperitur in Cæremoniale Domini Jacobi Gaitani; sed iste modus plus placet mihi. Scilicet, quod Papa, data pace Priori Episcoporum Cardinalium, qui servit Papæ in Missa, immediate Papa dat pacem Diaconis Cardinalibus, dempto illo, qui legit Evangelium; & ille recipit statim postquam habuit in ore Corpus Christi de manu Papæ. Et data pace, Papa ascendit magnam Cathedram, associantibus Diaconis Cardinalibus secundum ordinem suum; & ille, qui dicit Evangelium, flectit genua, & recipit Patenam cum Corpore Christi, stando pedes, & eam elevat, tenendo ipsam ambabus manibus elevatis, quasi ad suos oculos, & vertit se ad partem dextram, ac si vellet dicere, *Dominus vobiscum*; & per eamdem partem revertitur, & vertit se simili modo ad partem sinistram; & genuflectit, & tradit Subdiacono etiam genuflectenti, qui portat eam Papæ cum Corpore Christi. Et recipit Calicem discoopertum, & facit simili modo circulum, & portat Papæ Christi Sanguinem.

2. Recepto ergo Corpore Christi, accepto a Papa osculo pacis, revertitur ad Altare cum Calice, & ibi cum calamo sugit modicum de Sanguine Christi, & dat Subdiacono etiam, & osculatur eum; quo facto, recipit cum descensus est, quia Episcopus Sacrista, qui servit Papæ, ponit Hostias consecratas intra coppam, & non Diaconus Cardinalis, cum tenaculis; & ita vidi servari eo Petrus Episcopus Oloycensis tempore Domni Bonifacii IX. Innocentii VI. Gregorii XI. Joannis XXIII. & Martini V & tempore, quo cum ..... tenaculis de auro Hostias consecratas, & ponit illam in coppam magnam deauratam ad hoc dedicatam, & eodem modo facit circulum, & sic tradit Subdiacono, ambobus genuflectentibus, quam Subdiaconus portat Papæ, & semper ante Papam tenet, quousque omnes communicaverint; & Diaconus remanet in Altari, tenendo cum manu sinistra super cornu dextrum Altaris Calicem, & cum manu dextra fistulam, cum qua dat ad bibendum omnibus, qui communicaverunt de manu Papæ de Christi Sanguine, dicendo cuilibet: *Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam* (legendum, *tuam*) *in vitam æter-*

Digitized by Google

æternam, *Amen*; & oſculatur quemlibet.

3. Notandum, quod primo communicant Diaconi Cardinales juxta ordinem prioratus ſui, bini, & bini, videlicet poſt Diaconum, & Subdiaconum; ſecundo Capellani, Auditores, Acolythi, cum Cottis, & Superpliceis, bini, & bini. Nota, quod Papa oſculatur tantummodo Cardinales, qui communicant hodie, & nullum alium in dicta Communione. Tertio Notarii cum Cappis laneis, & Pœnitentiarii. Quarto Barones, & Milites juxta ordinem ſuum, depoſitis mantellis, & capuceis. Ultimo quicumque voluerit vere confeſſus, & pœnitens. Nota etiam, quod quilibet, qui communicat, conſuevit offerre aliquid ſuper Altare, poſtquam communicaverit, & totum illud eſt Sacriſtæ, & Capellanorum. Item nota, quod quilibet poſt ſumptionem Chriſti Sanguinis debet bibere modicum de vino cum Calice de manu Sacriſtæ, vel Acolythi Calicem tenentis.

4. Notandum, quod Dominus noſter Papa hac die non conſuevit lavare digitos cum vino, nec vinum ſumere, prout conſuevit, poſtquam communicavit Subdiaconum, ſed tunc poſtquam omnes communicaverint, nec ita parum; nec Subdiaconus bibit vinum, niſi poſtquam omnes communicaverint, & eo quod ſi aliquid de Corpore Chriſti in Patena remaneret, ſolus Papa debet ſumere; & ſi aliquid de Sanguine Chriſti in Calice, Subdiaconus debet ſumere. Et poſtquam omnes communicaverint, venit Confeſſor Papæ, ſi ſit Epiſcopus; quod ſi non eſſet, unus alius Epiſcopus de domo Papæ, portat Calicem coopertum cum capite tobaleæ de auro, & alio capite pendente ſuper humerum ſiniſtrum, prout moris eſt; & antiquior Acolythorum poſt ipſum Epiſcopum bajulat ampullas cum vino, & aqua, & duabus taxeis coopertas cum panno illo, cum quo cooperitur Pallium; & Epiſcopus prædictus pergit cum dicto Acolytho ante Papam, & Subprior Epiſcoporum abluit parvam taxeam de auro cum vino, deinde infundit vinum ſuper digitos Papæ, & dictam perfuſionem digitorum idem Subprior portat ad Altare, quam bibit Diaconus Cardinalis cum Subdiacono, prout conſuetum eſt. Confeſſor, abluto Calice, infundit vinum, & Acolythus aquam intra Calicem, genuflectentibus ante Papam, & Dominus Papa abluit os, & ſumit vinum cum Calice prædicto; & ſi aliquid remanet, Subdiaconus ſumit ſuper Altare. Deinde Papa lavat manus in magnis bacilibus de auro, quibus lotis, Papa accedit ad Altare, & ſic perficit Miſſam ſuam. Nota, quod omnis homo, cujuſcumque conditionis, & ſtatus exiſtat, qui ſit vere confeſſus, & vere pœnitens, corde contritus, abſque licentia Epiſcopi (1), Plebani, vel alterius majoris, hodie poteſt recipere Corpus Chriſti de manibus Papæ.

5. Notandum, quod Buticularii Papæ debent portare tres, vel quatuor magnas quartas vini puri, & optimi pro Communione. Vinum vero, quod remanet tam in magnis Miſſis, quam in parvis Papalibus, ſemper eſt Sacriſtæ; & cum omnes Communicantes Sanguinem ſumpſerunt, Dominus Diaconus dat fiſtulam, ſeu calamum ad ſugendum ab utroque capite Subdiacono, & poſtea Calicem ad ſumendum illud, quod ſupereſt de Sanguine Chriſti; quibus factis, Diaconus plicat Corporalia, & tobaleam ſuper Altare poſitam etiam amovet.

IV. Hactenus Romanus Ordo XV. in quo multa ſcitu digna obſervari poſſunt, quæ olim in uſu erant circa Paſchalem Communionem in ſolemni Papæ Miſſa, quæque deinde in deſuetudinem abiere. Cæterum fit ejus Communionis mentio in ms. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, ac præſertim apud Paridem Graſſum ad annum MDXIII. ubi de ritu ejus Communionis hæc habet: *Poſitis Hoſtiis ſuper Patenam ante Papam, venerunt Cardinales Diaconi ad Communionem, & Prælati non conſecrati* (non Sacerdotes ſcilicet, Sacerdotes enim Miſſam celebrabant) *& Oratores, ac deinde multi alii, quos omnes Papa devotiſſime communicavit, uſquequo fuerunt Hoſtiæ, quæ fuerunt quaſi centum quinquaginta.* Addit tum paulo poſt, quod, *quando Papa communicavit Cardinales, fuit ſtans, quando autem alios, fuit ſedens, ſed capite nudo.* Sed audiamus Mucantium, qui ad annum MDLXXIV. Miſſam ſolemnem in Feſto Paſchatis a Summo Pontifice Gregorio XIII. celebratam deſcribens, ſic inter alia inquit: *Poſt Communionem Papæ, ſuorumque Miniſtrorum, recitata Confeſſione per Diaconum Cardinalem Evangelii, communicarunt Cardinales Diaconi, Oratores, & alii nonnulli Officiales; ſed nequaquam fuit ordo ſervatus, ut debuerat, & expreſſe cavetur in Cæremoniali, quod alias erit advertendum.* Meminit ejuſdem ritus idem Mucantius ad annum MDLXXV. ubi etiam ait, erratum fuiſſe in Communione, *quia Sanctitas ſua prius eam præbuit Subdiacono, quam Diacono, cujus contrarium cavetur in Cæremoniali, & ratio ſuadet.* Addit ſtatim, non potuiſſe ſe hoc præcavere, cum eſſet aliis intentus, eandemque excuſationem alibi etiam repetit.

§. VI.

De reliquis hujus Miſſæ ritibus, & ſolemni, ac publica Papæ benedictione, quam e loco eminenti populo impertit, & plenariis Indulgentiis, quas duo Cardinales Diaconi pronunciant.

Communione facta, Papa ſurgit, ſi communicando ſedebit, & facit reverentiam Sacramento, & Subdiaconus reportat Hoſtias, ſiquæ remanſerint ſuper Altare, ubi manent ad finem Miſſæ. Tunc Papa ſedet, & accedit Acolythus cum duabus taciis, una aurea pro Papa, & alia pro credentia, in manibus ampullas vini, & aquæ portans, & cum eo venit Prior Presbyterorum Cardinalium, quo in-

(1) Id obſervatum ob legem Communionis Paſchalis in propria cujuſque Eccleſia ſumendæ, ut notat Mabillonius

infundente vinum supra pateram auream, Papa sine Mitra abluit digitos, tum accepta Mitra lavat manus more consueto; deinde descendit ad Altare, & finitur Missa. Qua finita, & dicto, *Placeat*, Papa stans in Altari sine Mitra dat benedictionem, & non Indulgentias. Tum dicit, *Dominus vobiscum*, & *Initium Sancti Evangelii secundum Joannem &c.* usque ad finem, & Papa cum Pallio (nam illo, cum celebravit, in Processionibus uti debet, si alia indumenta Missalia habet) processionaliter sub baldachino, quod, ut supra, Nobiles portant, præcedentibus Officialibus in albis, & omnibus Prælatis paratis, eo ordine, quo venerant ad Ecclesiam, vadunt ad locum Benedictionis publicæ per viam ultimæ navis, in qua firmat se ad videndum Vultum Sanctum. Deinde ascendit ad locum Benedictionis, ubi solemniter benedicit populo, dat Indulgentias Plenarias, quas Diaconus a dextris pronunciat in Latino, & alius a sinistris in vulgari. Omnes Cardinales, & Prælati exuunt se, & associant Papam usque ad principium scalarum, ubi Papa eos dimittit, & vadunt ad comedendum, & non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. JUxta antiquum ritum, cujus meminit Ordo I. Romanus, Num. XXI facta Communione, & dicto, *Gloria Patri &c.* atque *Sicut erat &c.* surgebat Pontifex, & cum Archidiacono, *veniens ante Altare dabat orationem ad complendum directus Orientem; nam in isto loco, cum*, Dominus vobiscum, *dixerit, non se dirigit ad populum*. Finita vero oratione, cui præceperat Archidiaconus de Diaconibus, aspiciebat hic ad Pontificem, ut ei annueret, moxque ad populum dicebat, *Ite Missa est*, cui respondebant, *Deo gratias*; sicque finita Missa, septem cereostata præcedebant Pontificem, & Subdiaconus regionarius ad Secretarium. Descendente autem illo in Presbyterium, Episcopi primum dicebant, *Jube Domne benedicere*, respondebatque ille, *Benedicat nos Dominus*, & deinde alii, *Amen*. Ceterum, ut ait idem Ordo I. Romanus, post Episcopos procedebant Presbyteri, deinde Monachi, deinde Schola, post eos Bajuli, post eos Cereostatarii, *post quos Acolythi, qui rugam observant*, sive, ut legitur in Colbertino Codice, *qui regiam observant*, idest, ut notat Mabillonius in recitatum Ordinis Romani locum, *aditum, seu januam cancellorum, quam Acolythi observare solebant*. Bajulorum autem munus erat, vasa, & cereostata aurea, & argentea, ac alia, quorum laudatus Ordo Num. III. mentionem facit, gestare.

II. In sequioribus Ordinibus jam nihil reperio de reliquis hujus Missæ ritibus notatum. Ordo quidem Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. LXXXV. multa habet, quibus magis magisque illustrari potest hic noster §. tametsi nonnihil variet. Hæc ejus verba: *Deinde*, idest facta Communione, *Papa veniente ad Altare, Mitram idem Diaconus deponit ei, & postmodum ad locum redit, & Papa complet Missam suam, & Diaconus dicit*, Ite Missa est, *cum duplici*, Alleluja, *Data benedictione per Papam more solito, Episcopus Cardinalis, qui servivit Papæ de Libro in Missa, pronunciat Indulgentiam de mandato, & auctoritate Papæ septem annorum, & septem quadragenarum*. At ex nostri §. præscripto dat quidem Pontifex in fine Missæ, *benedictionem, non Indulgentias*. Atque hic est ritus, cujus mentionem faciunt in suis mss. Diariis passim Cæremoniarii Apostolici, inter quos Mucantius ad annum MDLXXIV. ubi enarrat ritus servatos in solemni Paschatis Missa celebrata eo anno a Gregorio Papa XIII. sic inter alia ait: *In fine Missæ, post benedictionem a non fuerunt publicatæ Indulgentiæ, quia postmodum data fuit plenaria in loco solito benedictionis more solito, ad quem Papa ivit solemniter eodem ordine, viso prius Vultu Sancto cum Lancea Christi in Ecclesia Sancti Petri*. Atque hæc cohærent quidem nostro huic §. ex cujus præscripto, finita Missa, *Papa cum Pallio, nam illo, cum celebravit, in Processionibus uti debet, si alia indumenta Missalia habet, processionaliter sub baldachino, quod, ut supra Nobiles portant, præcedentibus Officialibus in albis, & omnibus Prælatis paratis, eo ordine, quo venerant ad Ecclesiam, vadunt ad locum benedictionis publicæ per viam ultimæ navis, in qua firmat se ad videndum Vultum Sanctum &c.*

III. Antequam de ostensione hujusmodi Vultus Sancti facta Papæ post solemnem Paschatis Missam dum procederet ad solemnem publicam benedictionem largiendam populo una cum Indulgentia, dicamus, notandum hoc loco illud, quod scribit Mucantius in suo Diario ad annum MDLXXVI. ubi agens de Paschate, & de Missa eo die a Gregorio Papa XIII. celebrata, sic inter alia inquit: *Finita Missa, cum D minus Curtius Francus Canonicus dictæ Basilicæ*, Vaticanæ scilicet, *offerret Sanctitati suæ quandam bursam auream cum aliquot numis, quam vocant Presbyterium, quod dicti Canonici offerunt Papæ, quotiens solemniter celebrat in dicta Basilica, Papa quæsivit ab eo, quare daretur hujusmodi Presbyterium; ille respondit, quia sic esset consuetudo antiquissima. Petiit iterum Papa, ubi esset fundata hujusmodi consuetudo, & illo nesciente tunc ex improviso rationem adducere, Sanctitas sua dixit, rationem esse, quia singulis celebrantibus debetur eleemosyna*. Sed de hujusmodi Presbyterio supervacaneum est hoc loco disserere, postquam Vir eximius Petrus Morettus Canonicus S. Mariæ trans Tiberim solide, fuse, perdocteque de eo argumento scripsit, ediditque Romæ Opus, *De Presbyterio*, in lucem anno MDCCXLI. obsecundatus, regnanti Pontifici BENEDICTO XIV. ut ipse ait in Epistola dedicatoria ad eun-

Digitized by Google

eundem. Quamobrem gratiæ agendæ sunt Summo huic Pontifici bonarum Litterarum fautori, cujus auctoritate, atque munificentia donata est Respublica Litteraria tanto thesauro veteris penitioriſque antiquitatis Ecclesiasticæ.

IV. His obiter dictis, audiendus nunc iterum Romanus Ordo XV. citato Capite LXXXV. ubi ita ad rem nostram inquit: *Indulgentia pronunciata*, in fine scilicet Missæ, uti supra dictum est, *Papa totus paratus, ut in Missa, & cum Ministris suis secundum ordinem suum, coram eo binis, & binis incedentibus, junioribus tamen Cardinalibus secundum ordinem suum præcedentibus, & duobus Diaconibus Cardinalibus, qui ei in Missa astiterunt, tunc cum eo assistentibus, vadit ad fenestram ad dandam populo Indulgentiam de* VII. *annis, &* VII. *quadragenis*. Parci erant olim Pontifices in concessione Indulgentiarum, uti etiam Tomo I. hujus Operis notavimus, præsertim vero in Commentariis ad Titulum VI. qui inscriptus est, *De Canonizatione unius Sancti*, invaluitque posteriori ævo ritus, ut Pontifex post datam e loco eminenti solemnem populo benedictionem, daret *Indulgentias plenarias, quas*, ut ait nostrum Cæremoniale exaratum medio circiter Seculo XV. in hoc nostro §. *Diaconus a dextris pronunciat in Latino, & alius a sinistris in vulgari*. His adde, quod notat Mucantius in suo Diario ad annum MDLXXVII. ubi inter alia ait, Papam, finita Missa rediisse eodem processionali ritu cum Pallio Pontificali ab benedictionem publicam populo e loco eminenti largiendam, *sed duo tantum candelabra cum cereis, non autem septem per Acolythos Ceroferarios portata fuisse, prout est in usu*. Recte subdit, *septem esse afferenda, cum etiam in reditu sit Processio solemnis*. Quod solemnem benedictionem spectat dari solitam a Pontifice hac die post Missarum Solemnia e loco eminenti, loquuntur passim in suis Diariis Apostolicarum Cæremoniarum Magistri, inter quos Paris de Grassis ad annum MDXIX. loquens de solemni Missa celebrata die solemni Paschatis a Leone Papa X. sic habet: *In fine data est benedictio supra Plateam, ubi tantus fuit populus, quantus nec in anno Jubilei, at omnes cum Papa mirarentur*.

V. Nequid vero omittamus de ritibus in hoc §. nostro præscriptis, quod in eodem edicitur de ostensione Vultus Sancti fieri solita Papæ hac die post Missarum Solemnia, dum pergit ad locum eminentem ad largiendam populo solemnem Pontificiam benedictionem, ritus & iste antiquus est, cujus passim mentionem faciunt Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis, inter quos Franciscus Mucantius meminit etiam Lanceæ, qua perforatum fuit Christi latus, ostensæ Gregorio XIII. dum ad ipsam benedictionem populo impertiendam pergeret, sic inquiens in suo ms. Diario ad annum MDLXXIII. *In reditu Sanctitas sua, facta Oratione ante Sanctissimum Sacramentum, vidit Vultum Sanctum, & Lanceam, mox eodem processionali ritu, eodemque habitu, quibus in Missa usus est, etiam cum Pallio, & Regno Sede gestatus progressus est ad locum benedictionis, quam solemni ritu una cum plenaria Indulgentia Latino & vulgari sermone per Diaconos assistentes enunciata populo elargitus est more solito*. Porro in nostro hoc §. nulla fit mentio ostensionis Lanceæ, quia scilicet post editionem nostri Cæremonialis Innocentius Papa VIII. Lanceam ipsam dono accepit a Bajazete Turcarum Imperatore, de qua plura legere est apud Victorellum in suis ad Ciaconium Notis in Vita laudati Innocentii Papæ VIII. Tomo III. col. 100. & sequenti. Sed & de ejusdem Lanceæ ostensione videri etiam potest eruditissima Petri Moretti Canonici Sanctæ Mariæ trans Tyberim Canonici Dissertatio, cui Titulus, *De ritu Ostensionis Sacrarum Reliquiarum*.

VI. Tandem ex præscripto nostri §. data solemni benedictione, *omnes Cardinales, & Prælati exuunt se, & associant Papam, usque ad principium scalarum, ubi Papa eos dimittit, & vadunt ad comedendum*. Sed alius tamen fuit ritus paulo antiquior, cujus meminit memoratus Ordo Romanus XV. citato Cap. LXXXV. ubi hæc habet: *Deinde modo prædicto vadit*, Pontifex scilicet post datam Benedictionem, & Indulgentiam, *ad Cameram suam, ubi debet esse Cathedra cum scabello parata, & cum Papa venerit, Diaconus, qui ei servivit, traditis prius Anulis Episcopo Cardináli, qui ei de Libro servivit, exuit ipsum Dominum Papam omnibus paramentis suis, quæ pro Missa dicenda sumpserit, & per ordinem dat Papæ ad osculandum, Stolam, Fanum, Crucem pastoralem* (forte legendum, pectoralem) *& cum omnia paramenta deposuerit, dictus Diaconus Cardinalis paramenta deponit, & omnes Cardinales recipiunt vestes quotidianas, & sic ad propria revertuntur; & Papa recipit Capuceum, & Chlamidem de scarletto albo, quibus utitur per totam Octavam. Acolythi vero, & Clerici, & Sacrista plicant illa paramenta, & hodie comedunt cum Papa, Auditores a latere dextro, primo unus Auditor, secundo unus Pœnitentiarius, & sic per ordinem; a latere sinistro, primo Subdiaconus, secundo unus Commensalis, qui est Magister Palatii, vel unus alius, tertio unus Acolythus, & sic deinceps, & datur piper in collatione post prandium*. Similia legere est in ms. Cæremoniali Brunonis Joannis de Davantria Trajectensis in Rubrica de Festo Paschæ, ubi recenset etiam ritus servatos eo die in Hispania a pseudopapa Petro de Luna, qui perperam dictus est Benedictus XIII.

VII. Quicquid sit, antiquus est plane ritus, ut Summus Romanus Pontifex hac die, finita solemni Pontificali Missa, coronaretur, & magnifica equitatione, ab Ecclesia ad Palatium rediret, ubi convivium faciebat, in quo agno asso primum benedicto, excerptam de illius carnibus particulam porrigebat Priori Basilicario, dicens: *Quod facis, fac citius; sicut ille accepit ad damnationem, tu accipe ad remissionem*; & mittebat in os ejus, reliquum vero agni undecim discumbentibus, & aliis, quibus vellet, distribuebat. Ad dimidium convivii ex præcepto Archidiaconi surgebat quidam Diaconus, & lectionem pronunciabat. Cantores autem ex præcepto Pontificis Sequentiam Festivitatis congruentem modulatis organis decantabant, qua finita, osculabantur pedes Pontificis, qui dabat eis cuppam plenam potione, atque a Saccellario unum bizantium accipiebant. Atque hæc sunt, quæ fuse describuntur in antiquis Romanis Ordini-

Digitized by Google

dinibus, XI. Auctore Benedicto, & XII. Auctore Cencio S. Petri Canonico.

VIII. Sed lubet verba ipsa describere, ac primum illa, quæ in Ordine XI. leguntur Num. XLVIII. *Finita Missa, coronatur*, Pontifex scilicet, *& cum Processione redit ad Palatium per montem Exquilinum, intrat sub arcum, ubi dicitur macellum Lunanum* (alibi, *Eumanum*) *progreditur ante Templum Marii, quod vocatur* (1) *Cimbrum, transiens per Merulanam, ascendens ad Palatium juxta Fulloniam. In intr itu Basilicæ Zachariæ Papæ, acceptis Laudibus a Cardinalibus, & Judicibus, sicut in aliis Coronis, descendit de equo, suscipitur a Primicerio, & Secundicerius Judicum deponit Coronam, & dat Cubiculario, quam curiose deponit in Scrinio. Judices autem ducunt eum illo die in Basilicam magnam Leonianam in Cameram, ubi sunt præparata XI scamna, & unum subsellium circa mensam Domini Pontificis, & lectus ejus bene præparatus in figura XII. Apostolorum circa mensam Christi, quando comederunt Pascha. Ibi jacent in cubitis quinque Cardinales, & quinque Diaconi, & Primicerius ad prandium, dato prius Presbyterio in Camera cum manibus, sicut in die Nativitatis Domini. Surgit inde, & venit ad locum, qui dicitur Cubitorum, ubi agnus assus benedicitur, quem benedicit, & redit ad præparatum lectum mensæ. Prior Basilicarius sedet in subsellio ante lectum. Tunc Dominus Pontifex tollit parum de agno, & prius porrigit Priori Basilicario, dicens*: Quod facis, fac citius; sicut ille accepit ad damnationem, tu accipe ad remissionem; *& mittit in os ejus, qui accipit, & comedit. Reliquum agni dat XI. discumbentibus, & aliis, quibus placet, & sic omnes comedunt. Ad dimidium vero convivium, ex præcepto Archidiaconi, surgit quidam Diaconus, & legit lectionem. Cantores autem ex præcepto Domini Pontificis cantant Sequentiam, quæ sit conveniens Paschæ, modulatis organis, eaque finita, eunt, & osculantur pedes Pontificis, qui dat eis coppam plenam potione, qui bibunt, & accipiunt a Saccellario unum byzantium.*

IX. Hactenus Ordo Romanus XI. Numero XLVIII. in cujus locum nonnulla adnotavit Morettus in suo Opere, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione IV. Num. III. pag. 230. Sed audiendus est Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. XV Num. XXXV. ubi ritus ipse sic enarratur: *Finita vero Missa, coronatur, reditque cum Processione ad Palatium, sicut supra dictum est, in supradicto Festo S. Stephani, & acceptis Laudibus a Cardinale S. Laurentii, ducitur a Primicerio, & Secundicerio Judicibus cum Mitra in Basilica magna Leoniana, quæ dicitur Casa major, ubi sunt præparata undecim scamna circa mensam Pontificis, Presbyteris, Diaconis, Primicerio, & lectus ipsius Pontificis ibidem solemniter præparatus in figura undecim Apostolorum recumbentium circa mensam Christi. Transiens Pontifex per ipsam Basilicam intrat Cameram, ubi recepto Presbyterio a Camerario in scypho argenteo, & dato, sicut in Nativitate Domini, surgit, & ducitur a Magistro Seneschallo, & pincerna ad locum, qui dicitur Cubitorum, ibique a juniori Presbytero Cardinali agnus assus benedicitur, & exinde redit ad præparatum lectum mensæ; & accipiens idem Pontifex parum de asso agno, porrigit Priori Basilicario sedenti in subsellio ante lectum ipsius, dicens*: Quod facis, fac citius; sicut ille accepit ad damnationem, tu accipe ad remissionem. *Reliquum vero agni distribuit discumbentibus, & aliis circumstantibus. In medio vero convivii surgit unus de Diaconis Cardinalibus de mandato Archidiaconi, & legit ad mensam. Finito autem convivio, Cantores Prosam cantant, quæ sit conveniens Paschæ, de mandato Pontificis.* Similia hæc quidem sunt Ordini Romano XI. sed differt nonnihil tamen recitatus hucusque locus Romani Ordinis XII. ab Ordine XI. inter alia enim benedictionem agni commemorat *a juniori Presbytero Cardinale* peragendam.

X. Hujusmodi convivium celebrari olim solitum a Summo Romano Pontifice die Festo Paschatis imitatus fuisse videtur S. Udalricus Episcopus Augustensis, in cujus Vitæ Capite IV. ita scribit Gerardus Presbyter: *Missa itaque devotissimè, religiosissimeque decantata, cunctisque Sacramenta Christi accipientibus, & in sua revertentibus, ille ad cibum accessit; ibi mensas tres omni decore præparatas invenit, unam cui ille cum quibus volebat, adsedere solebat, & aliam matriculis, tertiam Congregationi S Afræ. Sanctificato itaque cibo, carnes agni, & particulas lardi inter Missarum solemnia benedicti omnibus dispensavit, & tunc demum cibum cum omni gaudio sumpsit. Tempore autem statuto Symphoniaci venerunt, quorum tam copiosa multitudo fuit, ut pene intercapedinem Aulæ secundum ordinem stando impleviss-*

sent, & tres modos symphonizando perfecerunt. His ita gaudiis multiplicatis, Canonici, præcipiente Episcopo, caritatem accipientes, & rogantes, unum Responsorium de Resurrectione Domini interim decantaverunt. Obiit Sanctus Udalricus anno CMLXXIII. ut vel inde intelligas, quam sit antiquus ritus, quem nos supra ex Ordinibus Romanis XI. & XII. descripsimus. Porro hic etiam observare juvat id; quod scribit Joannes Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CXVIII. ubi hæc habet: *In quibusdam regionibus pro more receptum est, ut in magno vase omnia quæ velint illo die comedere ferc*~~*u*~~*la, ad Ecclesiam deferant, in cujus Atrio, & vestibulo a Sacerdote, cum Cruce, & aqua lustrali, quam benedictam dicimus, in sacris vestibus benedicuntur. Postea vero Sacerdos aliquid sibi de singulis ad suam necessitatem sumit.* Idem docet Gulielmus Durandus in suo Rationali Divinorum, Officiorum, Lib. VI. Cap. LXXXVI.

XI. Sed omissis ritibus in aliis Ecclesiis hac die servatis, dicendum aliquid de Vesperis est, & de alia liberalitate a Pontifice post ipsas exhibita, cujus mentionem faciunt memorati Romani Ordines XI. & XII. quorum primus sic inquit: *Finito convivio, descendit*, Pontifex scilicet, *in Basilicam Salvatoris ad Secretarium, ubi parum pausat. Qui surgens, dicta prius Nona, in-*

(1) In alio Codice, ut notat Mabillonius Tomo II. Musei Italici ad calcem paginæ 141. legitur: *quod nominatur arcus Galliani, nunc S. Viti in macello Nardini, transiens per Merulanam, ascendens ad Palatium Cimbrum iuxta Fulloniam.*

Digitized by Google

intrat ad Vesperas eo ordine, sicut in Antiphonario scriptum est. Finitis tribus Vesperis, in Basilica Salvatoris, & ad Fontes, & ad Sanctam Crucem, redit Dominus Pontifex ad præparatam porticum; posito ibi Faciστorio, (alibi legitur, *Faldistorio*) *sedet ipse, & alii Ordines circa eum. Archiciclinus autem cum aliis juvenibus ordinate præparat ante Dominum Pontificem potionem, & vinum bibit ipse, & omnes alii bibunt. Interim Cantores surgunt & cantant hanc sequentiam Græcam &c. qua sequentia finita, eunt, & osculantur pedes Pontificis, & dat eis bibere coppam potionis. Sic omnes læti recedunt.* Ordo XII. Auctore Cencio parum quoad rerum summam differt a laudato Ordine XI. in describendis cæremoniis, ac nonnulla etiam clarius explicat, sic inquiens: *Postea descendit in Ecclesiam Lateranensam ad Vesperas, sicut continetur in Antiphonario. Celebratis tribus Vesperis, in Basilica Salvatoris, & ad Fontes, atque ad Sanctam Crucem, revertitur ad porticum Sancti Venantii, ibique sedet cum Episcopis, Cardinalibus, ceterisque Ordinibus, & aliis, tam laicis, quam Clericis, in terra super tapeta residentibus. Deinde propinatur sibi claretum vinum, & omnibus circumstantibus, ab Archidiacono, & aliis pincernis. Interim vero Primicerius cum Cantoribus surgit, & cantat Prosam Græcam hujusmodi &c.* Sequuntur Græca verba quorum interpretatio ad verbum hæc est apud Mabillonium in dictum locum ad calcem paginæ 187. *Pascha sacrum nobis hodie ostensum est, Pascha novum, Sanctum Pascha, mysticum Pascha, maxime venerabile Pascha Christi Redemptoris, Pascha immaculatum, Pascha magnum, Pascha Fidelium, Pascha portas nobis Paradisi reseravit, Pascha omnes reformans mortales, novum Papam Christe conserva.*

XII. Quamquam denique ex præscripto nostri hujus §. nullus hac die habendus sit Sermo in Missa, sicut nec in sequentibus Feriis, secunda, & tertia post Pascha, ut in Capitibus sequentibus expresse cautum est; alius nihilominus fuit Romanæ Ecclesiæ mos; testatur enim Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCVIII. quod inscriptum est, *Quibus diebus, & Solemnitatibus consueverunt Romani Pontifices Missarum Solemnia in persona celebrare*, consuevisse antiquitus in Paschate prædicari, licet eo ævo minime prædicari soleret: *In Paschate non prædicatur hodie, licet antiquitus prædicaretur.* Addit mox tamen, in diebus Lunæ, & Martis post Pascha prædicari. Sane animadversione dignum est, quod ex Homiliis S. Gregorii in Evangelia Hebdomadæ Paschatis liquet, Pontificem illum singulis illius Hebdomadæ diebus prædicare consuevisse: *Atque utinam*, inquit Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap LXXIII *in omnibus Ecclesiis per totam Paschatis Hebdomadam Officium solemne fieret, & Concio haberetur, tum, ut eorum, qui hac Hebdomada suum Pascha celebrant, pietati satisfieret, tum ut eorum, qui Pascha suum concelebrarunt, devotio confirmaretur. Qui prædicare satagunt in Quadragesima, ut Fideles ad Pascha præparent celebrandum, cur eos negligunt Dei verbo alere, qui Pascha suum celebrarunt, propriis viribus post Communionem reliquentes eos, quorum fervorem deberent Hebdomada ista magis, ac magis augere? Imitanda esset Ecclesia, quæ toto hoc solemni tempore novos baptizatos Divinis Officiis, & Prædicatione exercebat, ut in gratia Communionis Paschalis post Baptismum factæ confirmarentur. Medicorum non est, convalescentium corporum curam deserere, sed integræ eorum valetudini deservire.* Addit tum alia Grancolas, quibus veterem Ecclesiæ disciplinam confirmat, quæ frequentes scilicet in ipsa Paschatis Hebdomada Conciones ad Fideles habebat.

CAPUT II.

De Communione Imperatoris, aut Regis.

Si autem Imperator, aut Rex aliquis esset a Papa communicandus, tunc postquam Papa communicavit se, & Diaconum, ac Subdiaconum, Diaconus, dicto ante Pontificem, *Confiteor Deo &c.* vadit ad Altare, & unam tantum Hostiam ponit super Patenam pro Imperatore, vel Rege, factisque circulis consuetis, illam dat Subdiacono ad Pontificem deferendam. Imperator, vel Rex deducitur a Priore Episcoporum Cardinalium ad pedes Pontificis, quos primo osculatur, deinde accipit Sacramentum de manu Pontificis, & recipitur ad osculum oris. Postremo ab eodem Cardinale ducitur ad Altare, & per manus Diaconi purificat, & reducitur ad Sedem suam ab eodem Cardinali. Deinde portantur aliæ Hostiæ, ut supra, pro Diaconis Cardinalibus, & aliis. Hoc servatum fuit tempore Innocentii Sexti, cum Rex Aragonum venit ad Romanam Curiam anno (1) MCCCLV. Quod si plures essent Reges simul, portantur totidem Hostiæ simul, & totidem Cardinales primi deducunt Reges.

COMMENTARIUS.

I. AGitur in hoc Capite de ritu, quo Imperator, vel Rex communicat in Solemni Missa Summi Pontificis, acceptusque is ritus videtur ex ms. Cæremoniali Davantriæ, atque ex Codice ms. Piersanctiano, cujus textu emendatur quod in præsenti Capite di-

(1) Ita legendum, nempe anno MCCCLV. non vero anno MCCCLXXXVI. ut perperam legitur in Editione Veneta I. & Colonienſi, atque etiam in Romana.

Digitized by Google

Ritur de adventu Petri Aragonum ad Curiam Romanam tempore Innocentii Sexti anno Christi MCCCLXXXV. legendum enim MCCCLV. ut in citatis mss. Codicibus, in quibus ita memoratus ritus describitur: *Postquam vero dictus Diaconus, & Subdiaconus, qui ipsa die Epistolam, & Evangelium dixerunt, communicaverunt de manu Papæ, & Sanguinem in Altari, ut moris est, dictus Subdiaconus portat Domino Papæ sclam Hostiam consecratam cum Patena, de qua Rex, si sit præsens, communicari debet de manu Papæ immediate post Diaconum Cardinalem, & Subdiaconum, qui Epistolam, & Evangelium dixerunt illa die. Recepto itaque per ipsum Regem Corpore Christi de manu Papæ, vadit ipse Rex ad Altare adsumendum Christi Sanguinem de manu Diaconi Cardinalis ipsa die Officium faciente. Quem Regem in eundo ad Altare, & redeundo ad Cathedram suam associat Subprior Episcoporum Cardinalium, & ita factum fuit in Festo Nativitatis Domini anno ejusdem MCCCLV Pontificatus Domini Innocentii VI. anno tertio, quando Dominus Petrus Rex Aragonum fuit in Curia Romana, quem in dicta Communione associabat Dominus Cardinalis Petragorienſis Episcopus Albanensis.*

II. Porro Petrum Aragoniæ Regem sub finem anni MCCCLV. Avenionem ad Sedem Apostolicam accessisse, & clientis officia Sardiniæ, & Corsicæ Pontificia liberalitate acceptarum Innocentio solemni ritu retulisse, describit subjectis verbis Vitæ ejusdem Innocentii VI. Scriptor apud Bosquetum, & apud Raynaldum ad annum MCCCLV. *Eodem anno Petrus Rex Aragonum venit Avenionem ad dictum, Papam fuitque secum in Festo Natalis Domini, in cujus nocte in Matutinis certos Nobiles suos, qui secum venerunt, in præsentia dicti Papæ militavit. Fecit insuper homagium eidem, & in forma debita de Regno Sardiniæ, quod in Feudum tenet a Romana Ecclesia.* Anno itaque MCCCLV. non MCCCLXXXVI. ut perperam legitur in prima Veneta editione hujus Cæremonialis anni Christi MDXVI. & in Colonienſi anni MDLVII. atque etiam in Romana anni MDLX. Anno siquidem MCCCLXXXVI. non jam Innocentius VI. ad quem Petrus, quartus scilicet Rex Aragonum, anno MCCCLV. accesserat, sed Urbanus Papa VI. Ecclesiam regebat.

III. Quamquam vero ex recitato superius Piersanctiani Codicis loco, Rex, atque Imperator sub utraque specie olim communicare soleret, ex quo tamen prodiit hæresis Joannis Hus ajentis, præcepto Divino Communionem sub utraque specie necessariam esse ad salutem, Ecclesia Calicis usum, qui alias multis in locis olim viguit, merito sustulit etiam Regibus ipsis, atque Imperatoribus. Teste ordinatore nostri hujus Cæremonialis Augustini Patricii in Epistola ad Joannem Manellum Cremanum, in qua describit adventum Friderici III. Imperatoris Romam ad Paulum Papam II. in Solemni ejusdem Pontificis Missa, cui interfuit Fridericus, *communicavit Summus Pontifex Altaris Sacramentum cum Imperatore, Diacono, & Subdiacono de pane tantum, de Calice autem, etsi consuetudo sit, communicantes cum Pontifice participare, propter insurgentem tamen Hussitarum, ac Boemorum damnatam hæresim, quæ Calicis potationem ad salutem necessariam putat, præter Pontificem bibit nemo.* Juxta recentiorem itaque ritum, de quo alias supra diximus, si Rex, vel Imperator Papali Missæ interesset, & communicare vellet, sub sola specie quidem panis communicaret.

CAPUT III.

De Festo Paschatis, Papa non celebrante.

Si vero Papa non celebraret, cantatur Missa per Episcopum Cardinalem more consueto, qui communicat, si voluerit, Diaconos Cardinales, & alios Curiales, si ad hoc erunt dispositi. Sed incœpta Præfatione, nemo ad cornua Altaris accedit, ut supra dictum est. Sed omnia supradicta omittuntur, & fit Missa eo ordine, prout alias dictum est, & non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam perspicua sint, quæ in hoc capite statuuntur, afferet ei nihilominus plurimum lucis, quod scribit Gratius in suo Romano Ordine Cap. XI. apud Martene in Appendice Operis, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* pag. 605. Sic enim ille, ubi de Festo Paschatis agit, inquit, *Absente Papa, seu præsente, sed non celebrante, non itur ad Ecclesiam processionaliter. Episcopus Cardinalis celebrat, ut alias. Ante Præfationem Diaconi non veniunt ad Altare. Ante*, Pater noster, *respondetur*, Amen. *Non itur ad Logiam, nisi Papa velit benedicere solemniter, & Indulgentia datur in Ecclesia, nisi detur in Logia. Cardinales cum Cappis rubeis.* Porro teste Burchardo ad annum MCDLXXXV. *Dominica Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi Reverendissimus Dominus Episcopus Parmensis Cardinalis Vicecancellarius in Basilica Sancti Petri celebravit Missam solemnem Papa absente* (erat is Innocentius VIII.) *Cardinalibus præsentibus, & neminem, præter se communicavit. Finita Missa, Cardinales in eorum Cappis ascenderunt ad Pontificem lobiis supra portam Palatii existentem. Qui Pontifex Stolam habens supra Rocchettum, & Mitram simplicem planam, ac barbam longam, in fenestra ultima versus benedictionis locum, populo benedixit, nihil tamen alta voce dicens.* Similia legere est apud alios Apostolicarum Cæremoniarum Magistros, qui Burchardo successerunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De secunda Feria post Paschа.

Feria secunda post Festum Paschatis unus ex Reverendissimis Dominis Cardinalibus Presbyteris celebrat Missam in paramentis albis. Dicitur tantum una Oratio, & non fit Sermo; alia omnia fiunt more solito.

COMMENTARIUS.

I. CElebratam fuisse olim Romæ magna cum solemnitate a Pontifice Feriam Secundam post Pascha, equitante etiam ipso Pontifice per varia Urbis loca usque ad S. Petri Basilicam, ubi fiebat Statio, & Missa Papalis cantabatur, docet nos Ordo XI. Romanus, Num. L. *Secunda Feria*, inquit, *Statio ad Sanctum Petrum. Ad Matutinum super*, Venite, Surrexit Dominus vere, Alelluja. Venite exultemus. *In loco trium Antiphonarum cantatur*, Alleluja; *& tres Psalmi*, Cum invocarem (alibi, *In Domino*) Verba mea, Domine ne in ira tua. *Versus*, Hæc dies, quam fecit Dominus. *Tres Lectiones de Homilia, & duo Responsoria diei*. Te Deum laudamus. *Matutinæ Laudes cantentur cum suis Antiphonis, & Psalmis, & versibus alterius diei prioris Mane autem facto, omnes Palatini Ordines congregantur ad Palatium cum Pontifice, & descendit de Palatio, & equitat Dominus Pontifex. Intrat per Campum juxta S. Gregorium in Martio, descendit per viam majorem sub Arcu formæ, & dextra manu ante S. Clementem, declinans in lævam juxta Colliseum. Transiens per Arcum Aureæ* (alibi *Nerviæ*) *ante Forum Trajani usque ad Sanctum Basilium, ascendit per montem juxta militias Tiberianas, descendit per Sanctum Abbacyrum, & transiens ante Sanctos Apostolos, manu læva descendens in via lata, & declinans per viam Quirinalem, & proficiscens ad Sanctam Mariam in Aquiro ad Arcum Pietatis, sic ascendit ad Campum Martis, transiens ante Sanctum Trifonem juxta Posterulas, usque ad Pontem Adrianum; intrat per Pontem, & exit per portam Collinam ante Templum, & Castellum Adriani; proficiscens ante Obeliscum Neronis, intrat per porticum juxta Sepulchrum Romuli; ascendit ad Vaticanum in Basilica Beati Petri Apostoli, ibique cum omni populo Romano cantat Missam.*

II. Pergit laudatus Ordo, aitque, coronari consuevisse Papam ea die post Missam ante Basilicam Sancti Petri, ubi ascendebat equum, coronatusque cum processione ad Palatium suum Lateranense revertebatur, pergens per alias Urbis loca, quæ in ipso Ordine notantur: *Qua finita*, Missa scilicet, *coronatur*, inquit, *ante Basilicam S. Petri in loco, ubi ascendit equum, & coronatus cum processione revertitur ad Palatium per hanc Viam Sacram per porticum, & per prælibatum Pontem, intrans sub Arcu triumphali Theodosii, Valentiniani, & Gratiani Imperatorum, & vadit juxta Palatium Cromatii, ubi Judæi faciunt Laudem. Prosiliens per Parionem inter Circum Alexandri, & Theatrum Pompei, descendit per porticum Agrippinam; ascendit per Pineam juxta Palinam; prosiliens ante Sanctum Marcum, ascendit sub Arcu Manus carneæ per clivium Argentarium, inter insulam ejusdem nominis, & Capitolium, descendit ante privatam Mamertini; intrat sub Arcu triumphali inter Templum Fatale, & Templum Concordiæ, progrediens inter Forum Trajani, & Forum Cæsaris; subintrat Arcum Nerviæ inter Templum ejusdem Deæ, & Templum Jani, ascendit ante Asylum per Silicem, ubi cecidit Simon Magus juxta Templum Romuli; pergit sub Arcu triumphali Titi & Vespasiani, qui vocatur septem lucernarum; descendit ad Metam sudantem ante triumphalem Arcum Constantini, reclinans manu læva ante Amphitheatrum & per Sanctam Viam juxta Coloseum revertitur ad Lateranum, ibique honorifice susceptus, factis Laudibus Cardinalium, & Judicum, ascendit Palatium, dat Presbyterium sine manibus, celebrat convivium in eadem Basilica Leoniana. Peracto convivio, descendit ad Vesperas, & facit Officium, sicut scriptum est.*

III. Longe his plura legere est in Ordine Romano XII. Auctore Cencio, Cap. XVI. quod inscriptum est, *Quid debeat facere Dominus Papa in secunda die Paschæ*. In hoc siquidem Capite præter equitationem Pontificis de Palatio ad Basilicam S. Petri, & a Basilica ipsa post celebratam ibi Missam ad Palatium, largitionem Presbyterii, & solemne convivium, & alia ibidem notata, mentionem etiam facit variorum pecuniæ jactuum in ea Papæ equitatione per Urbem: *In secunda Feria post Pascha*, ait Ordo XII. citato loco, *summo mane Pontifex, congregatis omnibus Palatinis Ordinibus in Palatium, & descendens per porticum, & inveniens equum, non faleratum, sed, sicut moris est, pergit ad Sanctum Petrum, ibique celebrata Missa de more, & Laudibus, atque solemnitatibus universis, sicut hesterna die, peractis, coronatur ad gradus Basilicæ; revertitur ad Lateranum, & eo incipiente equitare, Senescallus post eum vadens facit de denariis jactum unum, ut sic multitudo populi, quæ impedimentum præstat Domino Papæ, removeri possit, denariis ipsis colligendis intendens. Postquam vero Dominus Papa pervenit ad Turrim Stephani Serpetri, quæ est in capite Parionis, unus de Curialibus Domini Papæ existens in ipsa Turri, facit ibi unum jactum ob causam suprascriptam. Cum autem Dominus Papa ad Palatium Centii Muscæ in Punga* (alibi *Perunga*) *in via de Papa venerit; similiter quidam de Curialibus, ascendit Palatium, & facit unum jactum ob memora-*

Digitized by Google

tam causam. Quando autem pervenit ad Sactum Marcum, quidam simili modo de Curialibus, & ob eandem causam facit ibi quartum jactum. Cum vero pervenerit ad Sanctum Adrianum, quidam alius de Curialibus ascendit Palatium Sanctæ Martinæ, & facit ibi quintum jactum ob memoratam causam.

IV. Neque vero hic omittenda, quæ de largitione variis facta hac die a Pontifice ob exhibitos ei honores in equitatione, idem Romanus Ordo XII. refert citato Cap. XVI. Num. XXXVIII. sic inquiens: *Sciendum tamen, quod Domino Papæ ante Turrim primo dictam Judæi occurrunt, & ei Legem suam præsentant, faciuntque Laudes, pro quibus Laudibus recipiunt a Camerario in Presbyterium viginti solidos provesinos.* Tum vero mox subdit: *Notandum præterea, quod a Sancto Petro usque ad Palatium Domini Papæ fiunt Arcus a Romanis honorabiles in via, per quam transit, & Clerici omnes Romani occurrunt eidem induti undecumque possunt cum thuribulo; in remunerationem cujus honoris Romanis pro Arcubus datur Presbyterium triginta quinque librarum provesinarum, & dimidiæ; Clericis vero pro thuribulis triginta trium librarum provesinarum, ut insequentibus plenius apparebit.* Et iterum: *Cum vero Dominus Papa ad Palatium venerit, & Laudibus factis a Cardinali Sancti Laurentii, & Judicibus, descendens, Regno deposito, ducitur in Palatium a Primicerio, & Secundicerio, & intrans Cameram, dat Presbyterium sine manibus, sicut in die Sancti Stephani, & deinde ducitur, sicut besterna die, ad conviviam. Sed hodie in Basilica Leoniana, quæ est juxta Cameram, celebratur; finitoque convivio, descendit ad Ecclesiam Lateranensem, & celebratis tribus Vesperis, & propinato clareto, & aliis, sicut besterna die, omnes ad propria revertuntur.* Pergit memoratus Ordo XII. & per varia Capita de ipso Presbyterio agit, quod nempe pro Arcubus, & pro thuribulis datur, & quibus aliis, & quantum detur. Cæterum multa, quæ minus nota in citatis hucusque Ordinibus occurrunt, videri possunt apud eruditissimum Morettum in celeberrima Elucubratione, *De Presbyterio*. Neque enim nos tantum otii habemus, ut ea hoc loco explicare possimus.

V. Pontificia Sede Avenionem translata, cessarunt mox antiqui ritus hucusque descripti, & in desuetudinem abiere, & ita quidem, ut nec Missa Solemnis a Papa hac die imposterum celebraretur, ut testatur Romanus Ordo XV. Capite LXXXVII., sed unus ex Cardinalibus Missam ipsam Solemnem celebret in paramentis albis, ut ait noster §. cui concinunt mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, & Ordo Romanus Paridis Grassi apud Martene in Appendice ad Librum, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XI. his verbis: *In diebus Lunæ, & Martis post Paschæ Missas celebrant in Capella Presbyteri Cardinales. Papa cum Pluviali albo, & Mitra preciosis, Cardinales cum Cappis rubeis accedunt. Sermo non fit. In fine Celebrantes publicant Indulgentias solitas.* Similia legere est in antiquioribus, recentioribusque Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, quorum loca non est opus describere, cum utplurimum ii soliti sint eadem repetere.

CAPUT V.

De tertia Feria post Paschæ.

Feria tertia post Paschæ Festum unus ex Reverendissimis Dominis Presbyteris Cardinalibus celebrat Missam in paramentis albis. Dicitur tantum una Oratio, & non fit Sermo. Alia omnia fiunt more solito.

COMMENTARIUS.

I. EAdem sunt, quæ in hoc Capite statuuntur, ac illa jam in Capite præcedenti notata. Juxta antiquos Romanos Ordines nebat hac die Statio Romæ ad S. Paulum, fuitque mos etiam, ut singulis diebus Paschatis hebdomadæ solemnes Supplicationes, seu Stationes in variis aliis Urbis Ecclesiis peragerentur; & quidem Feria IV. ad Sanctum Laurentium extra muros, Feria V. ad Sanctos Apostolos, Feria VI. ad S. Mariam Rotundam, Sabbato ad S. Joannem Lateranensem. Sane Romanam Ecclesiam imitatæ sunt & aliæ Ecclesiæ, quæ suas singulis diebus habebant Stationes, ut docet Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXVI, Num. I. probatque ex ms. Ordinario Lingonensi, quod ita inquit: *Post Primam in Choro cantatam, fit Processio omnibus diebus hujus Hebdomadæ, si serenitas temporis permiserit, scilicet die Lunæ ad Capellam Sanctorum Simonis & Judæ Apostolorum, die Martis ad Ecclesiam S. Desiderii Episcopi, & Martyris, die Mercurii ad Ecclesiam S. Petri. His tribus diebus itur in Superpelliceis, & Almutiis, nihil dicendo, præcedentibus duobus Ceriferariis sine Cruce. Die Jovis ad Ecclesiam S. Martini Episcopi, & Confessoris, die Veneris ad Ecclesiam S. Amatoris Episcopi & Confessoris, die Sabbati ad Ecclesiam S. Gengulphi Martyris, seu ad Ecclesiam Visitationis B. Mariæ Virginis, & his tribus diebus fit Processio, cantando, & intrando has Ecclesias, dicitur Antiphona*, Christus resurgens. *Sequitur Tertia, postea Missa, ut in Festis duplicibus. Post Missam Sexta, Nona vero, & Vesperæ dicuntur in Ecclesia Cathedrali, & per totam hanc Hebdomadam non celebrantur Missæ solemnes in Ecclesia Cathedrali, nec Vigiliæ Defunctorum.* Processionum his diebus faciendarum meminit S. Gregorius Turonensis in Libro, *De Vitis Patrum*, Cap. VI. & Georgius in Vita S. Theodori Siceotæ, Num. XCVIII. apud Bollandum ad diem

XII.

Digitized by Google

xxii. Aprilis. Porro quod in hoc, & præcedenti Capite edicitur, in secunda scilicet, & tertia Feria post Pascha non fieri Sermonem in Missa, recentioris profecto est instituti, prædicabatur enim olim istis diebus, ut testis est Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano Capite xcviii. apud eruditissimum Joannem Mabillonium Tomo ii. Musei Italici.

CAPUT VI.

De Sabbato in Albis, cum dantur Agnus Dei,

Consueverunt Summi Pontifices annis primo, septimo, & deinceps singulis septenniis benedicere Agnus Dei post Festa Paschalia in Camera sua, quorum confectionem, & benedictionem satius exposuimus in prima Parte, & eos deinde in Sabbato in Albis in Capella publice distribuunt hoc ordine. Consueverunt tamen antiquitus Romani Pontifices in primo anno ipsimet celebrare hac die, ut legimus de Urbano V. Gregorio Undecimo Avenioni, & Urbano Sexto Romæ. Die Sabbati in Albis, quando Agnus Dei distribui debent, celebrat Missam aliquis Presbyterorum Cardinalium in paramentis albis more consueto. Post Orationem diei dicitur Oratio contra Paganos, & alia pro Pontifice, & non fit Sermo. Alia omnia fiunt more consueto usque ad *Agnus Dei*; quo dicto, Cardinalis assistens accedit solito more ad Altare, accipit pacem, & eam defert ad Pontificem, & distribuitur, ut alias. Post acceptam pacem Cardinales, & Prælati omnes capiunt paramenta alba ordinibus suis convenientia, Cardinales in locis suis, Prælati vero, & Officiales extra cancellum Capellæ. Celebrans, facta Communione, lavat manus, & dicit Postcommunionem more solito; deinde vadit ad Faldistorium, sedensque accipit Mitram. Incœpta per Cantores Postcommunione, ministranteque Presbytero Cardinale naviculam, Papa ponit incensum more consueto. Tum præcedente Subdiacono Capellæ cum Cruce inter duos Ceroferarios, ante quos Thuriferarius incedit cum thuribulo fumigante, Subdiaconus Apostolicus indutus sacris vestibus, ac si Epistolam solemniter lecturus esset, una cum Clerico Cæremoniarum, sequentibus ipsum duobus aliis Capellanis Celebrantis Superpelliceis indutis, vadit ad locum paratum, ubi Sacrista (1) bacilem unum magnum Agnus Dei in bombice involutis plenum mappula pulchra sericea coopertum ordinavit, & (2) bacile cum Agnus Dei accipiens, præcedente Thuriferario, ordine quo iverat, revertitur ad Pontificem. Cum fuerint intra ostium Capellæ, genuflectunt omnes, & Subdiaconus cantat competenti voce, ita ut ab omnibus audiatur, dicens, *Pater Sancte, isti sunt Agni novelli, qui annunciaverunt vobis, Alleluja; modo veniunt ad Fontes, repleti sunt claritate, Alleluja*. Cantores respondent ea voce, *Deo gratias, Alleluja*. Quod secundo facit Subdiaconus, dum fuerit ante ostium cancelli, & tertio ante Solium Pontificis genuflexus, Pontifice interim semper cum Mitra sedente, nisi quod, intrante Cruce, a principio omnes surgunt, & statim sedent. Deinde ascendit ad dextram Pontificis, ubi genuflexus dictam lancem tenet usque ad finem distributionis. Thuriferarius autem cum aliis omnibus ad sua loca divertit. Accedunt autem ad Pontificem duo Auditores cum mantili, quod Diaconi Cardinales assistentes gremio Pontificis superponunt, ipsis Auditoribus illud hinc & inde genuflexis tenentibus. Tum veniunt ante Pontificem per ordinem omnes Cardinales unus post alium a seniore ad juniorem, & factis debitis, ac consuetis reverentiis, porrigunt Mitras suas, cornua Mitræ deorsum vertentes, & Papa imponit eis tot Agnus Dei, quot ei placet. Antiquitus dabant cuilibet Cardinali tres Agnus Dei, Prælatis duos, ac aliis unum tantum. Cardinales osculantur ejus manum primo, deinde genu dextrum. Cardinalis celebrans venit de Faldistorio solus suo tempore, & in ordine suo juxta scamnum capit Agnus Dei, ut alii, & revertitur ad Faldistorium, ubi sedet cum Mitra usque ad finem distributionis. Prælati simili modo, sicut Cardinales, sed genuflexi Agnus Dei in Mitras accipiunt, & osculantur genu dextrum Papæ, non manum. Protonotarii, & omnes alii capiunt Agnus Dei in manus genuflexi, deosculantur pedem Papæ. Finita distributione, Papa lavat manus more consueto, Cardinales,

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero i. & Colonienſi legitur, *lancem unam magnam Agnus Dei in bombice indutis plenam, mappula pulchra ſericea coopertam ornavit*. (2) Ita legendum, vel *lancem*, ut in citatis Veneta i. & Colonienſi, in Romana perperam legitur, *becale*.

Digitized by Google

nales, & omnes alii deponunt paramenta, Celebrans revertitur ad Altare, dicit in medio, *Dominus vobiscum*, & apud Librum, *Oremus*, & Orationes more consueto. *Ite Missa est*, dicitur cum duplici, *Alleluja*, & deinceps non dicitur cum *Alleluja*. Papa dat benedictionem, & Indulgentias, quas pronunciat Celebrans. Servatum legimus apud antiquos, quod circa finem prandii portabatur in mensa magnum vas plenum Agnus Dei cum bombice, quos Pontifex distribuebat omnibus suis Familiaribus. Paulus autem Secundus nostro tempore per totum illum diem, & etiam sequentem post prandium distribuit Agnus Dei populo Romano, & omnibus utriusque sexus ad Palatium venientibus.

COMMENTARIUS.

I. SAtis superque jam diximus de confectione, & benedictione cereorum Agnorum Dei, illorumque origine supra Tomo I. Titulo VII. in Commentariis ad Caput ultimum quod inscriptum est, *De Consecratione Agnus Dei.* Nunc quod ipsorum distributionem spectat, explicandum est, ritumque antiquum esse, ut hac die Papa in Lateranensi Basilica celebraret, ibique cereos Dei Agnos populo distribueret inter Missarum Solemnia post cantatum, *Agnus Dei &c.* testem habemus Romanum Ordinem XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, Numero LIII. ubi agit de Sabbato in Albis: *Mane*, inquit, *ad Missam Statio Lateranis, ubi Dominus Apostolicus cantat Missam, ibique mutatur Gradale in* Alleluja, *cum suis Versibus. Dum Primicerius cum Schola cantat*, Agnus Dei, *Dominus Apostolicus expendit Agnos per populum, hac ratione, ut sicut Filii Israel in Ægypto positi, præcepto Domini de sanguine immaculati Agni in liminibus Domorum scripserunt hoc signum T, ne ab Angelo percuterentur, ita & nos de Sanguine Passionis immaculati Agni Christi debemus hoc signum scribere in limine domorum nostrarum per Fidem, ne a diabolo, & vitiis percutiamur, & a potestate diaboli liberemur. Aliud propter infantes noviter baptizatos, in Ecclesia deponentes veterem tunicam, qui annunciant*, Alleluja, *ideſt, gloriam beatitudinis Cælestis Patriæ. Tertium, quia quicumque habuit de cera prædictorum Agnorum, & ex ea in domo sua Crucem habuerit, vel secum portaverit, non lædetur ab aliquo phantastico spiritu, & a tonitruo.* Eadem legere est in Ordine Romano XII. Auctore Cencio, Capite XXXVIII. ubi hæc primum habet: *Sabbato in Albis Statio est apud S. Joannem Lateranensem, ubi cum Dominus Papa eodem die celebrat Missarum Solemnia*, & Agnus Dei, *cantatur a Primicerio, & Schola Cantorum, ipse Dominus Papa distribuit Agnos confectos Chrismate, & cera, per Bpiscopos Cardinales, & alios, tam Clericos, quam laicos, hac ratione, ut sicut Filii Israel in Ægypto positi &c.* ut supra in citato Romano Ordine XI.

II. His adde Ordinem Romanum XIV. Cap. CVIII. ubi & ejus ritus meminit distribuendi scilicet Agnus Dei in Sabbato in Albis, & quidem non modo in Missa, verum etiam post prandium: *In Sabbato in Albis*, inquit, *consuevit celebrare Prior Episcoporum Cardinalium, vel alius Cardinalis coram Domino Papa, licet antiquitus Papa celebraret. Et dicto*, Agnus Dei, *parantur Cardinales secundum morem in suo ordine, & dantur Agnus Dei per ipsum Papam tam Cardinalibus, ceterisque Prælatis, quam aliis, & postea Missa finitur.* Addit & hæc mox. *Postmodum Papa comedit cum Capellanis, & fiunt aliquæ solemnitates, & dantur eis Agnus Dei per Dominum Papam.* Sed operæ pretium duxi ad explicandos ritus in præsenti Capite præscriptos, ea referre, quæ de eisdem notata habemus in Ordine XV. Romano, Auctore Petro Amelio, Capite LXXXVIII. & duobus aliis sequentibus. Sic ergo ille in citato Capite, quod inscriptum est, *De die Sabbati in Albis*, ad rem nostram inquit: *Sabbato primo post Pascha, quod dicitur in Albis, antiquitus consuevit celebrare coram Papa Prior Episcoporum Cardinalium, vel alius Cardinalis, licet Papa de communi cursu hac die celebrare consuevit, Perficitur igitur Missa quomodocumque dicatur usque ad* Agnus Dei. *Quo dicto, parantur Cardinales secundum modum suum, si Papa non celebret, & in ordine paramentis suis albis, & dicitur* Agnus Dei *per Dominum Papam cum Cardinalibus ceteris, tam Prælatis, quam aliis, & postea servitur Missa more consueto. Sciendum, quod ista Solemnitas non fit, nisi quando dantur Agnus Dei, videlicet in primo anno, & in septimo. Quod si Papa celebret, tunc Cardinales, & Prælati omnes induunt se paramentis albis in principio Missæ, ut in aliis Missis Papalibus est consuetum fieri. Si autem alius celebret coram Papa, sive sit Cardinalis, sive Prælatus, nullus debet se parare, quousque fuerit data pax Cardinalibus, & facta Communione in Altari per Celebrantem. Notandum quoque, quod in hac Missa non consuevit esse Sermo, sed sola Missa mandatur, nec habet Vesperos præcedentes Papales.*

III. Recenset mox idem Amelius Auctor prædicti Romani Ordinis XV. Cap. LXXXIX. ritus, qui debent in eodem Sabbato servari, quando Papa non celebrat, ejusque verba hæc sunt.

Sciendum tamen est, quod quando Papa non celebrat, illa die audita parva Missa, ipse venit paratus cum Pluviali plano albo cum aurifrisiis tantum, & Mitra alba cum perlis Consistoriali, & illa die servit Papæ Prior Presbyterorum Cardinalium cum Superpliciis, Amictu lato, & Pluviali; Presbyteri etiam, sed cum Planeta, & non Pluviali; Diaconi Cardinales cum Amictu stricto, Superpliciis, Tunicella, & Dalmatica; & omnes alii Prælati etiam cum Pluviali, & sic veniunt cum Mitris ad Papam, & extracta Mitra, coram Papa genuflectunt, & ipse cuilibet ponit in Mitra, quam tenet in manu, Agnus Dei duo, quibus sic receptis, oscu-lan-

Digitized by Google

lantur genu dextrum Papæ, & revertuntur ad loca ſua, & deponunt paramenta, reaſſumendo Cappas laneas. Similiter & alii Prælati veniunt parati ad recipiendum Agnus Dei, non tamen cum Mitris in capite, ſed in manu eas deferunt, nec genu dextrum oſculantur, alii vero non induti pedem; ceteri Prælati parati, & omnes alii, qui ad eum veniunt pro accipiendo Agnus Dei, dextrum Papæ pedem oſculantur, & non genu; etiamſi eſſet Rex, immediate poſt Cardinalem venit ad recipiendum Candelarum, Cinerum, Palmarum, Agnorum, & cereorum ad talia, ſeu conſimiles actus pertinentium, & dantur duo Agnus Dei cuilibet Prælato; aliis vero unum, tam Clericis, quam Laicis.

Notandum tamen, quod antequam Prior Presbyterorum Cardinalium recipiat paramenta, recipit pacem a Prælato celebrante illa die coram Papa, & dat pacem Papæ; & ipſa data, vadit ad parandum ſe, prout eſt dictum.

Et ſciendum, quod Dominus Clemens Papa VI. Pontificatus ſui anno VII. anno Domini MCCC. quinquageſimo, dedit cuilibet Cardinali tres Agnus Dei, licet tempore Domini Johannis Papæ XXII. & Benedicti XII. non eſſet conſuetum dare, niſi duo Cardinalibus, & Prælatis, aliis vero unum. Datis omnibus exiſtentibus in Capella infra regias, Papa ablnit aliquantulum manus ſuas in Cathedra. Poſtea cantatur per Cantores Poſtcommunio, & finitur Miſſa. Deinde benedictione facta per Papam, Prælatus qui facit Officium Miſſæ illa die, de mandato Papæ pronunciat Indulgentiam VII. annorum, & VII. quadragenarum, quia non conſuevit eſſe Sermo illa die.

IV. Deſcribendum inſuper hoc loco quod idem Scriptor notavit Capite XC. ubi ritus prædictæ diſtributionis refert, quæ fieri ſolebat, quando Papa hac die Miſſarum Solemnia celebraret. Sic autem inquit.

Nota etiam, quod ſi Papa celebraret, quod tamen modernis temporibus non eſt conſuetum fieri, dantur Agnus Dei loco, tempore, & modo ſupradicto. Præterea ſciendum, quod Romani Pontifices non conſueverunt facere illam ſolemnitatem in hac die, nec per ſe, nec per alium, niſi in primo anno ſuæ creationis, & in ſeptimo anno, & deinceps ſic de VII. in VII. annis. Et bene verum, quod in primo anno in propria perſona tenentur facere Officium hac die. Idem fecerunt Pontifices Urbanus V. Gregorius XI. in Avinione, & Dominus Urbanus VI. Romæ in Sancta Maria Tranſtiberim. Verum quod iſte dedit etiam poſt prandium Agnus Dei omni volenti, & miſit eum parionibus regionum, & Officialibus Urbis anno MCCCLXXVIII.

Sciendum quod anno Domini MCCCLXXVIII. Dominus Urbanus VI. Romæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ Tranſtiberim, in ſecundo anno ſuæ creationis dedit, quoniam in primo non potuit, quia non fuerat ante electus, niſi per tres ſeptimanas, & ea dedit Dominica in Albis, non Sabbato, & celebravit in Pontificalibus; nec fuit Sermo in Miſſa, in qua iſtum ritum tenuit, & obſervavit. Dicto, *Agnus Dei*, cooperto (1) cum uno velo ſirico pulcro tenuiſſimo, acceſſit circa medium Eccleſiæ, quem antecedebat Subdiaconus cum Cruce, Ceroferarii, ſeu Acolythi cum candelabris, & candelis accenſis. Ubi Subdiaconus incœpit cantare iſtum Verſum, *Sanctiſſime Pater, iſti ſunt agni novelli qui annunciaverunt nobis Alleluja, modo venerunt ad Fontem, & repleti ſunt claritate Alleluja*, & Chorus reſpondit, *Deo gratias Alleluja*. Et iterum ſecundo eundem modum tenuit, cum pervenit ante fores Capellæ, ſeu Chori, altius inchoando; tertio cum pervenit ante Altare Papa; ſemper ſedendo in Cathedra ſua magna, eundem modum tenuit, ſed altius inchoando, & qualibet vice flectit genua. Et extenſa tobalea ſuper genu Papæ, prædictus Subdiaconus flexis genibus ſemper tenet platellum cum Agnus ante Papam, & Papa dedit cuilibet Cardinali tres, & cuilibet Prælato duo, aliis vero Clericis, & Laicis unum. Quibus ſic diſtributis, lavit manus, & perfecit Miſſam ſuam. Depoſitis magnis paramentis ſacris, reaſſumptis Pluviali, & Mitra aurifriſiata, Conſiſtorialiter ſedit infra cancellum Capellæ, & unum pedem extra regias tenebat, & omni venienti dedit unum Agnus Dei, & quilibet oſculatur ſibi unum pedem. Cardinales, & Prælati induti, ut in Candelis.

Poſt prandium vero redditis gratiis venerunt Cubicularii cum magno platello cum Agnus Dei, & Papa dedit ſervitoribus, & familiaribus ſuis cuilibet duos Agnos Dei. Fuerunt facti illo anno per Fratrem (2) Petrum Epiſcopum Senegalienſem Sacriſtam XXIV.

V. Hactenus Romanus Ordo XV. in citatis Capitibus LXXXVIII. LXXXIX. & XC. eique concinunt, ſi pauca excipias, quæ leguntur in ms. Codice Pierſanctiano. Ceterum, ut ea hoc loco omittam, quæ de ipſa Agnorum cereorum diſtributione adnotarunt in ſuis mſs. Diariis Apoſtolici Cæremoniarii, Paris de Graſſis, qui fuit unus ex ipſis, in ſuo Romano Ordine, Cap. VI. ubi agit de Miſſis ad Cardinales pertinentibus, inter alia ait, illam etiam Miſſam ad Cardinales pertinere, *quolibet ſeptennio, videlicet Sabbato in Albis, quando conſecrantur Agnus Dei*. Dicere potius debuit, quando Agnus diſtribuuntur; conſecratio enim illorum facta eſt alia die, ut Tomo I. Capite citato diximus. Sed nec omittendum ad majorem Capitis hujus explicationem quod idem Graſſus tradit in citato ſuo Romano Ordine, Cap. XI. ubi ita inquit: *In Sabbato in Albis, ſi dantur Agnus Dei, Miſſam in Capella celebrat Presbyter Cardinalis. Papa in paramentis Albis, & Mitra pretioſis, & Cardinales cum Cappis rubeis accedunt ad Capellam, ubi poſt Communionem a Celebrante factam, tam Cardinales, quam Prælati omnes, & alii accipiunt paramenta congrua alba. In Miſſa dicitur*, Gloria in excelſis, Pax vobis, & Credo. *Non fit Sermo. Poſt Communionem portantur Agni Dei in Capellam cum Verſu ter cantato, videlicet*, Pater Sancte, iſti ſunt &c. *& Papa omnibus diſtribuit. Deinde finitur Miſſa, & in fine Celebrans publicat Indulgentias*. Addit mox etiam, ſi non dantur Agni Dei, celebrare aliquem Prælatum aſſistentem more ſolito, *non tamen ferialiter, quin feſtive, & ſolemniter*. Concludit tandem, & ait, tunc Cardinales cum Cappis pavonatiis accedere.

CA-

(1) *Altari* ſcilicet, ſeu *Calice*, ut notat Mabillonius in hunc locum ad calcem paginæ 510.

(2) Eſt is Petrus Amelius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, deinde Sacriſta, tum Senogallienſis Epiſcopus, Archiepiſcopus Tarentinus, poſtea Patriarcha Gradenſis, & Alexandrinus Auctor hujus Romani Ordinis XV.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De eodem die, quando non ſunt diſtribuendi Agnus Dei.

Annis vero, quibus hac die Agnus Dei non ſunt diſtribuendi, celebrat aliquis Prælatus in paramentis albis. Dicitur in Miſſa, *Gloria in excelſis. Pax vobis*; & poſt Orationem diei duæ aliæ, videlicet contra Paganos, & pro Papa. In fine Miſſæ, *Ite Miſſa eſt*, cum duplici, *Alleluja*; & omnia alia ordine conſueto, & non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. JAm in fine Commentarii ſuperioris audivimus ex Paride Graſſo Cæremoniario Apoſtolico, & in vereribus Romanæ Eccleſiæ ritibus diu verſato, quod, ſi in Sabbato in Albis, *nondantur Agni Dei, celebrat*, in Capella ſcilicet Pontificia, *aliquis Prælatus aſſiſtens more ſolito, non tamen ferialiter, quin feſtive, & ſolemniter. Tunc Cardinales eum Cappis pavonatiis accedunt*. Ita ille in suo Romano Ordine, Cap. XI. a quo tamen deinde nonnihil ſequiori ævo variatum fuit, uti conſtat ex aliis Cæremoniariis Apoſtolicis, qui in eo Officio Paridi Graſſo ſucceſſerunt. Quicquid ſit, quod Miſſæ ritus hujus die ſpectat, explicati jam ipſi fuerunt a Gulielmo Durando Libro VI. ſui Rationalis, Capite XCV. & ab alis pluribus, qui ante, & poſt ipſum de Divinis Officiis ſcripſerunt.

CAPUT VIII.

De Feſto Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, & Veſperis. Papalibus in Quadrageſima.

Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis plerumque cadit intra Quadrageſimam, & de Feſto fit die, quo cadit, niſi venerit in Dominica, quia tunc transfertur ad ſecundam Feriam poſtmodum ſequentem; & ſi cadit in quinta Feria majoris Hebdomadæ, & deinceps uſque per totam Octavam Paſchatis, transfertur ad ſecundam Feriam poſt Octavam. Fit Officium Miſſæ in Capella Papæ ordinarie per unum ex Presbyteris Cardinalibus, & fit Sermo. Solent tamen aliquando Pontifices celebrare hoc Feſtum in aliqua Eccleſia Beatæ Mariæ in Urbe. Conſueverunt Romani Pontifices celebrare hoc die, & tunc ſi Feſtum fuiſſet die Lunæ in Quadrageſima, in præcedenti Dominico die fiebant Veſperæ Papales cum paramentis. Idem fiebat, ſi Feſtum celebrabatur poſt Paſcha. In aliis autem temporibus, quia in Quadrageſima Veſperæ dicuntur ante prandium, non fiebant Veſperæ ſolemnes. Sed ne iſta Solemnitas remaneret ſine Veſperis ſolemnibus, poſt Miſſam, in qua una tantum Oratio dicitur, ſcilicet de Beata Virgine, Papa, depoſitis Miſſalibus indumentis, accipiebat Pluviale album, & incipiebat, *Deus in adjutorium &c.* pro Veſperis, ſtans in Sede ſua eminenti, & Cardinales, atque Prælati omnes permanebant cum ſuis paramentis, & incipiebantur Antiphonæ per Papam, & Cardinales more ſolito. Si autem Papa non celebraſſet, ſed aliquis Cardinalis, aut Prælatus alius in ſua præſentia, tunc finita Miſſa, Papa incipiebat pro Veſperis, *Deus in adjutorium*, incenſabat, & cantabat Orationes, ſicut conſuevit facere, quando non eſt celebraturus. Hodie non facimus Veſperas, neque ante neque poſt. Et nota, quod in Veſperis dicuntur duæ Orationes, de Feſto, & de Feria. In Miſſa autem dicitur una tantum, quia dicitur ad partem Miſſa de Feria. Et quotieſcumque Papa celebrat ſolemniter per totam Quadrageſimam, dicit unam Orationem tantum.

COMMENTARIUS.

I. PErvetuſta eſt in Eccleſia celebritas Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, quæ ab antiquis Scriptoribus diverſis nominibus donata eſt. Nam ab aliquibus *Conceptio Chriſti*, ab aliis vero dicta eſt, *Annunciatio Chriſti*, *Annunciatio Dominica*, *initium redemptionis*, *Annuntiatio Chriſti in Virgine*, *Annunciatio Beatæ Mariæ*, *Denunciatio Beatæ Mariæ*, & *Paſſio Chriſti*, ut notavit Martene in ſuo Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXXI. ad diem XXV. Martii. Antiquitas autem hujus Feſti, ut idem Auctor obſer-

Digitized by Google

ſervat, conſtat ex Sancti Auguſtini teſtimonio, qui in Lib. IV. *De Trinitate*, Cap. V. hæc habet: *Sicut a Majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur*, Chriſtus ſcilicet, *quo & paſſus*. Et certe Concilium Toletanum X. anno DCLVI. habitum de hoc Feſto tanquam de Feſto jam diu inſtituto, & ab univerſis paſſim Eccleſiis recepto loquitur Canone I. ubi conqueritur, *quod in multis Hiſpaniæ partibus hujus Sanctæ Virginis Feſtum non uno die per omnes annorum circulos agatur*. Canon iſte, quo ſtatuitur, conſtantem Annunciationis diem futurum octavum ante Chriſti Nativitatem, æquum exiſtimat, ſolemnitatem iſtam Deiparæ Virginis, quemadmodum Chriſti Nativitatem, Paſcha, & Pentecoſten, certo tempore coli: *Si ergo nativitatis, & mortis Incarnati Verbi dies abſque immutatione ita certus habetur, ut abſque diverſitate in toto orbe terrarum ab omni concorditer Eccleſia celebretur: cur non Feſtivitas glorioſæ Matris ejus eadem obſervantia, uno ſimul ubique die, ſimiliquo habeatur honore?*

II. At vero quum tempore jejuniorum Quadrageſimæ, atque adeo majoris Hebdomadæ, quandoque ipſiuſmet Reſurrectionis Dominicæ, anniverſarius ſalutatæ ab Angelo Virginis dies celebrandus eſſet, illinc factum ait laudata Synodus X. Toletana, ut non certo ſtatoque die perageretur. Neque enim fas eſſe videbatur, ſimul ob ſacras Ferias nunciati Divini Conceptus, & propter Chriſti mortem dolere, atque Incarnationem Chriſti Jeſu cum ejuſdem Reſurrectione recolere: *Invenitur enim in multis Eccleſiæ partibus, hujus Sanctæ Virginis Feſtum non uno die per omnes annorum circulos agi. Qua de re, quoniam die, qua invenitur Angelus Virgini Verbi Conceptum, & nunciaſſe verbis, & indidiſſe miraculis, eadem Feſtivitas non poſſit celebrari condigne, quum interdum Quadrageſimæ dies, vel Paſchale Feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut regulari ex antiquitate cautum eſt, convenit celebrari. Quum etiam ipſam Incarnationem Verbi non conveniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat, idipſum Verbum, poſt mortem carnis, gloria Reſurrectionis attolli*. Itaque Synodus accedendum exiſtimavit ritui, qui in Eccleſiis illis inveteraverat, decrevitque, ante Chriſti Nativitatem, ejus Incarnationem celebrandam eſſe: *Ideo ſpeciali Conſtitutione ſancimus, ut ante octavum diem, quo natus eſt Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Nam quod Feſtum eſt Matris, niſi Incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet eſſe ſolemne, ſicut & ejuſdem Nativitas Verbi. Quod tamen nec ſine exemplo decentis moris, qui per diverſas mundi partes videtur obſervari, videtur inſtitutum. In multis namque Eccleſiis a nobis, & ſpatio remotis, & terris, hic mos agnoſcitur retineri.*

* II. Multa in hunc Canonem notat eruditiſſimus Thomaſſinus Lib. I. *De dierum Feſtorum celebratione*, Cap. V. Num. VI. & ſeqq. ac primum quidem, Annunciationis celebritatem, ut ex recitato Canone Toletano intelligimus, jam diu peractam fuiſſe in pleriſque Eccleſiis, non in Hiſpania tantum, verum in diſſitis etiam regionibus. Non unus ubique idemque dies erat, quum perſæpe loco movenda eſſet, ob jejunium Quadrageſimæ, vel Paſchalia Solemnia. Hoc autem argumento eſt, plures Orbis Eccleſias ſtatis diebus Mariam coluiſſe, tametſi nuſquam extant in Canonibus, Legibuſve catalogos Solemnitatum ubivis celebratarum texentibus. Ne decima quidem Toletana Synodus de Virgine ab Angelo ſalutata egiſſet, niſi ratio habenda fuiſſet, turbarum, quæ oriri poterant ab ea rituum diverſitate. Porro Toletanam Eccleſiam imitari voluerunt & aliæ nonnullæ Eccleſiæ; narrat enim Rodulphus Glaber Lib. III. *Hiſtoriæ*, Cap. III. circa annum M. celebrata fuiſſe multa Concilia, in quibus *de die Annunciationis Dominicæ, qui celebratur octavo Calendarum Aprilium, ſi forte quolibet alio tempore extra Quadrageſimam excoli congruentius potuiſſet, ab eiſdem Pontificibus non parva illata eſt quæſtio. Ferebatur enim a quibuſdam, eandem videlicet Annunciationem more Hiſpanorum quintodecimo Calendarum Januariarum die irreprehenſibiliter poſſe celebrari*. In Oriente jam ab antiquo ſingulari cultu celebrata eſt prædicta Feſtivitas, quam & recoli permittit Synodus Trullana Canone LII. & incruento Sacrificio gaudere jubet, quamcumque tandem in diem incidit. Plura autem de iſta Feſtivitate diximus nos Tomo II. Conciliorum in Commentario ad ipſum Canonem LII. Trullanum.

IV. Quod Romanam Eccleſiam attinet, ad hujus Feſtivitatis ritus pertinet Conſtitutio Sergii I. qua edicitur, ut in hac die, aliiſque Beatæ Mariæ Solemnitatibus *exeat Litania a Sancto Adriano, & ad Sanctam Mariam populus occurrat*. Sed hujuſmodi ritus licet lapſu temporis, ac præſertim ubi translata fuit Romana Sedes Pontificia Avenionem, in deſuetudinem abierint, proſequuti ſunt tamen peculiari cultu Summi Pontifices Annunciationis Deiparæ Feſtum, uti ex hoc præſenti noſtri Cæremonialis Capite addiſcimus, ubi inter alia edicitur, conſueviſſe antiquos Pontifices celebrare ipſos hac die Miſſarum Solemnia. Teſtatur id quidem Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Capite XCVIII. ubi inter alias Solemnitates, in quibus *conſueverunt Romani Pontifices Miſſarum Solemnia in perſona celebrare*, recenſetur Feſtum Annunciationis Deiparæ, in eoque etiam ait, prædicari. Porro ut ait noſtrum Cæremoniale, *fit Officium Miſſæ in Capella Papæ ordinarie per unum ex Presbyteris Cardinalibus, & fit Sermo*. Atque huc ſpectat, quod ait Ordo Romanus XV. Cap. CLVI. *Nota, quod in Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis Dominus Bonifacius IX. Pontificatus ſui anno quarto, infirmitate detentus non interfuit Miſſæ, quæ fuit celebrata in magna Capella Peruſii per Epiſcopum Anconitanum; ille, qui habuit facere Sermonem in præcedenti Dominica, quia non erat factus, fecit Sermonem iſta die de prædicta Dominica cum aliis verbis de Beata Virgine, quæ fuit dies Martis* MCCCXCIII.

VII. Quamquam vero, ut in hoc noſtro Capite notatum eſt, ſolerent aliquando *Pontifices celebrare hoc Feſtum in aliqua Eccleſia Beatæ Mariæ in Urbe*, moſque iſte obtinuerit uſque ad annum MCDLXXXVIII. quo Auguſtinus

Digitized by Google

Patricius, qui nostrum hoc Cæremoniale ordinavit, ipsum edidit, nuncupavitque Innocentio Papæ VIII. ut constat ex ejusdem Patricii Litteris ad eundem Innocentium datis, descriptisque a nobis Tomo I. in Præloquio, Capite II. ex quo tamen Joannes S. R. E. Cardinalis de Turre Cremata, Sacellum, & Societatem Beatæ Mariæ Annunciatæ in Ecclesia S. Mariæ super Minervam FF. Ordinis Prædicatorum, dotandis puellis instituit, mos ille invaluit, ut solemni equitatione quotannis ad ipsam Ecclesiam pergeret Papa una cum Cardinalibus, in qua sacris vestibus indutus Solemni Missæ assisteret, ut fidem faciunt luculentissimam vetera æque, ac recentiora mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria. Audiendus primum Burchardus, qui in suo ms. Diario ad annum MCDLXXXVIII. ubi recenset Festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, hæc habet: *Sanctissimus Dominus noster*, erat hic Innocentius VIII. Pontifex, *in mane indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola alba pretiosa, & Capuccino albo, præcedente ipsum Cruce, & sequentibus Cardinalibus, Episcopis, Assistentibus, Prælatis, Oratoribus, & aliis Prælatis, equitavit ad Sanctam Mariam supra Minervam, ubi coram Altari genuflexus in Faldistorio oravit; tum surrexit, & deposito sibi Capuccino, retenta Stola, accepit Pluviale album pretiosum, & fecit Confessionem cum Celebrante more consueto.*

VIII. Pergit Burchardus, aliaque recenset tunc observata, quæ nos hic describenda censuimus: *Cantores*, inquit, *retro Altare stantes dixerunt Introitum. Deinde Cardinales fecerunt reverentiam Papæ in Solio sedenti. R. P. D. Stephanus Archiepiscopus Patracen. celebravit Missam, dixit*, Gloria in excelsis. Pax vobis; *unam Orationem tantum*, Credo, *& alia more consueto, & non fuit Sermo. Solium Papæ fuit ordinatum in cornu Evangelii Altaris, quasi in opposito ipsius cornu. Ad ejus sinistram fuerunt paratæ sedes pro Episcopis, & Presbyteris Cardinalibus, usque ad ostium introitus intra dictum cancellum. In opposito autem paratæ erant sedes pro Diaconis Cardinalibus, & a fine sedum Diaconorum Cardinalium usque ad ostium introitus prædicti erant sedes humiliores pro Oratoribus laicis. Ad sinistram Papæ erant scamna bassa pro Episcopis assistentibus, & extra cancellum in plano a cancello usque ad Chorum Fratrum erant sedes, sive banchi pro Prælatis banchalibus cooperti. Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, Acolythi, Cubicularii, Secretarii, Advocati sederunt intra cancellum in terram.* Tum vero addit: *Cardinales venerunt ad circulum more solito, sed prior Episcoporum Cardinalium non sedit in loco suo assistentiæ, sed mansit in loco suo inter Cardinales, & in tempore venit ad serviendum, ut moris est.*

IX. Sed nec omittenda, quæ & deinde idem Auctor subjicit, varios enim continent ritus, qui digni sunt, ut & ipsi in hoc Commentario describantur: *Finita Missa, & data benedictione per Pontificem, non fuerunt publicatæ Indulgentiæ, quia per Bullam publicatæ erant plenariæ. Sanctissimus Dominus noster sedit, & Faldistorium Celebrantis fuit positum in plano Capellæ, quasi ante medium Altaris, magis tamen versus cornu Epistolæ, ubi resedit Celebrans, coram quo quidam Officialis Societatis Annunciatæ obtulit unum bacile cum X. bursis carlenis plenis pro maritandis puellis, quarum una bursa fuit aperta, & carleni in bacile sparsi, ut viderentur, deinde repositi in bursam. Tum accesserunt puellæ maritandæ, singulæ inter duas matronas albis vestibus indutæ, & genuflexæ coram Celebrante, capiebant ex suis manibus bursam, & manum suam osculabantur. Accedebant deinde ad Pontificem, & osculabantur ejus pedem, tam puellæ, quam matronæ. Quo facto, Pontifex eo ordine, quo illuc venerat, equitavit ad Ecclesiam S. Mariæ de populo, videlicet de platea Minervæ, ubi equum ascendit, ad Sanctum Marcellum, deinde ad sinistram recta via ad Ecclesiam de populo præfatam, ubi facta Oratione ante Altare, eodem ordine equitavit per viam fluminis ad Palatium suum apud Sanctum Petrum. Licentiavit Cardinales omnes juxta, & intra Pontem Sancti Angeli, unde recesserunt a Pontifice, & ad domos suas rediorunt.*

X. Eadem legere est fere sequioribus annis ad diem XXV. Martii apud laudatum Burchardum, & alios Apostolicos Cæremoniarios sequioris ævi. Morem fuisse, ut Pontifex ipsa die XXV. Martii veniens ad Ecclesiam S. Mariæ super Minervam reciperetur a Fratribus *cum Cruce Processionali intra ostium Ecclesiæ expectantibus*, & osculata Cruce a Pontifice, quam eidem in Ecclesiæ ingressu Cardinalis porrigebat, cantarent iidem Fratres, *Ecce Sacerdos magnus*, sive, *Te Deum laudamus*, docet non uno in loco idem Burchardus, præsertim vero ad annum MCDXLIV. ubi etiam alium ritum memorat, nempe, finita Missa, & benedictione per Papam data, non fuisse datas Indulgentias, *quia in porta Ecclesiæ publicatæ fuerunt plenariæ per Sixtum Papam IV concessæ per Bullam ibidem affixam.* Fuit itaque mos, ut in Ecclesiæ porta, ubi Festum celebrabatur, Bulla concessionis Indulgentiarum appenderetur.

XI. Tradit præterea ad annum Domini MCDLXXXIX. ipse Burchardus, quod, ubi finita Missa duo ex Confratribus Annunciatæ cum bacili ante Pontificem pro colligenda oblatione accesserunt, *Bernardinus secretus Cubicularius projecit in bacile circiter 50. ducatos.* Accessisse etiam ait ipsos Confratres ad Cardinales, *quorum aliqui dederunt ducatum, aliqui nihil.* Porro Societas ipsa, quæ a celebri Cardinale Joanne de Turre Cremata, de quo diximus in Opere, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, originem sumsit, adeo aucta est, ut succedente tempore Leo Papa X. dum in minoribus esset, cum omnibus fere Cardinalibus illi adscribi voluerit, Oliverio Carafa Cardinali Viro integerrimo suadente. Qui Joannem imitatus in egregio opere Sacellum aliud sculptura, & pictura elaboratum in eodem Templo Deiparæ Virgini Annunciatæ, ac S. Thomæ Aquinati erexit, & ab Alexandro VI. Pontifice Maximo obtinuit, quotannis in utriusque Festo concedi omnibus illuc accedentibus omnium suorum criminum remissionem. Sic igitur aucta est maximis juribus, & proventibus, ut cum superioribus temporibus, uti legitur in ejusdem Turrecrematæ Vita apud Ciaconium, quadraginta, aut ad summum sexagin-

Digitized by Google

xaginta Virgines nuptui traderentur, hac noſtra tempeſtate ipſe Pontifex ducentis, & amplius Virginibus pauperibus, quæ ſe Viris matrimonio jungere volunt, ſcuta octuaginta in dotem donat, centum vero iis, quæ Deo ſe ſe depſonſare deſiderant. Subſequuta enim eſt Urbani VII. Pontificis Maximi largiſſima donatio, qui totum ſuum patrimonium prædictæ Societati conceſſit; quare mirum in modum Societas crevit. Quod quidem Divinum Opus prædicto Joanni tanquam Auctori, & primo Fundatori debetur.

XII. His jam non extra ordinem dictis, devenio ad noſtrum Cæremonialis Caput, in quo edicitur, quod alias in Breviarii Rubricis præſcriptum legimus, ut nimirum, ſi Feſtum hoc Annunciatæ Virginis *fuiſſet die Lunæ in Quadrageſima*, fieri ſolitæ eſſent *Veſperæ Papales cum paramentis*; idemque fieret, *ſi Feſtum celebrabatur poſt Paſcha*. Addit mox antiquum alium ritum, qui eſt hujuſmodi: *In aliis autem temporibus, quia in Quadrageſima Veſperæ dicuntur ante prandium, non fiebant Veſperæ ſolemnes, ſed ne iſta Solemnitas remaneret ſine Veſperis ſolemnibus, poſt Miſſam, in qua una tantum Oratio dicitur, ſcilicet de Beata Virgine, Papa, depoſitis Miſſalibus indumentis, accipiebat Pluviale album, & incipiebat*, Deus in adjutorium &c. *pro Veſperis, ſtans in Sede ſua eminenti, & Cardinales, atque Prælati omnes permanebant cum ſuis paramentis, & incipiebantur Antiphonæ per Papam, & Cardinales more ſolito*. Sed nec omittendum, quod ſtatim ſubjicit, alium ritum ſervari olim ſolitum referens his plane verbis: *Si autem non celebraſſet, ſed aliquis Cardinalis, aut Prælatus alius in ſua præſentia, tunc finita Miſſa, Papa incipiebat pro Veſperis*, Deus in adjutorium; *incenſabat, & cantabat Orationes, ſicut conſuevit facere, quando non eſt celebraturus*. Notandum autem, quod demum concludit: *Hodie non facimus Veſperas, neque ante, neque poſt*.

XIII. Hactenus noſtrum Cæremoniale ab Auguſtino Patricio Apoſtolicarum Cæremoniariarum Magiſtro Innocentii Papæ VIII. juſſu ordinatum. Cæterum antiquum ritum variis exemplis recenſet Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. cv. ubi agens de Beatæ Mariæ Virginis Annunciatione, hæc habet: *Nota, quod hæc Feſtivitas venit in die Jovis ante Dominicam de Roſa anno* MCCCLXXXIX. *nec habuit primas Veſperas, ſed in die poſt Miſſam celebratam in Sancto Petro, Sanctiſſimus Dominus noſter Urbanus Sextus ſic indutus in Cathedra lapidea incœpit Veſperas, & incœpit Antiphonam primam, & Antiphonam ad* Magnificat, *& thurificavit Altare ſemper indutus veſtibus ſacris, prout in Miſſa, & mandavit, Cardinales quatenus ſic ſtarent induti, prout fuerunt in Miſſa. Dictis vero Veſperis, ipſe Papa, & Cardinales ſacra depoſuerunt paramenta, ſed Papa in Cathedra lignea, & Cardinales incœperunt Antiphonas quilibet in loco ſuo*. Subdit mox aliud exemplum, cujus ipſe procul dubio teſtis fuit oculatus, ſicque inquit: *Nota, quod hæc Feſtivitas venit die Lunæ poſt Dominicam de Paſſione anno Domini* MCCCXCIX. *Pontificatus Bonifacii Papæ*, Noni ſcilicet ejus nominis, *anno XI. & non habuit Veſperas præcedentes propter magnum frigus; ſed die Lunæ immediate poſt Miſſam fuerunt cantatæ. Antiphonas Cantores incœperunt, & Papa fuit cum Pluviali rubeo, ſicut in Miſſa*.

XIV. Multa eſſent in recitatum hactenus locum obſervanda, ſed operæ pretium duco antiquiorem ritum de Veſperis ipſis deſcribere, quem legi in ms. Cæremoniali Brunonis Joannis de Davantria Trajectenſis, & in ms. Pierſanctiano Codice, in Rubrica de Feſto Annunciationis Beatæ Mariæ quando accidit in Quadrageſima, eſtque hujuſmodi: *Sciendum eſt, quod adveniente Feſto Annunciationis Beatæ Mariæ tempore Quadrageſimæ, ſi tamen incidat ante Feriam quintam Cœnæ Domini, illo die, quo Feſtum hoc hujuſmodi celebratur, Dominus Papa, finita Miſſa, ſive incidat in Quadrageſima, ſive non, non dicit, niſi unam Orationem tantum, ſcilicet diei, ſive Feſti, & redit ad Sedem, in qua ſederat, dum Miſſa celebrabatur, & immediate exuitur paramentis Pontificalibus, & dum exuitur, incipit idem Dominus Papa Veſperas, cantando*, Deus in adjutorium meum; *& finito*, Gloria Patri, & Sicut erat, *incipit Antiphonam primi Pſalmi Veſperorum, & Hymnum, & Antiphonam Pſalmi*, Magnificat, *dum Subdiaconus eos cantando per Capellanos Capellæ continuantur & perficiuntur, ut eſt moris, uſque ad Orationem, quam Dominus Papa dicere deberet. Cardinales vero ſimpliciter dicta Miſſa, paramenta deponunt, & recipiunt Cappas, quas deferunt equitando, nec habent incipere Antiphonam aliquam in Veſperis ſupradictis. Epiſcopus autem Cardinalis, qui Papæ ſervivit in Miſſa, non deponit paramenta, niſi Veſperis dictis, quia habet portare Papæ naviculam hora debita, debet inde recipere cocleare cum incenſo, & ponere incenſum in thuribulo, præſentando ſibi per unum ex Acolythis; deinde idem Cardinalis habet incenſare Altare, & Cophinum, in quo conſervatur Corpus Chriſti, & poſtea Dominum Papam, & habet tenere Librum coram Papa, dum dicit Orationem prædictam. Finitis vero Veſperis, in quibus debent dici duæ Orationes, videlicet una de Feſto, alia de Feria, ſi tamen incidat in tempus prædictum, idem Dominus Papa facit conſuetam benedictionem*.

XV. Pergunt laudati mſs. Codices, & poſtquam dixerunt, ſupradicta fieri per modum prædictum, quando Diaconi Cardinales non habent ibi Pluvialia parata, nam ſi haberent, ipſa reciperent, ajunt mox, *temporibus Domini Joannis Papæ XXII. & Benedicti XII. & etiam Clementis Papæ VI.* Dominos Cardinales in dictis Veſperis non conſuevitſe recipere prædicta veſtimenta, & Antiphonas incipere, ut in aliis Veſperis aliarum Feſtivitatum eſt fieri conſuetum. Sciendom inſuper monent, *quod ſi prædictum Feſtum veniat in Feria quinta poſt Ramis Palmarum, vel exinde in aliqua die totius illius Septimanæ, ut in Octavas Paſchæ, nihil fit tunc de ipſo Feſto, ſed transfertur uſque ad Feriam ſecundam poſt Octavam Paſchæ, qua die debet fieri Feſtum illius Feſti*. Atque hæc ſunt, quæ habentur in citatis mſs. Codicibus, in quibus & ritus antiqui recenſentur, &

Digitized by Google

ritus illi explicantur in præsenti nostri Cæremonialis Capite notati. Quamvis autem sæpe ex mss. Codicibus, Diariisve Apostolicorum Cæremoniariorum loca prolixa describo, puto nihilominus gratum id esse lectori antiquorum mss. Codicum curioso.

CAPUT IX.

De Festo S. Marci.

Hac die ordinarie non fit Missa Solemnis publica, consuevit tamen aliquando Romanus Pontifex equitare ad Ecclesiam S. Marci de Urbe, Missamque celebrare aliquis Episcopus in paramentis rubris, & non fit Sermo. Papa cum Pluviali rubro, & Mitra pretiosa accedit ad Altare, deponit Mitram, orat super Faldistorium procumbens, reasumit dictam Mitram, & iterum procumbit, dum Litania cantatur, quam duo ex Cantoribus convenienti loco post Pontificem coram se habentibus Librum supra scabellum genuflexi dicunt, prout in Ordinario, usque ad finem, aliis Cantoribus ipsis respondentibus. Finita Litania, surgunt omnes, Papa facit Confessionem cum Episcopo celebrante, ut moris est. Cum autem ascendit ad Solium, Cardinales veniunt ad reverentiam, & non faciunt circulum, sed tantum assurgunt. Prior Episcoporum non assistit propter angustiam loci, sed tempore opportuno de loco suo accedit ad Pontificem, & ministrat naviculam. Dicitur, *Gloria in excelsis*, *Pax vobis*, una Oratio tantum, *Credo*, Præfatio de Apostolis, & alia more consueto. Facta Communione per Celebrantem, Religiosi, & Clerus Urbis suo ordine circumeunt Altare, & prosequuntur Processionem suam more solito. Interim perficitur Missa, & in fine Papa dat benedictionem, Processione suo ordine transeunte, cujus transitum Papa consuevit expectare, & ea finita, surgit Pontifex, & ascendit ad Palatium, vel alio, ut placet, revertitur.

COMMENTARIUS.

I. DE sancto Marco Evangelista agunt quidem omnia Martyrologia, sed non omnia ad diem xxv. Aprilis, ut notat Georgius ad Martyrologium Adonis sub ipsa die xxv. Aprilis. Hieronymiana siquidem Gellonense, Rhinoviense, Richinovience Augustanum, Labbeanum, & Corbejense, brevius agunt ad ix. Cal. Octobris, hoc est, ad xxiii. Septembris. Die vero xxv. Aprilis celebratur a Beda, Usuardo, Rabano, Notkero, Romano parvo Martyrologio, Fuldensi, & ab aliis multis, quibus adde laudatum Martyrologium Adonis Episcopi Viennensis ad prædictam diem xxv. Aprilis, ubi hæc habet: *Apud Alexandriam Natale Sancti Marci Evangelistæ, qui Martyr defunctus, sepultus est in loco lapidis exciſi cum gloria.*

II. Porro celebre est S. Marci Festum propter Litanias fieri vel olim solitas in hac die, quas instituisse fertur S. Gregorius, tametsi illo antiquiores esse, haud obscure videatur indicare Gregorius ipse in principio Libri ii. Registri, ubi tanquam de re jam instituta annuam illarum Litaniarum celebritatem indicat his verbis: *Solemnitas annuæ devotionis nos, Fratres dilectissimi, admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, sollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare.* Sed hanc forte cum Litania septiformi, quam ipse Sanctus Pontifex ob ingruentem pestilentiam instituit, illi confundunt, ut recte observat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. xxvii. Num. i. Nam cum ad Sedis Apostolicæ Thronum evectus esset, grassantemque luem in dies populum vehementius devastantem videret, habita ad plebem publica concione ad avertenda per pœnitentiam iræ Dei flagella, Fideles hortari cœpit, quod ut efficacius exequeretur, his tandem verbis Sermoni finem imposuit: *Proinde Fratres reverendissimi, cum contrito corde, & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem Litaniam juxta distributionem inferius designatam devota cum lacrymis mente veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præsumat; quatenus ad Sanctæ Genitricis Domini Ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus, ut districtus Judex, dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse a sententia propositæ damnationis parcat. Litania Clericorum exeat ab Ecclesia S. Joannis Baptistæ, Litania Virorum ab Ecclesia S Martyris Marcelli, Litania Monachorum ab Ecclesia SS Joannis & Pauli, Litania Ancillarum Dei ab Ecclesia Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani, Litania feminarum conjugatarum ab Ecclesia B. primi Martyris Stephani, Litania Viduarum ab Ecclesia B Martyris Vitalis, Litania Pauperum, & infantum ab Ecclesia Beati Martyris Ceciliæ.*

III. Porro autem licet Litaniæ nomen commune sit omnibus Processionibus, quia in iis Deo supplicatur, singulari tamen ratione tribui solet iis, quæ fiunt in Festo S. Marci, & triduo ante Ascensionem, quārum prior *Litania major*, posterior, *Litania minor* appellatur. Et illa

Digitized by Google

illa quidem, quamquam institutione posterior, majoris tamen appellationem præ alia fortita est, tum a dignitate Auctoris, qui fuit Summus Pontifex, cum is, qui Litaniam minorem instituit, Episcopus tantum fuerit, tum a dignitate loci, in quo fuit instituta, nempe Ecclesiæ Romanæ, quæ Caput est omnium Ecclesiarum, uti docent Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ Lib. III. Capite CXXXVIII. Joannes Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CXXII. Durandus Lib. VI. Rationalis, Capite CII. & alii, quos citat Eveillon in suo Opusculo, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Capite XX. Sane scribunt Amalarius, Valafridus, creditus Alcuinus, vulgatusque Ordo Romanus, Romana consuetudine receptum esse ubique, ut ipsa Litania major septimo Calendas Maji, qui est dies Festus S. Marci celebraretur. Id quod etiam docent Concilium Aquisgranense II. Can. X. & Moguntinum Can. XXXIII. aitque laudatus Belethus, fuisse ipsam non modo Romæ institutam, verum etiam *publico Decreto sancitum, ut ubique celebraretur*. Quia vero olim hac die Romæ Statio ad S. Georgium fieri consueverat, teste Anastasio in Vita Leonis III. *secundum olitanam traditionem a Notario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Ecclesia B. Georgii Martyris in ejus Natali ipsa Litania prædicabatur*.

II. De Litania majori, servatisque in ea olim ritibus plura nos docet Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. LVI. ubi hæc habet: *In Letaniis majoribus omnes Cruces Romanæ Civitatis cum Clero, & populo honorifice cum Processione procedunt ad Sanctum Marcum. Prius cantant Antiphonam*, Domine Dominus noster, qui cum Patribus nostris, *deinde Psalmum*, Beatus Vir, *& reliquos. Cum autem ad Ecclesiam venerint, cantatur Responsorium*, Famule Dei Marce. *Finito Responsorio*, *faciunt Collectam*, Populus Sion convertimini ad Dominum. *Finito cantu, dicunt*, Flectamus genua, Levate, *& Orationem*, Procedamus cum pace. *Respondent*, In Nomine Jesu Christi. *Exeuntes de Ecclesia redeunt ad Processionem, per viam cantando Antiphonas, & Psalmos, & in statutis locis Letanias, sicut mos est, usque ad Sanctum Petrum, & accipiunt a Curia Domini Papæ Presbyterium secundum consuetudinem hujus diei*.

V. Pergit idem Ordo, aliaque hæc docet sequenti Numero LVII. *Interim convenientibus omnibus Patriarchiarum Canonicis cum suis Crucibus in Basilicam Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, ubi Dominus Pontifex post Altare ejusdem Ecclesiæ induit se cum Episcopis, Cardinalibus, & aliis Ordinibus Sacri Palatii. Tunc Primicerius cum Cantoribus cantat*, Populus Sion. *Finito cantu, Dominus Pontifex dicit*, Oremus; *Archidiaconus*, Flectamus genua; *alius respondet*, Levate; *& Pontifex dicit Orationem. Schola respondet*, Amen. *Archidiaconus nunciat*, Procedamus cum pace. *Schola respondet*, In Nomine Christi. *Subdiaconus vero Regionarius elevat Crucem Stationalem de Altari, quam plene portat in brachio, ut osculetur ab omnibus, in Processione ante Pontificem usque in exitu Ecclesiæ, deinde levet eam erectam. Primicerius cum Schola post Dominum Papam tenens Pallium cum læva, primum incipit Antiphonam*, Domine Dominus noster. *Deinde Lateranum eandem Antiphonam, postea S. Maria Major, in quarto loco Sanctus Petrus. Finitis Patriarchiis, Primicerius iterum incipit eandem Antiphonam, & hoc ordine cantantur aliæ Antiphonæ per totam viam, dum Pontifex cantat Psalmos. Cum autem venerit Processio ante Coloseum, Subdiaconus regionarius incipit septiformem Letaniam. Basilicarii vero respondent illud idem usque ad septimum. Cum autem venerit ante Sanctam Mariam Novam, in præparato loco Dominus Pontifex cum Episcopis, Cardinalibus, & Diaconibus quiescit, donec Letania finiatur. Qua finita, surgit Dominus Pontifex, dicit*. Oremus. *Diaconus*, Flectamus genua. *Respondetur*, Levate. *Pontifex dicit Orationem. Diaconus*, Procedamus cum pace; *& redeunt omnes in Processione per viam Sacram ad clivum Argentarii prælibatum. Subdiaconus incipit quinqueformem Letaniam eo ordine, quo prius, usque ad lectum ante Sanctum Marcum, ubi Dominus se pausat, sicut in primo. Deinde revertuntur in Processione usque ad Arcum triumphalem Theodosii, Valentiniani, & Gratiani Imperatorum, ubi incipit triformem Litaniam usque ad lectum in Ponte Adriano, venientes ad S. Laurentium in porticu majore, ubi incipit simplicem Letaniam*.

VI. Hæc Ordo Romanus XI. Numero LVII. ubi nota, septiformem Litaniam, quam primus omnium instituit S. Gregorius, ita dici, quod in septem Choros distributa esset, similique modo quinqueformem dici, quæ in quinque, & sic de aliis, distributa sit Choros. Ceterum, ut nihil omittamus, quæ de ipsa Litania, seu Processione in Festo S. Marci tradit laudatus Ordo XI. ita mox subdit sequenti Numero LVIII *Finita Litania, aliisque Officiis, ascendit ad Basilicam Sancti Petri, ubi est Statio, ibique Dominus Pontifex cantat Missam. In hac Statione habet Dominus Pontifex XX. solidos denariorum Papiensium. Cardinales vero, & Diaconi, & Primicerius cum Cantoribus accipiunt XL. solidos Lucenses, & Prior Basilicarius, & Scriniarii scribunt omnes Cruces, & de unaquaque habent unum Lucensem, de quibus habent Acolythi medietatem, & medietatem Basilicarii. X. solidos Diaconi, Subdiaconi regionarii VI. solidos*.

VII. Plura sunt quidem in recitatum hactenus locum observatu digna, sed supervacaneum est, ac inutile, in eo explicando immorari, postquam doctissimus Petrus Morettus in suo eximio Opere, *De Presbyterio*, late, solideque de ipsa Litania in Festo S. Marci Romæ fieri solita disseruit, veteresque, ac recentiores ritus in eadem servatos enarravit, & locum etiam nostri Cæremonialis explicuit, ut ibidem legere est Parte II. Sectione VI. Cæterum, quicquid sit de ritibus antiquioribus hujus Litaniæ, sive Processionis, ac Festi; quæ fuerit methodus, usuque labente Sæculo XV. exponit Burchardus in suo Diario consentanee ad nostrum Cæremoniale, ubi etiam inquit, consuevisse Pontifices equitare hac die, præcedentibus Cruce, & Cardinalibus, ad Ecclesiam S. Marci, ibique post dictam Litaniam facere Confessionem cum Celebrante Missam, qui solebat esse aliquis ex Cardina-

Digitized by Google

dinalibus. Notatu dignum est, quod scribit ad annum MCDXCIII. nempe, dictam tunc Missam fuisse *de Spiritu Sancto, Papa sic volente*, Alexandro scilicet VI. *& post Orationem de Spiritu Sancto cum sua conclusione ad dictam, facta commemoratione de S. Marco cum sua conclusione*. Addit mox, quod, *cum diceretur Offertorium, Religiosi cœperunt processionaliter circuire Altare more solito, quorum Processio finita fuit cum Missa*.

VI. Ineunte Sæculo XVI. qui fuerit ritus in hoc Festo servatus, quantum ad Missam, quæ in ipsa S. Marci Ecclesia Romæ, præsentibus Papa, & Cardinalibus, celebratur, exponit Paris deGrassis in suo Romano Ordine Cap. x. ubi hæc habet: *In die S. Marci ordinarie non fit Missa in Capella Palatii, sed Cardinales ire solent cum Cappis violaceis ad Ecclesiam S. Marci, ubi Cardinalis hujus Tituli cum Cappa rubea singulos excipit, & honorat. Missa consueta dicitur per Prelatum Familiarem Cardinalis Titularis. Non fit Sermo, nec Indulgentia, quia per Bullam. In fine data benedictione, Celebrans cum Mitra, & Cardinales sedent, expectantes, donec Processio sub Tribuna transierit. Si ante eam Papa accedit ad Ecclesiam, tunc & Prælatus, ut supra, celebrat; Cardinales tunc cum Cappis rubeis, & Cardinalis Titularis sedet in loco suæ promotionis, & Papa in suo habitu perveniens ad Ecclesiam orat, & procumbit pro Litaniis, & fit Missa, & alia more solito, nisi quod propter angustiam loci non fiunt circuli, neque Presbyter sedet in scabello, sed cum Cardinalibus. Et facta Communione Processio transit, ut supra, ante Papam.*

VIII. Quod Processionem spectat, & ritum in ea servatum sub initiis Sæculi XVI. pluribus docet laudatus Morettus in suo citato Opere, *De Presbyterio*, Parte II. Sectione VII. ubi descriptus est locus Paridis Grassi, qui in suo ms. Diario ad annum MDIV. sic inquit: *In Processione diei S. Marci processionaliter venire debent omnes Canonici, Beneficiati, & Capellani tam Basilicæ S. Petri, quam omnium Basilicarum, & Ecclesiarum Urbis cum Vicariis ipsarum omnibus induti Pontificalibus indumentis. Et primo Canonici, & alii S. Petri in Tuscia. Item Præceptor S Spiritus in Saxia, cum Fratribus, & Cantoribus suis processionaliter, ac omnibus ornamentis. Quæ duo Collegia postquam recesserunt ex dicta Ecclesia S Marci, Missa incœpta, Camerarius Cleri pro tempore ordinat Processionem, quam, elevato Sacramento, extra Ecclesiam mittit ordinatam hoc modo. Societas Confalonis prima est cum vexillo B Virginis: deinde Heremitæ S. Humphrii: deinde Religiosi SS Johannis, & Pauli: Fratres de Aracœli: deinde sub Cruce Fratrum duodecim Apostolorum Fratres S. Sylvestri de capite, & Fratres S. Laurentii in Panisperna simul, & mixtim: deinde Fratres S. Stephani in Cœlio monte: deinde Fratres S Mariæ de Populo: deinde S. Augustini: deinde S. Martini, & S Juliani de Montibus: deinde S. Chrysogoni: deinde S. Mariæ Transpadinæ: deinde Fratres S. Petri ad Vincula: deinde Fratres S. Mariæ supra Minervam: deinde S. Mariæ novæ: deinde S. Alexii: deinde S. Ceciliæ Transtyberim: deinde Canonici Regulares S. Mariæ de Puce: deinde Monachi S. Laurentii extra muros: deinde Presbyteri S. Salvatoris de Lauro: deinde Substituti Fratres: deinde Substituti Presbyteri seculares: deinde Rectores Ecclesiarum Urbis: deinde Canonici SS. Quirici, & Julittæ: deinde Canonici SS. Celsi, & Juliani: deinde Canonici S Angeli: deinde Canonici S. Nicolai in carcere Tulliano: deinde Canonici S. Marci, & S. Mariæ rotundæ alternis vicibus a dextra & sinistra: deinde Canonici S. Laurentii in Damaso, & S. Mariæ Transtyberim similiter alternis vicibus a dextra, & sinistra: deinde omnes Archipresbyteri cum Pluvialibus per ordinem, ut supra, Collegiatarum Ecclesiarum datum, præter eos, qui assistunt Vicariis, vel substitutis eorum.*

Post hos certo sequebantur Patriarchalium S. Mariæ majoris, & S. Joannis Canonici, quod per oscitantiam Amanuensis Codex, quem consului, non habet, uti neque vetustorum nonnullorum Collegiorum recordationem. Alias, quæ prædescriptis ibi conjunguntur, vere, & ab iisdem Canonicis processum ad Sanctum Petrum demonstrant. *Et quando veniunt* (ait Codex eo loco) *istæ duæ Ecclesiæ*, ideſt S. Mariæ majoris, & S. Joannis, *in Processione S. Marci, illo die duo Beneficiati Ecclesiæ Lateranensis assistunt* (1) *Vicario Papæ, & Canonici, & Beneficiati dictæ Ecclesiæ præcedunt*, hoc est, gradiuntur ante, *Vicarium supradictum: deinde antedictos Canonicos Lateranenses antecedunt Canonici, & Capellani S. Mariæ majoris in dicta Processione S. Marci, & similiter in omnibus aliis Processionibus, ubi de mandato Papæ, vel Vicarii sui venire oporteat*. Alibi Codex ad Tit. *De Missa absente Papa in Ecclesia S Marci*, ait: *Finita Missa, Episcopus, qui celebravit, data benedictione, reversus est ad Faldistorium, & sedit, sicut erat de toto paratus, expectans, quod de tota Processio transiret, prout transivit, & similiter omnes Ministri sederunt in locis suis, & similiter Cardinales, Prælati, & omnes de Capella ..., Post Canonicos S Joannis Lateranensis, qui sunt ultimi, & capiunt Vicarium Papæ de Sacristia S. Marci paratum, & vadunt ad S. Petrum ..... veniunt Senator, & Conservatores Urbis, eodem modo, ut alii genuflectentes, sed nihil offerunt hodie ..... Et, ipsis expeditis, surgit Episcopus, vel se ibidem disparat, vel ad Sacristiam vadit*. Hactenus ex Tomo Diariorum Paridis de Grassis ab anno MDIV. die XXVI. Maji ad primam Augusti MDV.

Post Paridis tempora non parum variationis passa sunt, quæ ille narrat. Non amplius Vicarii cum indumentis Pontificalibus, non Archipresbyteri, ac Vicarii assistentes cum Pluvialibus incedunt, non amplius *alternis* se *vicibus* præcedunt Collegia S. Marci, & S. Mariæ Ro-

(1) Nota, quod Vicarius Papæ Episcopali tunc tantum dignitate fulgebat; nam si etiam Cardinalari, eidem adstitissent duo Canonici Basilicæ Lateranensis, quemadmodum factum fuit anno 1536. die 7. Novembris in Processione totius Cleri a S. Maria supra Minervam ad S. Antonii, & S. Mariæ majoris occasione grassantis per Italiam epidemiæ, in qua duo Canonici dictæ Lateranensis Ecclesiæ Cardinali Guadagni Vicario aciem Cleri claudenti Dalmaticis induti adstiterunt.

Digitized by Google

Rotundæ; imo Collegium S. Marci non procedit ea die, & in aliis Processionibus graditur ante Collegium S. Mariæ Rotundæ. Quæ rerum variationes aliæ tardius, citius aliæ, nec sine causa paulatim accidere. Collegium S. Spiritus anno MDCXXVI. adhuc procedebat, teste Turrigio in suo ms. Diario ad mensem Aprilis: *Die xxv.* (sic ille Vaticanas functiones notans) *in Festo S. Marci Sabbati venerunt ab Ecclesia S. Marci Processiones Regularium, & Secularium, præcedente duabus ante horis Clero S. Petri, & unam post horam Processione S. Spiritus.* Causam exemtionis puto eandem esse, quam fuisse tradit Petrus Saulnierius, Cap. XII. Libri de Capite, & Ordine S. Spiritus, Argumento XI. Tit. *Historia Nosocomii &c.* Num. VI. exemptionis a communibus Romano Clero Processionibus, scilicet, ne Clerici publico ægrotorum servicio addicti a tam necessario ministerio distraherentur.

Nunc, ut præteream cetera variationum Capita cum suarum causarum divinationibus, quæ diligens per se lector inspiciet, ac scrutabitur; Sollemnitatis Litaniæ majoris mores hi sunt. Mane summo Collegium S. Petri Collectam agit in Ecclesia Domus Professorum Societatis Jesu. Illinc progreditur supplici ritu ad Titulum Marci; transit ante Confessionem, & recta tendit ad Basilicam. Ibi ante principem januam intro tamen Ecclesiam, ad latera dispositæ sunt sedilia cuique ex ordinibus convenientia. Super eadem sedentes Vicarius, Archipresbyteri, Canonici, Beneficiati, & Clerici expectant reliquum Urbis Clerum. Pone sedilia a dexteris introeuntium assurgit exiguus ambo, quem ascendit unus de Capellanis, aliisque Ecclesiæ Ministris, prima vix attingente limen Monachorum, aut saltem Romani Cleri acie. Portæ ingressum ad idem latus occupant Clericus Cruciger cum duobus Acolythis, & candelabris Eidem jungebatur jam præteritis annis Acolythus Beneficiatus, seu Clericus, qui advenientes aqua benedicta conspergeret; sed anno tamen MDCCXXV. nihil tale actum, quod Pontifex similes præcedentis Cleri aspersiones non probaret. Alterum januæ latus occupant Thurifer arius Clericus perpetuo ductu introeuntes aliquomodo thurificans, necnon unus ex minoribus Sacristis, & unus ex Vaticanis Cæremoniariis, quorum quisque manu tenet sericeam rubri coloris crumenam nummos in *Presbyterium* dispensandos occludentem.

Properant interim Ecclesiarum Collegia ad S. Marcum. Præter Orphanos, Canonicorum Regularium, Monachorum, & Fratrum mendicantium, similiumve turmæ, quotquot nempe ad accedendum soliti sub uno tecto, & aluntur, & dormiunt, ritu supplicabundo id exequuntur. Seculares Clerici privatim Cruces præmittunt, & vexilla, siquæ gestent.

Quum fere omnia parata, atque expedita, accedit ad Ecclesiam Episcopus, Cardinalis Vicarii, seu Lateranensis Ecclesiæ *Suffraganeus*, modo appellari solitus *Vicesgerens* ob annexum eidem Vicesgerentis distinctæ quondam dignitatis munus, sive aliquis alius ex ejus placito, atque exorditur ad Aram majorem Missam absque cantu. Qua completa, depositis Sacrificantis vestibus, sumptoque Pluviali violaceo, ac Mitra, sedet, assurrecturus ad Cruces Ecclesiarum in plano Presbyterii cum assistentibus sibi duobus Beneficiatis Lateranensis Basilicæ Dalmaticis circumamictis, & post illos, in stallis tamen Chori, ad cornu Evangelii Prælato locum tenente, ac aliis nobilioribus Officialibus Tribunalis Eminentissimi Vicarii; ad cornu Epistolæ Capitulo S. Marci, cui consuetum, assurgere tantum ad præfatas Cruces, & Clerum secularem, quod ipsum agitur a laudatis duobus Beneficiatis assistentibus. His ita dispositis, jubente ad nutum Episcopi Camerario Cleri, & Cæremonias per Antistitem explendas moderante Magistro Lateranensi, incipit Processio, singulis Collegiis stantibus pridem in dextera introeuntibus navi, ambulantibus, ubi unus ex Ministris, quos Vicarii Cursores, seu Mandatarios vocant, cujusque nomen alte pronunciaverit, ac pertranseuntibus juxta schedulam inter Aram maximam, & expectantem Episcopum, qui se tandem cum Assistentibus, præfatisque Officialibus, ultimus agmini conjungit, atque in Ecclesia remanentibus tantum ejusdem Canonicis, & Clero, procedit cum reliquis ad Vaticanum, ut in (1) Castigationibus legitur.

Dum incipit, secularis præsertim Cleri, cui speciatim *Romani* nomen tribui solet, supplicatio, organa pulsantur, eodem momento distribuitur singulis impressus Cameræ Apostolicæ impensis *Ordo servandus in Processionibus faciendis in diebus S. Marci Evangelistæ, & Rogationum*, in quo agenda ferme omnia, & perspicue, quid canendum per totam Litaniæ majoris actionem, dilucide præscribitur per appositas suis locis Rubricas, plurimorum usu annorum comprobatas, & hic exhibendas, ut omnimoda recentiorum usuum ad Ritum nostrum quoquomodo pertinentium notitia habeatur. *In die S. Marci Evangelistæ discedat Clerus ab Ecclesia S. Marci iturus ad Ecclesiam Apostolorum Principis S. Petri in Vaticano cantando Litanias, quæ habentur infra, & ubi semel absolutæ fuerint, toties a capite repetantur, quousque perventum sit, quo perveniendum est. Et, cum perventum fuerit in pontem San-Angeli, dicatur per Cantores Antiphona*, Angeli &c. ℣. In conspectu &c. *Episcopus stans sine Mitra dicit*: Oremus. Deus qui miro ordine &c. *deinde reassumantur Litaniæ, & procedatur usque ad Ecclesiam præfatam S. Petri*, Sequuntur Litaniæ. *Ante Altare SS. Sacramenti in eadem Ecclesia post ultimum* kyrie eleison *Litaniarum Episcopus genuflexus sine Mitra dicit*: Pater noster, *secreto* ℣. Et ne nos &c. ℟. Sed libera &c. *Tum duo Cantores intonant Psalmum*: Deus in adjutorium &c. *Episcopus adhuc genuflexus dicit preces hujusmodi.* ℣. Salvos fac &c. *Mox surgit Episcopus, & stans sine Mitra dicit*: Oremus. Deus, qui nobis &c. *Deinde Episcopus intonat Hymnum*, Te Deum laudamus. *Et, facta genuflexione, accipit Mitram, & interim Cantores prosequuntur, dictum Hymnum, & Processio dirigatur ad Altare majus SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ante quod Episcopus, deposita Mitra, & facta reverentia, stans expectat finem dicti Hymni. Mox Cantores intonant Antiphonam,* Pe-

(1) Extant hæ Castigationes sub Parergo ad Opus, De Presbyterio.

Digitized by Google

Petrus Apostolus &c. ℣. Constitues &c. *Episcopus dicit*: Oremus. Deus, cujus dextera &c. *Postea Cantores dicunt*. ℣. Exaudiat &c. *Præterea Episcopus, accepta Mitra, ascendit ad Altare, & non se vertens benedicit populo dicens*. ℣. Sit nomen Domini &c. *Quibus factis, Episcopus, facta reverentia Altari, confert se ad Sacristiam, & ibi deponit vestimenta Pontificalia, & reassumit vestimenta sua*.

Devenitur tandem ad metam. Singulæ universi Cleri turmæ limen attingentes Templi, quo Litaniæ finis imponitur per verba, *Sancte Petre, ora pro nobis*, a memoratis Cantoribus, Pluvialia indutis pronunciata, salutant circumsedentes Canonicos, a quibus diversimode resalutantur. Ordines Mendicantium, ac ceterorum Religiosorum simplici honorantur capitis detectione, quæ urbanitatis parsimonia quapiam addita capitis inclinatione, adhibetur respectu pariter aciei Romani Cleri, quam claudit Camerarius stolatus. Collegiis Canonicorum duarum Basilicarum insignium resalutaturi, detecto capite assurgunt aliquantulum Canonici S. Petri; omnino vero assurgentes, stantesque id præstant Beneficiati, & Clerici, qui stant postmodum, assurgentibus plenarie Canonicis tantum ad ingressum Canonicorum Patriarchalium Liberianæ, & Lateranensis.

Mirantes plerosque offendi ferme quotannis hanc exceptionis formulam, quasi maxima sui parte parum urbanitatis, sive observantiæ erga illustres Ordines, Clerique nobilem portionem referre videretur. Quinimo a multis minime percipi posse deprehendi; unde sit, quod Clerus taliter excipiatur die S. Marci ad Templum Processionis metam in ipsa Urbe, quæ per conditum a se Cæremoniale Episcoporum consuetudinem magis approbarit paribus occasionibus valde diversam a Vaticana. Porro hæc in eo Codice mandantur: *Ibit Processio usque ad Ecclesiam, ad quam juxta consuetudinem Civitatis dirigitur, cujus Ecclesiæ Clerus, ubi ita consuetum est, procedet obviam usque extra portam Ecclesiæ, ibique stans eam recipiet*. Lib. II. Cap. XXXII. *De Litaniis, & Processionibus majoribus, & minoribus &c.*

Verum incessere desinant Vaticanam hujus diei consuetudinem, quæ tamen ab aliis pro exemplo assumi nonnisi imperite, & violenter poterit, si quando Cleri exceptiones non ejusdem indolis acciderint. Inest consuetudini ratio, causaque gravissima aliis occasionibus, locisque nulletenus accommodanda, quam inferius expiscabimur. Certe portio ejusdem, aliquando vacillans, per ipsius Apostolicæ Sedis auctoritatem expresse approbata, stabilitaque est. Nimirum œconomiam exceptionis duarum insignium Ecclesiarum S. R. Congregatio die XV. Aprilis anno MDVI. perpetuo sancivit edicto cujus tenorem describere præstiterit ad calcem Operis, Num. XII. Illud alias memorat Barbosa, ne quempiam alium producam, in Collectaneis Decisionum Apostolicarum, LXXXIX. & in Collectaneis Bullarum, aliarumque Pontificiarum Constitutionum, & Decisionum Sacrarum Congregationum pag. 68. ad dictionem, *Beneficiatus*, ac pag. 114. ad vocem, *Collegiata* VII. ubi summa Sanctionis exprimitur.

Januam subeunte Romano Clero, cum præallegatum Diarium scriberet Turrigius, hæc præterea agebantur. *Quando Clerus Romanus*, loquitur Turrigius, *incœpit ingredi in Basilicam, cœpta sunt pulsari organa, spargi pavimentum floribus, & frondibus virentibus, & legi Bulla &c.* Modo silent organa, etiam quando auditur strepitus lætissimus Hymni, *Te Deum*, de quo descriptæ superius Rubricæ. Bulla quidem legitur per Ministrum, & e suggestu, de quibus supra, eaque Alexandrina ab Eugenio IV. renovata, quam protuli sexta Sectione Operis. Neque omittitur viridantium frondium sparsio.

Satis jam hæc esse possunt pro explicatione Processionis in Festo Sancti Marci, quæque descripsimus ex laudatissimo Opere memorati inclyti Viri Petri Moretti, *De Presbyterio*, in quo & alia plura curiosus Lector inveniet, quæ ad ipsam Processionem spectant. Memoratum autem Opus totius dici potest Ecclesiasticæ antiquitatis, ac rituum Papalium, & Ecclesiæ Romanæ thesaurus. Unum est, quod hic omittendum haud censui, in recentioribus Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis vix hujusmodi Processionis mentionem haberi, quia scilicet juxta hodiernam disciplinam nihil habent cum ipsa Processione Cardinales, & Summus Pontifex, qui alias olim, uti dictum superius fuit, solemni huic Litaniæ majori interesse soliti fuere summa Romani Populi ædificatione. Sed variant in dies ritus, ut jam non semel notavimus.

CAPUT X.

De Vigilia, & Festo Ascensionis Domini.

In Vigilia Ascensionis Domini fiunt Vesperæ Papales, & in die Missa solemnis in paramentis albis, quam celebrare solet Episcopus Cardinalis. Dicitur tantum una Oratio, & non fit Sermo, quem facturus osculetur pedem Papæ, vel genu; si sit Prælatus, petat benedictionem, & non Indulgentias. Finito Sermone, fit Confessio, sed non denunciantur Indulgentiæ, cum Papa sit post solemnem benedictionem daturus publicas. Igitur, cum dicitur Confessio, accedit Subdiaconus cum Cruce, & Confessione finita, Papa dicit, *Precibus &c.* alia omnia fiunt more consueto. Finita Missa, Papa dat benedictionem, qua data, Papa eo ordine, quo de Camera venit, vadit ad locum, ubi benedictionem est daturus; quem Cardinales, Prælati, & alii Officiales assotiant in Cappis suis sine paramentis. Pontifex in loco prædicto dat benedictionem solemnem

Digitized by Google

lemnem populo, & in fine plenarias Indulgentias, ſi placet, quas publicant duo Diaconi Cardinales, ſenior primo in Latino, deinde alius in vulgari; quibus publicatis, Papa redit ad Cameram ordine conſueto.

COMMENTARIUS.

I. ASCenſionis Domini celebritas ab Apoſtolis, vel Synodis Oecumenicis cum S. Auguſtino repetenda eſt, qui in Epiſtola ſua CXVIII. Cap. I. diſerte ſcribit, ubique terrarum celebrari ipſam Aſcenſionem: *Sicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio, & adventus de Cælo Spiritus Sancti, anniverſaria ſolemnitate celebrantur, quod ſervatur ab univerſa, quocumque ſe diffundit, Eccleſia.* Quum id, quod in Aſcenſione recolitur, maximi momenti ſit, & ampliſſimus Chriſti triumphus litteris diligentiſſime fuerit conſignatus, nullus inficiabitur, ut recte notat Thomaſſinus Lib. II. *De dierum Feſtorum celebratione*, Cap. XVII. Num. VI. anniverſarium cœtum ſolemni ritu coactum fuiſſe ab iis, qui Chriſtum aſcendentem conſpexerant, ut ſingulis annis tanti triumphi hiſtoria perlegeretur; nam uſque ab exordio Eccleſiæ invecta eſt conſuetudo legendi Divinos Codices in Sacris Chriſtianorum Conventibus. Conſtitutiones quoque Apoſtolicæ Lib. VIII. Cap. III. coli diem hunc jubent: *Die Aſſumptionis*, Chriſti ſcilicet, *vacent Servi, quod tunc fuerit impoſitus finis œconomiæ Chriſti*, Magni ponderis ea ratio affertur, eſſe nempe Aſcenſionem Gloriæ Chriſti complementum. Agunt & de ipſo Feſto priſci Patres cum Latini, cum Græci, quos recenſet Grancolas in Commentario ad Breviarium Romam, Lib. II. Cap. LXXV. itemque variæ antiquæ Synodi, quarum meminit eruditus Martene in ſuo Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Capite XXXVIII.

II. In Eccleſia Romana ſolemni profecto ritu celebrari conſuevit ipſa Domini Aſcenſio, ſicut ſolemniores anni Feſtivitates. Ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, Num. LX. Pontifex cum Cardinalibus, & Epiſcopis primis præerat Veſperis, quæ in Baſilica S. Petri cantabantur, ubi Statio fiebat; ſurgebatur media nocte pro Officio Nocturno; ad quemlibet Nocturnum incenſabantur Altaria; tres primæ Lectiones erant Actuum Apoſtolorum, quinque ſequentes e Sermone alicujus Patris de Feſto, & nona Lectio de Homilia in Evangelium. Feſtum hoc habebat pluſquam Octavam, durabat enim decem dies uſque ad Pentecoſten, & ſingulis diebus ad Nocturnum dicebantur tres Pſalmi, tres Lectiones, & tria Reſponſoria. Sed audiamus ipſa laudati Ordinis Romani verba: *In Aſcenſione Domini Statio ad Sanctum Petrum, ubi Dominus Pontifex cum Epiſcopis, Cardinalibus, Diaconibus, & ceteris Scholis debet cantare Veſperas, & ſicut in nocturnis Stationibus, media nocte ſurgere incenſando Altaria; prius ad Corpus vigilias celebrare, deinde in Choro ante Altare majus eaſdem Vigilias incipere. Tres Lectiones de Actibus Apoſtolorum, quinque de Sermonibus Feſtivitatis, nona de Homilia eo ordine, quo ſuperius diximus.* Deſcribit mox ritum Miſſæ ejus diei, quam ſolemniter Pontifex celebrabat, & deinde ita ſubjicit: *Infra hebdomadam uſque in Sabbato Pentecoſtes, in unaquaque Feria cantantur tres Antiphonæ, & tres Pſalmi prædictæ Feſtivitatis, & leguntur tres Lectiones de Sermonibus.* Fuiſſe videbatur, ait Grancolas, Officium parvum nocturnum, Officio de Feria adjunctum, ut Officium, ſeu Commemoratio de Aſcenſione fieret per decem hos dies, quod eo magis videtur veriſimile, quia ante Pium V. dies Octavæ erat tantum ſemiduplex, & dies omnes infra Octavam non habebant Officium de Feſto, cujus Commemoratio tantum cernitur, & parvum Officium trium Lectionum.

III. Quod Veſperas ſpectat, de quibus agendum primo eſt in hoc Commentario, celebrari jam ipſæ ſolebant olim in Principis Apoſtolorum Baſilica a Papa cum Cardinalibus, aliiſque de quibus mentionem facit laudatus Ordo Romanus XI. De iiſdem pauca hæc habet Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XLI. *In Aſcenſione Dominus Papa pergit ad Veſperas apud S. Petrum.* Pauca etiam habet Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. XCI. ubi ita inquit: *In die Aſcenſionis Domini Sermo, & Miſſa mandantur, non tamen Veſperæ, licet Papa veniat cum Pluviali rubeo de ſamita, & Mitra aurifriſiata Conſiſtoriali, & Cardinales etiam debent venire cum Pluvialibus albi coloris, & Antiphonas incipiunt, prout eſt in aliis Veſperis.* Sed mutatus deinde fuit hic ritus, ut enim inquit Graſſus in ſuo Romano Ordine, Cap. XI. *in Vigilia Aſcenſionis fiunt Veſperæ in Capella, ad quam Pontifex cum Pluviali albo, & Mitra pretioſis, & Cardinales cum Cappis ex conſuetudine rubeis accedere ſolent.* Loquuntur paſſim de ipſis Veſperis Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis mſs. Diariis, inter quos Joannes Burchardus ad annum MCDLXXXVII. habet: *Die Mercurii, ſeu quarta Feria XXIII. Maji Vigilia Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti hora conſueta fuerunt Veſperæ Papales in Capella magna Palatii, Papa præſente albis paramentis ornato. Papa fecit Officium, prout in Veſperis facere conſuevit. Interfuit etiam Illuſtriſſimus Hercules Ferrariæ Dux, qui eundo, & redeundo ad Capellam, & de Capella, ivit poſt Crucem ſolus ante omnes Cardinales, & in Capella ſtetit poſt Reverendiſſimum Dominum Aſcanium ultimum Diaconum Cardinalem ad gradum inferiorem Sedis, ſeu Solii Papæ ex mandato Papæ.* Agit & de Veſperis in Vigilia Aſcenſionis laudatus Paris de Graſſis Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, aliique paſſim, qui eidem in eo munere ſequiori ævo ſucceſſere, in ſuis mſs. Diariis. Sed præ ceteris multa de ipſis Veſperis notavit in ſuo ms. Diario accuratiſſimus Franciſcus Mucantius Apoſtolicarum & ipſe Cæremoniarum Magiſter.

IV. Ad Miſſam quod attinet, teſte eodem Burchardo ad prædictum annum, *Reverendiſſi-*

Digitized by Google

mus Dominus Cardinalis S. Clementis fecit Officium in Basilica Principis Apostolorum in paramentis albis, Papa præsente .. Caudam Pluvialis Papæ portavit Dux Ferrariæ usque ad scalas Palatii, ubi Papa ascendit Cathedram, & portatus fuit ad Basilicam prædictam more consueto. Tum nonnullis interjectis, ait Papam solito more processisse ad majus Altare, ubi postea fecit Confessionem, & alia more solito sunt observata, ac deinde nostro huic Cæremoniali concinens, ita subjicit: *In fine Missæ non fuerunt publicatæ Indulgentiæ, sed Papa cum Regno in capite, quod etiam hoc mane de Camera ad Ecclesiam portavit, processit per navem ultimam, videlicet Vultus Salvatoris nostri, qui ostensus est; deinde usque ad locum publicæ Benedictionis. Cardinales, & Prælati omnes fuerunt in Cappis solitis sine paramentis. Papa dedit benedictionem solemnem more solito, & Reverendissimi Domini Cardinales, Senensis in Latino, & S. Georgii in Italico publicarunt plenarias Indulgentias per Sanctissimum Dominum nostrum Populo concessas.* Sed ut alia Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria omittam, teste Grasso in citato Romano Ordine, Cap. XI. *in die Ascensionis fit Missa in Basilica, quam Prior Presbyterorum Cardinalium cum paramentis albis celebrat. Pontifex cum Pluviali albo pretioso, & cum Tyara propter benedictionem in logia dandam, sed sine Processione, & sine baldachino. Cardinales cum Cappis rubeis, & non portantur paramenta. Fit Sermo, sed Indulgentia non petitur, nec datur, quia dabitur in logia post Missam, similiter ut ventum est, itur ad logiam pro benedictione, ac pro Indulgentia. Item Vultus Sanctus ostenditur.* Atque hi sunt ritus, quos etiam recensent passim veteres æque ac recentiores Apostolici Cæremoniarii in suis Diariis.

CAPUT XI.

De Vigilia Pentecostes, & mutatione Capparum.

In Vigilia Pentecostes Cardinales, & Prælati Romanæ Curiæ, depositis Cappis, & Capuciis pellibus subduplicatis, accipiunt alias cum serico rubro, sive (1) cremesino, in quibus veniunt ad Vesperas solemnes, quæ fiunt more consueto. Consuevit etiam Pontifex Hymnum Vesperorum, videlicet, *Veni Creator Spiritus*, in Sede Solii sui stans detecto capite inchoare, deinde descendere ad Faldistorium, ubi postquam genuflexit, & non prius, Cantores prosequuntur Hymnum. Finito primo Versu, surgit Pontifex, & assumpta Mitra redit ad Faldistorium, ubi deposita, stat usque ad finem Hymni. Alia omnia fiunt more solito. Sed ad primum Versum Hymni Pontifex semper genuflectit hac die, sive ipse incipiat, sive non. (2) Hæc mutatio Capparum fit hodie in die Festo Resurrectionis Dominicæ ex Decreto Leonis Papæ X. in Concilio Lateranensi, quia ita fiebat antiquitus.

COMMENTARIUS.

I. PEntecosten cum Paschate siquis comparet, horum Festorum inveniet non dissimilem fuisse Vigiliam, jejunabatur enim Sabbato, vigilabatur, & orabatur tota nocte in Ecclesia: *Non minore lætitia celebramus diem Pentecostes, quam diem Sanctum Paschæ celebrare curavimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, jejunavimus, Sabbato Vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes institimus; unde necesse est, ut similem observantiam similis lætitia subsequatur.* Verba sunt S. Ambrosii relata a Gratiano in Canone IX. Distinctione LXXVI. Sane tantam habuit olim ipsa Vigilia Pentecostes cum Vigilia Paschatis affinitatem, ut in Ecclesia Bisuntina ejus Officium a Cerei benedictione inciperet, quæ cum illi Ecclesiæ omnino singularis extiterit, operæ pretium duxit Martene integram describere in suo Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXVIII. ubi ritus prædictæ Vigiliæ enarrat, Num IX.

II. In Ecclesia Romana, & in aliis fere omnibus cœptum est Officium a Lectionibus, quæ pro Catechumenorum institutione pronunciabantur, idque hora octava, ut innuere videtur vulgatus Ordo Romanus apud Hitorpium, cui concinit Joannes Abrincensis, præscribens, *ut octava hora diei populus ad Ecclesiam conveniat.* & tamen Adrianus Papa I. interrogatus a Corbejensibus Monachis, qua hora in Sabbato Pentecostes conveniens sit ad Lectionum Officium ingredi, respondit, *hora sexta id fieri oportere.* Adriani Responso congruit Ordinarium Ecclesiæ Lugdunensis statuens, ut *hora* VI. *vocentur Catechumeni, ut in Sabbato Paschæ.* Quapropter quod ait Ordo Romanus, Sabbato in Vigilia Pentecostes omne Divinum Officium, ut Sabbato Sancto, peragendum esse, *tantum hora octava ingrediantur ad Vigilias, vel Missarum Solemnia, ut hora nona expleta omnia consummentur*, intelligendum præcipue videri, ait Martene citato loco, Num. X. de tempore, quo Missarum Solemnia sunt celebranda; alioquin si hora dumtaxat octava Lectiones inciperentur, intra tam breve temporis spatium Lectiones ipsæ, Orationes, Litaniæ, Fontium be-

(1) Ita in Romana editione legitur, in Veneta vero I. & Colonensi, *carmesino*.
(2) Verba ista, *Hæc mutatio Capparum &c.* usque ad finem addita certe fuere nostro huic Cæremoniali post Patricium ejus ordinatorem, qui illud scripsit ante Concilium Lateranense.

Digitized by Google

benedictio, Baptismus ipse cum Missa absolvi non possent, ut hora nona expleta omnia consummarentur. In Africa tamen sub Vesperam ad Ecclesiam conveniebat populus, adeo ut Missa ipsa nocte incœpta celebraretur, ut colligere licet ex S. Augustini Sermone CCLXXII. habito in die Pentecostes ad infantes, hoc est, ad baptizatos, quos de Sacramento Altaris sic alloquitur: *Hoc quod videtis in Altare Dei, etiam transacta nocte vidistis.* Nec solum in Africa, sed in aliis etiam Regionibus id factum est. Nam Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii observat, Missam olim in ipsa nocte, quæ lucescit in Dominica, celebratam fuisse.

III. Lectionum numerus pro Ecclesiarum diversitate variat. In Lugdunensi Ordinario duæ tantummodo adnotantur, scilicet, *Tentavit Deus Abraham*, &, *Scripsit Moyses*. Tres in Missali Ambrosiano apud Pamelium designantur, totidemque in Missali Bituricensi. In Missali tamen Ambrosiano anni MDLX. edito quatuor leguntur Lectiones, qui numerus passim receptus est; nam præscribitur in Sacramentariis Gelasiano, & Gregoriano, in vulgato Romano Ordine apud Hitorpium, & apud Amalarium, Pseudoalcuinum, Joannem Abrincensem, & in multis antiquis mss. Ritualibus, atque Ordinariis, relatis ab Edmundo Martene citato loco, Num. XI. ubi etiam notat, quintam addi in Ordinario Carnotensi S. Joannis, & Gastinensi; ex vetustissimo autem Sacramentorum Libro Gellonensis Monasterii, & Noviomensi annorum CM. ex Dionysiano ante annos DCCC. exarato, ex Moysacensi, & ex Midali Tolosano sex recitari Lectiones. Septem præscribunt Cæremoniale Viennense, & Uticense Ordinarium. Verum ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Num LXII *Sabbato Pentecostes ad Officium Baptismi sex leguntur Lectiones Latinæ, & sex Græcæ.*

IV. Lectiones, ut in Vigilia Paschæ, sequebantur tres Litaniæ, iisque expeditis, fiebat benedictio Fontis, tum Baptismus, ad eum fere modum, quem descripsimus in Vigilia Paschatis. Missa inchoatur sine Introitu, quia totum simul conjunctum est. Privatæ autem Missæ non carent Introitu, quia cum sint separatæ ab Officio, non eandem habent causam omittendi Introitum, qui ipsis privatis Missis a Pio V. assignatus est. Non dicitur, *Flectamus genua*, ad Orationes Prophetiarum, seu Lectionum, quemadmodum dicitur Sabbato Sancto, ratione temporis Paschalis; sed mandat tamen Ordinarium Rotomagense, ut incœpto Hymno Angelico, *Gloria in excelsis Deo*, in solemni Missa hujus Vigiliæ, *omnes flectant genua*, & *omnes campanæ pulsentur*. Sed omissis aliarum Ecclesiarum ritibus, juxta præscriptum Romani Ordinis XV Cap. XCII. *in Vigilia Pentecostes si Papa velit secrete, & basse celebrare Missam suam, ipsemet legit Lectiones omnes illas, pr ut in Missali Romano scribuntur, & more solito facit Confessionem ante primam Lectionem. In magna Missa, Papa, facta reverentia ante Altare more solito, Papa ascendit ad magnam Cathedram, & sedet, & tunc legitur prima Lectio, & consequenter omnes. Ad Letanias Papa flectit genua ante Altare, & dum dicitur*, Peccatores, *surgit, & facit Confessionem, nec descendet ad Orationes ad flectendum genua, sicut inferius.*

V. Spectant hæc antiquos ritus, nam alias nostrum hoc Cæremoniale, nihil prorsus de iisdem servandis dicit, sed tantum ait, *in Vigilia Pentecostes Cardinales, & Prælatos Romanæ Curiæ, depositis Cappis, & Capuciis pellibus subduplicatis, accipere alias cum serico rubro sive cremesino, in quibus veniunt ad Vesperas solemnes more consueto.* De ipsa mutatione Capparum jam diximus supra in Commentario ad §. I. Tituli II. qui inscriptus est, *De Festo Resurrectionis Domini, Papa celebrante*, quia scilicet, ut in fine præsentis Capitis edicitur, *hæc mutatio Capparum fit hodie in die Festo Resurrectionis Dominicæ, ex Decreto Leonis Papæ X. in Concilio Lateranensi, quia ita fiebat antiquitus.* Porro videri possunt, quæ de hoc ritu scripsimus nos loco citato, seu potius, quæ in disceptatione sua Epistolari, cui Titulus, *De ritu variandi Chorale indumentum in solemnitate Paschali &c.* docet doctissimus Petrus Morettus insignis Basilicæ S. Mariæ trans Tyberim Canonicus.

VI. His ergo omissis, quod Vesperas Festi Pentecostes spectat, parce admodum de iis loquitur nostrum Cæremoniale, paulo autem fusius Ordo Romanus XV. citato Capite XCII. ubi ita inquit: *Item sunt Vesperæ mandatæ, & potus in Aula, in quibus Papa venit cum pulchro Pluviali rubeo cum perlis, & Imaginibus, & cum Mitra pretiosa, & solemni &c.* Rursus Cap. XCIII. de primis Vesperis hæc habet: *In primis Vesperis Dominus Papa incipit primam Antiphonam, Hymnum, & illam ad* Magnificat. *Cardinales vero incipiunt alias Antiphonas. Incœpto semper*, Veni Creator Spiritus, *ante Papam per unum de Capellanis, Papa reincipit*, Veni Creator Spiritus; *quo incœpto, Papa descendit de Sede sua, & vadit ante Cathedram coram Altari paratam, & ibi genuflectit, & stat genibus flexis sine Mitra, quandiu cantatur primus Versus Hymni per eum incœpti; primo Versu finito, redit ad Sedem suam.* Omnia alia fieri ait, prout in Vesperis solemnibus est fieri consuetum. In mss. Apostolicorum Diariis nihil occurit speciali nota dignum, quod hic describatur.

VII. Reliquum est, ut antiquum ritum enarremus, Matutini scilicet, quod post solemnes Vesperas celebrari solitum fuit a Papa, ut testatur Ordo Romanus XV. Cap. XCIII. his verbis: *In Matutinis, quæ cantantur de sero bona hora, Dominus Papa venit sine Mitra, & sine Pluviali, & dat illis benedictiones in principio Lectionum, & dicit Orationem, & nil plus.* Notandum quoque mox admonet, *quod Domini Prælati stant juxta eum, & antiquior servit sibi de Libro, & incenso ad ponendum in thuribulo, dato, quod non essent ibi alii majores illo, sive Protonotarii, aut alii.* Est antiquus ritus, cujus longe ante memoratum Ordinem XV. Romanum meminit Romanus Ordo XI. Num. LXIII. ubi etiam refertur, decantari consuevisse ipsum Matutinum nocte, & quidem in Basilica S. Petri: *Dominica*, inquit, *Statio ad S. Petrum, quo Dominus Pontifex ad Vesperas Vigiliæ cum omnibus Ordinibus venit, & in nocte ad Matutinum.* Recensetmox

Digitized by Google

mox ejus Officii ritum, qui est hujusmodi: *Invitatorium*, Alleluja, *sicut in die Resurrectionis cum suo*, Venite. *Alii cantant*, Alleluja, Spiritus Domini replevit orbem terrarum, venite adoremus, Alleluja. *Psalmi*, Beatus Vir. Quare fremuerunt gentes. Domine quid multiplicati sunt. *Alii dicunt*, Factus est repente de Cælo sonus. Confirma hoc Deus. Emitte spiritum tuum, & creabuntur; *cum suis Psalmis. Tres Lectiones leguntur. Primam Lectionem legunt Canonici Ecclesiæ*, Dum complerentur, *& cantant primum Responsorium. Secundam Lectionem legunt Cardinales de Sermonibus. Responsorium Cantant Cantores, & Basilicarii. Tertiam Lectionem legit Pontifex. Ceterum Officium facit Primicerius cum omnibus.*

CAPUT XII.

De die Pentecostes.

§. I.

In die Pentecostes Pontifex indutus paramentis purpureis preciosis venit ad Ecclesiam, & consuevit celebrare in tali die cæremoniis consuetis; quod si non est dispositus ad celebrandum, Sacra facit unus ex Reverendissimis Dominis Episcopis Cardinalibus ornamentis rubris paratus, & tunc Papa orat in Faldistorio, facit Confessionem cum Celebraturo, & alia more consueto. Dicitur tantum una Oratio. Circa finem *Alleluja*, ante Versum Papa venit ad Faldistorium, ubi genuflectit, & Cantores incipiunt, & prosequuntur Versum, *Veni Sancte Spiritus*, usque ad finem. Finito Versu, surgit Pontifex, & accepta Mitra, venit ad Solium, & fit Sermo. Si Papa non celebrat, omnia alia observabuntur more consueto. Sed si Pontifex celebrat, observabuntur omnia, prout in Missa majori in die Nativitatis Christi ordinatum est, & non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. Ritum fuisse antiquum, ut die Pentecostes Missam cantaret Pontifex in S Petri Basilica, ubi Statio erat, ipsique Pontifici celebranti Laudes fierent, de quibus alias diximus, & absoluta Missa, coronatus ille ad Palatium rediret, docet nos Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. LXIII. his verbis: *Missam cantat Pontifex cum Laudibus. Post Missam coronatus redit ad Palatium, sicut mos est.* Quod sequioribus seculis non semper Romani Pontifices celebrarent ipsi hac die Missarum Solemnia, addiscere licet ex iis, quæ docet Ordo Romanus XV. Cap. XCIV. in Rubrica, *De Officio in Festo Pentecostes*, ubi etiam ritum enarrat servandum hac die, Pontifice celebrante: *In Festo Pentecostes*, inquit, *si Papa celebrat, ipse incipit Tertiam cantando, incipit Hymnum, & Antiphonam post quam* (1) *Acolythus cantando per Capellanos, & Cantores, & Papa, deposita Mitra per Diaconum Cardinalem a dextra assistentem, dicit cantando Orationem, qua dicta, reponitur ei Mitra in capite per eundem Diaconum Cardinalem, dicit sedendo*, Quam dilecta &c. *& illas orationes, & interim calceatur Sandaliis.* Hunc ritum servandum hac die, si Papa celebret, jam non obscure innuit hic noster §. dum ait, si Papa celebret, observari debere omnia, prout in Missa majori Nativitatis Christi ordinatum est. In ea autem celebritate solemni ritu cantatur Tertia ante Missarum Solemnia.

II. Ad Missam circa finem *Alleluja*, secundum scilicet, quod post Epistolam dicitur, ante Versum, *Veni Sancte Spiritus &c.* Papa descendit de Solio, & venit ad Faldistorium, ubi genuflectit, & Cantores incipiunt, & prosequuntur Versum, *Veni Sancte Spiritus*, usque ad finem. Habet hæc quidem hic noster §. sed videtur tamen Ordo Romanus XV. Cap. XCV. clarius expressisse hunc ritum, ubi ita inquit: *Post*, Alleluja, *videlicet secundum, dum debet inchoari per Cantores*, Veni Sancte Spiritus, *Papa descendit de Sede sua, & vadit ad Cathedram coram Altari paratam, & ibi genuflectit, & deponitur ei Mitra, & stat ibi, usque*, tui amoris, *dicitur. Deinde ubi dum debet incipi Prosa Sancti Spiritus, Papa surgit de Sede sua, & ibi stando, deposita Mitra, & unus de Capellanis cantando coram eo eam reincipit, & Papa cantando dicit*, Sancti Spiritus, *& sedet deinde, quousque Prosa sit dicta.* Ergo in usu erat hæc Prosa in Missa Papali Seculo XIV. quo floruit Petrus Amelius Auctor Ordinis Romani XV. ubi mentio illius fit, labiturque iccirco Grancolas dum in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXXVII. ait, Prosam ipsam, *Veni Sancte Spiritus &c.* Romæ noviter esse introductam, licet antiquissima sit quatuor Prosarum, quæ novissimis temporibus conservatæ sunt, nempe, *Victimæ*, in Paschate; *Lauda Sion*, in Festo Corporis Christi, &, *Dies iræ*, in Officio Defunctorum. A plerisque Prosa ipsa, sive Sequentia, *Veni Sancte Spiritus &c.* adscribitur Roberto Galliæ Regi, qui XI. regnabat Seculo, ab aliis Hermanno Contratto Germaniæ Monacho, qui obiit anno MLIV. sed non satis valido nituntur fundamento. Prosa ista, ut tradit post alios Grancolas loco

(1) Luculentius hæc enarrat Cæremoniale Davantriæ: *Post quam Acolythus*, inquit, *cantando eos coram eo præincepit. Deinde cantando dicitur Tertia &c.*

Digitized by Google

loco citato, verosimilius creditur ab Innocentio III. composita, ab eodemque jussa Missali interseri cum in ejus Operibus reperiatur; ideoque sui immemor Grancolas, perperam scripsit, ipsam Prosam Romæ noviter fuisse introductam.

III. Porro antiquus ritus fuit, ut dum in Missa cantaretur Prosa ipsa, *Veni Sancte Spiritus &c.* flores diversi ad instar Charismatum Spiritus Sancti desursum immitterentur, & in quibusdam etiam Ecclesiis aves, seu columbæ, & stupæ succensæ. Quod in Ecclesia Consentina, ejusque Diœcesi vigeret hic ritus Seculo XI. docet nos in suo ms. Ordinario Lucas Archiepiscopus Consentinus, sic inquiens: *In Missa Pentecostes, dum cantatur Sequentia, quam incipit Pontifex primo, Decanus secundo, Cantor tertio, sparguntur desuper in Presbyteris, in Choro, & in Navi Ecclesiæ, rosæ, lilia, & flores, & ad ultimum emittuntur particulæ subtilissimæ stupæ succensæ.* His concinit inter alios Durandus Lib. VI. sui Rationalis, Capite CVII. in fine, ubi hæc habet: *Quia vero in Epistola dicitur*, Et factus est repente de Cælo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis &c. *ideo ad hoc repræsentandum, in nonnullis Ecclesiis clanguntur tubæ, dum Sequentia dicitur.* Tum vero inferius: *Tunc etiam ex alto ignis projicitur, quia Spiritus Sanctus descendit in Discipulos in igneis linguis, & etiam flores varii, ad denotandum gaudium, & diversitatem linguarum, & virtutum. Columbæ etiam per Ecclesiam dimittuntur, in quo ipsa Spiritus Sancti missio designatur.*

IV. Hæc nimirum omnia ad plebis potissimum instructionem, & devotionem agebantur, quæ exterioribus his signis multo magis docetur, & movetur, quam quibusvis prædicationibus, laudandique iccirco Dominicani, qui veterum rituum tenacissimi spargunt & hodie flores diversos in Ecclesiis suis hac die cum canitur Prosa, *Veni Sancte Spiritus &c.* Ceterum Romæ in Basilica S. Petri usque ad annum MDXXI. perseveravit ritus mittendi columbam ex alto ad Altare, dum nempe in Missa Prosa ipsa decantaretur, sublatusque tandem eo anno fuit opera Paridis Grassi Cæremoniarii Apostolici, ut idem ad ipsum annum in suo ms. Diario testatur, ubi de Festo Pentecostes agit, sic inquiens: *Ego, sic consentiente Pontifice*, idest Leone Papa X. *ordinavi, quod Canonici S. Petri non amplius dimitterent illam columbam ex alto ad Altare, quando cantatur Versus ille*, Veni Sancte Spiritus, *quia actus ille sapit idolatriam, & est ruditer factus per Romanos rudes, & derisorios, & sic hoc anno dimissus.* Viguit autem & hic ritus in aliis Ecclesiis etiam longe post annum MDXXI. teste Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXVIII. Num. XVII. ubi inter alia ait, *se legisse in Vita S. Francisci Salesii, columbam hoc modo in Festo Pentecostes immissam, super humerum S. Præsulis requievisse.*

§. II.

De Feriis secunda, & tertia post Pentecostes.

Feriis secunda, & tertia post Pentecosten, nihil fit in Capella hodie, quamvis tempore Pii, & Pauli II. & aliorum superiorum Pontificum consuetum fuerit celebrari, sicut in secunda, & tertia Feria in Paschate.

COMMENTARIUS.

I. IDem quod in hoc §. edicitur, docet etiam Grassus in suo Romano Ordine, Cap. XI. ubi ita inquit: *In diebus Lunæ, & Martis post Pentecosten non fiunt Missæ Papales in Capella, nec alibi ordinarie, nisi forte Papa eat ad Ecclesiam Sancti Spiritus Missam auditurus, quæ cantatur per Prælatum de Curia.* Porro non omittendum, quod in suo Romano Ordine XV. notat Amelius, Capite XCV. ubi hæc habet: *Sciendum, per totam istam Octavam quod utimur paramentis rubeis etiam die Mercurii, Veneris, & Sabbato in Missis, quantumcumque faciamus de Temporibus. Ipsa igitur die Sabbati, si Papa celebret basse, & secrete Missam suam, antequam faciat Confessionem, & antequam Planetam recipiat, super cornu Altaris legit omnes illas Lectiones cum Letaniis, prout in Missali Romano continentur; quibus lectis, induit Planetam, & facit Confessionem more solito, & dicit*, Gloria &c.

CAPUT XIII.

De Vigilia, & Festo Sanctissimæ Trinitatis.

In Vigilia Sanctissimæ Trinitatis fiunt Vesperæ Papales, ad quas venit Pontifex ornatus albis ornamentis. In die fit Missa Solemnis, quam celebrat Presbyter Cardinalis ornamentis albis paratus. Dicitur tantum una Oratio. Alia omnia observantur more consueto, & fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. OFficium Trinitatis, uti passim docent eruditi Scriptores de Divinis Officiis, & dierum Festorum celebratione, fieri Romæ sero cœptum est, cum de Dominica Officium antea fieret, quia Pentecostes semper caruit Octava, atque ejus Officium ter

Digitized by Google

terminatur etiamnum Sabbato ad Nonam, neque amplius de hoc Mysterio agitur ad Vesperas. Quis Festum diem Trinitatis, hujusque Officium primus Auctor instituerit, non est ita facile definire. Erat tamen in usu Seculo XI. nam Synodus Salenguſtadiensis celebrata anno Christi MXXII. Can. X. damnavit superstitionem maxime nonnullarum mulierculara m, quæ quotidie optabant, ut sibi legeretur initium Evangelii S. Joannis, vel Sacrum Trinitatis, aut Sancti Michaelis fieret. Edixit Concilium, nequis hæc faceret, neque Missæ aliis, quam statis diebus celebrarentur, nisi quandoque, si de Trinitate agamus, propter veræ pietatis studium, sublatis sortilegiorum, & nugarum deliriis. Plurima quæ sciantur digna Canon X. prædicti Concilii complectitur, sed offerenda primum sunt ejus verba: *Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium*, In principio erat Verbum, *& Missas peculiares, hoc est, de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaele. Et ideo sancitum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis Fidelium audire velit pro reverentia Sanctæ Trinitatis, non pro aliqua divinationes & si voluerit, ut sibi Missæ cantentur, de eodem die audiant Missas, vel pro salute vivorum, aut pro Defunctis.* Jam plura sunt, quæ in recitatum Canonem observentur notata ab erudito Thomassino, Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. XVIII. Num. IX. Nam I. instituta tunc erant Solemnia Trinitatis, cujus Missa memoratur. II adeo tunc ipsa Solemnia coli solebant, ut quidam nihil antiquius habuerint, quam Trinitatis Missæ quotidie interesse. III. tametsi laudatum Concilium minime probaret Sacra votiva, quæ minime statis diebus agebantur, id tamen in Trinitatis honorem licere censuit. IV. demum discrimen Sacrorum optime constitutum est; siquidem Sacrificia quævis Trinitati offeruntur, eique cultus continenter exhibendus est.

II. Porro Micrologus, qui & Sæculo XI. claruisse dicitur, in suo Libro, *De Ecclesiasticis observationibus*, Cap. LX. plura maximi momenti in hanc rem retexit. Nam I. non probat hæc Solemnia celebrari octavo Pentecostes die II. Stephano cuidam Leodiensi adjudicat preces Canonicas tam Trinitatis, quam Inventionis S. Stephani, ab Ecclesia tamen Romana rejectas. III. diserte asserit, Alexandrum Papam, secundum scilicet ejus nominis, declarasse, Festum diem Trinitatis, vel Unitatis, Romæ non agi, sed quovis Dominico die, imo quovis tempore eundum coli: *Quidam Officium de Sancta Trinitate in Octava Pentecostes instituunt, licet non sit Allelujatum, quod & per totam subsequentem hebdomadam observandum putant quod non est authenticum. Nam quidam Leodiensis Stephanus idem Officium, sicut & historiam de Inventione S. Stephani composuisse asseritur, quæ utraque ab Apostolica Sede respuuntur. Unde piæ memoriæ Alexander Papa de hac re inquisitus respondit, juxta Romanum Ordinem, nullum diem specialiter adscribi Solemnitati Sanctæ Trinitatis, sicut nec Sanctæ Unitatis, præcipue cum in omni Dominica, imo quotidie utriusque memoria celebretur.* Hinc obortæ contentiones illæ de octavo die Pentecostes. Consilium enim Bernonis Augiensis Abbatis, qui Libris editis accerrime pro eo Pentecostes die octavo celebrando pugnavit, videtur fuisse, ne SS. Trinitatis Solemnia a Micrologo quoque exagitata inveherentur.

III. Rursus tradit Micrologus, celeberrimum Alcuinum Caroli Magni Imperatoris Magistrum hortatu S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, ut Sacerdotes nempe recentium Christianorum in Ecclesiæ ritibus parum versati, & Libris Ecclesiasticis carentes, quotidie Sacrum facere possent, conscripsisse Liturgiam Trinitatis celebrandam primo hebdomadæ die, Sapientiæ altero, Sancti Spiritus tertio, Charitatis quarto, Angelorum quinto, Crucis sexto, & Deiparæ postremo: *Sciendum autem, Albinum Magistrum Caroli Imperatoris, rogatu S. Bonifacii Episcopi, ut ajunt, Missales Orationes de Sancta Trinitate composuisse, & in secunda Feria de Sapientia, in tertia de Spiritu Sancto, in quarta de Charitate, in quinta de Angelis, in sexta de Cruce, in Sabbato de S. Maria. Et hoc ideo, ut Presbyteri temporis illius nuper ad fidem conversi, nondum Ecclesiasticis Officiis instructi, nondum etiam Librorum copia præditi, vel aliquid haberent, cum quo Officium suum qualibet die possent explere.* Si hæc vera sunt, jam Seculo VIII. quo Alcuinus claruit, erat in usu Missa Sanctæ Trinitatis ab ipso Alcuino composita. Sed nec desunt, qui Præfationem hujus Missæ Pelagio II. Papæ adscribunt, autumantque iccirco, jam longe ante Sæculum VIII. celebrari consuevisse S. Trinitatis Missam; verum, ut notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Capite LXXX Præfatio ipsa non erat dicenda ad Missam; erat enim expositio Catholicæ Fidei contra hæreticos, quam, abjurantes hæresim, & Ecclesiam ingredientes profiteri jubebantur.

IV. Quidquid sit, negari non potest, quin nonnulli arbitrati sint etiam post annum millesimum, minus rite peragi Trinitatis Solemnia, ne cetera scilicet minime viderentur eodem spectare, quod cuncta instituta sint, ut variis Festis diebus, & Ritibus Trinitas eadem coleretur. Cuncta hæc Litteris suis complexus est Seculo XI. Alexander Papa II. Ut enim ipse ait in ipsis Litteris relatis in Capite, *Quoniam, De Feriis*, Solemnia hæc non uniusmodi ubique fuerunt. Observabantur a quibusdam Ecclesiis die octavo Pentecostes, ab aliis Dominico die, qui Adventum antevertit, sed ab Urbis Ecclesia minime agebantur, quæ Trinitatis Laudibus continenter vacabat, Psalmis, Precibus, Sacrificiis: *Præterea Festivitas Sanctæ Trinitatis secundum consuetudines diversarum Ecclesiarum a quibusdam consuevit in Octavis Pentecostes, ab aliis Dominica prima ante Adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter Festivitatem, quum singulis diebus*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, *& cetera similiter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.* Non inficiatur Alexander, Trinitatem Romæ celebrari, additis maxime cuilibet Psalmo brevioribus illis Laudibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed uno quodam statoque die ejus Celebritatem agi, id vero

Digitized by Google

vero pernegat. Sane recitatum Decretum, quod sub nomine Alexandri III. Papæ citatur in Capite, *Quoniam, De Feriis*, esse quidem Alexandri Papæ II. constat ex Micrologi testimonio, qui ante Alexandrum III. vixit; eo enim Decreto utitur Micrologus ad improbandam Festi Trinitatis institutionem, quam etiam damnat Bernо Abbas Augiensis in Libro, de quibusdam ritibus Missæ, Cap. III.

V. Teste Durando, qui claruit labente Seculo XIII. & ineunte etiam XIV. Libro VI. sui Rationalis Cap. CXIV. jam nec adhuc ubique recepta erat Celebritas Trinitatis, fateturque Thomassinus, Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. XVIII. Num. XIII. introductam illam fuisse in Ecclesiam Romanam Joanne XXII. Pontifice, quum vocata Summa Pisana, verbo, *Feria*, §. III. ab eo consignatam dicat fuisse Dominico die. Gerson quoque in Tractatu, *De visitatione Prælatorum*, ait, observari oportere, ut non ita pridem Antistes Maximus constituerat *de Festo Trinitatis solemnizando, prout Papa noviter instituit*. Hinc non mirum, si in Ordinibus Romanis, etiam iis, qui scripti putantur ineunte Sæculo XIV. qualis est Ordo Romanus XIV. nulla de eo Festo mentio, de quo tamen fuse agit Romanus Ordo XV. Auctore Petro Amelio, qui claruit labente Seculo XIV. Is itaque Auctor, Cap. XCVI. quod inscriptum est, *De Festo Sanctissimæ Trinitatis*, hæc habet: *In die Sanctæ Trinitatis, quod est in Octavis Pentecostes, utimur paramentis albis. Sermo, & Missa mandantur. Habet Vesperas præcedentes, non tamen mandatas; licet Cardinales sint induti in albis, & Papa cum Pluviali rubeo de samito, & aurifrisiata Mitra Consistoriali*. Porro licet Romana Ecclesia totos ducentos, vel trecentos annos neutri parti accesserit, sed coli celebritatem ipsam Trinitatis ab Ecclesiis, & Cœnobiis plurimis permiserit, ex quo tamen eandem admisit ipsa, eam ritu peculiari celebravit, uti constat ex eodem Romano Ordine XV. Cap. XCVII. in quo ita legimus: *In Matutinis Papa de sero cum suis Prælatis consuevit audire, & alia facere, prout in aliis. Quod si Dominus Papa celebret illa die, servit sibi in Officio Capellani prior Episcoporum Cardinalium*. Ad Missam quod attinet, ita mox de eadem subjicit idem Ordo Romanus: *In Missa non fit Commemoratio de Dominica, quamvis in primis Vesperis, & Matutinis fiat nona Lectio, & ad benedictionem Commemoratio, & in secundis Vesperis &c.*

VI. Agit de ipsa Vigilia Trinitatis, & Vesperis, ac Missa Cæremoniale ms. Brunonis Joannis Davantriæ, ubi ita ad rem nostram inquit: *In Festo Sanctæ Trinitatis, quod est in Octavis Pentecostes, utitur paramentis albis, & si Dominus Papa celebrat illa die, servit sibi in Officio Capellani prior Cardinalium, nec in Missa dicti Festi fit Commemoratio de Dominica, quamvis in Matutinis, & Vesperis de ipsa Dominica fiat Commemoratio*. Recenset mox ritum servatum in eo Festo a pseudopapa Benedicto XIII. sive potius Petro de Luna, sic inquiens: *In Vigilia Sanctæ Trinitatis Dominus Benedictus Papa XIII. in Panisculo indutus Mantello de scarletto cum Capucio in primis Vesperis fuit in Capella, & cum eo Domini Cardinales, & Dominus Camerarius indutus Pluviali albo, & Mitra pretiosa incœpit Vesperas, & dixit primam Antiphonam, & principium Hymni, Antiphonam ad* Magnificat, *& Orationem; in die vero fecit solemniter Officium Missæ, & fecit Sermonem Magister Palatii*. Ex quo introducta fuit in Pontificia Capella Solemnitas Trinitatis, iutroductus fuit & Sermo in Missa, ejusque ritus meminit etiam laudatus Ordo Romanus XV. citato Capite XCVII. ubi postquam dixit, *anno Domini MCCCXII.* legendum vero MCCCXC. *Pontificatus Domini Bonifacii VIII.* legendum IX. *in die Sanctæ Trinitatis celebrasse coram eo in Capella magna*, Cosmum scilicet Cardinalem Bononiensem, ut notat ibidem Mabillonius, *quia Papa erat minus bene dispositus*; statim addit, habitum tunc fuisse Sermonem. Porro Sermonis habiti hac die in Capella Pontificia inter Missarum Solemnia, mentionem passim faciunt mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, sed notandum tamen illud, quod statuit olim, anno scilicet MCCXXX. Generale Capitulum Cisterciensium, uti legitur Tomo IV. Annalium Cisterciensium pag. 412, ut nimirum *Solemnitas Sanctæ Trinitatis cum tribus lampadibus semper fiat, & Abbas celebret in Conventu, sed Sermonem in Capitulo propter materiæ difficultatem fieri non oportet*.

VII. Unum restat, quod adnotemus, præscribi nempe in nostro Cæremoniali, ut in hac die una tantum Oratio dicatur, de Festo scilicet Trinitatis, omissa illa de Dominica I. post Pentecosten. Atque hic est ritus, cujus passim meminit in suo ms. Diario Burchardus, ac præsertim ad annum MCDLXXVI. ubi etiam refert, quod cum finita Missa Cardinalis S. Marci ei dixisset, *quod de Dominica debuit fieri Commeratio in Vesperis, & in Missa*, se eidem respondisse, *illam de expresso mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ*, nempe Innocentii VIII. *fuisse omissam*. Juxta Missalis Rubricas fit hodie Commemoratio de ipsa Dominica.

CAPUT XIV.

De Vigilia Corporis Christi.

I. QUamquam multis retro seculis, uti scitissime post S. Thomam in Opusculo LVII. & alios passim Scriptores notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LXXXI. Sanctissimi Sacramenti institutio in Officio celebrata fuerit, & potissimum in Missa Feriæ V. in Cœna Domini, cum tamen Ecclesia die illa occupata sit in Passione Domini, in reconciliatione Pœnitentium, in Sanctorum Oleorum consecratione, ac in aliis Sacris functionibus, de quibus supra suo loco diximus, ut tam augusto Mysterio ulterior, ac præcipuus cultus tribueretur, Urbanus Papa IV. diem illi proprium, ac

Digitized by Google

ac peculiare Festum consecrandum censuit, decrevitque anno MCCLXVI. ut eadem Solemnitate qua primæ Classis Festa, ubique terrarum celebraretur, Feria nempe V. post Octavam Pentecostes, sive post Festum Sanctissimæ Trinitatis, quæ prima erat Feria V. Officiis Paschalis temporis vacua: *Etsi in die Cœnæ quando Sacramentum prædictum noscitur institutum, inter Missarum Solemnia de Institutione ipsius specialis mentio habeatur, totum tamen residuum ejusdem diei Officium ad Christi Passionem pertinet, circa cujus venerationem Ecclesia illo tempore occupatur*. Verba sunt Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis in laudato Opusculo LVII. ubi ita deinde subjicit: *Ut autem integro celebritatis Officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs Fidilium, Romanus Pontifex Urbanus IV. hujus Sacramenti devotione affectus, pie statuit, præfatæ institutionis memoriam prima quinta Feria post Octavas Pentecostes a cunctis Fidelibus celebrari, ut qui per totum anni curriculum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda Discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus Mysteria Sacramenti; nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequentari*.

II. Plura de hoc Festo, ejusque instituendi variis causis tradunt inter alios Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap XXV. & Edmundus Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* ubi recte animadvertit, tria præsertim in Solemnitate Festi Corporis Christi commendari, nempe Officium, Processionem, & Expositionem; quantum autem ad Officium, omnes eruditos Viros in eo consentire, ut verus, & germanus illius parens sit laudatus Angelicus Doctor S. Thomas, omnemque, vel minimum dubitandi scrupulum sublatum jam fuisse a Viro doctissimo P. Natali Alexandro, qui peculiari sua Dissertatione Officium ipsum vindicavit Angelico ipsi S. Doctori, qui illud, jubente Urbano IV. Pontifice, composuit tanta pietate, tantaque Divini Spiritus unctione refertum, ut illud mox omnes Ecclesiæ Occidentales sibi decantandum, persolvendumque ultro susceperint. Atque hæc jam alias a nobis notata Tomo II. Commentariorum in Librum II. Cæremonialis Episcoporum, Capite XXXIII. præmittere etiam placuit hoc loco, ut Tirones, qui hoc nostrum novum Opus legerint, sciant Festi, & Officii Sacratissimi Corporis Christi originem. Dicetur vero de Processione, ejusque origine, ac variis ritibus suo loco inferius.

§. I.

De Vesperis Festi Corporis Christi, & quibusdam ordinationibus pro solemni sequentis diei Processione.

In Vigilia Corporis Christi fiunt Vesperæ Papales, ad quas venit Pontifex ornamentis albis paratus. Quibus finitis, Vicarius Papæ de mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ mandat Clero Urbis, quod in tempore adsit in Processione, & proficiscantur ante Ordines Curiæ. Mandetur etiam per Vicarium S. Petri Canonicis, & aliis Beneficiatis Ecclesiasticis Basilicæ prædictæ sub aliqua gravi pœna, quod non interrumpant, neque se immiscent Ordinibus, & Prælatis Romanæ Curiæ, sed illos præcedant, & per se, aut cum Clero Urbis Processionem faciant. Et Reverendissimus Dominus Camerarius committat Cursoribus, quod mandent Romanæ Curiæ Officialibus, quod singuli sub aliqua gravi pœna interfint Processioni hora competenti, singuli cum suis intorticiis.

COMMENTARIUS.

I. PRimus, qui ex Romanis Ordinibus Papalium Vesperarum Festi Corporis Domini mentionem fecerit, est procul dubio Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. XCVIII. ubi hæc habet: *Consueverunt Vesperæ præcedentes mandari de gratia speciali causa devotionis, & tunc Papa venit cum pulchro Pluviali, & Mitra pretiosa, & solemni. Quod si non mandentur, venit cum simplici de samito*. Tum vero mox: *Quoquo modo sit, Cardinales veniunt, & sunt parati cum paramentis albis, & inchoant Antiphonas*. Celebratas fuisse aliquando Vesperas ipsas in Pontificia Capella, absente non modo Papa, verum etiam Cardinalibus, docet nos idem memoratus Ordo Romanus XV. Cap. c. ubi sic inter alia inquit: *In die Corporis Christi in primis Vesperis non fuit prædictus Papa*, idest Bonifacius IX. *quia passus calculos, nec Cardinales, sed Patriarcha Gradensis Confessor Sanctitatis suæ in magna Capella fecit per Cantores cantare Vesperas; quibus dictis, incontinenti etiam solemniter cantaverunt Matutinas anno Domini* 1392. Consuevisse olim cantari in Capella Pontificia Matutinum hujus Festi, & quidem post Vesperas de sero, cui Papa intererat *cum Chlamyde sine Mitra*, docet idem Ordo Romanus XV. Cap. XCIX. Cæterum Patriarcha Gradensis, qui ut superius dictum est, fecit anno MCCCXCII. cantare Vesperas in magna Palatii Pontificii Capella, absente Papa, & Cardinalibus, est Auctor prædicti Ordinis XV. Romani ex Eremita Augustiniano Urbani Papæ V. Sacrista, deinde Gregorii XI. Pœnitentiarius, & Bibliothecarius, postea Senogalliensis Archiepiscopus, Archiepiscopus Tarentinus, tum Patriarcha Graden-

Digitized by Google

denſis, & Alexandrinus, atque Eccleſiæ Aquenſis Adminiſtrator, ut docet Mabillonius Tomo II. Muſei Italici in ſua ad ipſum Ordinem XV. Admonitione, pag. 443.

II. His obiter notatis, celebratas fuiſſe Veſperas ipſas ſolemni ritu a pſeodopontifice Benedicto XIII. ſive Petro de Luna in Hiſpaniis degente, docent ms. Cæremoniale Davantriæ, & ms. Codex Pierſanctianus his verbis: *Nota, quod anno Domini MCDVIII. in Vigilia Corporis Chriſti Dominus Papa Benedictus XIII. exivit ad magnam Capellam in Perpiniano cum Pluviali, & Mitra precioſa, & poſtquam Domini Cardinales receperint parumenta alba, Dominus Benedictus incœpit ſolemniter Veſperas, & primam Antiphonam, & Domini Cardinales ſubſequenter, ut moris eſt in aliis Solemnibus Veſperis; in ſecundis vero Veſperis cum Mantello, & Capucio de ſcarletto, & audivit Veſperas in parva Capella, præſentibus Dominis Cardinalibus.* Ita laudati Codices.

III. Porro his, quæ in noſtro Capite edicuntur, concinit paſſim Burchardus in ſuo ms. Diario. Paris de Graſſis in ſuo Romano Ordine, Cap. XI. apud Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, pag. 607. hæc habet: *In Vigilia Corporis Chriſti fiunt Veſperæ in Capella, ad quas Pontifex cum paramentis albis, & Cardinales cum Cappis rubeis accedunt.* Loquitur mox de alio ritu, quem hic adnotare cenſuimus: *Poſt Veſperas*, inquit, *Cardinales parari faciunt vias Proceſſionis craſtinæ cum aulæis, prout unicuique aſſignata eſt menſura viæ parandæ.* Idem notavit in ſuo ms. Diario, cujus loca non eſt opus hic recenſere, ſicut nec alia Apoſtolicorum Cæremoniariorum ſequioris ævi, quippequi ubi de Veſperis hujus Feſti loquuntur, celebratas ipſas fuiſſe ajunt, ut in hoc noſtro Cæremoniali præſcriptum eſt.

CAPUT XV.

De Feſto Corporis Chriſti, Papa præſente.

§. I.

De Proceſſione.

In die, ſummo mane Sacriſta paret Sacramentum in Tabernaculo decenti ſuper Altare Capellæ. Fererii etiam portent baldachinum in loco congruo; intorticia ſingulis Scutiferis Papæ portanda dentur ante Sacramentum. Deinde hora competenti Cardinales, & Prælati omnes in locis ſuis capiunt paramenta alba ordini ſuo convenientia, ut alias. Et Pontifex acceptis paramentis albis in Camera papagalli, vadit ad Capellam, ubi eſt Sacramentum; ante Altare, depoſita Mitra, genuflexus orat, tum ſurgit, & ſtans ſine Mitra, miniſtrante priore Presbyterorum Cardinalium naviculam, imponit incenſum in duo thuribula; deinde genuflexus cum uno ex thuribulis prædictis incenſat Sacramentum, ter illi thuribulum ducens. Quo facto, imponitur collo Pontificis mappa ſericea per Cardinalem aſſiſtentem. Deinde porrigitur Sacramentum ipſum Pontifici per Diaconum a dextris aſſiſtentem Pontifici adhuc genuflexo. Qui, accepto Sacramento, ſurgit, & ſine Mitra illud portat aliquantulum; tum accepto bireto deſcendat ſub baldachino. Cardinalis celebraturus interea tempore congruo vadit ad Eccleſiam, ubi eſt celebraturus, & ibi capit paramenta ordine conſueto. Cum Papa deſcenderit per ſcalas Palatii, accipit Mitram, quam retinet per totam Proceſſionem, quæ per priorem Diaconorum Cardinalium in prima porta Palatii interim ordinetur, & per Vicecamerarium conſervetur ordo a priore Diaconorum datus; non enim ad Camerarium, ſed ad priorem prædictum ſpectat ordinare Proceſsiones Papales tam equeſtres, quam pedeſtres, quamvis a paucis annis citra Camerarii aſſumpſerint ſibi hoc onus. In primis præcedent Officiales Romanæ Curiæ inferiores, ſeu minores, gradatim, deinde majores hoc ordine. Collectores plumbi, Sollicitatores Litterarum Apoſtolicarum, Notarii Auditorum Rotæ, Procuratores Pœnitentiariæ, Procuratores Contradictarum, Abbreviatores de prima viſione, de Parco minori, Scriptores Pœnitentiariæ, Scriptores Apoſtolici, Magiſtri utriuſque Regiſtri, Abbreviatores de Parco majori, Bullatores, Magiſtri plumbi, Procuratores Ordinum, Procuratores Principum, & Barones, Cantores, Acolythi ſine cereis, Clerici Cameræ, Auditores Rotæ, quinque Acolythi cum candelabris, Subdiaconi, quorum unus inter duos medius Crucem portet, Pœnitentiarii, Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Oratores Prælati parati, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi Cardinales; duo Diaconi Cardinales Pontifici aſſiſtentes, ſi Papa portatur in Sede, ſi vero Papa ſuis pedibus incedit, Diaconi hinc inde portant fimbrias Pluvialis, & Scutiferi Papæ ſinguli ſingula in-

Digitized by Google

torticia portantes. Duo Acolythi cum candelabris, duo alii Acolythi cum thuribulis continue incensantes ante Sacramentum, & unus alius Acolythus qui naviculam portat cum thure, quod, cum opus sit, imponit thuribulo. Papa sub baldachino, Auditor de Mitra serviens medius inter duos Cubicularios secretos. Secretarius Papæ, si non est Prælatus, cum Medico Papæ. Protonotarii Prælati, siqui sunt, non parati. Generales Ordinum, quos tandem sequantur Togati omnes. Hoc ordine itur per viam rectam usque ad Castrum S. Angeli, & per aliam viam, quæ Sancta dicitur, revertitur ad Basilicam S. Petri, si sit Romæ apud S. Petrum. Si autem alibi sit Papa, ordinabit, quousque progredi placuerit, & ita servabitur. Advertendum tamen est, quod digniores Nobiles, seu Oratores laici portare debent baldachinum a principio, & dum intrat Ecclesiam in fine. Interim autem medio itinere illud portant inferiores Nobiles, qui imitari solent superiores per viam. Hæc autem Processio fit longior, & brevior, pro voluntate, & dispositione Sanctissimi Domini nostri Papæ, & aliquando pro qualitate temporis. Vidi aliquando tempore pluvioso, quod ex Palatio tantum descendimus ad Ecclesiam S. Petri; & si Pontifex est debilis pedibus, portatur in Sede, & portat Sacramentum.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam de solemni hujus die Processione ne minimum quidem verbum reperiatur in celebri Urbani IV. Pontificis Bulla, qua Sacratissimi Corporis Christi Festivitatem instituit, sunt tamen non pauci Auctores, qui cum ipsa Festivitate institutam illam fuisse affirmant, acriterque pro hac sententia pugnat inter alios Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. xxv, multos Auctores citans, aliis aliter sentientibus, quia scilicet in citata Urbani IV. Constitutione, qui Festivitatem ipsam instituit, & apud S. Thomam in suis de ea Festivitate Opusculis nulla prorsus fit mentio Processionis. Quicquid sit de hac controversia, certe illud constat ex antiquis Ritualibus, & Conciliis ejus ævi, diu post Festi institutionem institutam fuisse Processionem. Ergo, ut etiam notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXXXI. fit mentio de ipsa Processione in Concilio Senonensi Parisiis primum habito anno MCCCXX. in Statutis Tornacensibus anni MCCCXXV. & Carnutensibus anni MCCCXXX. additque, in Gallia primum incœptas, non transisse in Italiam, Papiam scilicet, ante annum MCDIV. De ea meminere jam non tanquam recens instituta Concilia Costantiense, & Basileense, in quibus Martinus V. & Eugenius IV. iis, qui Processioni interfunt, Indulgentias concedunt. Sed & longe ante ipsos Pontifices mentionem hujus Processionis fecit Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. XCIX. ubi etiam ait, quod, *si fiunt Processiones*, in Festo scilicet Corporis Christi, *Episcopi Cardinales induuntur Pluvialibus, Presbyteri Cardinales Planetis, Diaconi Cardinales Dalmaticis*.

II. An vero statim ab initio patenter delata fuerit Eucharistia in hac Processione, dubitare quidem videtur Joannes Baptista Thiersius in singulari Tractatu, quem de Sanctissimi Altaris Sacramenti expositione inscripsit, Lib. II. Cap. IV. in eamque propendet sententiam, quæ Corpus Christi in Calice, seu vase alio absconditum, deportatum fuisse sustinet. Verum huic opinioni, uti notat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIX. Numero V *obstat antiquum Missale Monasterii Fiscamnensis ad usum Ecclesiæ Rotomagensis scriptum cujus character ad annos* MCD. (dici nunc possit ad annos CDL.) *proxime accedit, in quo ante hujus diei Missam præmittuntur ea, quæ in Processione sunt canenda, atque in prima initiali litera efformatur imago duorum Presbyterorum SS. Sacramentum in vase gestatorio omnino apertum, ut nunc fit, humeris gestantium*. Pergit Martene, idemque erui ait, *in Missali Melodunensi, in quo Feria* V. *post Festum SS. Trinitatis habetur Missa de SS. Sacramento, cui appicta est imago Sacerdotis Sacram Eucharistiam manu gestantis, sub baldachino a quatuor Viris delato, qui perinde, ac Sacerdos ipse, reliquique Clerici, nudum caput florum coronis ornatum habent*. Eodem teste Auctore, *nullum dubitandi locum relinquit Ordinarium Silvanectense ab annis circiter* 400. (nunc 450.) *manu exaratum, in quo ita legitur*: Post Primam Processiones SS. Reguli, & Frambaldi, & omnes Curati Civitatis cum suis Parrochianis, & Canonici S. Mauritii veniunt ad Ecclesiam Cathedralem. Tum fiet Processio in Cappis sericis, in qua Sacratissimum Corpus Christi *in aperto vasculo* positum defertur ab Episcopo, vel Decano, vel antiquiori Canonico reverenter.

III. Ordinem hujus Processionis describit laudatus Eveillon citato Cap. XXV. ubi Andegavensis Ecclesiæ ritus refert, quæ, ut illatam a Berengario suo quondam Archidiacono Corpori Christi Sacratissimo injuriam aliquatenus expiare posset, illiusque memoriam delere, maximam hujus diei partem in impertiendo Sacræ Eucharistiæ cultu debito, ac reverentia consumit. Ceterum Concilii demum Tridentini auctoritate, Sessione XXIII. Capite V. firmata est ipsa Processio adversus Protestantium hæreticorum calumnias, appellaturque Jesu Christi triumphus, quo confundendi sunt, qui augustum Altaris Sacramentum audent impugnare. Ait itaque inter alia ipsum Concilium, oportuisse *victricem veritatem de mendacio, & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in*

con

Digitized by Google

conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.

IV. At vero ut Proceſſio ipſa hac die facienda a Summo Pontifice, & Cardinalibus, rite, ac recte peragatur, & ad removendas contentiones omnes, & lites, quæ forſitan cauſa præcedentiæ oriri poſſent, & in ipſo actu maxima cum indecentia, & ſcandalo Proceſsionem ipſam turbare, varia noſtrum Cæremoniale hoc ab Auguſtino Patricio ſub quatuor Summis Pontificibus Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtro ordinatum ſtatuit in præſenti, ac præcedenti etiam Capite, quæ tamen deinde mutata nonnihil fuerunt, uti addiſcimus ex variis mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum ſequioris ævi Diariis. Sed his omiſsis, antequam nonnulla explicemus in noſtro §. contenta, audiendus Paris de Graſsis, qui in ſuo Romano Ordine Capite XI. apud Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* pag. 607. de ipſa Proceſſione hæc habet: *In die Corporis Chriſti fit ante Miſſam Proceſſio ſolemnis, ad quam Papa cum Pluviali albo pretioſo, & Mitra levi veniens portat Sacramentum ſub baldachino. Cardinales veniunt ad Palatium cum Cappis rubeis, & tam ipſi, quam Prælati paramenta, & Officiales Cottas lineas induunt in locis ſolitis. Qui omnes cum albis cereis per Servitores delatis procedunt, & in fine Proceſſionis, paramentis, & Cottis depoſitis, reaſſumptiſque in loco conſueto Cappis, & repoſito ſuper Altari S. Petri Sacramento, Miſſam ibidem celebrat Presbyter Cardinalis in paramentis albis more ſolito &c.*

V. Celebrari ipſam Proceſsionem a Summo Pontifice ſolemniſsimo ritu, ac immenſo accenſorum intorticiorum numero, docent paſsim veteres æque ac recentiores Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtri in ſuis Diariis, notumque omnibus, qui ex diſsitis locis ad Urbem ſolent tempore hujus Feſti ad eam contemplandam accedere. Tota via ornata floribus, ac frondibus eſt, parietes domorum pannis aulæis condecorati, ac Cælum jugi ſerie linteorum obumbratum ad comprimendos ſolis radios juxta formam jam pridem a Paulo Papa IV. inſtitutam, ut teſtatur in ſuo ms. Diario Franciſcus Mucantius ad annum MDLXXII. ſub die v. Junii, in quem tunc incidit Feſtum Sacratiſsimi Corporis Chriſti. Unum eſt quod in ea reprehenſione dignum merito omnes cenſent, videre ſcilicet Clerum Secularem, Regularemque ſine accenſis cereis incedentem, cum alias aliis in locis longe Roma inferioribus in ipſa Proceſsione uterque Clerus accenſos cereos geſtet. Ob eum autem abuſum, quod in dicta Papali Proceſsione Clerus ipſe ſine cereis incedit, laici homines vilis utplurimum conditionis, qui cereos ferunt accenſos, conducti ſcilicet ab iis, qui cereos ad eam Proceſſionem mittere tenentur, Clerum ipſum non ſine Ordinis Eccleſiaſtici dedecore præcedunt. Optandum itaque, ut tanto abuſui aliquid tandem remedii afferatur.

VI. Conſueviſſe olim Romæ extendi ipſam Proceſſionem uſque ad Molem Hadriani, notavimus jam Tomo II. Cæremonialis Epiſcoporum, in Commentariis ad Caput XXXIII. docentque eam rem paſſim veteres Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis Diariis, ac præſertim Graſſus in Diario Pontificatus Leonis X. Teſte Mucantio ad annum MDLXXII. ubi agit de Feſto Corporis Chriſti ſub die v. Junii, in quem eo anno Feſtum ipſum incidit, Gregorius XIII. in ipſa Proceſſione Sacramentum pedibus ſuis detulit, *nullo in loco ſubſtitit, niſi parumper in Eccleſia S. Jacobi in medio Burgi.* Ceterum invaluit mos, ut uſque ad ipſam S. Jacobi Eccleſiam Proceſſio perveniat, in qua nulla facta mora, pergit ad Vaticanam Baſilicam, ubi juxta antiquum ritum, cujus etiam meminit in ſuo Romano Ordine Paris de Graſſis citato Capite XI. ſolemnis Miſſa celebratur. Sed de hac Miſſa dicemus mox in Commentario ſequenti.

VII. Eſſe vero antiquum ritum, ut in hac Proceſſione Summus Pontifex Sede vectus Sacramentum deferret, teſtantur paſſim Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis Diariis. Abſtinuerunt nihilominus varii Pontifices, qui pedibus incedentes nudo etiam capite Sacramentum geſtarunt. Teſte Graſſo ad annum MDXIII. Leo X. licet Sede vectus detulerit Sacramentum in ſolemni Proceſsione Feſti Corporis Chriſti, detulit tamen nudo capite. Verum non ſemper hunc morem tenuit, ut enim idem Graſſus ad annum MDXXI. refert, eo quidem anno Leo ipſe *portavit Sacramentum in Sede delatus cum Mitra ſemper in capite.* Sane Pius V. ut teſtatur Surius in Commentario brevi rerum in Orbe geſtarum ad annum MDLXVI. *in Feſto Sacroſanctæ Euchariſtiæ, licet fractis eſſet viribus, & medicorum opera uteretur, attamen vere pius Pontifex non Sella pro more geſtatus, nec Corona Pontificia ornatus, ſed cum maxima populi ædificatione pedibus ingrediens illud præſtantiſſimum Corporis Chriſti voluit circumferre Sacramentum.* Pium V. imitatus ejus immediatus Succeſſor Gregorius XIII. ut ſcribit Mucantius in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXII. qui fuit primus laudati Gregorii, *indutus omnibus paramentis Pontificalibus celebravit ſummo mane Miſſam planam in Capella Sixtina aſſiſtente ſibi cum Pluviali Reverendiſsimo Domino Cardinali Morono Epiſcopo Oſtienſi, & aliis Miniſtris, qua finita, ac depoſitis Paramentis Miſſalibus, acceptoque Pluviali albo, acceſsit ad Altare, & genuflexus thurificavit Sanctiſsimum Sacramentum, mox illud reverenter accepit, ac detulit per totam Proceſsionem, incedens pedibus ſuis ſine Mitra, ſed ferens tantummodo leve biretum ex damaſco albo in capite.* Sunt & alii Pontifices, qui & hunc morem ſervarunt, noſtroque tempore ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. pedibus non niſi incedens, & nudo penitus capite, tametſi calvus eſſet, ac decrepitæ ætatis, Venerabile Sacramentum non ſine populorum admiratione in ipſa Proceſſione detulit. Ceterum teſtatur in ſuo ms. Diario Franciſcus Mucantius Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, reſolutum fuiſſe in Congregatione S. R. E. Cardinalium a Gregorio XIII. pro reformatione Cæremoniarum Pontificiæ Capellæ Deputatorum, ut Sede vectus Pontifex Sacramentum in hac Proceſsione deferret, iſtudque decretum approbatum fuiſſe a dicto Pontifice, qui ſequentibus annis juxta Cardinalium reſolutionem Sacramentum geſtavit.

Digitized by Google

§. II.

De solemni Missa post Processionem.

Cum Pontifex fuerit ante Altare, ubi Missa celebranda erit, genuflectit coram illo, & Diaconus a dextris assistens accipit reverenter Sacramentum de manu illius, & in medio Altaris in loco ad id ordinato reponit. Tum Pontifex stans sine Mitra, ministrante Priore Presbyterorum Cardinalium, imponit incensum, deinde genuflexus incensat Sacramentum. Tum surgit, & cum Celebrante facit Confessionem more solito. Cum primum Officiales, & Prælati pervenerint processionaliter ad Capellam extra cancellum Altaris majoris, depositis Superpelliceis, sine paramentis accipiunt Cappas suas, in quibus intrant Cappellam prædictam. Cardinales vero parati, & in locis suis, antequam adveniat Pontifex, depositis paramentis, accipiunt Cappas suas. Finita Confessione, Pontifex ascendit ad Solium, fitque ei reverentia a Cardinalibus, & alia fiunt more solito. Cardinalis celebrans non capit Mitram, quando incensandus erit, neque cum manus lavare debet in Altari, sed stans in cornu Epistolæ, sine Mitra illas lavet ob reverentiam Sacramenti. Dicitur tantum una Oratio. Non fit Sermo. Finita Missa, Papa dat benedictionem, & Indulgentias, quas pronunciat Celebrans. Alia omnia fiunt more consueto. Descendit deinde Pontifex de Solio, orat in Faldistorio sine Mitra, & illa reasumpta, recedit, demisso in Altari Sacramento, quod in sero Sacrista dispensat, ut decet.

COMMENTARIUS.

I. Esse antiquum Pontificiæ Capellæ ritum, ut in Festo Sanctissimi Corporis Christi Papa vel Solemne Sacrum faceret, vel ei assisteret, docet Romanus Ordo XV. Capite XCIX. sic inquiens: *In Missa utimur albis paramentis, in qua servit Papæ si celebret, Prior Episcoporum Cardinalium in officio Capellani, quod si non celebret, servit sibi Prior Presbyterorum Cardinalium*. Sed notatu dignum est, quod idem Ordo mox tradit sequenti Capite c. in fine, ubi ait, Cardinales anno MCCCXCII. *in die Corporis Christi voluisse audire magnam Missam cum Sermone in magna Capella, Papa absente, contra mores Romanæ Ecclesiæ. Cardinales enim nec in Conciliis, nec in Missis debent congregari sine licentia Papæ. Dictam Missam celebravit Cosmaius Cardinalis Bononiensis*. Cavendum subdit, ne id trahatur in consuetudinem, *quia contra statum, & honorem Romani Pontificis est*. Consuevisse olim in ipso die Corporis Christi Sermonem, & Missam mandari, notavit jam idem Romanus Ordo Capite XCVIII.

II. His notatis, esse quoque antiquum Pontificiæ Capellæ ritum, ut ante Missam fieret hac die Processio Solemnis cum Sanctissimo Sacramento delato a Pontifice Pluviali albo, & Mitra levi induto sub baldachino, testantur passim prisci Apostolici Cæremoniarii in suis mss. Diariis, unusque etiam ex iis Paris de Grassis in suo Romano Ordine, Cap. XI. sic ad rem inquit: *In die Corporis Christi fit ante Missam Processio Solemnis, ad quam Papa cum Pluviali albo pretioso, & Mitra levi veniens portat Sacramentum sub baldachino*. Tum vero inferius diserte ait, post reditum Processionis, & repositio super Altare S. Petri Sacramento, Missam ibidem celebrari per Presbyterum Cardinalem in paramentis albis more solito, sed non cantari tamen Sequentiam intra Missam, neque fieri Sermonem. Porro teste Mucantio, S. Pius Papa V morem induxit, ut summo mane Missa simplex in Capella Sixtina celebraretur, & inde solemnis ipsa fieret Processio, eumque morem sequutus Gregorius XIII. Pii V. Successor, ut idem Mucantius scribit in suo Diario ad annum MDLXXII. qui fuit primus Pontificatus laudati Gregorii, *indutus omnibus paramentis Pontificalibus celebravit summo mane Missam planam in Capella Sixtina, assistente sibi cum Pluviali Reverendissimo Domino Cardinali Morono Episcopo Ostiensi, & aliis Ministris, qua finita, & depositis paramentis Missalibus, acceptoque Pluviali albo, accessit ad Altare, & genuflexus thurificavit Sanctissimum Sacramentum, mox illud reverenter accepit, ac detulit per totam Processionem, incedens pedibus suis sine Mitra, sed ferens tantummodo leve biretum ex damasco albo in capite, nec ullo in loco substitit, nisi parumper in Ecclesia Sancti Jacobi ad medium Burgi*. Addit mox, quod alias supra diximus, totam viam ornatam fuisse floribus, ac frondibus, parietesque domorum pannis aulæis condecoratos, *ac Cælum jugi serie linteorum obumbratum ad comprimendos solis radios juxta formam jam pridem a Paulo IV. institutam*. Postquam tandem pervenit in Basilicam S. Petri Pontifex, posito Sacramento super Altare, ubi continuo Sacramentum conservatur, ipsum Pontificem, ait, genuflexum ter thurificasse Sacramentum, & dicta Oratione, cum Sanctissimo Sacramento benedictionem dedisse populo, demumque Sede vectum ad Palatium rediisse.

III. Sed hunc morem reprehendit citato loco Mucantius, sicut & illum celebrandi Missa-

Digitized by Google

ſarum Solemnia hac die poſt Proceſſionem, & ſuam opinionem profert, quam cenſuimus hic deſcribendam. Sic autem inquit: *Hæc forma celebrandi Miſſam planam in Solemnitate Feſti hujuſmodi a ſanctæ memoriæ Pio Papa V. primum introducta, numquam mihi placuit, nec placet. Nam Proceſſio adeo ſolemnis, & cum tanto apparatu ſecundum bonas, & uſitatas Cæremonias requirit, ut celebretur etiam Miſſa ſolemnis, maxime cum præcedenti die celebrentur Veſperæ ſolemnes, quibus correſpondere debet Miſſa, alias videtur perturbari ordo, & majeſtas tantæ Solemnitatis, nec videtur ex cauſa majoris commoditatis, aut evitandi aliquantulum caloris prætermittendus debitus ordo a Majoribus ſemper obſervatus eo etiam tempore, quo nondum adjunctum fuerat tegmen ad retardandum ſolis æſtum, quod a Paulo Papa IV. excogitatum fuiſſe diximus. Unde jure admodum delicatos noſtri temporis homines quis dixerit, qui tantulum moleſtiæ perferre non poſſint, ut debitus, & condignus honor Deo exhibeatur, quod & ſine caloris incommodo fieri poſſet, ſi Miſſa Solemnis albeſcente die inchoaretur ante Proceſſionem, non autem poſt illam, ut olim ſolebat, & interim Regularium, & Cleri Proceſſio dirigeretur, Officialiumque Collegia ſuo ordine diſponantur (quod requirit aliquid temporis ſpatium) & ſic Solemnitas iſta, & commode, & decenter celebraretur, prout videmus, per reliquas non ſolum Urbis, ſed diverſorum locorum Eccleſias obſervari, ut Miſſa Solemnis præcedat.*

IV. Pergit Mucantius, aitque, ita demum ſequenti anno, qui fuit MDXXIII. ſe proponente in Congregatione Cardinalium ad Cæremonias reformandas Deputatorum reſolutum fuiſſe, & ab ipſo Pontifice Gregorio XIII. approbatum. Atque hinc eſt, quod memoratus Mucantius ad annum ipſum MDLXXIII. ſub die XXI. Maji, in quem incidit Feſtum Corporis Chriſti ita ſcribit: *Miſſa fuit celebrata per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Comenſem ante Proceſſionem juxta novas reformationes, & quidem ſolemniter, licet annis præteritis introductus eſſet uſus celebrandi Miſſam ſimplicem, & planam ante Proceſſionem, præſente Pontifice, vel etiam ipſo celebrante, ſed re maturius diſcuſſa, viſum fuit inconveniens, ut tanta Solemnitas omitteretur, præſertim cum die præcedenti celebrentur Veſperæ ſolemnes, nec deceat Vigiliam celebrari ſolemnius, quam Feſtum.* Recta ſunt, quæ hic docet Mucantius, ſed variatum tamen nonnihil fuit ab iis poſt ipſum Mucantium, ut videre eſt in recentiorum Apoſtolicorum Cæremoniariorum pluribus mſs. Diariis.

V. Ad Miſsam quod attinet, mirum videri debet, quod ait in ſuo Romano Ordine Paris de Graſsis, Cap. XI. non cantari nempe Sequentiam intra Miſsam, cum alias hic idem Auctor in ſuo ms. Diario ad annum MDXIII. ubi agit de Feſto Corporis Chriſti, & Miſsa in eo celebrata, diſerte aſserat, fuiſse in Miſsa Proſam cantatam. Sed iterum mirari ſubit, quod ad annum MDXIV. ſcribit, quatuor nempe Verſus Proſæ fuiſse cantatas ad ipſam Miſsam. Certe Graſsi fuit opinio, ut Proſa ipſa, ſive Sequentia minime in hac Miſsa decantaretur; ſic enim ait ad annum MDXV. *Intra Miſſum non eſt habita Proſa, & bene.* Sed puto dicendum, *& male.* Proſa enim ipſa, ſive Sequentia, eſt nobilis pars hujus Miſsæ, ut cuique eam legenti patet, caniturque paſsim in Solemnibus, & Pontificalibus Miſsis hujus Feſti. Porro Miſsa ipſa vel juxta antiquum ritum celebrari ſolita fuit per Presbyterum Cardinalem, ejuſque ritus meminit Graſsus in ſuo Romano Ordine, Capite XI. *Repoſito*, inquit, *ſuper Altare S. Petri Sacramento, Miſſam ibidem celebrat Presbyter Cardinalis paramentis albis more ſolito.* Sed notanda præſertim ſunt, quæ idem Auctor tradit in ſuo ms. Diario Pontificatus Julii II. ubi ad annum MDIV. poſtquam dixit, *in die Corporis Chriſti*, ſummo mane inchoatam fuiſse Proceſsionem, & Papam iviſse delatum in Sede ſub Umbraculo cum Corpore Sanctiſsimi Domini noſtri Jeſu Chriſti, ita mox ſubdit: *In fine Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Bononienſis celebravit Miſſam apud Altare S. Petri cum Bulla columnæ appenſa, quia ibi nullus poteſt præter Pontificem celebrare. Igitur iſte habuit Bullam ſuper diſpenſatione &c.* Sed de hac Bulla jam nos alibi diximus, dicemuſque iterum infra Lib. III. in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *De Bulla pro celebrando ſuper Altare Sancti Petri*; prærogativa enim ſolius Papæ eſt, ut in ipſo Altari alius non celebret.

CAPUT XVI.

De Proceſſione hujus diei, Papa abſente.

Si Pontifex hujus diei Officio non intereſset, parentur omnia, ut dictum eſt. Cardinales, Prælati, & Officiales in locis ſuis in Palatio paramenta recipiunt, Celebrans vero in Capella prope Altare accipit Sandalia cum Pſalmis conſuetis, deinde Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Crucem pectoralem, Tunicellam, & Dalmaticam cum Orationibus ſolitis, & deſuper Pluviale, vel, ſi magis placet, dimiſſis Tunicella, & Dalmatica, capiat Pluviale. Hora deinde opportuna, miniſtrante Diacono Capellæ naviculam, celebraturus ponit incenſum in duo thuribula; tum genuflexus ante Altare, incenſat Sacramentum. Ordinatur deinde Proceſſio, quæ fit ordine ſupradicto. Subdiaconus Capellæ portat Crucem, ita quod Imago Crucifixi ante reſpiciat, non retro. Candelabra juxta Crucem Proceſſionis portant duo ex Capellanis Aſſiſtentis, ſimiliter & thuribula ante Sacramentum; intorticia vero

Digitized by Google

vero deferant Scutiferi Papæ . Capellanus Pluviali indutus a dextris , & Diaconus Capellæ omnibus paramentis indutus a sinistris auriphrygium Pluvialis Celebrantis elevet ; baldachinum autem digniores Nobiles , ut supra dictum est . Facta Processione , cum Celebraturus reposuerit Sacramentum super Altare , imponit incensum , ministrante Diacono Capellæ naviculam . Tum genuflexus ante ante Altare , incenset Sacramentum , deinde acceda t ad Faldistorium , ubi deposito Pluviali , accipiat Tunicellam , & Dalmaticam , si illas prius non accepit ; tum Chirothecas , Planetam , Mitram , Annulum Pontificalem . Accedit ad Confessionem , & omnia fiunt ordine supradicto . In fine Missæ Celebrans dat benedictionem sine Mitra , & publicat Indulgentias per Papam concessas .

COMMENTARIUS.

I. NOtant frequenter Apostolicarum Cæremoniarum Magistri in suis mss. Diariis , peractam in Festo Corporis Christi Processionem a Cardinalibus , Papa absente , rituque explicant in ea Processione servatos . Teste Burchardo ad annum MCDLXXXV. in Festo Corporis Christi , *Papa absente , Cardinalibus præsentibus , Reverendissimus Dominus Cardinalis Agrien fecit Officium in mane Festo Corporis Christi. Facta est Processio a Capella parva Palatii supradicti usque citra domum Episcopi Alerien versum domum Cardinalis S. Clementis, & deinde per viam Sanctam reversa ad Basilicam S. Petri, ubi prædictus Cardinalis Agrien celebravit, Papa absente, Cardinalibus præsentibus . Officiales Romanæ Curiæ incesserunt ordine superioribus annis observato . Cardinalis portavit Sacramentum ex dicta Capella usque ad Aulam capite discooperto. De Aula venit in birretto usque ad Curiam, ubi Cardinales descendere solent ex bestiis , & ascendere , & ibi accepit Mitram auri frigiatam , sub qua ivit per totam Processionem. Baldachinum portaverunt digniores Nobiles , qui Processioni interfuerunt* . Qui ritus servandus in ipsa Processione sit , absente Papa , notavit etiam Grassus in suo Romano Ordine , Cap. XI. apud Martene in Libro , *De antiqua Ecclesiæ disciplina* , pag. 607. his verbis: *Si autem Papa non intervenit , omnino Processio fit , & suprascriptus apparatus , & Cardinalis celebraturus omnibus paramentis indutus cum Pluviali sub baldachino Sacramentum portat , ut supra , Cardinalibus , Prælatisque paratis , ac Mitratis , ut supra , procedentibus , sicut Papa præsente , & Missa fit eadem. In fine Celebrans dat benedictionem sine Mitra propter Sacramentum* .

II Porro fateri cogimur , quod in nostro præsenti Capite præscriptum est de Processione, & Missa solemni hujus diei celebranda , absente Papa , recentioris esse instituti , si ea attendamus , quæ tradit Amelius in Ordine XV. Romano , Cap. c. in fine , ubi ita scribit : *In die Corporis Christi in primis Vesperis non fuit prædictus Papa* , idem Bonifacius IX. *quia passus calculos , nec Cardinales , sed Patriarcha Gradensis Confessor Sanctitatis suæ in magna Capella fecit per Cantores cantare Vesperas , quibus dictis , incontinenti etiam solemniter cantaverunt Matutinas , anno* MCCCXII. Sed notanda potissimum ad nostram rem sunt , quæ mox idem Amelius subdit : *Item Domini Cardinales* , inquit , *in die Corporis Christi voluerunt audire Missam , cum Sermone in magna Capella , Papa absente , contra mores Romanæ Ecclesiæ . Cardinales enim nec in Conciliis , nec in Missis debent congregari sine licentia Papæ . Dictam Missam celebravit Cosmaius Cardinalis Bononiensis* . Concludit demum , & ita inquit : *Caveatis , ne trahatis in consuetudinem , quia contra statum , & honorem Romani Pontificis est.* Notanda sunt ea verba , *sine licentia Papæ* , nam alias eo permittente , & in Conciliis , & in Missis congregari Cardinales possunt , docentque Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, passim Vesperas æque, ac Missas Solemnes celebratas a Cardinalibus fuisse in Pontificia Capella , absente Papa , eitque hæc res omnibus nota .

CAPUT XVII.

De Vigilia , & Festo S. Joannis Baptistæ .

In Vigilia S. Joannis Baptistæ ordinarie fiunt Vesperæ Papales , & in die Missa publica solemnis per Presbyterum Cardinalem in paramentis albis , & fit Sermo , & non dicitur , *Credo* , nisi veniat in die Dominico . Alia fiunt , ut in aliis Vesperis , & Missis solemnibus .

COMMENTARIUS.

I. CElleberrima haud dubie est Nativitatis S. Joannis Baptistæ Festivitas , toti antiquitati venerabilis , ac spitualibus gaudiis , aliis Sanctorum Festivitatibus præcellens, in qua olim tres cantabantur Missæ, ut notat Amalarius , Lib. III. Cap. XVIII. & Lib. IV. Cap. XL. & alii relati a Martene in Libro , *De antiqua Ecclesiæ disciplina* , Capite XXXI.

Digitized by Google

XXXI. ad diem XXIV. Junii. Ex his Missis prima erat de Vigilia, quæ in veteri Codice Remensi, & in Gellonensi inscribitur, *In jejunio S. Joannis Baptistæ*. Trium Missarum institutionem S. Gregorio Papæ tribuit Helgaldus Monachus Floriacensis in Vita Roberti Francorum Regis. Sed notat tamen idem Martene citato loco, in priscis Gallicanis Liturgiis a Cardinale Thomasio, & Mabillonio vulgatis unicam tantum haberi Missam, unicam etiam pro die Festo in Gelasiano Sacramentario, & in Calendario Frontonis, in quibus una quoque præmittitur Missa pro Vigilia. Sed omissis aliarum Ecclesiarum usibus, audiendus Ordo Romanus XI. Numero LXVI. ubi ritus prædictæ Vigiliæ, ac Festi Romæ servatos ita describit: *In Vigilia Sancti Joannis Baptistæ ad Matutinum Invitatorium*, Regem Præcursoris Dominum, *cum*, Venite. *Tres autem historiæ Festivitatis*, *& tres Lectiones de Sancto. Non dicitur*, Te Deum laudamus; *sed incipit Matutinas Laudes*, Deus in adjutorium meum intende. *Nunciatur una Antiphona Matutini, sub qua omnes Psalmi cantantur. Ad Primam Antiphona, & tres Psalmi, & Lectio Vigiliæ Festivitatis cum Versu, & Oratione. Vesperas facit, & Vigilias noctis in Basilica S. Joannis ad Fontes. Græci autem in Basilica Salvatoris. Missam cantat Pontifex ibi, ubi fit Statio.*

II. Ritu solemni celebrari consuevisse olim Vesperas non modo, sed & Matutinum nocte a Pontifice cum Cardinalibus in Basilica Lateranensi, testis est Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. XLII. his verbis: *In Nativitate S. Joannis descendit Dominus Papa ad Ecclesiam Lateranensem pro Vesperis celebrandis cum Cardinalibus, & Schola Cantorum, & aliis, sicut scriptum est supra in Assumptione Beatæ Mariæ, & talem ibi exercent solemnitatem tam in Vesperis, quam de nocte, de consuetudine antiqua, qualem in prædicta Beatæ Mariæ Assumptione, hoc excepto, quod Canonici ejusdem Ecclesiæ Vigiliis Domini Papæ non interfunt.* Iterum repetit, cætera fieri omnia, *sicut in prædicto Festo Beatæ Virginis Mariæ*. Teste Romano Ordine XIV. Auctore Gajetano, Cap. XCVIII. quod est de diebus, & solemnitatibus, in quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum solemnia in propria persona celebrare, & prædicare etiam per se, vel per aliquem Cardinalem, una ex ipsis solemnitatibus recensetur Nativitas Beati Joannis Baptistæ, quæ etiam, ut idem Ordo inquit, *habet Vesperos Papales præcedentes*. Ceterum lucent & in Ordine XV. Romano, Cap. CX. antiqui ritus, ubi hæc habet: *In Nativitate Beati Joannis Baptistæ Missa, & sermo mandantur. In primis Vesperis venit Papa cum Pluviali rubeo, & Mitra Consistoriali. Cardinales veniunt cum Pluvialibus albis, & Antiphonas inchoant. De sero Dominus Papa est in Matutinis. In Missa vero Beati Joannis Baptistæ non fit aliqua Commemoratio, dato quod cadat in Dominica* (Forte legendum, ait Mabillonius, *dato quod non cadat in Dominica*) *nec dicitur*, Credo, *nisi cadat in Dominica*. Est hic plane antiquus ritus, ac præscriptus etiam in Romano Missali in Festo S. Joannis Baptistæ, ubi post Evangelium Rubrica hæc legitur: *Non dicitur*, Credo, *nisi venerit in Dominica, aut infra Octavam Corporis Christi, vel in Ecclesia propria, sed in Octava dicitur propter Octavam Apostolorum*. Sed hoc mirum videri debet ex iis quæ leguntur in Vita Urbani Papæ V. a Bosqueto edita: *Eodem anno*, scilicet MCCCLXVIII. *in die Nativitatis Beati Joannis Baptistæ dictus Urbanus Papa de consilio Cardinalium Fratrum suorum ordinavit, quod in Missa dictæ Festivitatis, & per Octavas ejusdem diceretur in antea*, Credo in Deum, *quod prius non fiebat secundum antiquas regulas; licet enim non fuerit de numero Apostolorum, non tamen reputandum est, ipsis fuisse minor, & sic ejus Festivitas in hoc non debet minus honorari*.

III. Juxta prædictum Romanum Ordinem XV. Cap. c. quod est de Festivitatibus, quæ veniunt infra Octavas Corporis Christi, *Si Festum S. Joannis Baptistæ in die Festi Corporis Christi venerit, nihil fit de eo, sed in crastinum celebratur, & Octavæ B. Joannis Baptistæ cadentes in Octavis Corporis Christi, in crastina celebrentur*. Tum vero inferius: *Si Festum B. Joannis in die octava Corporis Christi veniat, fiat de S. Joanne cum Commemoratione de Octavis, & die Veneris celebrentur Octavæ*. Sed scite notat ad hunc locum Mabillonius, hunc ritum nostro tempore non esse in usu, nec unquam remitti Octavam in diem sequentem. Audiendus tandem idem Ordo XV. Cap. CX. qnod est de Nativitate S. Joannis Baptistæ, ubi præter illa, quæ superius descripsimus, hæc quoque habet, quæ nos & hoc loco adnotare censuimus: *Item anno Domini* MCCCLXXXIX. *Festum Beati Joannis Baptistæ venit in Octavis Corporis Christi, qua die fecimus de Sancto Joanne cum Commemoratione de Octavis in utrisque Vesperis, Matutinis, & Missa, non obstante constitutione Domini Joannis Papæ in contrarium, quam ostendunt Canonici S. Petri*.

IV. Quando tandem omissum fuerit celebrari Missam solemnem in Capella die Festo S. Joannis Baptistæ, addiscimus ex ms. Diario Mucantii, qui ad annum MDLXXIII. ita scibit: *Die Mercurii 24. Junii in die S. Joannis Baptistæ non fuit celebrata Missa solemnis in Capella, prout tempore Pii V. & jam pridem ex instituto, seu Decreto Consistoriali tempore Leonis X. fuerat ordinatum. Nam in Congregatione reformationis Cæremoniarum visum fuit Patribus eam omitti posse, quod meo judicio cum reverentia tantorum Patrum, non bene fuit resolutum, quia, ut in Cæremoniali ordinario habetur, hæc erat Missa antiqua, & solemniter celebrari solita etiam multo ante prædictum Leonem X. etiam cum Vesperis præcedentibus, & bene. Quia*, inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. *Quod & Paris animadvertit*; idest Paris de Grassis Apostolicus Cæremoniarius, qui tamen de hac Missa, ac Vesperis præcedentibus nullam facit mentionem in suo Romano Ordine, quem descripsit Martene, inseruitque Operi, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, pag. 595. & seqq. De eodem Festo loquuntur etiam alii Cæremoniarii Apostolici, quorum loca referre abstineo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De Vigilia, & Festo Apostolorum Petri & Pauli.

I. IN Ecclesia Latina, si fides habenda esset Joanni Beletho, nulla olim extiterunt Solemnia singulorum Apostolorum, sed omnium celebritas instituta fuit Calendis Maji, quum Sancti Philippus & Jacobus recoluntur. Beleth i verba in sua Divinorum Officiorum explicatione, Capite CXXIV. hæc sunt: *Quum in primitiva Ecclesia Apostoli non haberent particulares Solemnitates, statutum fuit, ut ipsis Calendis Maji celebraretur Solemnitas omnium Apostolorum. Hoc etiam die Festum est Philippi & Jacobi, idque ideo, quia forsan illo die passi sunt.* Idem censet Durandus Lib. VII. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. X. omnium videlicet Apostolorum Celebritatem institutam tandem esse Calendis Maji, ne alii ab aliis avellerentur, quando eadem amplissima dignitas omnibus communis erat; a Grecis tamen omnes simul coli Apostolos Festo die Sanctorum Petri & Pauli: *Statutum fuit, ut in Calendis Maji celebrarentur Solemnitates omnium Apostolorum, ut dies varii non viderentur dividere, quos una dignitas, & Apostolatus in Cœlesti gloria fecit esse sublimes. Quod Festum Græci celebrare dicuntur in Festo Apostolorum Petri & Pauli.*

II. Quicquid autem de Græca Ecclesia sit, non est dubium, quin, ut de aliis Apostolis fileam, ubique Sanctorum Petri & Pauli, ac Romæ præsertim primis etiam Seculis ritu solemni Celebritas ageretur. Testatur id quidem pervetustus Ecclesiæ Scriptor Prudentius, qui Hymno XII. hæc habet:

Plus solito coeunt ad gaudia, dic amice, quid sit?
Romam per omnem cursitant, ovantque.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.

Abstineo hic alia adnotare, quæ tamen inferius latius explicabo, in Commentario scilicet §. II. in quo, sicut & in aliis hujus Capitis paragraphis plura scitu digna rei Liturgicæ, ac Rituali curiosus lector inveniet.

§. I.

De Vigilia, & solemnibus in Festo Apostolorum Petri & Pauli Vesperis.

In Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, si Sanctissimus Dominus noster est in crastinum celebraturus, accipit paramenta rubri coloris consueta in Camera papagalli, & descendit ad Ecclesiam, nulla Processione præeunte; sed facta reverentia, Domini Cardinales accipiunt paramenta, & observantur omnia, prout supra in Vigilia Nativitatis Christi notatum est. Si vero non est celebraturus, accipit eadem paramenta, & fiunt Vesperæ more consueto, & antiquitus erat potus in Aula.

COMMENTARIUS.

I. PErvetustum esse Apostolorum Petri & Pauli Festum in Ecclesia præsertim Romana, ubi eodem die, ac anno Martyrio coronati fuerunt, jam diximus supra ad Rubricam Capitis præcedentis. Quod Vesperas spectat, de quibus in hoc §. agitur, Leo IV. qui claruit medio Seculo IX. testante Anastasio in ejus Vita, constituit, ut in Basilica S. Petri Vesperæ a cuncto Clero, & a Schola in die Natalis ejus psallerentur. Sane agit de Vigilia S. Petri Romanus Ordo XI. Numero LXVI. ubi etiam inquit, in ipsa Vigilia, fieri Officium ad Matutinum, sicut in Vigilia S. Joanis Baptistæ. Ad Missam mox subdit, non cantari *Alleluja propter jejunium, sed tantum Gradale.* Huic Vigiliæ consecratum fuisse jejunium, & quidem ex pervetusta Ecclesiæ disciplina, docet S. Ambrosius in Libro, *De Virginitate*, Cap. XIX. Occurrit ipsa Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Gelasiano, Gellonensique Sacramentario; eademque die duæ Missæ habentur in Sacramentario Gregoriano, una de Sancto Leone Papa, altera de ipsorum Apostolorum Vigilia. In Calendario Frontonis una Missa legitur de translatione S. Leonis, & altera de Vigilia; de eodemque ritu videri possunt, quæ congessit eruditus Georgius in suis ad Martyrologium Adonis Notis ad diem XXVIII. Junii. Ritus itaque recens est ille, cujus meminit Romanus Ordo XV. Cap. CXI. ubi ita inquit: *In Vigilia Beatorum Apostolorum Petri & Pauli facimus de S. Leone, Missa dicitur de Vigilia, cum commemoratione de S. Leone*: nempe II. ejus nominis, *prout dicit Rubrica.*

II. Quod solemnes Vesperas spectat, mentionem de iis facit Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. LXVII. *In Festivitate S. Petri conveniunt Curiales in Basilica ejusdem Apostoli cum Domino Papa, ubi cantatur Vesperum. Antiphonæ*: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; *& aliæ Antiphonæ. Ad* Magnificat: *Significavit Dominus Petro.* Agit de iisdem Vesperis Romanus Ordo XV. citato Capite CXI. iisque concinit, quæ ex antiquo ritu in hoc nostro §. notantur: *In primis Vesperis Dominus noster venit cum Pluviali rubeo pretioso, & Mitra solemni, & Cardinales cum Pluvialibus rubeis, & inchoant Antiphonas. Potus debet esse in Aula de sero.* Esse hunc antiquum ritum, docet nos Ordo Romanus XII. Cap. XLIII. ubi agens de Festivitate S. Petri, sic inter alia inquit: *Notandum vero, quod Do-*

Digitized by Google

Dominus Papa debet habere duas aquaricias clareti, & duas vini ſtatim poſt Veſperas, ut bibat cúm Cardinalibus, & aliis &c. Agit & de ipſa Vigilia, ſeu potius de Veſperis Graſſus in ſuo Romano Ordine Cap. XI. ubi etiam alia notat, quæ in hoc noſtro §. deſiderantur: *In Vigilia Apoſtolorum S. Petri, & S. Pauli*, inquit, *fiunt Veſperæ in Baſilica, ad quas Papa cum Pluviali rubeo, & Mitra pretioſis, non autem cum Tyara, & Cardinales cum Cappis rubeis accedunt. Qui, & Prælati, & Officiales, ſi Papa eſt in craſtinum celebraturus, poſt factam ſolitam reverentiam, paramenta, & Cottas veſtiunt in Baſilica, & Papa, & Cardinales cantant Antiphonas. Si autem Papæ in craſtinum non celebrabit, & hodie præſens, vel etiam abſens ſit, non portantur paramenta, ſed Veſperæ fiunt more ſolito, ſicut in Vigilia Nativitatis Chriſti. In deſcenſu Pontificis duo Curſores cum Clericis de Camera, inſtante Procuratore fiſcali, citant omnes debitores, & cenſuarios Cameræ Apoſtolicæ.*

III. Duo tandem ſunt, quæ Veſperas ipſas magis magiſque illuſtres reddunt, primum Benedictio Palliorum de qua peculiarem ritum inſtituit regnans feliciter Pontifex BENEDICTUS XIV. celebri edita de ea re Conſtitutione, quæ incipit, *Rerum Eccleſiaſticarum origines*, data pridie Idus Auguſti anno MDCCXLVIII. quamque nos integram deſcripſimus ſupra Tomo I. Titulo X. in Commentario ad §. VI. Alterum eſt præſentatio equi phalerati, quem chineam vocant, una cum annuo cenſu 7000. Ducatorum auri, quem Rex utriuſque Siciliæ quotannis in pervilegio Feſti Principis Apoſtolorum Romano Pontifici Maximo tradit tanquam vectigal pro Regno utriuſque Siciliæ, directum enim ejus Dominum ad Apoſtolicam Sedem pertinet. Fiebat olim iſta traditio poſt Miſſam hujus Feſti, ut dicemus infra in Commentario ad §. II. Fit hodie in ipſo pervigilio, & intra Vaticanæ Baſilicæ veſtibulum, cum poſt Veſperas redit Pontifex ad Aulam Paramentorum dictam; quamquam nec ſtatus iſte dies ſervatur aliquando, nec locus, ſi aliter ferat temporum conditio, & Pontificis voluntas. Ita, ut alia exempla omittam, anno MDCCXL. cum Feſtus S. Petri dies in Comitiorum Pontificiorum tempus incidiſſet (vacavit enim Sedes a die VI. Februarii, quo obiit Clemens XII. ad diem XVII. Auguſti, quo Clementi ſuffectus eſt laudatiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV.) Excellentiſſimus Dominus Fabritius Columna Magnus Comeſtabilis Regni Neapolitani, & Legatus extraordinarius Sereniſſimi Caroli Sebaſtiani Borbonii Hiſpaniarum Infantis, & utriuſque Siciliæ Regis nomine vectigal ipſum pependit VI. Idus Septembris in Templo Beatæ Mariæ de Populo, in quo ſolemni de Nativitate Deiparæ Virginis Sacro primum poſt electionem ſuam memoratus Pontifex BENEDICTUS adſtiterat.

IV. Reliquum eſt, ut paulo fuſius ritum alium antiquum ſuperius indicatum enarremus. Conſueviſſe enim Romanos Pontifices poſt Veſperas Matutinum celebrare, & ritu quidem ſolemni, docet Ordo Romanus XI. Num. LXVII. his verbis: *In primo Nocturno Vigiliæ incipit Primicerius Antiphonam*, In omnem terram exivit ſonus eorum. *Pſalmus*, Cæli enarrant; *& aliæ Antiphonæ Apoſtolorum Nocturnales cum ſuis Pſalmis. Tres Lectiones legunt Canonici de Actibus Apoſtolorum*, Petrus & Joannes aſcendebant in Templum; *& cantant tria Reſponſoria. Deinde Judices legunt duas Lectiones de Sermonibus Apoſtolorum Petri & Pauli. Sextam legit Epiſcopus. Septimam Cardinalis. Octavam Prior Baſilicarius. Nonam legit Dominus Papa de expoſitione Evangelii. Reſponſoria cantant Cantores, & Baſilicarii. Finita vero Lectione Domini Papæ, Primicerius dicit*, Te Deum, *& Papa dicit Orationem, & benedicit. Ad Matutinum Cantores cantant Invitatorium*, Regem Apoſtolorum Dominum, & Venite. *Antiphona*, Si diligis me Simon Petre. *Pſalmus*, Beatus vir; *& aliæ Antiphonæ cum ſuis Pſalmis, ſicut in Antiphonario invenitur ſcriptum. Lectiones leguntur eo ordine, quo in Vigilia, ſive in Dominicis. Tres Pſalmi cantantur, ſicut prius. Matutinæ Laudes cantantur cum Antiphona*, Petrus, & Joannes, *& reliquis Antiphonis cum Pſalmis.*

V. Teſte Durando Lib. VII. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. XV. S. Gregorius inſtituit, ut tantum Officium B. Petri ipſa die XXIX. Junii celebraretur, id quod jam ante Durandum tradiderat Joannes Belethus in ſua Divinorum Officiorum Explicatione, Cap. CXXXVIII. ob eam præſertim rationem, quia ſcilicet Petrus *major fuit dignitate, quoniam Romanæ Eccleſiæ tenuerat Primatum*. Addit tum etiam alias, quas non eſt opus referre.

§. II.

De Miſſa Solemni in ipſo Apoſtolorum Petri, & Pauli Feſto, Papa celebrante.

In die vero Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi Sanctiſſimus Dominus Noſter eſt celebraturus, ut conſuevit, cum poteſt, accipit in Camera papagalli Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Pluviale rubrum, & Mitram pretioſam, & miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, imponit incenſum. Interim Cardinales, & Prælati capiunt paramenta, & Officiales Superpellicea more ſolito, & Pontifex proceſſionaliter venit ad Eccleſiam ſub baldachino eo ordine, ut ſupra in Miſſa majori Nativitatis Chriſti eſt notatum. In Miſſa etiam obſervantur omnia, quæ ibidem ſunt ordinata. Poſt Miſſam Pontifex, data in Altari benedictione, & Indulgentiis per

Digitized by Google

Cardinalem assistentem publicatis, dimisso in Altari Pallio, redit ad Cameram non processionaliter, sed sine baldachino, more consueto, & etiam non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. SI veterem Romanæ Ecclesiæ ritum spectemus, tertio Calendas Julii, sive die XXIX. Junii, tres olim Missæ celebrabantur, totidem enim in pervetusto Gelasii Sacramentario leguntur Missæ. Prima inscribitur: *In Natali S. Petri proprie*. Secunda: *In Natali Apostolorum Petri & Pauli*. Tertia vero: *In Natali S Petri proprie*. Easdem continet Codex ms. Bibliothecæ Regis Francorum, & Noviomensis annorum circiter CM. ut notat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina* Cap. XXXII. *De Festis Aprilis, Maji, & Junii*, pag. 570. cum tamen unicam hac die habeat Sacramentarium S. Gregorii, *In Natale Apostolorum Petri, & Pauli*, inscriptam; alteram vero sequenti die, *In Natali S. Pauli*; cui favet Codex Gellonensis, aliique Missales Libri non pauci. Contat tamen, ut idem Martene observat, Summum Pontificem olim duas in Festo S. Petri Missas celebrasse, primam in S. Petri Basilica, secundam ad S. Paulum, probatque ex celebri Prudentii testimonio, qui XII. Hymno *Peristephanon*, Carmine LXIVI, ita inquit:

Ibimus ulterius qua fert via pontis Hadriani
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtyberina prius solvit Sacra pervigil Sacerdos.
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Quin & S. Ambrosii Hymnus ad hunc diem præsertim compositus innuere videtur, concursu populi Romani tres in Festo S. Petri Ecclesias frequentatas fuisse. Sic enim ait:

Tactæ per Urbis ambitum
Stipata tendunt agmina.
Trinis celebratur viis
Festum Sanctorum Martyrum.

II. Plura in hanc rem notavit quidem Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum; sed sciendum illud potissimum est, quod cum propter locorum distantiam Summi Pontifices in prædictis duabus Basilicis eodem die non sine gravi labore Sacris operari possent, consultius visum est, ut tertio Calendas Julii tam Petri, quam Pauli Solemnitas ageretur, sequenti vedie S. Pauli Commeratio ageretur. Id S. Gregorii institutioni tribuit Micrologus Cap. LXII. Porro contendit Thomassinus Lib. II. *De Festis*, Cap. XXIII. unicum olim celebratum fuisse omnium Apostolorum Festum, sed ex hactenus dictis perspicue liquet, peculiari die celebratum fuisse Apostolorum Principis Festum, id quod pluribus probat eruditus Georgius in suis ad Martyrologium Adonis Notis ad diem XXIX. Junii pag. 305. & seqq.

III. Sequioribus Sæculis celebrare consuevisse hac die Summos Pontifices solemnissimo ritu Missarum Solemnia, in iisque etiam Concionem habere, tradit inter alios Ordo Romanus XIV. Cap. XCVIII. quod est de diebus, & Solemnitatibus, in quibus ipsi consueverunt in propria persona Missarum Solemnia celebrare, & prædicare. Ordo Romanus XV. Cap. CXI. paucis multa nos docet, ubi ita inquit *In Missa tantum dicitur una Oratio. Tertia cantatur, & sunt septem candelabra. Omnia alia fiant, prout in aliis. Prior Episcoporum Cardinalium servit Papæ in Missa.* Sed audiamus Paridem Grassum, qui in suo Romano Ordine, Cap. XI. alia notavit, dum ita scribit: *In die Apostolorum S. Petri, & S. Pauli fit Missa in Basilica*, Vaticana scilicet, *ad quam, si Papa est celebraturus, venit cum Pluviali rubeo, & Thyara sub baldachino processionaliter cum Cardinalibus, & Prælatis paratis, & Mitratis, in omnibus, & per omnia, sicut in die Natalis Christi, nisi quod hodie, finita Missa, Rex Siciliæ pro censu ordinario equum nobilem, quem vocant chineam, phalleratum offert Pontifici in Palatium revertenti.* Solet hodieque offerri hic equus nobilissima equitatione, sed tamen post Vesperas præcedentes, & quidem intra Basilicam, qui tamen ritus recens est, nam alias, ut ex recitato Grassi testimonio liquet, præsentari consuevit Pontifici post Missam ad Palatium revertenti.

IV. Id sane tradit idem Gratius in suo ms. Diario passim, ubi agit de Festo S. Petri. Ejus verba ad annum MDXIII. qui fuit primus Pontificatus Leonis X. hæc sunt: *Exeunti Papæ de Basilica Orator Hispanus præsentavit pulchrum equum album, quem chineam vocant, cum solita Oratione, & Papa respondit simpliciter*, Acceptamus, *& non aliud. Quod videns Orator Gallus replicavit petens a Papa ut saltem acceptaret sine præjudicio aliorum habentium interesse, & Papa iterum dixit*, Acceptamus. *Unde inter Oratores Gallum, & Hispanum fuerunt aliquæ verbales rixæ cum risu multorum*. Ejusdem rei meminit quoque ad annum MDXIV. ubi ita inquit: *Redeunti Papæ Orator Hispaniarum nomine Regis sui pro Regno Siciliæ citra Pharum obtulit censum solitum, idest, equum phaleratum, quem Papa recepit dicens*, Accipimus libenter, & commendamus fidem carissimi in Christo Filii Regis Siciliæ. *Orator Regis Franciæ, qui solitus erat semper protestari, non est auditus aliquid dicere*. Rursus ad annum MDXVII. sic eandem rem narrat: *Equum phaleratum præsentavit Orator Hispaniæ Episcopus in forma, & Papa, qui prius fuerat informatus ab Advocato Fiscali, ut reciperet illum*, sine præjudicio Ecclesiæ, & nostro; *risit, dicens, Advocatum nihil intelligere, quoniam cum ipsemet Papa investiverit Regem Hispaniarum, & nullum haberet contradictorem, non debet dicere, nisi simpliciter, videlicet*: Admittimus grato animo, *prout dixit, & admisit, de quo facto rogatus Dominus Donatus Cameræ*. Eodem tandem teste Grasso ad annum MDXX. *post Missam Orator Imperatoris tanquam Regis Siciliæ præsentavit chineam, quam Papa acceptavit libenter, commendans carissimum Filium &c.* Erat hic Carolus V.

V. Cæterum, ut idem Scriptor nos docet, anno

Digitized by Google

anno MDXXI. qui fuit postremus Pontificatus Papæ Leonis X, antequam Pontifex introiret Basilicam, ut assisteret Solemni Missæ, quam eo anno celebravit Cardinalis Fliscus, exhibita fuit Pontifici ipsi chinea cum censu 7000. aureorum, ac aliis etiam, quorum idem Grassius meminit sic inquiens: *In die vero*, Festo scilicet die Apostolorum Petri & Pauli, *Cardinalis de Fliſco celebravit, Papa præsente, qui priusquam Ecclesiam intraret, recepit equum, sive chineam ab Oratore electi Imperatoris tanquam Regis Siciliæ, & Neapolitani, & cum chinea etiam censum 7. m. ducatorum auri, ac etiam tractam grani ex Sicilia, ac etiam duas quinqueremes, sive galeas bene armatas; quo facto, Papa ingressus Basilicam, facta est Missa solita.* Veteri itaque ritu solebat extra Basilicam recipi a Pontifice equus, sive chinea, quam tamen licet sequioris ævi, ac nostri etiam temporis Pontifices intra ipsam Basilicam recipere soliti sint, noluit tamen Benedictus XIII. huic mori adhærere, sed extra vestibulum Templi recipiebat, uti nos testes sumus, qui hujusmodi receptioni non semel adfuimus. Solemnem equitationis pompam, qua ex ritu recentiori chinea ipsa in pervigilio Festi Principis Apostolorum post decantatas Solemnes Vesperas ad Vaticanam Basilicam deferri solet, & Pontifici præsentari, legere est in Actis quinque Sanctorum solemni ritu peractæ a regnante Pontifice BENEDICTO XIV. pag. 476. & seq.

VI. Reliquum est, ut nos aliquid demum hoc loco dicamus de antiquo ritu, quo post Festum S. Petri celebrabatur olim Romæ a Pontifice S. Pauli Festum, & quidem in ejusdem Apostoli Basilica ex traditis in Ordine Romano XI Auctore Benedicto, Num. LXIX. his verbis: *In Festivitate S. Pauli vadit Pontifex illuc cum omnibus Scholis, facit Vesperas, & habet cum omnibus cœnam de Ecclesia. Perfecta cœna, intrat ad Vigilias. Monachi Ecclesiæ legunt tres Lectiones*, Saulus adhuc spirans minarum. *Cantant tria Responsoria. Pro unoquoque Responsorio accipiunt ab Archidiacono* XI. *denarios de decem & octo denariis, quos Archidiaconus acceperat ab eis. Post Responsorium in quarta Lectione, surgit Dominus Pontifex, & intrat ad Arcam Altaris S. Pauli, ubi est foramen in fundo Arcæ super Corpus Apostoli. Discooperto eo, mittit manum deorsum, & apprehendit thuribulum in unco plenum carbonibus, & incenso, & trahit foras. Incensum, & carbones dat Archidiacono. Archidiaconus autem dat per populum, hac ratione, ut quicumque febricitans devote in fide Apostoli ex his biberit, sanetur. Iterum replet thuribulum de carbonibus, & ponit super eos candelam vitream plenam incenso, accendit carbones, & candela incipit bullire, & reponit thuribulum in prælibato unco, & cooperitur foramen Arcæ a Pontifice super Corpus ejus. In quarta Lectione annualiter, sicut in Vigiliis S. Pauli, duas Lectiones legunt Episcopi, duas Cardinales, octavam Subdiaconus, nonam Pontifex; reliqua quinque Responsoria cantant Cantores, & Basilicarii, & accipiunt ab Archidiacono xviij. denarios. Aliud Officium efficitur, sicut mos est. Mane Pontifex celeberrime cantat Missam, & Scholæ accipiunt ab Ecclesia pro beneficio Festivitatis* IV. *solidos de monetis.*

VII. Multa jam essent observanda in hunc locum, quæ diligens studiosus veterum Romanæ Ecclesiæ rituum investigabit, neque enim tantum otii nobis, nt omnia, quæ ad illustrandum hoc Cæremoniale afferimus, explicemus. Satis factum putamus recensuisse veterem ritum Romæ observatum in S. Pauli Festo, cujus jam nullum vestigium supereſt. Cæterum labente Sæculo XIII. in Commemoratione S. Pauli celebrare consuevisse Summos Pontifices Missarum Solemnia in propria persona, docet Romanus Ordo XIV. Cap. XCVIII. ubi etiam ait, prædicari non modo in ipsa Commemoratione, sed haberi etiam *Vesperas Papales præcedentes Solemnes*. In Ordine Romano XV. de hac S. Pauli Commemoratione habetur peculiaris mentio. Porro, ut huic tandem Commentario finem imponam, BENEDICTUS XIV. regnans feliciter Pontifex ad majorem Festi Apostolorum Petri & Pauli celebritatem peculiari Constitutione, quæ incipit, *Admirabilis Sapientiæ Dei Sublimitas*, edita anno MDCCLXIII. tertio Calendas Aprilis, Octiduum ipsorum Apostolorum solemniori celebritate recolendum singulis ejusdem diebus in selectis Ecclesiis aliqua eorundem Apostolorum memoria, vel prærogativa insignitis instituit.

VIII. Nequis insuper de antiquo ritu omittamus, qui scilicet in Missa hujus Festi agebatur, fieri etiam consuevisse hac die Laudes Papæ, & Coronationem, de quo ritu jam alias diximus, docet Romanus Ordo XI. Num. LXVII. his verbis: *Mane ad Missam Domini Papæ debent esse Laudes, & coronari in tanta Festivitate, cujus Vicarius est.*

§. III.

Papa non celebrante, quis in eodem Festo debeat celebrare?

Si vero Sanctissimus Dominus noster non esset celebraturus, celebrare solet unus ex Reverendissimis Dominis Episcopis Cardinalibus in paramentis rubeis more consueto, & etiam non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. NOtandum hic primo est, quod in præsenti §. præscribitur, legi quidem in Romana nostri hujus Cæremonialis editione anni MDLX. & desiderari omnino in Veneta I. editione anni MDXVI. & Colonienſi anni MDLVII. In mss. Apostolicorum Cæremoniario-

Digitized by Google

rum Diariis jam non semel occurrit, non celebratsse hac die solemni ritu Pontificem Missarum Solemnia in Basilica Vaticana, verum aut præsentem Missæ Pontificali fuisse celebratæ per aliquem ex Episcopis Cardinalibus, vel etiam aliquo impedimento detentum omnino abfuisse. Teste Mabillonio in suo Itinere Italico pag. 55. anno MDCLXXXV. *Festo S. Petri Missa Solemnis in Ara principe Vaticana a Cardinale Cibo celebrata est. Diploma concessæ facultatis per Pontificem*, Innocentium scilicet XI. *cui soli Sacra facere in hoc Altari licet, affixum erat ad unam ex quatuor columnis, quæ baldachinum fulciunt.*

CAPUT XIX.

De Festo Visitationis Beatæ Mariæ Virginis.

In die Visitationis Beatæ Mariæ Virginis solet fieri Missa Solemnis, quam celebrare consueverat Presbyter Cardinalis in paramentis albis, & solebat fieri Sermo. Sed hodiernis temporibus hujusmodi Solemnitas non observatur. Sed Capella hujus diei prætermittitur, quæ non habet, neque habuit Vesperas præcedentes.

COMMENTARIUS.

I. Festum Visitationis Beatæ Mariæ Virginis institutum haud dubie fuit occasione Schismatis, ad quod componendum Urbanus Papa VI. teste Gobelino Persona, statuit, ut ipsum Visitationis Beatissimæ Virginis Festum, quando scilicet visitavit Elisabetham matrem S. Joannis Baptistæ, ad exaltationem Fidei Catholicæ in perpetuum celebraretur in Ecclesia annis singulis sexto Nonas Julii, *ut B. Virgo suis precibus Ecclesiæ unionem reformare, & reformatam conservare dignaretur*. Licet autem Urbanus hoc Festum instituerit, & quidem anno MCCCLXXXIX. superveniente tamen ejus morte, cum Litteras Apostolicas de eo minime ediderit, Bonifacius Papa IX. ejus Successor Romæ v. Idus Novembris anno I. Pontificatus sui, Urbani Sanctioni auctoritatem adjecit sua Constitutione, quæ extat in Romano Bullario, & refertur etiam a Raynaldo ad annum ipsum MCCCLXXXIX. in qua inter alia inquit, Urbanum in optatis habuisse, ut indiceretur jejunium pervigilii, quemadmodum in Nativitate, & in Assumptione usuvenit: *Suasit etiam*, ait Bonifacius, *& consuluit Prædecessor noster*, nempe Urbanus VI. *ut ipsius Festi*, scilicet Visitationis, *Vigilia, ut Vigilia Nativitatis, & Assumptionis Festivitatum etiam in observatione jejunii devotius observaretur*. Voluit etiam Pontifex Festi hujus institutor, ut cum Octava ipsum celebraretur, concessitque Indulgentias illis, qui Sacris ejusdem Celebritatis Officiis interessent. Porro Urbani Papæ votis statim paruerunt omnes Ecclesiæ, quæ illius parti favebant; quæ vero Clementi VII. aliisque Pontificibus Avenione sedentibus, eandem Festivitatem post Concilii Basileensis Decretum Sessione XLIII. editum susceperunt. Synodus autem ipsa Basileensis tametsi prædictam Festivitatem in universam Ecclesiam invexerit, non tamen pervigilii, cum Octava usquam meminit.

II. Celebrari consuevisse olim Romæ hoc Festum Solemni Missa in Capella per unum ex Cardinalibus Presbyteris, & cum Sermone, in hoc Capite edicitur, quod tamen in eo videtur notandum, ubi ait, Festum ipsum non habuisse Vesperas præcedentes; contrarium enim tradit Romanus Ordo XV. Cap. CXII. ubi postquam dixit, ut *secunda die Julii celebretur Festum Visitationis Beatæ Mariæ Virginis totum duplex cum Commemoratione de Apostolis*, ita statim subjicit: *Sunt Vesperæ præcedentes, & Missa, quæ dicta sunt per Cardinalem Bononiensem anno Domini MCCCXCII ex ordinatione Sanctissimi Domini nostri Bonifacii Papæ VIII.* legendum IX. Agit & de hoc Festo Burchardus in suo Diario ad annum MCDLXXXV. ubi ait, die II. mensis Julii Festo Visitationis Beatæ Mariæ Virginis Papam, Innocentium nempe VIII. paratum Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Capuccino, & Capello de cremesino equitasse de Palatio Apostolico ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Populo, Cruce, & Cardinalibus ipsum præcedentibus, ibique cantatam fuisse Missam Solemnem per Cubicularium, Papa cum ipso faciente Confessionem.

III. Ut aliquid tandem de Officio hujus diei dicamus, ex veteri Breviario Romano scribit Scultingus, hujus gloriosæ Visitationis Officii compositionem laudatum Papam Urbanum VI. commisisse Adæ Cardinali Angliæ Doctori in Theologia, *ut ex Scripturis Evangelicis, Sanctorum Patrum Commentariis, & Doctorum approbatorum assertionibus historiam hujus Festi Visitationis scriberet, & dictaret, & eidem Officio notam congruam applicaret*. Vide Officium hujus Missæ apud Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. *De Festis Junii, & Augusti*, Num. I. & II. itemque Pagium in Vita Urbani VI. Num. LXVI. ubi inter alia refert, Gobelinum Personam Officium de Festo Visitationis composuisse, quod Joannes Papa XXII. confirmavit.

CAPUT XX.

De Vigilia, & Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

In Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis solebant esse Vesperæ Papales, & in die Missa Solemnis, quam solebat Presbyter Cardinalis paramentis albis indutus celebrare, & Sermo fieri. Sed Romæ hodie non fit

Digitized by Google

fit propter Festum Solemne Romanorum, quod ipsi celebrant in S. Maria Majori. Si Papa est alibi, servatur, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. ASsumptionis Deiparæ Festum peculiari ritu jam olim celebrari consuevisse in Ecclesia Romana, docet nos Sergius Papa, qui Seculo VII. florebat. Is siquidem, ut testatur in ejus Vita Anastasius, constituit, *ut diebus Annunciationis, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ . . . . . Letania exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat.* Litaniæ nomen licet quodcumque genus precum significet, itemque quandam seriem Sanctorum, qui in quibusdam precibus coluntur, & invocantur; hic tamen Processionem denotat. Cur autem ipsam Litaniam instituerit Sergius in Festo Assumptionis Deiparæ, dicemus mox infra ex narratione Ordinis XI. Romani. Quod hujus Festi Vigiliam spectat, celebre est quod habet Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Num. LXXI. ubi ita inquit: *In Vigilia S. Mariæ mane Dominus Papa cum Cardinalibus, discalceatis pedibus, facit vij. genua, & aperit Imaginem, & osculatur pedes Domini, & deponit jusum* (ideſt, *deorsum*, estque ea vox in nostra Calabria usitata) *cantando* Te Deum laudamus; *quod instituit Leo Papa quartus.*

II. Porro digna præsertim notatu sunt quæ mox de ipso die Festo idem Ordo tradit sequenti Num. LXXII. *In Assumptione S. Mariæ Dominus Papa cum omni Curia facit Vesperum, & Vigiliam novem Lectionum in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris. Cum fuerint finitæ, revertitur Lateranum. Cardinales, & Diacones accipiunt Imaginem Jesu Christi, & abstrahunt de Basilica Sancti Laurentii cum omni populo portantes eam per Campum Lateranum juxta Basilicam Sancti Gregorii. Crucem Stationalem portat Regionarius post eam; post quam Processio Curiæ ordinate procedens, cantando Psalmos, Primicerius cum Schola Responsorium de eadem Festivitate. Præfectus cum duodecim Viris accipit a Curia xij. faculas. Ostiarii vero alias xij. portantes accensas ante Imaginem. Dum Imago transit per Campum, Cubicularii stant in culmine Sancti Georgii, tenentes duas faculas accensas, quas, Imagine transacta, extinguunt faculas. Cumque Imago venerit ad Sanctam Mariam Novam, deponunt eam ante Ecclesiam, & lavant pedes ejus de basilico. Interim Scholæ faciunt Matutinum in Ecclesia, trium scilicet Lectionum. Populi vero laudantes, & benedicentes Dominum, tollunt eam inde, & portant ad Sanctum Adrianum, & ibi lavant pedes. Exeuntes autem de Ecclesia, redeunt per viam, qua venerunt, & portant eam per Arcum in Latbone, quia antiquo tempore magna persecutio erat ibi Diaboli. Deinde transeunt juxta Domum Orphei propter basiliscum, qui tunc temporis latitabat in caverna, cujus fætore, & sibilo homines ibi transeuntes infirmabantur, & moriebantur. Idcirco Sergius Papa constituit hanc Processionem in hac tanta Festivitate, quatenus per Laudes tantorum populorum, & intercessionem Sanctissimæ Virginis apud Deum, populus Romanus ab his persecutionibus liberaretur. Ascendentes Sanctam Mariam Dominus Pontifex præparatus cantat Missam, benedicit populum fatigatum; omnes recedunt.* Hucusque citatus Ordo XI.

II. Unum fuisse hoc Festum ex iis, in quibus Summi Pontifices consueverunt Missarum Solemnia in propria persona celebrare, notat Ordo Romanus XIV. Capite XCVIII. ubi etiam ait, prædicari tunc solitum fuisse, & haberi *Vesperos Papales præcedentes solemnes.* Notandum quoque ait Romanus Ordo XV. Capite CXX. *quod in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Vesperæ, Sermo, & Missa mandantur, & est potus in Aula.* Sed notanda præsertim hoc loco sunt, quæ de ipsis Vesperis, & Matutino etiam, ac Missa mox subdit: *In primis Vesperis Dominus Papa venit cum pulcro Pluviali albo, & Mitra pretiosa. Cardinales etiam cum Pluvialibus albis incboant Antiphonas; & Hymno incepto per Papam, ibidem in Catbedra sua stat flexis genibus, quandiu dicitur primus Versus, & sine Mitra; decantantur Matutinæ, & Papa consuevit interesse. In Missa servit Papæ in Officio Capellani Prior Episcoporum Cardinalium.* Addit statim, omnia alia fieri, ut in aliis Solemnibus, Dominumque Urbanum VI. anno secundo sui Pontificatus in primis Vesperis fecisse ante sedere loco Diaconorum, Episcopos Cremensem, & Senogalliensem, *quia non erat, nisi Cardinalis Sancti Petri.*

III. Ad Festum quod attinet, teste Oldoino in Vita Pauli IV. apud Ciaconium Tomo III. col. 831. laudatus Pontifex *Pontificia Sacra in Ædc S. Mariæ Majoris Festo Assumptæ in Cælum ejusdem magnæ Matris die . . . . instituit.* Constat tamen ex mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis sequioris ævi, ac præsertim ex Diario Francisci Mucantii celebrari consuevisse Missam Pontificalem prædicti Festi præsente Papa in Ecclesia S. Mariæ de Aracæli; sic enim scribit ad annum MDLXXII. qui fuit primus Gregorii XIII. Pontificatus: *Die 15. Augusti in Festo Assumptionis B. Virginis Mariæ celebrata fuit Missa solemnis per Reverendissimum Dominum Cardinalem S. Georgii in Ecclesia B. Mariæ de Aracæli, præsente Sanctissimo Domino nostro, & 38. Cardinalibus, servatis consuetis cæremoniis.* Addit mox: *Altare fuit appositum extra cancellos Chori, non enim poterat commode inservire Altare consuetum, sed occurrit error oblivione Clericorum, qui non apposuerunt lapidem sacratum pro Altari portatili; sed in tempore fuit apportatum, & aptatum subtus tobaleas Altaris, & pauci admodum animadverterunt errorem. Solium Papæ accommodatum fuit a latere Evangelii, & sedilia Cardinalium hinc inde ad similitudinem Capellæ Sixtinæ in Palatio Vaticano.* Etiam

se-

Digitized by Google

sequentibus annis MDLXXIII. & LXXIV. ut alios mittam, celebratam fuisse hac die Missam Pontificalem solemnem, præsente Papa, & Collegio Cardinalium per Cardinalem Montaltum, qui fuit postea Sixtus Papa V. notat ad annos ipsos idem Mucantius Apostolicus Cæremoniarius.

IV. Nostro hoc ævo fieri consuevit Capella in Basilica S. Mariæ Majoris, de eaque passim loquuntur recentiores Apostolicarum Cæremoniarum Magistri.

CAPUT XXI.

De Vigilia & Festo Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

In Vigilia Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis ordinarie fiunt Vesperæ solemnes, & in die Missa solemnis in Capella Papæ per Presbyterum Cardinalem paramentis albis paratum. Et fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. FEstum Nativitatis Deiparæ Virginis unum ex iis fuisse, in quibus Sergius Papa I. labente seculo VII. constituit, ut Litania, seu Processio exiret ab Ecclesia Sancti Adriani, & ad Basilicam S. Mariæ Majoris populus occurreret, diximus supra in Commentario Capitis præcedentis ex testimonio Anastasii in ejusdem Sergii Vita. Ordo Romanus XI. Num. LXXIII. paucis multa comprehendit, ubi ait, *Nativitatem S. Mariæ celebrari a Pontifice celeberrime in S. Adriano, ubi fit Collecta, sicut in Purificatione, & Annunciatione Sanctæ Mariæ.* Celebrari consuevisse in eo Festo a Pontifice Missarum Solemnia, in eodemque concionem haberi, testatur Ordo Romanus XIV. Cap. XCVIII. Sed audiendus tandem Romanus Ordo XV. Cap. CXXVI. ubi expresse ait, solemni ritu non modo Vesperas, & Missam, verum etiam Matutinum solitum fuisse suo ævo cantari: *In Festo Nativitatis Virginis Mariæ Sermo, & Missa mandantur. In primis Vesperis Dominus Papa venit cum Pluviali rubeo, & Mitra Consistoriali aurifrigiata; & Cardinales veniunt cum Pluvialibus albis, & inchoant Antiphonas. Matutinæ de sero cantantur, & Papa interest. In Missa tantum Oratio una dicitur, in qua servit Prior Episcoporum Cardinalium.* Addit tum mox, suo ævo consuevisse Papam in primis Vesperis venire, *cum Mitra solemni, & preciosa*; ipsumque Festum habere *Vigiliam per Dominum Papam Gregorium XI. factam in Civitate Anagniæ in Campania.* Sane fit hodie Capella Papalis in Ecclesia S. Mariæ de Populo.

CAPUT XXII.

De Vigilia omnium Sanctorum, & mutatione Capparum.

In Vigilia omnium Sanctorum Cardinales, & Prælati, dimissis Cappis cum serico rubro, accipiunt Cappas cum pellibus albis. Et Sanctissimus Dominus noster indutus paramentis albis solitis venit ad Ecclesiam more solito; & si est die crastina celebraturus, Cardinales, facta reverentia consueta in Cappis, capiunt paramenta sibi convenientia albi coloris. Idem faciunt Prælati. Officiales vero accipiunt Superpellicea, si illa prius non acceperunt. Alia omnia fiunt, prout supra in Vigilia Nativitatis Domini dictum est.

COMMENTARIUS.

I. OMnium Sanctorum celebritatem Bonifacius IV. instituit, cum expurgato Deorum omnium veteri Fano, quod Pantheon vocabatur, illud idem in honorem Deiparæ, omniumque SS Martyrum dedicavit tempore Phocæ Imperatoris die XII. Maji. Cum enim Bonifacius videret Phocam propenso animo esse erga Romanos Pontifices, ab ipso sibi dari petiit ipsum nobile Romæ Delubrum, tot antiquorum Scriptorum præconiis celebratum, a Marco Agrippa ter Consule tempore Augusti erectum, quod adhuc intactum remanserat a demolientibus Dæmonum sedes Romanis Christianis. Eversum jam ipsum profecto fuisset Lege Theodosii junioris, ut in Codice Theodosiano legitur ad Titulum, *De Paganis*, nisi ei Honorius Imperator intercessisset, testatus se sarta tecta servanda curare illustria hæc, non impietatis, sed vetustatis, artisque monumenta: *Sicut Sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum monumenta servari.* Porro quam Bonifacius IV. qui electus Romanus Pontifex fuit anno DCVIII. Beatæ Mariæ, & Sanctis Martyribus consecrarat solemnitatem, hanc postmodum Gregorius III. qui sedit anno DCCXXXI. in honorem Sanctorum omnium observari ab omni Ecclesia decrevit. Tandemque Gregorius IV. creatus Pontifex anno DCCCXXVII. constituit, ut eadem solemnitas, quæ prius III. Idus Maji agebatur, inposterum Calendis Novembris celebraretur.

II. Hæc est ergo origo celebritatis omnium Sanctorum, de qua hæc habet antiquum Martyrologium Romanum ad diem XII. Maji: *Romæ De-*

Digitized by Google

Dedicatio Ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres, quam Beatus Bonifacius Papa Quartus, expurgato Deorum omnium veteri Fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem Beatæ semper Virginis Mariæ, & omnium Martyrum dedicavit tempore Phocæ Imperatoris; missis illuc scilicet viginti plaustris Martyrum ossibus, & exuviis onustis, teste Baronio ad ipsum Martyrologium. Quod autem Gregorius IV. ipsam celebritatem Calendis Novembris fixerit, non obscure innuit Sigebertus, qui scribit, ab ipso Gregorio IV. Romano Pontifice in Gallia degente anno DCCCXXXV. admonitum Ludovicum Pium hujus fuisse, qui accedente Episcoporum assensu edixit, ut hæc Solemnia observarentur: *Tunc monente Gregorio Papa, & omnibus Episcopis assentientibus, Ludovicus Imperator statuit, ut in Gallia, & Germania Festivitas omnium Sanctorum in Calendis Novembribus celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacii Papæ celebrant*. Celebrata est demum ab omnibus Occidentis Ecclesiis, & quidem diebus octo, edicto Sixti IV. Romani Pontificis, anno Domini MCDLXXX. ut notat Thomassinus Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. XXI. Numero IV. in fine. Ceterum quod in Diœcesi Andegavensi anno MCCCXIV. celebrari Octavas de hoc Festo in plena Synodo annuente Capitulo jusserit Guillelmus Major Episcopus, ex Spicilegio Tomo XI. docet Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite XXXIV. Numero XXVII.

III. Quod primas hujus celebritatis Vesperas spectat, juxta Romanum Ordinem XIV. Capite XCVIII. habet ipsa celebritas *Vesperos Papales præcedentes solemnes*. Ex præscripto Ordinis XV. Cap. CXXX. *in Festo omnium Sanctorum Sermo, Missa, Vesperæ præcedentes mandantur, & debet esse potus in Aula*. Tum mox: *In ipsis igitur primis Vesperis Dominus noster Papa venit cum pulcro Pluviali albo, & Mitra solemni, & preciosa. Cardinales vero etiam cum Pluvialibus albis, & inchoant Antiphonas*. Nulla hic mentio mutationis Capparum, cujus tamen meminit in suo Diario ms. Burchardus ad annum MCDLXXXV. qui fuit primus Innocentii Papæ VIII. ubi ita scribit: *Feria secunda ultima Octobris fuit mutatio Capparum, & Vesperæ solemnes in majori Capella supradicta*, Palatii scilicet Pontificii, *dictæ sunt, Papa præsente, & Officium faciente &c.* Luculentius rem ipsam recenset in suo Romano Ordine Paris de Grassis Cap. XI. *In Vigilia omnium Sanctorum*, inquit, *qua esse censetur principium anni quoad res Divinas, quas Capellas dicunt, fit generalis Capparum pellicarum cum subsericeis mutatio, & more solito Vesperæ fiunt in Capella Palatii, ad quas Papa cum rubeis paramentis preciosis, & Cardinales cum Cappis rubeis accedunt*. Esse hunc antiquum ritum, ut in Pontificia Capella post Vesperas hujus diei fieret Capparum mutatio, docent antiquus ms. Codex Piersanctianus, & ms. Cæremoniale Davantriæ in Rubrica inscripta: *In Festo omnium Sanctorum*, ubi sic inquiunt: *In Festo omnium Sanctorum in primis Vesperis cum Dominus Papa venit ad Capellam, Domini Cardinales deferunt Cappas de scarlato, vel alias, foderatas tamen de sirico; post factam reverentiam Papæ, si ipsa die facta non fuerit, recipiunt Pluvialia alba, & fiunt omnia more solito. Finitis vero Vesperis, dimittunt Pluvialia, & recipiunt Cappas laneas cum pellibus de variis, vel grisiis, si fuerint Regulares*.

IV. Plura his addere supervacaneum est, legi potest insigne Opusculum Viri eruditissimi Petri Moretti Canonici insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ trans Tiberim, quod est, *De ritu variandi Chorale indumentum*, ubi & originem ejus ritus, & varias ejusdem significationes curiosus lector inveniet.

CAPUT XXIII.

De Festo omnium Sanctorum.

In die omnium Sanctorum, si Sanctissimus Dominus noster est celebraturus, accipit in Camera papagalli paramenta consueta albi coloris simpliciter, & Cardiuales in Camera paramenti, ac Prælati, & Officiales in Aula paramenta sibi convenientia recipiunt, & Officiales Superpellicea. Deinde, ministrante priore Presbyterorum Cardinalium, Papa imponit incensum, & Processione præeunte, venit ad Ecclesiam sub baldachino, ac omnia alia fiunt, prout supra in Missa majori diei Nativitatis Domini nostri, Papa celebrante, ordinatum est. Et non fit Sermo, nisi aliquis Cardinalis illum faceret. Si vero Papa non sit celebraturus, celebrabit Episcopus Cardinalis in paramentis albis ordine consueto, & fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. TEste Paride Grasso diu in ritibus Pontificiæ Capellæ versato in suo Romano Ordine Capite XI. in die omnium Sanctorum Missa in Basilica S. Petri celebrabatur per Priorem Presbyterorum Cardinalium, & fiebat Sermo. Papa, & Cardinales, ut in hesternis Vesperis induti solemni Missæ assistebant. Prædicari consuevisse in hac Missa, quam celebrabat olim Summus Pontifex, docent nos Ordo Romanus XIV. Cap. XCVIII. quod est de diebus & solemnitatibus, quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum Solemnia in persona celebrare, & Romanus Ordo XV. Capite CXXX. idemque passim confirmant Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, inter quos Burchardus ad annum MCDLXXXV. qui est primus Pontifica-

Digitized by Google

ficatus Innocentii VIII. postquam dixit, in ipso omnium Sanctorum Festo Cardinalem Neapolitanum celebrasse Missam solemnem in Capella Palatii Pontificii, Papa præsente, subdit mox, non fuisse tunc factum Sermonem, *quia ille, cui sermo datus erat, non fuit in Urbe*. Eodem teste Auctore ad annum MCDLXXXVI. cantata fuit hac die Missa solemnis in Basilica Sancti Petri per Cardinalem S. Clementis, Papa præsente, *Sermonem fecit D. Joannes Buscu Capellanus Cardinalis S. Marci*. Similia & apud alios Cæremoniarios legere est.

CAPUT XXIV.

In Vesperis, & Matutinis Defunctorum, Papa præsente.

I. QUamquam preces, oblationes, Sacrificia, ac ipsa etiam Anniversaria pro mortuis semper in usu fuerint in Ecclesiæ societate, minime tamen comperimus, Patres, Synodosque consulentes, statoaliquo die omnium generatim Defunctorum Commemorationem, precesque pro omnibus illis, ac Sacrificia. Fieri id tamen oportuit, ut in celebritate omnium Sanctorum consimili fere modo usuvenit. Fertur omnium primus Auctor S. Odilo Cluniacensis Abbas ritum hunc in sua Cœnobia invexisse anno CMXCVIII. probatum a Pontificibus Maximis, & in quasvis Ecclesias introductum. Ita Petrus Damianus in ejus rebus gestis: *Venerabilis Pater Odilo per omnia Monasteria sua constituit generale Decretum, ut sicut primo die mensis Novembris, juxta universalis Ecclesiæ regulam omnium Sanctorum Solemnitas agitur, ita sequenti die in Psalmis, & eleemosynis, & præcipue Missarum Solemniis, omnium in Christo quiescentium memoria celebretur*. In hunc modum, ut scite notat Thomassinus Libro II. *De diverum Festorum Celebratione*, Cap. XXI. Numero IX. complures Festi dies privato quodam pioque studio Monachorum, & Ecclesiarum primum instituti, ab universa Ecclesia post diuturnum examen, non sine tamen Summi Romani Pontificis auctoritate celebrati sunt. Libri Ecclesiastici Antiphonarum Canonicas preces pro Defunctis complectebantur, ut patet ex Amalario, sed ante Odilonis tempora adhibebantur tantum dum aliqui e vivis excessisset. Tanti facienda est Ecclesiæ auctoritas in id genus rebus, ut hæc una satis esset pro vindicandis Defunctorum Commemorationibus, precibus, Sacrificiis, quamvis nihil in divinis Machabæorum Libris idem asserentibus extaret. Ita S. Augustinus in Libro, *De Cura pro mortuis*, ad rem docet: *In Machabæorum Libris legimus oblatum pro Mortuis Sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est Ecclesiæ universæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio Mortuorum*. Plura in hanc rem docent Theologi, ubi agunt de Purgatorio.

§. I.

De Vesperis Defunctorum, Papa præsente.

In sero in Capella majore Palatii cantantur Vesperæ, & Matutinæ Mortuorum hoc ordine. Papa induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & Cappa de rosato sine Mitra; vel si placet, loco Cappæ accipit Mantum de rosato, & Capucium magnum (1) in capite, quod inversatur, ita quod pelles in capite ab extra sint, & supra faciem habeat quasi duo cornua, & cum Pontifex Manto, aut hujusmodi Capucio utitur, Prælati assistentes non debent habere Cappas, sed Mantellos, quos assistentium Crocias vocant, & Capucia in modum Cubiculariorum supra collum, & non supra caput. Hoc modo paratus Pontifex venit ad Capellam, Cruce præcedente, & Cardinalibus Papam sequentibus. Duo Diaconi Cardinales, qui assistere consueverunt, vadunt in locis suis post Presbyteros Cardinales, cum Papæ non assistant. Fimbrias omnes cum cauda simul collectas portat dignior ex Prælatis in Capella. Papa facit Orationem in Faldistorio capite semicooperto, ascendit ad Solium, & sedet, & duo primi ex assistentibus Episcopis extendunt fimbrias Cappæ ante Pontificem. Cardinales omnes sedent in locis suis, & non fit Papæ reverentia, neque Presbyter, aut Diaconi Cardinales ei assistunt. Postquam Papa aliquantulum quieverit, surgit, & stans capite semicooperto, versus ad Altare, dicit secrete, *Pater noster*; quo ad finem completo, sibi ipsi caput cooperiet. Tum Cantores incipiunt pro Vesperis Antiphonam, *Placebo Domino*; qua dicta, & incœpto Psalmo, Papa sedet, sic manens, quousque incipiatur, *Magnificat*. Tunc surgit Papa a se ipso semi, vel totaliter capite discooperto, prout sibi placet. Finito, *Magnificat*, Papa sedet, cooperto sibi ipsi capite, sic manens usque ad finem repetitionis Antiphonæ. Tunc accedunt duo Acolythi in eorum

(1) Verbum istud, *in capite*, legitur quidem in Romana editione, & deest in Veneta I. & Colonensi.

Digitized by Google

rum Cappis cum duobus candelabris more ſolito. Surgit Pontifex diſcooperto capite, & ſtans verſus ad Altare dicit competenti voce, *Pater noſter*, quod ſecrete complet. Interim accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro & candela, & Papa, completo, *Pater noſter*, dicit Verſiculum, *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. Verſ. *A porta inferi*. ℟. *Erue Domine animas eorum*. Verſ. *Requieſcant in pace*. ℟. *Amen*. Verſ. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. Verſ. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Qui vivis, & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. ℟. *Amen*. Verſ. *Requiem æternam dona eis Domine*. ℟. *Et lux perpetua luceat eis*. Tum duo ex Cantoribus dicunt Verſiculum: *Requieſcant in pace*. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

OFficium Mortuorum incipere a Veſperis, notavimus jam Tomo II. Commentariorum in Cæremoniale Epiſcoporum in Commentario ad §. III. & IV. Capitis X. Id ſane docet inter alios Durandus in ſuo Rationali Lib. VII. Cap. XXXV. ubi etiam tradit, non habere ipſum Officium ſecundas Veſperas, imo nec alias Horas Canonicas præter Matutinum, & Laudes, ob minorem ſcilicet ejus Officii ſolemnitatem. Eſtque is hodie uſus Eccleſiæ, ſicut etiam olim fuit, ut Mortuorum Officium ſolis primis Veſperis, & Matutino, ac Laudibus celebretur; tametſi negari nequeat, quin alicubi ſervata fuerit alia diſciplina, dictumque ſit Officium ipſum cum primis, & ſecundis Veſperis, ceteriſque Horis diurnis, ut oſtendit Martene Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XXIV. Num. IX. & in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Capite XXXIV. Numero XXXV.

II. Invaluit autem ritus, ut primæ tantum Veſperæ pro Defunctis cantentur die ipſo Feſto omnium Sanctorum, & quidem juxta antiquum ritum olim in Pontificia Capella ſervatum poſt decantatas ritu licet minus ſolemni Veſperas de eodem Sanctorum omnium Feſto, ut teſtis eſt Ordo Romanus XV. Cap. CXXXI. ubi hæc habet: *In ſecundis Veſperis*, prædicti ſcilicet Feſti, *Papa venit cum Pluviali rubeo, & Mitra Conſiſtoriali, & Cardinales non parant ſe, nec inchoant Antiphonas, ſicut in primis Veſperis, & iſtud ſemper ſervatur in ſecundis Veſperis cujuslibet Feſti, & conſequenter nec Acolythi, nec Auditores, nec etiam Subdiaconus ſtant cum Superpelliceis, ſed cum Cappis laneis. Finitis vero Veſperis, & data benedictione per Papam, ibidem Papa deponit Pluviale, & Mitram prædictas, & induitur Cappa de ſcarletto de ſamito a medio pectoris aperta aſque ad pedes, bireto rubeo, & Mitra alba ſimplici de garnello, & interim Cantores cantant, Placebo*, quod eſt prima Antiphona in Veſperis Defunctorum. Juxta præſcriptum ejuſdem Ordinis XV. Romani ritum in ipſo Defunctorum Officio, & quidem non modo ad Canticum, *Magnificat*, in Veſperis, verum etiam ad Canticum, *Benedictus* in Matutino, *incenſabatur Altare, & deinde Papa, & non alter*; itemque *dabatur benedictio per Papam poſt dictam Orationem*, nempe, *Fidelium Deus omnium conditor &c.* quæ eſt Oratio hujus diei.

III. At vero non multo poſt Ordinem ipſum Romanum mutatus fuit hic ritus, novuſque inductus, & in noſtro Cæremoniali præſcriptus, cui adhærens Graſſus in ſuo Romano Ordine, Cap. XI. ſic inquit: *In ejuſdem diei*, Omnium ſcilicet Sanctorum, *hora Veſpertina Veſperæ pro Defunctis in Capella, & illis finitis, Matutinæ ſimiliter pro Defunctis aguntur. Ad quas Papa cum Cappa quaſi Cardinalari, ſed ampliori de panno laneo ruſſato cucullatus accedit, quem Cardinales Cappis pavonatiis ſequuntur induti, quia Crux ante Pontificem non defertur, propterea Cardinales euntem, ac redeuntem ſequuntur, & non fit aſſiſtentia, nec reverentia ſolemnis*. De Veſperis hiſce, ac de acceſſu Papæ, & Cardinalium hac die ad Capellam loquuntur paſſim in ſuis Diariis Cæremoniarii Apoſtolici, qui etiam errores notarunt, qui in ipſarum celebratione aliquando occurrerunt. Audiendus Burchardus ad annum MCDLXXXVII. ſic ſcribens: *In fine Veſperarum Pontifex dixit*, Pater, *Verſiculos, & Orationem*, Fidelium Deus omnium &c. *qua dicta; per errorem meum, ubi dicere debebat*, Requiem æternam &c. *dixit*, Dominus vobiſcum; *quod evenit mihi ex eo, quod in Libro Papali nihil de hoc notatum eſt, etiam propter fatuitatem Epiſcopi Alerienſis prædicti commotus fui*. Carpit Epiſcopum Alerienſem Aſſiſtentium Epiſcoporum Decanum, quod contra ejus voluntatem venerit ad Capellam una cum ipſis Epiſcopis *cum mantellis* cum caudis longis, & per terram eas trahentes ad quatuor, vel quinque palmos, & caputia inverſa cum cornibus habentes.

§. II.

De Matutinis Defunctorum, Papa præſente.

Deinde ſedeat Pontifex cooperto capite, & aliquantulum quieſcat, tum ſurgat, & capite ſemicooperto, ſtans verſus ad Altare dicit ſecrete, *Pater noſter*; quo completo,

pleto, caput sibi ipsi cooperiat, & Cantores incipiant pro Matutinis Invitatorium: *Regem cui omnia vivunt &c.* Incœpto Psalmo primi Nocturni, videlicet, *Verba mea &c.* Papa sedet, sic manens usque ad responsionem (1) Versiculi ante primam Lectionem. Tunc surgit, & capite semidiscooperto, stans versus ad Altare dicit secrete, *Pater noster*, & illud secrete complet; quo completo, caput sibi ipsi cooperiens sedet. Tunc unus ex Cantoribus stans in eorum loco versus ad Altare, facta prius Altari, & Papæ reverentia, ex Libro dicat primam Lectionem; & alia dicuntur, prout in Ordinario. Post Versiculos secundi, & tertii Nocturni surgit Pontifex, & dicit, *Pater noster*; deinde sedet, prout supra in primo Nocturno dictum est. Incœpto Psalmo, *Benedictus*, Papa surgit, stans versus ad Altare capite semi, vel totaliter discooperto usque ad finem Psalmi; quo finito, sedet cooperto capite. Repetita Antiphona, post, *Benedictus*, accedunt duo Acolythi in eorum Cappis cum luminaribus ad locum consuetum. Surgit Pontifex, & stans versus ad Altare, dicit, *Pater noster*, & alia omnia, prout supra in Vesperis ordinatum est. Dicto a Cantoribus, *Requiescant in pace*, *Amen*, Papa sedet cooperto capite, & aliquantulum quiescit; deinde vadit ad Faldistorium, orat, surgit, & redit in Cameram eo ordine, quo venit, digniore ex Episcopis assistentibus fimbrias, ut superius, portante.

COMMENTARIUS.

I. PLura de hoc Defunctorum Matutino jam diximus in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. X. In Pontificia Capella, ut docet nos Ordo Romanus XV. Cap. CXXXI. *consueverunt aliquando Romani Pontifices, completis Vesperis Mortuorum, audire totum Matutinum de Mortuis cantandis per Cantores, & stare cum dicta Cappa*, de scarletto scilicet, ut paulo superius dicitur, *& Mitra alba. Completis Antiphonis Mortuorum, Papa surgit, & per modicum spatium stat, quousque incipiantur Lectiones per dictos Cantores. Alia fiunt per ordinem de Oratione, de incensatione, & candelabris, prout in Vesperis Mortuorum*; in quibus scilicet notatur, quod *incensatur ad* Magnificat, *& ad* Benedictus *in Officio Mortuorum*, ac præterea, quod *primo incensatur Altare, & deinde incensatur Papa, & non alter*. Fuse narrant ritus in hoc Matutino cantando servatos Apostolicarum Cæremoniarum Magistri in suis Diariis, in quibus tamen nulla fit mentio hujusmodi incensationis Altaris, & Papæ, & multo minus benedictionis datæ per Papam post Orationem. Porro ut ait Burchardus ad annum MCDLXXXV. *Altare habebat pallium nigrum, & Sedes Papæ violatium.* Eodem teste Auctore ad annum MCDXXXVI. *Papa ante primam, quartam, & septimam Lectionem dixit*, Pater noster, *alta voce, & illud secrete complevit. Alia omnia more solito sunt observata. Acolythi ad Orationem post* Magnificat, *& tenuerunt candelabra ante Papam in Cappis sine Cottis.* Similia legere est apud alios Apostolicarum Cæremoniarum Magistros sequioris ævi, ac præsertim apud Paridem Grassum Cæremoniarium & ipsum Apostolicum, qui non modo in suo Romano Ordine, Cap. XI. cujus locum in Commentario præcedenti, Num. III. descripsimus, verum etiam in suis mss. Diariis passim ritum recenset, quo Vesperæ, ac Matutinum Defunctorum in Pontificia Capella celebrarentur. Sed longum esset laudati Cæremoniarii, aliorumque insequentium loca describere, satisque ea esse possunt ad explicationem hujus §. quæ in superiori, ac præsenti Commentario notavimus. Sed nec opus est pluribus, quum ritus hucusque notati similes fere aliis sint.

CAPUT XXV.

De Vesperis, & Matutinis Mortuorum, Papa absente.

Si autem Pontifex Vesperis, & Matutinis Defunctorum non interesset, Cardinalis die crastina celebraturus pervenit ad Capellam, & facta Oratione ante Altare, sedet in Faldistorio in loco consueto sibi parato. Capellani ad numerum novem sint parati Cottis, quorum duo hinc & inde stantes juxta Cardinalem, deposita illi Cappa per Scutiferos, ministrantibus aliis Capellanis paramenta de Altari, Cardinalem ipsum induunt Amictu, Alba, Cingulo, Stola, quæ a scapulis pendeat, Pluviali nigro, & Mitra alba plana. Qui sic paratus in Faldistorio sedens tempus expectat. Deposita deinde Mitra, surgit, & stans versus ad Altare, secrete dicit, *Pater noster*, & Cantores dicant Antiphonam, *Placebo*, pro Vesperis, deinde Psalmum, quo incœpto, sedeat Cardinalis, sic manens, quousque *Magnificat* incipiant. Tum surgit deposita

(1) Ita in Veneta 1. Editione, atque in Colonienſi, in Romana legitur, *remissionem*.
(2) Ita in Editione Romana, in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur, *a spatulis*.

Digitized by Google

sita Mitra stans ad finem illius ad Altare versus. Incœpta deinde Antiphona sedet cum Mitra usque ad finem Antiphonæ, deinde surgit, deposita Mitra, & stans versus ad Altare dicit, *Pater noster*, & alia, ut supra in Vesperis, Pontifice præsente, dictum est, duobus ex Capellanis suis duo candelabra tenentibus cum luminaribus, unum Capellanum, qui Librum coram Celebraturo tenet, medium inter se habentibus. Dicto a Cantoribus, *Requiescant in pace, Amen*, Cardinalis sedet accepta Mitra, & aliquantulum quiescit; deinde deposita Mitra, & stans versus ad Altare secrete dicit, *Pater noster*; & Cantores incipiunt Invitatorium, *Regem cui omnia vivunt*, pro Matutinis, & alia, prout in Ordinario. Incœpto Psalmo, Cardinalis, accepta Mitra, sedet. Dicto Versiculo primi Nocturni cum suo Responsorio, surgit deposita Mitra, & stans versus ad Altare, secrete dicit, *Pater noster*, quo completo, sedet cum Mitra, & Cantores dicunt Lectiones, & alia, ut in Ordinario. Idem facit Cardinalis post Versiculos secundi, & tertii Nocturni. Incœpto, *Benedictus*, surgit sine Mitra, stans versus ad Altare, quo finito, sedet cum Mitra. Repetita deinde Antiphona, surgit sine Mitra, & stans versus ad Altare dicit voce competenti, *Pater noster*, quo secrete completo, unus ex assistentibus suis Capellanis Librum cum duobus aliis duo luminaria coram eo tenentibus dicit ex Libro Versiculum, *Et ne nos*, cum aliis, & Orationem, *Fidelium Deus omnium &c.* ac aliis, prout supra in Vesperis dictum est.

COMMENTARIUS.

I. Fuisse antiquum ritum, ut in Pontificia Capella die omnium Sanctorum nonnisi post solemniter decantatas Vesperas hujus Festi, Vesperæ Defunctorum cantarentur, diximus supra in Commentario ad §. 1. Capitis XXIV. probavimusque ex luculentissimo testimonio Romani Ordinis XV. Cap. CXXXI. Ex quo idem ritus servandus erat, ubi absente Papa Cardinalis Vesperas ipsas, ac Matutinum Defunctorum celebraret. Audiendus itaque laudatus Ordo citato Capite CXXXI. in quo plura habemus, quæ ad nostri hujus Cæremonialis Capitis explicationem faciunt: *Anno MCCCXXVIII.* inquit, *Pontificatus Domini Martini*, Quinti scilicet ejus nominis, *anno XI. in die omnium Sanctorum in secundis Vesperis Papa non venit ad Capellam, ubi talis ordo servatus fuit. Dominus Cardinalis S. Marcelli fecit Vesperas, & incœpit*, Deus in adjutorium meum intende, *& dixit Orationem de Festo cum Commemoratione S. Cæsarii, & stetit in Officio Vesperarum cum Pluviali albo, & Mitra cum perlis Finitis dictis Vesperis, dedit benedictionem. Qua data, exuit se dicto Pluviali, & recepit Cappam suam quotidianam de panno, & cum dicta Cappa stetit in loco, quo prius steterat. Interim Cantores incœperunt cantare Vesperas Mortuorum, & continuaverunt dictos Vesperos, dicto Domino Cardinale stante, sive sedente cum dicta Cappa super Faldistorio, & sine Mitra. Completis vero dictis Vesperis per Cantores usque ad* Magnificat, *Cardinalis dixit Orationem, & duo de Acolythis suis tenuerunt sibi duo candelabra cum candelis accensis. Quibus finitis, incœptum fuit Matutinum de Mortuis, ubi præfatus Cardinalis semper stetit, prout in Vesperis cum dictis candelabris, & fuit incensatum Altare ad* Magnificat, *& ad* Benedictus. Atque hic fuit antiquus ritus, quo in Pontificia Capella cantari olim consueverunt Vesperæ, ac Matutinum Defunctorum, absente Papa.

CAPUT XXVI.

De Commemoratione Animarum, Papa præsente.

§. I.

De Missa Solemni.

In die Commemorationis Animarum super credentia ponuntur vasa consueta, exceptis duobus magnis bocalibus argenteis, quibus in Missis Defunctorum non utuntur; paretur etiam super ea thuribulum cum navicella, & vas aquæ benedictæ cum aspersorio. Deinde hora competenti Presbyter Cardinalis celebraturus venit ad Capellam, & capit omnia paramenta consueta nigri coloris, exceptis Sandaliis, & Chirothecis, quibus in hujusmodi Missa uti non debet, nec consuevit dicere Psalmum, *Quam dilecta*, cum aliis. Subdiaconus, & Diaconus utuntur Tunicella, & Dalmatica. Deinde Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & Cappa rubea, cujus cucullum (1)

1) Verba, *hinc inde*, leguntur in editione Romana, & desunt in Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

hinc inde super scapulis duabus spiletis (1) aptatur, ne in deorsum cadere possit, & Mitra simplici, vel, si Pontifici placet, loco Cappæ, habeat Pluviale rubeum simplex, & Mitram simplicem, præcedentibus Cruce, & Cardinalibus venit ad Capellam, orat in Faldistorio, & facit Confessionem cum Celebraturo, ascendit ad Solium, & non fit ei reverentia a Cardinalibus, sed duo Diaconi, & Prior Presbyterorum Cardinalium assistunt ei more consueto. Papa dicit Introitum cum Assistentibus tantum. Altare non incensatur. Cardinales non veniunt ad Circulum, neque Celebrans osculatur Librum, sed Altare tantum. Cum Celebrans dicit, *Dominus vobiscum*, Papa venit ad Faldistorium, & genuflectit sine Mitra, sic manens usque ad finem Orationis, & similiter omnes genuflectunt, præter Celebrantem, & Ministros, idest, assistentem Diaconum, & Subdiaconum. Pontifex, Oratione finita, & accepta Mitra, redit ad Sedem. Dicitur tantum una Oratio, videlicet, *Fidelium Deus omnium &c.* Subdiaconus, dicta Epistola, non osculatur pedem Papæ, neque Diaconus pro Evangelio illum osculatur. Ad Evangelium non portantur luminaria, neque incensum, neque Diaconus accipit benedictionem. Finito Evangelio, Papa non osculatur Librum, neque benedicit aquam pro Sacrificio in Calice imponendam. Post Offertorium Papa imponit incensum more consueto, & incensantur Oblata, Altare, Celebrans, & Papa tantum, & non alii. Subdiaconus non tenet Patenam, ut in aliis Missis, sed ad elevationem, in cornu Epistolæ genuflexus incensat Sacramentum. Papa, dicto, *Sanctus*, cum Assistentibus venit ad Faldistorium, ubi deposita Mitra, genuflectit, quousque Celebrans dicat, *Per omnia sæcula sæculorum*, ante, *Pax Domini*. Tum surgit Pontifex, & accepta Mitra, redit ad Solium, ubi deposita Mitra, dicit cum Assistentibus, *Agnus Dei*. Celebrans non dicit Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis*, neque, *Pax tecum*, sed sequentes. Osculum pacis non datur. Celebrans procedit in Missa more consueto. Et Pontifex ad Orationem in fine venit ad Faldistorium, & genuflectit. Deinde illa finita, redit ad Sedem, & Celebrans dicto in Altari, *Placeat &c.* vadit ad Faldistorium, deponit vestes sacras, & demum vadit ad locum suum inter Cardinales. Non datur benedictio, neque Indulgentiæ.

COMMENTARIUS.

I. CElebrare consuevisse olim Summum Pontificem in Commemoratione omnium Defunctorum, docet Romanus Ordo XIV. Cap. XCVIII. ubi inter alios dies, quibus Pontifices olim consveverunt celebrare in propria persona Missarum Solemnia, recensetur anniversarius dies *omnium Animarum*, qui est *in crastino omnium Sanctorum*. Testatur tamen Romanus Ordo XV. Capite CXXXIII. non esse de more, *quod Romani Pontifices celebrent in Pontificalibus pro Defunctis, sed bene secrete*. Paulo superius, idest, Cap. CXXX. jam dixerat, *semper Cardinales consuevisse istam Missam*, Defunctorum scilicet, *celebrare*. Quod ritus spectat in ipsa Missa servandos, sic eos idem Ordo citato loco enarrat: *In Missa vero Defunctorum venit*, Pontifex scilicet, *cum prædicta Cappa*, nempe, *de scarletto*, juxta notata in prædicto Ordine, Cap. CXXXI. *& cum Mitra alba simplici, & Diaconus, & Subdiaconus utuntur Tunicella, & Dalmatica ista die, & non Planetis, & Subdiaconus portat Crucem ante Popam. Ad Evangelium portantur luminaria, sed non incensum; & dicto*, Sanctus, *immediate descendit a Catbedra sua, & vadit ante Altare, & ibi flexis genibus*, manet scilicet, *usque ad* Pater noster. *In ipsa Missa non datur benedictio post Missam, nec ad Evangelium, nec osculatur Liber, nec pes Papæ. Nulli datur incensum, nisi Papæ tantum, nec thurificatur Altare, nisi in Offertorio tantum, & tunc solus Papa thurificatur. Una Oratio dicitur.* Notandum paulo post etiam monet, quod in hocce nostro §. alias edicitur, *quod nunquam in Missis Defunctorum portantur Chirotbecæ, nec Sandalia, nec aliqua benedictio datur, nec Liber osculatur*. Sed hujusmodi ritus jam late a nobis explicati fuere Tomo II. Commentariorum ad Cæremoniale Episcoporum, Cap. XI. Addendum tamen unum illud censui, quod tradit in suo Ordine Romano Paris de Grassis Capite XI. ubi de ipsa Missa hæc ait: *In die Commemorationis Defunctorum in Capella celebratur Missa per Cardinalem Summum Pœnitentiarium. Non fit Sermo. Papa cum Pluviali, & Mitra simplicibus, & Cardinales, ut heri, induti veniunt*, Cappis nempe pavonatiis, *sed Papam præcedunt, quia Crux ante fertur. In fine Missæ non datur benedictio, & Papa absolvere solet; cui nulla reverentia, nec Circuli, sed assistentia, & genuflexiones intra Missam fiunt.*

II. Sed nec illud omittendum, quamquam scilicet ex præscripto hujus Cæremonialis finiatur Missa cum illa Celebrantis Oratione in medio Altaris, *Placeat tibi Sancta Trinitas obsequium &c.* dici vel in Missis Defunctorum omnino debere in fine ipsarum Evangelium Sancti Joannis, *In principio erat Verbum &c.*

§. II.

(1) Ita in Romana editione; in Veneta I. & Colonienſi legitur, *spaletis*.

Digitized by Google

§. II.

De Absolutione post Missam a Papa eidem præsente peragenda.

Deinde si Pontifex velit post Missam absolvere, incœpto a Cantoribus Responsorio, *Libera me Domine*, apud Sedem deponit Cappam, & accipit Pluviale rubrum simplex, si placet, & ponitur ante eum pannus niger ad hoc paratus, qui extenditur a scabello Sedis per planum, & gradus Solii sui, & quatuor Acolythi Superpelliceis induuntur, & dum Cantores replicant, *Libera me Domine*, accedunt ad Pontificem duo Acolythi, unus cum thuribulo, & navicella, alius cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, & Pontifex, ministrante Priore Presbyterorum Cardinalium naviculam, imponit incensum. Presbyter Cardinalis remanet illic apud Papam. Cum incipitur, *Kyrie eleison* a Cantoribus, surgit Pontifex, deposita Mitra, & dicto ultimo *Kyrie eleison*, stans versus ad Altare dicit intelligibili voce, *Pater noster*, quod secrete complendo, ministrante Priore Presbyterorum Cardinalium aspersorium, Papa aspergit tertio supra pannum ante se jacentem, & reddit aspersorium Presbytero Cardinali; quo ministrante thuribulum, Papa incensat eodem modo supra pannum, tertio thuribulum ducens; & reddito thuribulo Presbytero Cardinali, recedunt illi duo Acolythi cum aqua benedicta, & thuribulo, & Presbyter Cardinalis ad scabellum suum revertitur. Accedunt duo Acolythi cum luminaribus ad locum consuetum, & duo Episcopi assistentes cum Libro, & candela, & Papa dicit Versum, *Et ne nos inducas &c.* cum aliis sequentibus, & Oratione, *Fidelium Deus omnium*, sub sua conclusione, ut in Vesperis ordinatum est. Post Orationem Papa dicit, *Requiem æternam &c.* Et Cantores, *Requiescant in pace*. Tum sedet Pontifex cum Mitra, orat deinde in Faldistorio, & redit ad Cameram.

COMMENTARIUS.

I. QUæ in hoc §. continentur de Absolutione post Missam a Papa eidem præsente peragenda nihil plane singulare habent, quod aliis absolventibus commune non sit. Ritus ipsi jam a nobis explicati fuere in citato Opere nostro Commentariorum ad Cæremoniale Episcoporum. Porro juxta Romanum Ordinem XV. Cap. CXXXII. jam non Papa, qui Missæ huic solemni adesset, *sed Prælatus, qui facit Officium, finita Missa, immediate deponit Casulam, & recipit Pluviale magnum*, ut nempe Absolutionem peragat, de qua pauca hæc habet laudatus Ordo Capite citato: *Interim Cantores cantant*, Libera me Domine de morte æterna, *& Prælatus prædictus*, qui scilicet Missam celebravit, *facit Absolutionem, prout in Missali continetur, & tantum una Oratio dicitur*, scilicet, *Fidelium Deus omnium conditor &c.* Solitum autem esse Pontificem in ipsa Missa Commemorationis Defunctorum absolvere, testis est Paris de Grassis in suo Romano Ordine, Cap. XI. ubi hæc habet: *In fine Missæ non datur benedictio, & Papa absolvere solet; cui nulla reverentia, nec Circuli, sed assistentia, & genuflexiones intra Missum fiunt.*

II. Porro ut aliquod exemplum promam Absolutionis factæ a Papa hac die in Capella, teste Francisco Bolza Cæremoniario Apostolico in suo ms. Diario Pontificatus Benedicti Papæ XIII. anno MDCCXXV. die 11. Novembris, celebrata in Capella Sixtina Palatii Vaticani per Cardinalem Petram vices supplentem Cardinalis de Comitibus Pœnitentiarii Majoris Missa, laudatus Pontifex Sedem eminentem conscendit, *expositoque, non in conspectu Papæ, ut consuetum erat* (& præscriptum utique ex hoc nostro Cæremoniali) *sed ante Altare Castro doloris, Cantores cecinerunt Responsorium*, Libera me Domine. *Papa thus in thuribulo posuit cum benedictione, ex Sede Castrum aspersit, atque thurificavit, cecinitque preces, & Orationem, stantibus duobus Acolythis contra consuetudinem Superpelliceis cum candelabris &c.* Abstineo alia exempla referre, mirumque videri debet, vix in ipsis Apostolicorum Cæremoniarorum Diariis functionem in Capella peractam recenseri, in qua errores non fuissent commissi, uti ex nostris superioribus Commentariis liquet, in quibus passim errores ipsos retulimus, quos ingenue fatentur iidem Cæremoniarii, ut in posterum præcaveantur.

§. III.

Quando Papa nollet absolvere.

Si vero Pontifex Absolutionem finita Missa facere noluerit, Celebrans, dicto, *Placeat*, accedat ad cornu Epistolæ Altaris, ubi deposita Planeta, accipiat Plu-

Digitized by Google

Pluviale nigrum, & Mitram simplicem, & stans in dicto cornu versus ad Altare expectat finem Responsorii. Interim Clerici Capellæ extendant ante medium Altaris a plano illius per gradus deorsum pannum nigrum ad hoc ordinatum. Cum Responsorium post Versum, *Requiem æternam*, repetitur, Pontifex, ministrante Presbytero Cardinali naviculam, ponit incensum. Duo ex Capellanis Celebrantis stantes juxta cornu Epistolæ Altaris tenent unus vas aquæ benedictæ cum aspersorio, alius thuribulum cum incenso. Incœpto, *Kyrie eleison*, surgit Pontifex sine Mitra, & Mitra Celebranti deponitur; qui dicto ultimo, *Kyrie eleison*, stans detecto capite in dicto cornu, versus ad Altare dicit intelligibili voce, *Pater noster*, quod secrete complet; interim accedit ad medium Altaris, & versus ad dictum pannum, ministrante Diacono Capellæ aspersorio, aspergit tertio super eundem pannum. Tum ministrante eodem thuribulum, eodem modo incensat. Deinde conversus ad Altare, ex Libro supra illud posito dicit Versum, *Et ne nos*, & alios cum Oratione, & in fine, *Requiem æternam*, ut supra, dicitur. Et dicto per Cantores, *Requiescant in pace*, *Amen*, dicit, *Dominus vobiscum*, signat Altare, per seipsum dicens Evangelium S. Joannis, & redit ad Faldistorium, ubi deponit sacras vestes more consueto.

COMMENTARIUS.

SOlitum fuisse Papam Missæ Commemorationis omnium Defunctorum præsentem absolvere, docet Gradus in suo Romano Ordine, Cap. XI. cujus locum in fine superioris Commentarii descripsimus. Præsente autem ipso, & nolente absolvere, jam tunc non alius, sed Celebrans absolvit, soletque esse Cardinalis Pœnitentiarius, uti idem Grassus notat, vel eo impedito, alius qui ejus vices suppleat, uti passim referunt Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis. Sed hoc obiter dicto, qui ritus servari debeant, quando Papa præsens huic Missæ nollet absolvere, in præsenti §. notantur, communesque aliis sunt, qui in Cæremoniali Episcoporum, ac Rituali Romano præscripti sunt.

CAPUT XXVII.

De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, Papa absente.

Si vero Pontifex hujus diei Officio non interfit, Presbyter Cardinalis celebraturus prævenit ad Capellam, oransque ante Altare, sedet in Faldistorio, lavat manus, surgit, & capit paramenta omnia more consueto, exceptis Sandaliis, & Chirothecis, quibus non utitur in hac Missa, nec dicit Psalmos, *Quam dilecta &c.* In credentia non debent esse illa duo bocalia magna argentea, quibus Cardinales celebrantes uti consueverunt, sed omnia alia consueta, & præter illa vas aquæ benedictæ cum aspersorio & pannus pro Absolutione. Subdiaconus, & Diaconus utuntur Tunicella, & Dalmatica. In Missa Celebrans post Confessionem, & Altaris osculum non osculatur Librum, nec incensatur Altare. Dicitur tantum una Oratio, videlicet, *Fidelium Deus omnium &c.* ad quam omnes genuflectunt, exceptis Capellano assistente Diacono, & Subdiacono. Dicta Epistola, Subdiaconus non osculatur manum Celebrantis. Ad Evangelium Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum, nec portantur luminaria, neque thuribulum; duo tamen ex Capellanis assistentis Diaconum associant, & Subdiacono Librum tenenti hinc inde adstant. Post Evangelium Celebrans non osculatur Librum, neque benedicit aquam pro oblatione in Calice ponendam. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem, sed genuflexus ad cornu Epistolæ tempore congruo ad elevationem incensat Sacramentum. Celebrans, ministrante Diacono naviculam, imponit incensum, incensat Oblata, Altare, & incensatur ipse solus a Diacono, & non alii. Incœptò *Sanctus* a Cantoribus, omnes genuflectunt, exceptis prædictis, sic permanentes, quousque Celebrans dicat, *Per omnia sæcula sæculorum*, ante *Pax Domini*. Oratio, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis &c. Pax tecum*, non dicitur, osculum pacis non datur, ad Postcomunionem omnes genuflectunt usque ad finem Orationis, exceptis prædictis. Non datur benedictio, neque Indulgentiæ; sed dicto per Diaconum, *Requiescant in pace*, Celebrans dicit, *Placeat*. Cantores incipiunt Responsorium, *Libera me Domine*. Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi deposita Planeta, accipit Pluviale nigrum,

Digitized by Google

grum, & Mitram planam. Interim extenditur pannus niger ante medium Altaris: & cum repetitur Responsorium, *Libera me Domine*, ministrante Diacono naviculam, Celebrans imponit incensum, & alia fiunt, prout supra, Papa non absolvente, dictum est.

COMMENTARIUS.

I. ABsente Pontifice celebratam non semel fuisse Missam solemnem hac die cum Absolutione per Cardinalem in Pontificia Capella, notant passim Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis. Quod ritus spectat in ipsa Missa, & Absolutione servandos, iidem sunt, ac illi jam alias explicati. Solitum esse hanc missam celebrare in Capella Cardinalem Pœnitentiarium, notat in suo Romano Ordine Grassus, & Cæremoniarii Apostolici passim in suis Diariis, ex quibus etiam addiscimus, absente, & impedito Cardinali Pœnitentiario, alium Cardinalem Presbyterum absentis vices supplere. Atque ut aliqua exempla proferam, teste Francisco Bolza Cæremoniario Apostolico in suo ms. Diario, anno MDCCXXIV. die 11. Novembris in Capella Palatii Apostolici Quirinalis, *Sacrum fecit, Papa absente, Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Bernardinus Tituli S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis Scottus loco Eminentissimi de Comitibus Pœnitentiarii, omnibusque de more factis, persolutoque Evangelio S. Joannis apud Faldistorium, Celebrans usque ad Stolam exclusive exutus, Pluviale*, nigri scilicet coloris, *ac Mitram sumpsit, seditque, & Castro doloris exposito, Cantores cecinerunt Responsorium*, Libera me Domine &c. *Celebrans thus in thuribulo cum benedictione posuit, ac per breviorem juxta infimum Altaris gradum Mitram deposuit, illudque ascendit, eoque in medio osculato, dixit*, Pater noster, *Castrum doloris asperst, atque thurificavit, conversusque ad Crucem, preces, & orationem cecinit, reversusque ad Castrum, illud manu signans dixit*, Requiem æternam &c. *iterumque ad Crucem, Cantoribus respondentibus, omnibusque completis, manu Castrum doloris iterum signavit, ac salutata Cruce, mitratus recessit*. Atque hic inter alia illud notandum, juxta recentiorem ritum, quo vel in Missa etiam Defunctorum juxta Pii V. ordinationem Evangelium S. Joannis, *In principio erat Verbum &c.* dicendum est, non debere Cantores incipere Responsorium, *Libera me Domine &c.* nisi absoluto ipso Evangelio, licet ex præscripto hujus Cæremonialis, dicto per Celebrantem, *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.*

CAPUT XXVIII.

De Vigilia, & Festo Dedicationis Basilicæ Salvatoris.

Vigilia (1) Dedicationis Basilicæ Salvatoris ordinarias habet Vesperas Papales, & in die unus ex Reverendissimis Presbyteris Cardinalibus celebrat in paramentis albis. Non fit Sermo, & antiquitus erat potus in Aula.

COMMENTARIUS.

I. SAnctissimi Salvatoris Basilicam, quæ vocatur quoque Basilica S. Joannis Lateranensis propter duplex Sacellum Sancti Joannis Baptistæ, & S. Joannis Evangelistæ, quod in Baptisterio visitur, extrui jussit, S. Silvestro Pontifice Maximo, Constantinus Magnus Imperator. Laterani Palatium fuit, dum Urbis Idololatræ potiebantur. Hæc Romani Pontificis Sedes est, princeps, & caput omnium Ecclesiarum; inter utramque vero Basilicam Petri, & Pauli, media constituta est, quasi inter filias mater; illis veluti ambabus manibus omnes Orbis Ecclesias complectitur tanquam Catholicæ societatis apex, & centrum. Hæc Arx, hæc Ara Christianorum, ut sapientissime disserit S. Petrus Damianus contra Cadoloum Schismaticum sub nomine Honorii II. pseudopontificem: *Hæc igitur ad honorem condita Salvatoris, culmen, & summitas totius Christianæ Religionis effecta, ut ita dixerim, Ecclesia est Ecclesiarum, & Sancta Sanctorum. Habet enim intrinsecus Beatorum Apostolorum Petri & Pauli diversis quidem locis constitutas Ecclesias; sed sui compage Sacramenti, quia videlicet in quodam meditullio posita, quasi caput membris supereminet, indifferenter unitas. His itaque tanquam expansis divinæ misericordiæ brachiis, summa illa, & venerabilis Ecclesia omnem ambitum totius Orbis amplectitur, omnes, qui salvari appetunt in materno pietatis gremio confovet, & tuetur. Hac Jesus Summus videlicet Pontifex arce subnixus, totam in Orbe terrarum Ecclesiam suam sacramenti unitate confœderat, ut unus Pastor merito, & una dicatur Ecclesia.*

II. Dedicatam fuisse Basilicam ipsam Lateranensem ab eodem laudato S. Silvestro Papa, & quidem v. Idus Novembris, testatur inter alios Joannes Diaconus in Prologo Libri, *De Ecclesia Lateranensi*, ubi sic inter alia inquit: *Quam Ecclesiam .... Beatus Silvester publice, quod non fiebat antea, solemniter consecravit quinto Idus Novembris; & est illa usque hodie celeberrima Festivitas in Urbe, in qua*

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero 1. & Colonienſi ſic legitur: *In Vigilia Dedicationis Baſilicæ Salvatoris ordinaria ſunt Veſperæ Papales &c.*

Digitized by Google

qua prima Ecclesia publice consecrata est, & Imago Salvatoris infixa parietibus, primum visibilis omni populo Romano apparuit. Inscribitur enim Dedicatio Basilicæ Salvatoris. *Inde est, quod quæcumque Ecclesia per Urbem, atque per Orbem Salvatoris vocabulo specialiter intitulatur, in præfata die ipsius celebritatis memoriam recolit, & veneratur; cujus Dedicationis solemnitatem octo diebus celebrandam Apostolica sancivit Auctoritas, quoniam decima die a solemnitate Dedicationis istius dedicatæ sunt postea Basilicæ Sanctorum Petri & Pauli.* Notabile est, quod ait de indulgentia iis concessa, qui ad hujus Dedicationis Festivitatem convenirent: *Quæ videlicet remissio Apostolica providentia sic tripartita distinguitur, ut Romanis, & circum adjacentibus mille annorum, Thuscis, & Lombardis duorum millium annorum, sed & his, qui maria transmeare noscuntur, trium millium annorum maneat remissio peccatorum.*

III. Porro summa celebritate consuevisse Summos Pontifices celebrare quotannis Anniversarium Dedicationis ipsius Basilicæ, & quidem non modo cum solemni Missa, verum etiam cum Concione, & Vesperis Papalibus præcedentibus solemnibus, docet nos Ordo Romanus XIV. Cap XCVIII. quod est de diebus, & solemnitatibus, in quibus consueverunt Romani Pontifices in persona celebrare: *In Dedicatione*, inquit, *Basilicæ Salvatoris, quæ est* V. *Idus Novembris, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes solemnes.* Nostro hoc tempore eandem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terræ insuper motibus disjectam, eversamque, ac sedula summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam Benedictus decimus tertius Pontifex Maximo Ordinis Prædicatorum die vigesima octava Aprilis anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti ritu solemni consecravit, ejusque celebritatis memoriam præfecto die IX. Novembris recolendam statuit, uti legitur in novo Romano Breviario sub eodem die.

IV. Sed audiamus tandem quid de ipsa Dedicatione memoratæ Basilicæ Lateranensis peracta a laudato Pontifice Benedicto XIII. scribit in ejusdem Vita Alexander Borgia Archiepiscopus, & Princeps Firmanus, Num. XLIX. ubi ita inquit: *Ad hæc Pontifex, qui Ecclesiis, & Altaribus in Urbe dedicandis operam dabat, postquam Eruditorum judicio accepisset, Lateranensem Basilicam, alias a Summis Pontificibus, ac præsertim a Nicolao III. gentili suo, qui illam reparavit, exornavitque, consecratam, post plures insequentibus temporibus, ac postremo ab Innocentio X factas instaurationes, nova consecratione indigere, die Dominica* XXVIII. *Aprilis* MDCCXXVI. *solemni ritu in honorem Sanctissimi Salvatoris, ac memoriam Sanctorum Joannis Baptistæ & Joannis Evangelistæ solemniter dedicavit una cum Ara Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quam nuper ipse instaurari, & marmoreis cancellis muniri jusserat, & hæc quidem sexagesima supra trecentesimam Ecclesia fuit, sicut etiam quartum Altare fixum supra* MCCCXC. *quæ hactenus Benedictus XIII. qua Archiepiscopus, & qua Romanus Pontifex sacraverat. Deinde multa aureorum millia contulit, ut hujus Lateranensis Basilicæ sarta tecta servarentur.*

CAPUT XXIX.

De Vigilia, & Festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum.

In Vigilia, & Festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum, fit eodem modo, ut in Dedicatione Salvatoris, & similiter erat potus in Aula.

COMMENTARIUS.

I. Antiquissima est quoque Dedicatio Basilicæ S. Petri Principis Apostolorum, sicut & S. Pauli peracta ab eodem S. Silvestro Papa, qui Lateranensem Basilicam dedicavit. Sane secundo Ecclesiæ seculo visebantur, colebanturque a Christifidelibus Romam ex omnibus Orbis terræ partibus confluentibus, quæ Religionis monumenta, & arces, eorundem trophæa vocavit Cajus celeberrimus illo ævo Theologus apud Eusebium Lib II. Capite XXIV. *Ego Apostolorum trophæa perspicue possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam, quæ Ostiensis dicitur, te conferre, trophæa illorum, qui eam Ecclesiam, suo sermone, & virtute stabilierunt, invenies.* Has quoque Basilicas Constantinus Augustus excitavit, terram quoque, si fides habenda est Actis S. Silvestri, effodiendo, & humeris suis importando. Nec denegandum est, præstitisse Principem tam pium, quæ de Vespasiano Capitolium instaurante Suetonius litterarum monumentis consignavit.

II. Est plane supervacaneum de excellentia, & prærogativis S. Petri Basilicæ velle hoc loco differere, postquam complures eruditi Viri veteres, recentioresque integros de eadem Libros scripsere. Ad rem nostram quod attinet, consuevisse olim celebrari anniversarium Dedicationis prædictæ Basilicæ Vaticanæ, ac etiam Basilicæ S. Pauli solemni non modo Missa, verum præcedentibus etiam Papalibus Vesperis, & sacra Concione ante Missam, docet vetus Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gaietano, Capite XCVIII. quod est de diebus, & solemnitatibus, in quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum Solemnia in propria persona celebrare, & prædicare, vel prædicare facere per aliquem Cardinalem: *In Dedicatione*, inquit, *Basilicarum Apostolorum Petri & Pauli, quæ est in Octava Beati Martini, & prædicatur ante Missam, & habet Vesperos Papales præcedentes solemnes &c* Ceterum consuevisse olim in ipso Dedicationis Festo fieri Processus non modo generales, verum etiam speciales, præsen-

Digitized by Google

ſentibus omnibus Cardinalibus, & aliis Prælatis paratis in albis, idem Ordo Romanus citato loco nos docet. Sed de his alias.

III. Tandem, quamvis ipſam Vaticanam Baſilicam a Conſtantino Magno erectam S. Silveſter Papa, uti legitur in Breviario Romano ſub die XVIII. Novembris in v. Lectione Feſti Dedicationis memoratæ Baſilicæ eo modo, quo Lateranenſem Eccleſiam quinto Idus Novembris conſecraverat, dedicavit, & in ea Altare lapideum Chriſmate delibutum erexit, atque ex eo tempore ſancivit, ne deinceps Altaria, niſi ex lapide fierent; eandem tamen Baſilicam vetuſtate jam pridem collabentem, ac propterea multorum Pontificum pietate, ac munificentia a fundamentis erectam, Urbanus Octavus eadem die recurrente anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſexti ſolemni ritu conſecravit.

CAPUT XXX.

De Anniverſario Pontificis proxime defuncti.

Solent Summi Pontifices immediate Prædeceſſoribus ſuis in die annuo obitus Anniverſarium peragere in Capella majori, in qua Epiſcopus celebrat omnibus Pontificalibus ornamentis nigris paratus. Papa venit paratus in Cappa rubra; (1) nunc utitur Pluviale raſi rubri, & Mitra ſimplici, ut ſupra in die Commemorationis Defunctorum dictum eſt. Celebrans non utitur Sandaliis, neque Chirothecis, & in ornamentis, atque in Miſſa omnia obſervantur, etiam quoad genuflexiones, & Abſolutionem poſt Miſſam, ut ſupra in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum eſt ordinatum, exceptis Oratione, Secreta, & Poſtcommunione, quæ dicuntur, ut infra.

Oratio.

Deus, qui inter Summos Sacerdotes Famulum tuum N. ineffabili diſpoſitione connumerari voluiſti: præſta quæſumus, ut qui Unigeniti Filii tui vices in terris gerebat, Sanctorum tuorum Pontificum conſortio perpetuo aggregetur. Per eundem &c.

Secreta.

Suſcipe quæſumus Domine pro anima Famuli tui N. Summi Pontificis quas offerimus Hoſtias, ut cui in hoc ſæculo Pontificale donaſti meritum, in Cæleſti Regno Sanctorum tuorum jubeas jungi conſortio. Per Dominum.

Poſt Communionem.

Proſit quæſumus Domine animæ Famuli tui N. Summi Pontificis miſericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo ſperavit, & credidit, æternum capiat, Te miſerante, conſortium. Per Dominum.

Ad Abſolutionem poſt Miſſam faciendam dicitur prima Oratio, videlicet, *Deus, qui inter Summos Sacerdotes Famulum tuum N. ineffabili &c.* (2) ſub concluſione, *Per eundem Chriſtum Dominum Noſtrum.*

COMMENTARIUS.

I. ANtiquiſſimus profecto eſt ritus Chriſtianæque naſcenti Religioni coævus, ut ſingulorum Chriſtianorum, qui vita excesserant, anniverſarius dies ab Eccleſia in animarum utique ipſorum levamen celebraretur. Teſtis eſt pervetuſtæ hujus Diſciplinæ Tertullianus in Libro, *De Corona Militis*, ubi hæc habet: *Oblationes pro Defunctis, pro Natalitiis annua die facimus.* Plura veterum Patrum, atque Scriptorum loca hanc in rem congeſſit doctiſſimus Stephanus Durantus, Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Capite XLIII. Numero VI. Sed ut alios omittam, Amalarius Fortunatus, Lib. III. *De Officiis*, Cap. XLIV. fuſe diſſerit de tertio, ſeptimo, triceſimo, atque anniverſario die Defunctorum, additque, diem ipſum anniverſarium ideo repeti pro Defunctis, quoniam ignoramus, qualiter eorum cauſa habeatur in alia vita: *Sicut Sanctorum anniverſaria dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur ſuper utilitate noſtra; ita Defunctorum ad utilitatem illorum, & noſtram devotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad conſortium Sanctorum. Alioquin omni tempore bonum eſt orare pro Defunctis.*

II. At vero ut de Romanæ Eccleſiæ, ſeu potius Pontificiæ Capellæ ritu dicamus, quod in præſenti Capite dicitur de Anniverſario Pontificis proxime defuncti, non eſt dubium, quin antiquum ſit inſtitutum, cujus mentionem facit Romanus Ordo XIV. Cap. XCVIII. quod eſt de diebus, & Solemnitatibus, in quibus conſueverunt Romani Pontifices Miſſarum Solemnia in perſona celebrare: *In Anniverſario Romani Pontificis Prædeceſſoris ſemel, ideſt, primo anno tantum.* Sequiori ævo licet non ipſi Pontifices celebrarent Miſſam ſolemnem, intereſſe tamen conſueverunt Miſſæ, quam ex præſcripto hujus Cæremonialis ſolet Epiſcopus celebrare & quidem in Capella, præſentibus etiam Cardinalibus. Qui quidem ritus jam ante editionem

(1) Verba iſta, *nunc utitur Pluviale raſi rubri*, deſunt in editione I. Veneta, & Colonienſi; ſed leguntur tamen in Romana. (2) Iſta quoque verba, *ſub concluſione &c.* extant tantum in Romana editione.

Digitized by Google

nem ipsius Cæremonialis in usu fuit, uti constat ex testimonio Burchardi, qui in suo ms. Diario ad annum MCDLXXXV. hæc habet de Anniversario obitus Sixti IV. qui præcedenti anno mense Augusti contigit: *Sabbato 4. mensis Augusti Sanctissimus Dominus Noster paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, Pluviali rubeo, & Mitra simplici, præcedentibus Cruce, & Cardinalibus, venit ad Cappellam majorem, ubi interfuit Missæ Defunctorum pro Anniversario Sixti Papæ Quarti prædecessoris sui per R.P.D. Leonardum Episcopum Albinganen. Vicarium Urbis celebratæ, & in fine ipse Pontifex fecit Absolutionem more consueto. Interfuerunt sex Cardinales tantum in Urbe existentes.* Addit tum etiam, Sacristam ordinasse, ut Papa veniret ad hanc Capellam *cum Cappa de scarlatto*; sed venisse tamen illum *in Pluviali*, juxta suam ordinationem, licet *ipse Sacrista non male dixerat, quoniam in arbitrio Papæ est, velle Pluviali, sive Cappa uti.*

III. Agit & de ipso Anniversario Pontificis proxime defuncti ab ejus Successore celebrando Gratius in suo Romano Ordine, Cap. XI. cujus verba operæ pretium duxi hoc loco describere: *In Anniversario die obitus Papæ præcedentis defuncti Missam pro anima ejusdem defuncti in Capella celebrat aliquis Prælatus consanguineus, vel alumnus Defuncti, ad quam Papa cum Pluviali rubeo, & Mitra alba plana, & Cardinales cum pavonatiis Cappis vadunt, quorum consanguinei habent Cappas de panno, & non de cambello, & non fit Sermo, sed in fine Papa solet absolvere. Omnibus finitis, Cardinales a Defuncto creati vadunt ad Basilicam, ubi sepulchrum circumstantes simul orant.* Sed hic ritus pergendi ad sepulchrum, ubi Pontifex jacet, jam omnino in desuetudinem abiit. Porro nostris temporibus, ac primo præsertim sui Pontificatus anno Benedictus Pontifex XIII. die VI. Martii anni Domini MDCCXXV. celebratis exequiis anniversariis Innocentii XIII. Papæ proxime defuncti, posito in fine Missæ, quam celebravit Cardinalis de Comitibus frater germanus ejusdem Defuncti, Castro doloris ante Solium Papæ, teste Francisco Bolza Cæremoniario Apostolico in suo Diario ad prædictos annum ac diem, *Papa dixit, ut in posterum locetur ante Altare contra consuetudinem Capellæ, absolvitque de more, Acolythis superpelliceatis ministrantibus &c.*

CAPUT XXXI.

De Anniversario Summi Pontificis.

In die annuo assumptionis Summi Pontificis ad Apostolatus apicem solet celebrari Missa Solemnis publica, quam dicere consuevit Presbyter, vel etiam aliquando Episcopus Cardinalis in paramentis rubris, cui Papa, & Cardinales interesse solent more consueto. Missa dicitur de Spiritu Sancto, & in ea dicitur, *Gloria in excelsis Deo*, *Pax vobis*, *Credo*, & una tantum Oratio, videlicet, *Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti &c.* & non, *Deus, qui hodierna die corda Fidelium &c.* Præfatio dicitur de Sancto Spiritu, quæ Missali posita est dicenda a Vigilia Pentecostes usque ad Octavam, omissis in ea verbis, *hodierna die*. Omnia alia fiunt more solito, & non fit Sermo, neque habet hoc Festum Vesperas præcedentes.

COMMENTARIUS.

I. QUemlibet Episcopum Consecrationis suæ diem anniversarium sua in Ecclesia antiquitus recoluisse, fuse nos ostendimus jam Tomo I. Romani Pontificalis, Titulo XIII. in Commentario ad §. LIII. Id sane satis testantur complures antiquorum Sanctorum Antistitum Sermones in hoc habiti, Consecrationis suæ die annua recurrente. S. Augustinus, qui duas in die Ordinationis suæ habuit ad suum populum Homilias, in priori quidem, quæ est Homilia vigesima quarta inter quinquaginta, docet nos, eum a se celebrari diem, quasi cum primum ei gravissima Episcopatus sarcina imponeretur: *Die quidem omni*, inquit, *& omni hora, & cura omnino continua cogitare debet Episcopus, quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illa rationem Domino suo reddat. Verum cum dies anniversarius nostræ Ordinationis exoritur, tam maxime honor hujus Officii, tanquam primum imponatur, attenditur. Interest autem, quod eo die, quo id prius suscepimus, tantum, quemadmodum gerendum esset, cogitamus. At vero consequentibus diebus, præcipueque illo, quo Solemnitas agitur, non solum futura ejus quemadmodum deinceps geri debeant, cauta provisione consulimus, verum etiam præterita, quemadmodum gesta sunt, solicita recordatione recolimus.* Eum itaque diem celebrabat Præsul Sanctissimus, animoque replicabat gesta hactenus sui Episcopatus omnia, & in futurum meditabatur, quo expiari possent commissa præterita, & præcaveri futura. Sed audiamus, ut Homiliam ipsam concludit Augustinus: *Ad summum*, inquit, *omnes obsecro, commendate vos Domino curam pro vobis meam; hanc enim juste expeto pro me vestram, ut quidquid mearum est in præterito offensionum, propitius ignoscat, non severus agnoscat. Quod mihi deinceps temporis sub hac sarcina erit, iter agentem regat, & suis oculis placentem, vobisque utilem faciat, ut non horrorem, ac pœnam meam, sed gaudium, & coronam meam vos ejus conspectus inveniat.* In posteriori vero Homilia, quæ inter quinquaginta est vigesima quinta, complura etiam sunt, ex quibus perspicue

Digitized by Google

picue inſtruimur, uberrimos, publicos æque, ac privatos colligi poſſe fructus ex ea Ordinationis, ſeu Cathedræ cujuſcumque Antiſtitis Feſtivitate.

II. Præ cæteris conſueviſſe olim Summos Romanos Pontifices Aſſumptionis ſuæ ad Summi Pontificatus culmen, & onus diem anniverſarium celebrare, docent nos tres aurei Sermones a S. Leone Magno Pontifice Maximo in anniverſario die ſuæ ad Summum Pontificatum aſſumptionis habiti, in quibus, & gravia Summi Pontificatus onera, & ſumma Romanæ Eccleſiæ ab Apoſtolorum Principe fundatæ in cæteras poteſtas enarrantur. Sed his omiſſis, verba illa dumtaxat deſcribam, quibus finem Sermoni 11. facit, ſic Romanos alloquens: *Licet omnem Eccleſiam, quæ in toto eſt Orbe terrarum cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter cæteros decet meritis pietatis excellere, quos in ipſa Apoſtolicæ Petræ arce fundatos, & Dominus noſter cum omnibus redemit, & Beatus Apoſtolus Petrus præ omnibus erudivit.* Porro conſtat, veteres æque, ac recentiores Romanos Pontifices Maximos ſemper curaſſe, ut aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum celebritas omni animi contentione quotannis perageretur, quo ſcilicet novis veluti viribus inſtruerentur. Anaſtaſius enim Bibliothecarius in rebus geſtis Hadriani I. prodidit, jubente hoc Pontifice, confectum fuiſſe candelabrum maximum in Crucis formam diſpoſitum, in quo cerei mille trecenti ac ſeptuaginta affigebantur, ut arderent ſcilicet in Baſilica S. Petri quater tantum ſingulis annis, nempe Natali Chriſti die, Paſchate, Feſto SS. Petri & Pauli, & eo, quo Antiſtes Maximus Sacerdotio auctus fuerat: *Fecit & Pharum majorem in eadem Beati Petri Eccleſia in typum Crucis, habentem candelas mille trecentas & ſeptuaginta, & conſtituit, ut quatuor vicibus in anno ipſum Pharum accenderent, ideſt, in Nativitate Domini, in Paſcha, in Natali Apoſtolorum, & in Natali Pontificis.*

III. Cæterum quod in noſtro præſenti Capite edicitur, ſolere ſcilicet in Anniverſario Summi Pontificis ad Apoſtolatus apicem celebrari Miſsam Solemnem publicam per Presbyterum, vel etiam aliquando per Epiſcopum Cardinalem, nullumque tunc haberi Sermonem, recentioris eſt inſtituti, & Auguſtini Patricii Cæremonialis hujus ordinatoris ævo adinventi. Nam alias in Ordine Romano XIV. Cap. XCIX. hæc additio facta legitur tempore Joannis Papæ XXII. *In Anniverſario Conſecrationis, ſeu Coronationis Romani Pontificis, idem Romanus Pontifex toto tempore ſuo celebrat Miſſam Papalem de illo Feſto, quod ea ſcilicet die Anniverſarii occurrit, Cardinalibus, & cæteris Prælatis paratis more ſolito, & prædicatur in præſentia Domini Papæ, non per ipſum, ſed per aliquem Cardinalem.* Fieri olim conſueviſſe hujuſmodi Sermonem per ipſum Pontificem, patet ex memoratis ſuperius tribus S. Leonis Sermonibus in die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum anniverſario recitatis, & ex aliis quoque de eodem argumento ab eodem Sanctiſſimo Romano Antiſtite habitis, qui ex mſs. Codicibus in recentioribus S. Leonis Operibus deſcripti ſunt. Porro, ut in ea additione facta in citato Ordine XIV. Romano legitur, *poſt Orationem Feſti dicit Dominus Papa quamdam Orationem pro ſe, quæ debet eſſe ſcripta in Libro Papali.* Ex quo addiſcimus, novum eſse, quod in noſtro Cæremoniali præſcribitur, ut nimirum in ipſo Anniverſario dicatur Miſsa de Spiritu Sancto, atque una tantum Oratio, nempe, *Deus, qui corda Fidelium &c.* cum alias ex ſuperius allato loco debeat dici Miſsa de Feſto currenti, & præter Orationem Feſti, alia Oratio pro Papa, illa haud dubie, quæ & in antiquis Miſsalibus legitur, ideſt, *Deus omnium Fidelium Paſtor, & Rector &c.*

IV. Rurſus ex præſcripto noſtri Cæremonialis non habet ipſe dies Anniverſarius aſſumptionis Papæ Veſperas præcedentes, ſed ſciendum tamen, quod in citata additione legitur: *Licet dictum Anniverſarium*, inquit, *non habet Veſperos Papales, dico, quod non vocantur Cardinales, ut parati ſericis in Veſperis; tamen in Capella ſua Dominus Papa cantat Veſperas Feſti, & fiunt quædam Solemnitates poſtea. Nam dicta Oratione Feſti, repetitur*, Gloria Patri, Sicut erat, *ſolemniter, & dicitur Verſus*, Elegit te Dominus Sacerdotem ſibi &c. *& Papa dicit poſtmodum Orationem pro ſe, quæ debet eſſe ſcripta in Libro.* Sed nec omittenda, quæ in eadem additione notata ſunt de eodem Anniverſario aſsumtionis Pontificis, ſi in aliquam impeditam diem inciderit: *Tamen advertendum, quod ſi Anniverſarium Domini Noſtri fiat die Lunæ, quia eadem die Lunæ eſt Anniverſarium Summorum Pontificum, & Cardinalium, quod etiam Papale. Nam Papa debet celebrare, & Cardinales ſunt parati, licet non prædicetur, induti violaceis, vel nigris. Poterit enim dictum Anniverſarium Paparum, & Cardinalium differri in ſequentem diem, ſi Domino placebit.* Addit demum, conſueviſse iſta eo tempore ſervari, ſed eſſe tamen in arbitrio Summi Pontificis, facere quod ſibi placebit.

V. Porro noſtro Cæremoniali concinunt mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria, inter quos Burchardus ad annum MCDLXXIV. loquens de Anniverſario aſsumptionis Innocentii Papæ VIII. ad Pontificatum ita ſcribit: *Feria ſecunda XXIX. dicti menſis Auguſti Feſto Decollationis S. Joannis Baptiſtæ Anniverſario Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ ad apicem Summi Apoſtolatus, Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Andegavinus Epiſcopus celebravit Miſſam Solemnem in Capella majore Palatii Apoſtolici propter abſentiam Presbyterorum Cardinalium &c.* Celebrandam in ipſo Anniverſario Miſsam de Spiritu Sancto cum una Oratione, notant paſſim veteres Cæremoniarii in ſuis Diariis, præſertim vero Graſsus ad annum MDXVI. *In Vigilia S. Georgii fuit Anniverſarium Sanctiſſimi Domini noſtri Leonis*, nempe X. ejus nominis, *quando ipſe electus, & aſſumptus fuit ad Pontificatum. Reverendiſſimi Domini Cardinales venerunt ad Palatium in Cappis rubeis etiam illi, qui ex particulari luctu violaceum induerant. Una fuit Oratio conſueta de Spiritu Sancto. Quam Miſſam cantavit Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Sanctorum quatuor, & in fine publicavit Indulgentiam ſeptem annorum. Papa in fine non fecit*

Digitized by Google

prandium Cardinalibus, ut alias, quia ipse quotidie jejunat, & non nisi in sero cœnat.

VI. Tandem jussu Pii V. factum est, ut in Anniversario electionis Romani regnantis Pontificis non jam Missa de Spiritu Sancto, sed de Cathedra S. Petri cum Præfatione de Apostolis celebraretur, ut testatur Mucantius in suo ms. Diario ad annum MDLXXIV. ubi sic accessum Pontificis ad Capellam, & solemnis Missæ ritum recenset: *Die decima tertia Maji Missa in Capella pro Commemoratione assumptionis Sanctissimi Domini n. stri Gregorii XIII. ad Pontificatum, ad quam Sanctitas sua venit Sede vestus paramentis albis, & Mitra pretiosa decoratus. Missam celebravit Illustrissimus Dominus Cardinalis de Sermoneta in similibus paramentis albis, licet in Cæremoniali ordinario dicatur de paramentis rubris, ubi erit corrigendum, prout & in eo, quod ibi dicitur, Missam de Spiritu Sancto cum Præfatione decantandam esse. Nam hodie dicitur Missa de Cathedra Beati Petri, & Præfatio de Apostolis juxta Librum Missalem noviter jussu Pii Quinti reformatum. Indulgentiæ fuerunt publicatæ post benedictionem, ita Papa mandante,* Gregorio scilicet XIII.

CAPUT XXXII.

De Anniversario Coronationis Summi Pontificis.

In die annua, qua Summus Pontifex coronatus est, solet (1) Coronationis suæ hujusmodi Anniversarium celebrari. Et sit Missa de Spiritu Sancto pariformiter, ut supra dictum est in die anniversario assumptionis.

COMMENTARIUS.

I. QUando primum post suam electionem coronari cœperint Summi Romani Pontifices, jam diximus supra Tomo I. in Commentariis ad Titulum Secundum. De Anniversario autem hujusmodi Coronationis solemnissimo ritu peragendo fit quidem mentio in Ordine XIV. Romano, Cap. XCIX. ubi legitur additio quædam facta de hac re tempore Joannis Papæ XXII. quam in Commentario superiori descripsimus. Neque enim solius Creationis, sed & Coronationis quoque Papæ viventis Anniversarium celebratur, cujus passim mentionem faciunt Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, & Ordo Romanus Paridis Grassi, Cap. XI. ubi ita inquit: *In die Creationis, & Coronationis Pontificis viventis Missas de Spiritu Sancto in Capella celebrant Presbyteri consanguinei, vel Alumni Papæ, vel ab eo creati Cardinales, ad quas Papa in pretiosis paramentis, & Cardinales in Cappis rubeis vadunt. Dicta Epistola, Papa apud Faldistorium genuflectit pro Versu,* Veni Sancte Spiritus, *& non fit Sermo.* Meminit & ejus ritus Burchardus sic scribens ad annum MCDLXXXV. *Feria secunda . . . . dicti mensis Septembris Anniversarium Coronationis Sanctissimi Domini nostri Innocentii Papæ Octavi. Reverendissimus Dominus Cardinalis Mediolanensis in Capella supradicta celebravit Missam Solemnem consuetis cæremoniis, Papa præsente. Cantores dixerunt Prosam, & alia more solito. Post prandium Cantores venerunt ad Pontificem, qui cuilibet eorum, & etiam Joanni Mariæ Socio meo dedit unum ducatum auri de Camera novum pro jucundo secundi Pontificatus sui anni introitu.*

II. Juxta recentiorem ritum in Rubricis novi Midalis jussu Pii V. editi notatum jam non Missa de Spiritu Sancto dicitur, sed de Cathedra S. Petri dicitur juxta notata in Commentario ad præcedens Caput, in quo attulimus testimonium Mucantii, cui & aliud ejusdem Auctoris hoc loco addendum censui, ac illud quidem, quod scriptum reliquit ad annum Christi MDLXXIII. ubi enarrat ritum servatum in Solemni Missa celebrata in Pontificia Capella pro anniversario Coronationis Gregorii Papæ XIII. multa enim continet, quæ ritum in præsenti Capita præscriptum multo luculentius recensent. Sic autem inquit: *Die XXV. Maji fuit Anniversarium Coronationis Sanctissimi Domini nostri, qui delatus fuit in Sede cum Mitra pretiosa ad Capellam, licet debuerit portare Tyaram, seu Regnum secundum novam reformationem, sed quia per oblivionem, vel quod nullus adverterat, remanserat in Arce S. Angeli, nec potuit in tempore afferri, Sanctitas sua usa est Mitra supradicta. Missam celebravit Reverendissimus Dominus Cardinalis Sancti Sixti nepos ex Fratre suæ Sanctitatis, & fuit prima Missa ejus in Capella, in qua satis bene se habuit. Paratus fuit in Sacristia secundum novam interpretationem. Adveniente autem Pontifice exivit in Capella ad Faldistorium ubi sedens cum Mitra, statim atque Crux ingressa est cancellum Capellæ, surrexit sine Mitra, profunde se inclinando versus Crucem. Tum sic stans cuilibet Cardinali ipsum salutanti caput inclinando, respondebat, quod a nonnullis annis, ut audio, sic fuit usu introductum, licet credam, convenientius fore, si statim facta inclinatione Cruci sedeat cum Mitra, & sic mitratus resalutet, caput leviter inclinando, Cardinales se ipsum salutantes, ut in Libris suis scriptum reliquit olim Paris de Grassis Episcopus Pisaurienſis, & Cæremoniarum Magister, sed hoc erit tractandum in Congregatione.*

III. Consuevisse etiam sequioribus annis celebrari hac die Missam per memoratum laudati Pontificis nepotem, docet idem Mucantius ad annum MDLXXIV. sub die XXV. Maji ubi postquam

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *Solet Coronatio, sive hujusmodi Anniversarium celebrari.*

Digitized by Google

quam dixit, omnia servata fuisse, *prout in die assumptionis ad Pontificatum*, hanc statim exceptionem subjicit, nempe, *quod Papa detulit in capite Tyaram omnium pretiosissimam, quæ proprie convenit huic Festo Coronationis*. Addit tum etiam, fuisse in ipsa Missa Indulgentias XXX. annorum concessas. Sed non unus fuit semper hujusmodi Indulgentiarum numerus.

CAPUT XXXIII.

In Anniversario generali omnium Summorum Pontificum, atque Cardinalium S. R. E. defunctorum.

Solebant Summi Pontifices singulis annis aliquo die post diem Commerationis omnium Fidelium Defunctorum, vel, ut Alexander Quartus ordinavit, Nonis Septembris Missam publicam pro omnibus Summis Pontificibus, & omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus defunctis in Capella Apostolica coram se, & Sacro Collegio celebrari facere more solito, ut supra in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum dictum est. Missam celebrat aliquis Episcopus ornamentis nigris paratus absque Sandaliis, & Chirothecis. Ministri utebantur Tunicella, & Dalmatica, & dicebatur tantum una Oratio, & omnia alia fiebant etiam quoad Absolutionem post Missam, ut supra in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum dictum est. Quod hodie etiam est (1) abolitum. Oratio autem, Secreta, & Postcommunio, quæ dicebantur, hæ sunt, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes Famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe Demine pro animabus Famulorum tuorum quas offerimus Hostias, ut quibus in hoc Sæculo Pontificale, seu Sacerdotale donasti meritum, in Cælesti Regno Sanctorum tuorum jubeas jungi consortio. Per Dominum.

Postcommunio.

Prosit quæsumus Domine animabus Famulorum tuorum misericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo speraverunt, & crediderunt, æternum capiant, te miserante, consortium.

Ad Absolutionem post Missam.

Absolve quæsumus Domine animas Famulorum tuorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitati respirent. Per Dominum nostrum.

COMMENTARIUS.

I. SAnctionem Alexandri Papæ IV. de anniversario omnium Summorum Pontificum, & Cardinalium S. R. E. defunctorum, cujus mentio in hoc Capite fit, describit Romanus Ordo XIV. Cap. c. in quo multa alia addiscimus a laudato Pontifice statuta, de Suffragiis faciendis pro Summis Pontificibus, & Cardinalibus defunctis. Hæc ejus verba: *Dum fideles animas Defunctorum sibi salutis procurare consilium nequeuntes, caritatis instinctu conveniat orationum suffragiis adjuvari, Sanctissimus Dominus Pater Alexander Papa IV. de Fratrum suorum unanimi consilio, & assensu, Anniversarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificum, & Cardinalium obeuntium, Nonis Septembris annis singulis, Vesperis, & Vigiliis pro Defunctis cum novem Lectionibus, & nota solemniter decantatis, statuit celebrari. Ipse Romanus Pontifex, assistentibus sibi Cardinalibus, ut moris est, Missam pro Defunctis celebret solemniter, ipsa die ducentos pauperes refecturus, & viginti quinque reficiat Cardinalis unusquisque, necnon Dominus Papa ducentas Missas faciet decantari.* Itaque juxta laudati Alexandri IV. ordinationem non solum Missa solemnis in Capella decantabatur, verum etiam totum Officium Defunctorum, cujus alias nulla in nostro hoc Capite mentio habetur. Sed & labitur Augustinus Patricius ordinator nostri Cæremonialis, quum ait, Alexandrum IV. ordinasse, *Nonis Septembris Missam publicam pro omnibus Summis Pontificibus, & omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus defunctis in Capella Apostolica coram se, & Sacro Collegio celebrari facere &c.* Expresse enim ex recitato superius loco Ordinis XIV. Romani cautum est, ut *ipse Romanus Pontifex, assistentibus sibi Cardinalibus, ut moris est, Missam pro Defunctis celebret solemniter &c.* Porro insigne hoc pietatis Alexandri IV. monumentum ex Cæremoniali Romano, quod etiam manu scriptum asservatur in Bibliotheca Vaticana Num. 4737. legere est quoque apud Raynaldum in Addendis Tomi III. Annalium suorum, & apud Pagium in Vita ejusdem Alexandri Papæ IV. Num. XL.

IV. Quic-

(1) In Romana editione perperam legitur, *abolitum*.

Digitized by Google

IV. Quicquid sit, testatur idem Patricius in hoc nostro Capite, pium usum ab Alexandro IV. Pontifice institutum in desuetudinem abiisse: *Quod hodie etiam est abolitum*. Sane Benedictus XIII. veteris sanctioris disciplinæ restitutor, pium & illum usum renovavit in suo Romano Concilio anni MDCCXXV. Titulo XV. Capite IV. ubi tamen diversa statuit Anniversaria pro Summis Pontificibus, & S. R. E. Cardinalibus: *Antiquum nos attamen, ac pium ipsum commendantes usum, atque dispositioni etiam inhærentes Cæremonialis Episcoporum, dignum, & congruum arbitramur, ut prisca resumatur consuetudo, & solemne pro Summis eisdem Pontificibus perpetuum ab eo, quod pro Cardinalibus agitur omnino distinctum, coram etiam Pontifice, & sacro ipso Collegio de more, Papali prout in dicto Cæremoniali cavetur*, quod nos scilicet Commentariis illustramus, *prima die post Fidelium Defunctorum Commemorationem agatur cum Missa, & Absolutione in fine. Quod similiter Octavam infra eandem in Patriarchalibus saltem, & Collegiatis Urbis celebrari statuimus, atque mandamus*.

V. Huc spectat, quod in suo ms. Diario ad annum MDCCXXVI. qui fuit III. Pontificatus Benedicti XIII. notavit Franciscus Bolza Cæremoniarius Apostolicus, quodque peculiares ritus nos docet, qui tunc primum cœpere esse in usu in Pontificia Capella. Sic enim inquit: *Die V. Novembris Feria tertia Capella in Sacello Sixtino Palatii Vaticani, in quo juxta novissimum Concilii Romani Decretum, Papa solemniter de Requiem celebravit pro omnibus Summis Pontificibus Prædecessoribus suis. Qua de causa pervenit ad Palatium Vaticanum ex Cœnobio Montis Marii hora XIV. cum dimidio, recepitque se in Sacello S. Pii, ubi audivit Sacrum de Requiem a proprio Capellano factum, descenditque per gradus secretos Mozzetta redimitus ad Cubiculum Sacrarii, eaque a Cardinalibus Diaconis exutus, ornatus fuit sacris indumentis cum Pluviali nigro, ac Mitra simplici, & Cruce præcedente, venit ad præfatum Sacellum, oravit, ac Sedem eminentem conscendit, eique statim ab Oratore Bononiæ delata fuit aqua ad lavandum manus, linteum ministrante Eminentissimo Cardinale primo Presbytero adhuc Cappato, cæteris Cardinalibus interim nigra indumenta sumentibus. Inde Papa legens Orationes indutus fuit a Diacono Missæ omnibus Missalibus nigri coloris, cum Pallio, demptis Succinctorio, & Fanone; ac nulla præunte Supplicatione, venit ad Altare, fecit Confessionem, illud conscendit, eoque osculato, Mitra redimitus Solium conscendit, & alia fecit, ut in eadem Missa in Ecclesia Lateranensi diximus die XXVII. Aprilis MDCCXXV. Qua completa, expositum fuit consuetum Castrum doloris in conspectu Altaris, dum Papa in Solio dimissis per manus Diaconi Missæ indumentis Missalibus usque ad Stolam exclusive, redimitus fuit Pluviale nigro, & recedente præfato Diacono, mansit in assistentia Priorum Presbytero, dum Cantores cecinerunt* R. Libera me Domine &c. *quod Papa submissa voce memoriter recitavit. Inde eodem Eminentissimo Presbytero ministrante, thus in thuribulo posuit, in Sede stans dixit*, Pater noster, *asperfit, atque thurificavit, cecinitque, stantibus duobus Acolythis cum candelabris, eodemque Eminentissimo Presbytero Librum sustinente, preces, & Orationem*, Absolve &c. *nec Castrum signavit, dum dixit*, Requiem æternam, *sed tantum Cantores dixerunt* Requiescant in pace; *quod non concordat cum Rubrica Pontificalis, descenditque ad Presbyterium, oravit, rediitque ad Cubiculum Sacrarii, exutusque a Cardinalibus assistentibus, in Sacrario gratias egit, & illico eo modo, quo venerat, Cœnobium Montis Marii repetiit.*

VI. Pergit laudatus Apostolicus Cæremoniarius, aliaque narrat, quæ ad recitatam hactenus functionem spectant, quæque iccirco censuimus & hoc loco describere: *In Assistentia*, inquit, *fuerunt Eminentissimi S. Clementis nuncupatus Presbyter cum Pluviale, Diaconus Missæ, Albanus; Diaconi assistentes Alterius, & Petra, hic Dalmatica redimitus, quamvis ex Ordine Presbyterali, absente altero Diacono, qui vix actione inchoata supervenit, nec mutatus fuit. Omnes fuerunt xiij. Subdiaconus R. P. D. Cornelius. Ad Selium nullus. Episcopi assistentes plurimi, duo non assistentes, R. P. D. Gubernator Urbis et duo Protonotarii. jv. Magistri Generales, Conservatores, Orator Bononiæ, Pœnitentiarii cum Casulis, cæterique Officiales soliti. Cera fuit cerulea, nec additum fuit septimum candelabrum, ac supra cancellos sex funalia tantum ardebant*. Atque hæc sunt, quæ ritum spectant solemnis Missæ pro Defunctis a Benedicto Papa XIII. primum celebratæ in Capella Pontificia Vaticana anno MDCCXXVI. postquam scilicet in Lateranensi Basilica anno MDCCXXV. absoluto ibidem suo Romano Concilio, die XXVII. Aprilis Feria VI. solemniter pro Defunctis celebravit; quamvis antiqua Pontificiæ Capellæ Cæremonialia passim nos doceant, Summum Pontificem nunquam consuevisse celebrare solemniter pro Defunctis.

VII. Tandem quod idem Benedictus Pontifex XIII. statuerit distinctum a Summis Pontificibus pro Cardinalibus defunctis quotannis solemne Anniversarium celebrari, hinc teste eodem Bolza in citato ms. Diario ad annum Domini MDCCXXVI. habita fuit *die 6. Novembris Capella in Sacello Sixtino Palatii Vaticani pro animabus omnium S. R. E. Cardinalium, ad quam, non obstante contraria consuetudine, interesse voluit Papa, qui summo mane ex Cœnobio Montis Marii descendens ad Vaticanum, se recepit in Sacello S. Pii, Sacrum a Capellano factum audivit, descenditque per gradus secretos ad Cubiculum Sacrarii, indutusque a Cardinalibus Diaconis vestibus sacris cum prædicto pretioso Pluviali* (de brocato) *Cruce præcedente, processit ad Sixtinam, precibusque effusis, Confessionem fecit cum Eminentissimo Sanctæ Agnetis nuncupato, Sacri Collegii Camerario, omnibusque de more factis, Celebrans recessit, & Papa, exposito de more Castro doloris, absolvit, ut diximus in die omnium Fidelium Defunctorum, precibusque effusis in Sacrario vestes sacras dimisit, & illico Montem Marium repetiit*. Addit mox, in Assistentia fuisse Cardinales, S. Clementis Presbyterum, Alberonum, & Albanum, Diaconos.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De Missa, quæ pro animabus Imperatoris, Cardinalium, & Regum noviter defunctorum in Capella dici consuevit.

Consueverunt Romani Pontifices, quotiescumque Imperator, aut aliquis Cardinalium, vel Rex moritur in Romana Curia, vel extra, etiamsi Exequiæ publicæ in Ecclesia, in qua sunt sepulti, aut alibi sint habitæ, unam Missam publicam in Capella Palatii facere celebrare, & illi etiam interest Pontifex paratus, ut supra in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum dictum est. Celebrat aliquis Episcopus in paramentis nigris sine Sandaliis, & Chirothecis, & Ministri utuntur Dalmatica, ac Tunicella, ac omnia alia fiunt quoad Absolutionem post Missam, ut supra in dicto die Commemorationis Animarum ordinatum est, exceptis Oratione, Secreta, & Postcommunione, quæ dicuntur, prout infra ordinatur.

Oratio pro Imperatore defuncto.

Oratio hæc plenius cum Orationibus continetur in Ordinario, ubi vide, si placet.

Oratio pro Episcopo Cardinali defuncto.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes Famulum tuum N. Episcopum Cardinalem Pontificali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio.

Secreta.

Suscipe Domine pro anima Famuli tui N. Episcopi Cardinalis quas offerimus Hostias, ut cui in hoc sæculo Pontificale donasti meritum, in Cælesti Regno Sanctorum tuorum jubeas jungi consortio. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Absolve quæsumus Domine. animam Famuli tui N. Episcopi Cardinalis misericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo speravit, & credidit, æternum capiat, Te miserante, consortium.

Ad Absolutionem post Missam.

Absolve quæsumus Domine animam Famuli tui N. Episcopi Cardinalis ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitatus respiret.

Oratio pro Rege defuncto.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam Famuli tui N. Regis, quem de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Annue nobis Domine, ut animæ Famuli tui N. Regis hæc prosit Oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Absolve quæsumus Domine animam Famuli tui N. Regis ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitatus respiret. Per Dominum nostrum.

Ad Absolutionem post Missam.

Absolve quæsumus Domine animam Famuli tui N. Regis, ut defunctus sæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tua venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio pro Presbytero Cardinale defuncto.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes Famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe Domine quæsumus pro anima Famuli tui N. Presbyteri Cardinalis quas offerimus Hostias, ut cui in hoc sæculo Sacerdotale donasti meritum, in Cælesti Regno Sanctorum tuorum jubeas jungi consortio. Per Christum Dominum nostrum.

Postcommunio.

Prosit quæsumus Domine animæ Famuli tui N. Presbyteri Cardinalis misericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo speravit, & credidit, Te miserante, æternum capiat consortium. Per Dominum.

Ad

Digitized by Google

Ad Absolutionem post Missam.

Absolve quæsumus Domine animam Famuli tui N. Presbyteri Cardinalis ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum.

Pro Diacono Cardinali defuncto.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam Famuli tui N. Diaconi Cardinalis, quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum.

Secreta.

Annue quæsumus Domine, ut animam Famuli tui N. Diaconi Cardinalis hæc prosit Oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum.

Postcommunio.

Absolve quæsumus Domine animam Famuli tui N. Diaconi Cardinalis ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum.

Ad Absolutionem post Missam.

Absolve quæsumus Domine animam Famuli tui N. Diaconi Cardinalis, ut defunctus sæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, Tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. DOcet in præsenti Capite Augustinus Patricius nostri hujus Cæremonialis ordinator, consuevisse Romanos Pontifices, quotiescumque Imperator, aut aliquis Cardinalium, vel Rex moreretur in Curia Romana, vel extra eam, etiamsi Exequiæ publicæ in Ecclesia, in qua sunt sepulti, aut alibi sint habitæ, unam Missam publicam in Capella Palatii Apostolici celebrari, cui ipsi intererant parati, ut supra in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum dictum est. Sane quod Cardinales Defunctos spectat, teste Gajetano in Ordine Romano XIV. Cap. c. Alexander Papa IV. qui Sanctionem edidit de Anniversario celebrando Nonis Septembris pro Summis Pontificibus, & S. R. E. Cardinalibus defunctis, de quo superius diximus, *ordinavit etiam, ut Cardinali obeunte, tam idem Summus Pontifex, quam Cardinales in Capellis suis cantent cum nota solemniter pro Defunctis; idemque Romanus Pontifex ducentos pauperes pro ejus anima pascat, & viginti quinque quilibet Cardinalis; immo & ipse Dominus Papa Missas pro Defunctis ducentas, & viginti quinque Cardinalis quilibet postmodum faciat celebrari*, Itaque juxta hanc Sanctionem obeunte Cardinale, non modo ejus Collegæ Cardinales in Capellis suis, verum etiam Papa in sua Capella Missam cantabant *cum nota solemniter pro Defunctis*. Abiisse autem in desuetudinem pium hunc usum, adeo ut nec ejus memoria extaret seculo XIV. ex Petro Amelio Auctore Ordinis Romani XV. qui eo Seculo claruit, addiscere licet. Is quippe Cap. CXXXIV. expresse ait, nunquam ipsum Pontificem celebrare *in Pontificalibus pro Defunctis, sed secrete*.

II. Ob mortem non modo Imperatoris, verum etiam aliorum Principum consuevisse olim coram Papa, & Cardinalibus celebrari solemnem Missam, absque funebri Oratione in eorum laudem, excepto Imperatore, addiscimus ex citato Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. CXXXIV. ubi hæc habet: *Sciendum, quod in Missis Militum, Baronum, Ducum, Comitum, Regum, & Imperatorum, quæ celebrantur coram Papa, nunquam est Sermo, nec etiam in sui absentia, ubi sunt Cardinales, sed, si Cardinales non essent, Sermo potest fieri*. Sane pro solo Imperatore fieri debere Sermonem, & quidem post Missam, & ab aliquo ex Cardinalibus, subdit mox idem Ordo Romanus loco citato: *Si contingeret*, inquit, *Romanum Imperatorem diem suum extremum claudere in Curia Romana, sive in Urbe, sive extra, post Missam debet fieri Sermo, quem debet facere aliquis Cardinalis, & intersunt Cardinales*. Notandum rursus monet, *quod Sermo solummodo fieri debet pro Romano Pontifice, vel pro Cardinali in die Sepulturæ, dumtaxat in præsentia Cardinalium, excepto Imperatore*.

III. Agit & de exequiis Imperatoris, & Regum in Pontificia Capella celebrandis Grassus in suo Romano Ordine Cap. XI. ubi expresse ait, nulla facta distinctione, nullum tunc habendum Sermonem: *Pro Imperatore, aut aliquo Rege Christiano defuncto Missam solet celebrare in Capella Prælatus quispiam de natione defuncti. Papa, & Cardinales, sicut in Anniversario, accedunt ad Capellam, ubi non fit Sermo, sed in fine Papa absolvit, si placet; sin autem Celebrans*. Invaluit tamen usus, ut non solum pro Imperatore, & pro Regibus defunctis solemnis in Pontificia Capella Missa, verum etiam Sermo in defuncti Principis laudem fiat, sicut non ita pridem factum fuit pro Rege Catholico Hispaniarum Philippo V. & pro Fidelissimo Rege Portugalliæ Joanne V. Cæterum consuevisse eas Missas celebrari in Capella per aliquem ex Episcopis Ditionis Regis defuncti, & in fine fieri a Papa Absolutionem, docent Cæremoniarii Apostolici, inter quos etiam Grassus ait, rogari consuevisse Papam de hac Missa celebranda in Capella ab Oratoribus Regum.

SA-

Digitized by Google

SACRARUM CÆREMONIARUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

LIBER III.

ANtequam Titulos, & Capita hujus Libri III. Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ enarremus, nequid omittamus quod in ſingulis Cæremonialis hujus ab Auguſtino Patricio Apoſtolicarum Cæremoniarum ſub quatuor Pontificibus Maximis Magiſtro ordinati, & a Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo vulgati editionibus reperitur, operæ pretium duximus Præfationem in hunc Tertium Librum deſcribere, quæ in prima Veneta editione anni MDXVI. & in Colonienſi anni MDLVII. legitur, omnino autem in editione Romana anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi deſideratur. Eſt autem Præfatio illa hujuſmodi.

Tertius hic mihi, ac ultimus Liber abſolvitur, ut nihil etiam curioſo deſit. Perſecuti autem ſumus, cum alia, tum vero & minima quæque, quæ neglecta, aut imperitiæ, aut negligentiæ notam inurant: tametſi in his, quæ ad pietatem ſpectant, quidnam ſit minimum, quid omitti jure poſſit, non video. Gravius certe offendunt ea neglecta, quæ majora ſunt, quæque ſummam ipſam pietatem attingant; & hæc ubi conniveas, non parvum etiam momentum ad caſum lapſumque faciunt. Utinam hæc ætas tam conſtanter illa retineret, quam diligenter a Majoribus noſtris & obſervata ſunt, & nobis etiam veluti per manus tradita. Illud certe hac in parte diſſimulare non poſſum, quod quanto minori ambitione Veteres Deum Optimum Maximum coluere, tanto fortaſſe Deo gratiores, acceptioreſque fuerunt eorum preces. Nec enim Superi aliud a nobis exigunt, quam mentem, animamque puram, quam quandocumque afferas, illi vero veniam facillimi tribuant. Nec tamen cultus hic noſter, qui ad nos attinet, aſpernendus eſt, qui nihil tale, tantumque præſtare Deo poſſumus, quod parem illi meritorum in nos gratiam referat. Quare meo judicio, qui & impenſiorem ornatum, & magnificentiorem apparatum impolluta animi pietate, ac Chriſtiana ſimplicitate Deo exhibet, illi plane nihil deeſſe poteſt, quod ad abſolutam, perfectamque Religionem attineat. Quod ut plane præſtet, hi etiam Libri inprimis faciunt: quos eo libentius edendos, publicandoſque curavi, quod exiſtimarem ſummum illud Religionis, ac pietatis noſtræ faſtigium, quod Romæ tantum obſervari ſoleat, hactenuſque uni, aut alteri cognitum erat, intellectum nunc demum ab omnibus admirationem primum, tum vero etiam ingentem voluptatem legentibus allaturum.

TITULUS I.

DE REVERENTIIS.

REverentia a verbo *revereor*, eſt honoris alicui exhibitio, & quidem non Deo ſolum, ſed & rebus ſacris, ac hominibus etiam natu majoribus, ac dignitate; unde definiri ſolet, ingenuus quidam pudor cum obſervantia quadam conjunctus, qualis eſt minorum natu erga Majores, & populorum erga Magiſtratus, & Diſcipulorum erga Præceptores. Plura hic adnotare ſupecvacaneum eſt. Ac quibus reverentiis intelligendus ſit Titulus præſens, ex ſequentibus Capitibus conſtat, quæ nos mox deſcribemus, & explicabimus.

CAPUT I.

De reverentia Altaris.

Accedens primum ad Eccleſiam, ſive Capellam Pontifex, genuflectit ante Altare ſuper Faldiſtorium, & capite detecto orat. Cardinales, Prælati, & alii omnes, tam Clerici, quam Laici ſimiliter primum intrantes genuflectunt in terram. orantque. Pontifex ſurgens ab Oratione cum Mitra veneratur Altare, caput inclinando, antequam inde deſcedat. Cardinales quotiens vadunt verſus Altare, vel ante illud tranſeunt, profunde caput inclinant Altari. Alii omnes, tam Epiſcopi, quam Clerici, ſive Laici tranſeuntes ante Altare genuflectunt.

COMMENTARIUS.

REverentiam Altari exhibendam, & Divina Sacrarum Scripturarum oracula, & dicta Sanctorum Patrum, & veterum Chriſtianorum exempla nos docent, apud eruditiſſimum Stephanum Durantum, Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XV. Teſtis eſt Tertullianus in Libro, *De Pœnitentia*, & alibi, Chriſtianos antiquitus venerari Aras Dei conſueviſſe, eiſque adgeniculari. Ad Altare cum fide ſolitam fuiſſe ſe proſtrare Gorgoniam, teſtis eſt S. Gregorius Nazianzenus Oratione, quam in ejus laudem habuit, ubi etiam miracu-

Digitized by Google

lum insigne commemorat . Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum , cum ab Arianis premeretur , ad Altare progressum , in faciem coram sacra Mensa se prostrasse , & cum lacrymis orasse , Auctores sunt S. Epiphanius Hæresi LXVIII. & Sozomenus Lib. II. *Historiæ*, Capite XXXVII. Honorem debitum præstari Altari , quod Corpus Christi accipit , hortatur Sanctus Chrysostomus Homilia XX. in Epistolam II. Pauli Apostoli ad Corinthios ; testemque habemus S. Ambrosium , veteres Christianos venerationis ergo solitos fuisse Altaria deosculari .

CAPUT II.

Quod Romanus Pontifex nemini reverentiam facit .

Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit , assurgendo manifeste , aut caput inclinando , seu detegendo . Romanorum vero Imperatori , postquam illum sedens ad osculum pedis , & manus suscepit , aliquantulum assurgit ad oris osculum mutuo charitatis amplexu illum benigne recipiens . Idem aliquando facit & magnis Regibus . Ceteros omnes , tam Principes , quam Prælatos cujuscumque dignitatis sint , cum ad oris osculum eos recipit , non assurgit , sed sedens recipit . Consueverunt tamen Pontifices Cardinalibus , & maximis Principibus privatim adventantibus , & reverentiam facientibus , cum non sint in Pontificalibus , aliquantulum caput inclinare , tanquam reverentiam reddentes ; & hoc non ex officio , sed ex laudabili humanitate .

COMMENTARIUS.

I. NOtum jam omnibus est summam esse Romani Pontificis Maximi dignitatem , nullumque esse in Orbe terrarum , qui eidem æquiparari possit . Dictus est Patriarcha Oecumenicus , & Ecclesiæ Caput in generali Concilio Chalcedonensi. A nominis novitate jam non abhorruit Concilium etsi triginta Episcoporum esset supra sexcentos , ubi S. Leoni Papæ I. oblati a Clericis Alexandrinis libelli illum Patriarcham Oecumenicum nuncupabant . Tantum autem abest , ut illa nominis gloria invidiam Leoni conflarit , ut in Synodali ad ipsum Epistola , *Patrem* Illum , & *Caput Ecclesiæ* , cui Christus vineæ suæ curam commisisset , Patres ipsi appellarint . Hoc ergo statim sonare vium est Nomen Oecumenici superiorem quandam , & generalem in omnem Ecclesiam auctoritatem . Quo sensu illud ipsum Hormisdæ Papæ tribuerunt Archimandritæ secundæ Syriæ in ea relatione , quæ est scripta ad ipsum Pontificem , legiturque in Collectione Conciliorum post Epistolam XII. Hormisdæ : *Universæ Orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ supplicatio Archimandritarum vestræ secundæ Syriæ &c. Nam Caput estis omnium &c. Urbis occurrit grex cognoscere suum Pastorem &c.* Quot ibi voces , tot argumenta supremæ dignitatis , auctoritatisque universalis Summi Romani Pontificis per omnes universas Ecclesias, Ecclesiarumque universarum reverentiæ debitæ Romano ipsi Pontifici Maximo ; mirumque iccirco videri non debet , si Romanus Pontifex omnium Pastor , & Pater , ac Princeps , *nemini omnino reverentiam facit , assurgendo manifeste , aut caput inclinando , seu detegendo* .

II. Deberi & hunc honorem Pontifici ab Imperatoribus , Regibusque , ac Summis Principibus , ut ipsi genua flectant Pontifici , ejusque pedes deosculentur , atque stratoris officio fungantur , aut habenas equi regant , Tomo I. hujus Operis abunde jam demonstravimus , variaque id genus exempla jam satis ostendunt , recte in hoc Capite præscribi , Romanum Pontificem nemini omnino mortalium debere reverentiam facere , assurgendo manifeste , aut caput inclinando , seu detegendo . Sed nec immorandum in reliquis hujus Capitis cæremoniis explicandis , cum etiam de ipsis non uno in loco superiorum Commentariorum diserueri-mus , ubi se se nobis occasio præbuit .

CAPUT III.

De reverentiis , quæ Romano Pontifici exhibentur .

Omnes mortales , & præsertim Christifideles cujuscumque sint dignitatis , & præeminentiæ , cum primum in conspectu Pontificis adveniunt , distantibus spatiis ter ante illum debent genuflectere , & in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi , cujus vices in terris gerit , ejus pedes osculari . Imperator , Reges , maximi Principes , Principum , seu Potentatuum Oratores prima vice , & ad osculum manus , & oris recipiuntur , alii ad pedis tantum . Cardinales vero profunde se inclinant bis , & tertio flectunt genu noviter venientes , & osculantur pedem . Pontifici Sacra tractanti Cardinales dextram manum sub auriphrygio Pluvialis osculantur , Episcopi , Prælati parati genu dextrum tantum . (1) Imperatores , Reges , maximi Principes , & omnes alii in omnibus actibus pedem . Sed cum Pon-

(1) Verba ista , *Imperator , Reges &c.* usque ad illa verba , *Prælati parati genu tantum* , extant quidem in Romana editione , & desiderantur in Veneta I. & Colonien si .

Digitized by Google

Pontifex Candelas, Palmas, ſeu Agnus Dei diſtribuit, Cardinales parati manum primum, deinde genu oſculantur, Prælati parati genu tantum, Imperatores, Reges, & maximi Principes manum, & pedem.

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi de honoribus Romano Pontifici Maximo exhibendis, ac præſertim de oſculatione ejus pedum, ſparſim in hoc Opere non uno in loco dixerimus, cum tamen peculiari Capite agatur hoc loco de reverentiis, quæ Romano Pontifici exhibentur, nonnulla iterum dicemus, ne videamur rem ſummi momenti, qualis eſt reverentia Chriſti Vicario debita, ſilentio præterire. Teſte Anaſtaſio, ubi Joannes Papa I. a Theodorico Rege Conſtantinopolim miſſus eſt, effudit ſe illi obviam Urbs tota cum Crucibus, & facibus ad duodecimum uſque lapidem, Principibus Apoſtolorum tanto cum depenſo honore, quibus & illud Juſtinus Imperator præſtitum voluit, ut eorum Succeſſorem in terram proſtratus adoraret, ab eoque Coronam Imperii acciperet: *Occurrerunt Beato Joanni Papæ a milliario duodecimo omnis Civitas cum cereis, & Crucibus in honorem Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli*. Et paulo poſt: *Tunc Juſtinus Auguſtus dans honorem Deo humiliavit ſe pronus in terram, & adoravit Beatiſſimum Joannem Papam gaudio repletus, quia meruit temporibus ſuis Vicarium Beati Petri Apoſtoli videre in Regno ſuo, de cujus manibus cum gloria coronatus eſt Auguſtus*. Iiſdem honoribus, ut idem Anaſtaſius ſcribit, Agapetus quoque Papa a Juſtiniano exornatus eſt, ubi a Theodato Gothorum Rege miſſus Conſtantinopolim venit: *Tunc piiſſimus Auguſtus Juſtinianus gaudio repletus humiliavit ſe Sedi Apoſtolicæ, & adoravit Beatiſſimum Agapetum Papam*. Fruſtravit quidem his honoribus idem Juſtinianus Vigilium Papam, ſed eam jacturam Populus Conſtantinopolitanus reſarſit, ut rem laudatus Anaſtaſius narrat: *Tunc obvius eſt ei Imperator, & oſculantes ſe cœperunt flere; & plebs illa pſallebat ante eum uſque ad Eccleſiam Sanctæ Sophiæ, dicens*: Ecce advenit Dominator Dominus &c.

II. Longum eſſet innumera pene exempla honoris Romano Pontifici ab Imperatoribus Regibuſque Chriſtianis omni ævo exhibiti hoc loco referre, tum præſertim, quod, uti etiam in fine ſuperioris Commentarii notavimus, in noſtris Tomi 1. hujus Operis Commentariis, ubi ſeſe nobis dedit occaſio, abunde diſſeruerimus, allatis veterum Scriptorum, ac variis Romanorum Ordinum teſtimoniis, in quibus paſſim recenſetur humilis omnium erga Romanum Pontificem Maximum reverentiæ.

CAPUT IV.

De ſolemni reverentia Cardinalium, quomodo, & quando fiat.

Quotieſcumque Pontifex Paludatus, & Mitratus in publicum exit, ſive ad Divinum Officium, ſive ad Conſiſtorium, exhibetur ei ſolemnis reverentia a Cardinalibus in hunc modum. Poſtquam Pontifex in Sede ſua aliquantulum quieverit, ſive in Capella, ſive in publico Conſiſtorio, aſſiſtentibus ſibi duobus Diaconibus hinc inde, Prior Epiſcoporum Cardinalium incipiens anteriorem Cappæ ſuæ partem manibus elevans, & caudam illius per terram trahens, verſus Pontificem proficiſcitur. Cum autem ante illius faciem ex oppoſito venit, firmans ſe, & manibus extenſis ab interiori parte Cappam capiens, manus ſic Cappa involutas elevans, ſimul jungit ante pectus, & profunde ante Pontificem caput, & humeros inclinat. Idem prius facit ante Altare, ſi eſt in Capella; tum recta (1) procedens ad Pontificem, manus ad pectus cum Cappa tenens, ne illa greſſum impediat, gradus Solii Pontificalis aſcendit, & Pontificis manum dextram ſub auriphrygio Pluvialis protenſam oſculatur. Deinde aliquantulum retrograde a Sede diſcedens, profunde iterum Pontifici ſe inclinat, & ad ſiniſtram ſuam ſe vertens, ad locum ſuum revertitur. Idem omnes faciunt ſuo ordine. Prior Epiſcoporum Cardinalium, ſi Miſſa tunc eſt celebranda, cum fecit reverentiam, firmat ſe ad dextram Pontificis, & miniſtrat incenſum, ut inferius dicemus, cum de incenſatione tractabimus. Inde ad locum ſuum revertitur. Duo Diaconi (2) aſſiſtentes, ſi non fecerunt reverentiam in Camera Pontificis, cum illum Sacris induerunt, quod facere plerumque ſolent, faciunt nunc in loco ſuo poſt Presbyteros Cardinales. Hujuſmodi reverentia a Cardinalibus non fit, niſi ſemel in die, quocumque tempore, neque unquam eodem die reiteratur, etiam ſi bis eodem die convenirent, videlicet, ad Miſſam, & ad Veſperas; & nunquam fit, niſi Pontifex ſit cum Pluviali, &

(1) Ita videtur omnino legendum, nempe, *recta*, licet in omnibus editionibus, ſcilicet Veneta 1. anni 1516. Colonienſi 1557. & Romana 1560. quibus nos utimur, legatur, *rectæ*.

(2) Verbum, *duo*, legitur in editione Veneta 1. & Colonienſi; in Romana autem deſideratur.

Digitized by Google

Mitra, neque unquam sit in Officio Defunctorum, aut in die Veneris (1) Sancti, etiamsi Papa haberet Pluviale, & Mitram.

N O T A.

I. QUam ea, quæ in hoc Capite statuuntur de solemni reverentia Cardinalium exhibenda Pontifici, quotiescumque hic Paludatus, & Mitratus in publicum exit, sive ad Divinum Officium, sive ad Consistorium, adeo perspicua sint, ut nulla nostra enarratione indigeant, occurrantque passim in Pontificiis functionibus jam alias a nobis suis locis explicatis, supervacaneum censuimus in ipso illustrando Capite diutius immorari.

C A P U T V.

De reverentia Cardinalium erga Pontificem.

Item Cardinales, quotiescumque Papa surgit in Capella, & ipsi surgunt; transeunte ante eos Pontifice, discooperiunt caput, & se inclinant; cum loquuntur cum Pontifice in Circulis, aut in publico, detecto capite inclinati loquuntur; clam vero, & in Consistorio secreto, jussi sedent, & cooperiunt; similiter cum Papa vertit ad quemlibet eorum sermonem, ille talis surgit, & caput detegit, & sic permanet, nisi jubeatur a Papa sedere, & similiter cum respondet. Item cum Papa nominat *Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales*, omnes assurgunt aliquantulum, & caput detegunt. Cardinales discedentes de Curia, vel de novo redeuntes, sive publice, sive privatim recedant, vel recipiantur a Pontifice, osculantur pedem ejus, & elevati manum, & os, si invitentur, maxime cum revertuntur.

N O T A.

I. ITerum & in hoc Capite agitur de Cardinalium reverentia erga Pontificem, de qua etiam in superioribus Commentariis dictum est; dictumque etiam alibi fuit, quod in fine Capitis hujus edicitur, Cardinales nempe discedentes de Curia, vel de novo redeuntes, sive publice, sive privatim recedant, vel recipiantur a Pontifice, debere pedem ejus deosculari, elevatosque manum, & os, si tamen a Pontifice invitentur, maxime cum revertuntur.

C A P U T VI.

De reverentia Cardinalium inter se.

Cardinales inter se se, & gestis, & verbis, & nutu summam exhibent reverentiam, stando, sedendo, eundo, equitando, & in rebus omnibus alter alteri deferendo. Quando aliquis Cardinalium in præsentia Pontificis publice celebravit, si Papa discedat a Capella, antequam Cardinalis deponet sacras vestes, tunc duo sui Ordinis Cardinales remanent in scamno suo illum expectantes; & cum ille, reassumpta Cappa sua, a Faldistorio discesserit, vadunt illi obviam, congratulantur de celebratione devote peracta, & deducunt illum, ubi sunt alii Cardinales. Si autem Papa est adhuc in Capella, ille, reassumpta Cappa, vadit ad locum suum, & nullus Cardinalis illum expectat, aut obviam vadit, neque per illos fit ei assistentia, præsente Pontifice. Fit autem ex eis assistentia, absente Pontifice, in principio, & in fine ab aliis Prælatis domesticis suis, aut particularibus amicis suis; & cum Cardinalis, absente Pontifice, est facturus Officium, semper, antequam incipiat, petit licentiam per Cæremoniarium ab aliis Cardinalibus; & quoties ex Faldistorio vadit ad Altare, facit eis reverentiam, & illi aliquantulum (2) ei assurgere debent.

COMMENTARIUS.

I. MAndat Apostolus quidem cunctis Fidelibus ut sese invicem honore præveniant; multo magis id locum habet in Cardinalibus, qui quum dignitate æquales, officio Collegæ, conjunctione Fratres sint, debent inter se se, & gestis, & verbis, & nutu summam exhibere reverentiam, stando, sedendo, eundo, equitando, & in rebus omnibus alter alteri deferendo, ut recte in hoc præsenti Capite edicitur. Ceterum quum & alia, quæ in eodem Capite præscripta sunt, jam alias enarrata fuerint a nobis, inutilis laboris est velle eadem & hoc loco repetere. Legi nihilominus possunt, qui de Cardinalium Officiis scripsere.

CA-

(1) Verba hæc minus recte scripta sunt, debuissent potius dici, Feria VI. in Parasceve.
(2) Ita in Romana editione; in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur, &c.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quando assurgunt Cardinales, & Prælati in Capella.

Inter Sacra si Episcopus, aut Presbyter Cardinalis assistens assurgit aliquid acturus, aut dicturus, duo Diaconi assistentes, & similiter Episcopi assistentes assurgunt, alii autem Cardinales, & Prælati non surgunt. Si vero aliquis ex aliis Cardinalibus surgit, omnes alii Cardinales, & Prælati, qui sunt in Capella, surgunt, præter assistentes.

COMMENTARIUS.

I. Esse Collegium S. R. E. Cardinalium accuratam antiquissimorum Ecclesiarum Cathedralium Capitulorum imaginem, compluries in hoc Opere nostro notavimus, viderique iccirco possunt, quæ diximus in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, præsertim Tomo I. Capite XVIII. quod est de reverentiis, & genuflexionibus, sessionibus, & assurgendi modis, observandis tam per Episcopos, & Canonicos, quam alios quoscumque &c. Multa enim in Commentariis ad ipsum Caput Lector inveniet, quæ explicando huic & sequenti nostri Cæremonialis Capiti non parum lucis afferunt.

CAPUT VIII.

De reverentia Cardinalis, quando venit Officio jam inchoato.

Siquis Cardinalium, incœpto jam Officio, Pontifice in Solio suo residente, ad Capellam venerit, primum ut cancellos ingressus est, paululum progressus genuflectit versus Altare, & orat, tum surgens procedit, & facta, ut alii, reverentia, caput inclinando Altari, & Papæ, ascendit ad Sedem, & osculatur manum Pontificis sub auriphrygio, & cum inde discedit iturus ad locum suum, assurgunt omnes Cardinales, & omnes Prælati; & antequam ipse a Pontifice, facta reverentia, discedat, nemo illi neque Cardinalis, neque Prælatus assurgit. Quod si forte dum ille venit, Papa staret, Orationes, Evangelium, sive tale quippiam audiens, tunc Cardinalis, cum surgit ab Oratione, stet, & expectet, quoad Papa sedeat, & tunc vadit ad reverentiam exhibendam. Quod si venerit, dum fit per alios reverentia, vadat (1) in locum sui Ordinis. Quando autem in absentia Papæ fit Officium, & aliquis Cardinalium ad Capellam venerit, incœpto jam Officio, primo genuflexus orat versus ad Altare, ut supra; tum surgens capite detecto, vertit faciem ad sedes Prælatorum, caput inclinando, quasi eos salutans; qui omnes, ut primum ille surrexit ab Oratione, ei assurgunt, & detecto capite, & salutatis Prælatis, ille pergit versus Cardinales sui Ordinis, & non vadit ad locum suum directe, nisi esset ultimus, sed ab ultimo incipiens, quasi ibi remanere velit, invitatur a singulis, ut ascendat, quousque veniat ad locum suum directe, nisi esset ultimus, & ipse modeste semel, atque iterum invitat subsequentem, ut præcedere velit, & tandem in locum suum residet. Hoc idem facit, quotiescumque aliquis venit post alios, præsente, vel absente Pontifice; semper incipit ab ultimo loco Presbyterorum, si est Episcopus, sive Presbyter; Diaconorum, si est Diaconus. Et nota, quod quandiu unus ex Cardinalibus stat, omnes Cardinales, & omnes Prælati stare debent, præterquam in præsentia Papæ assistentes, ut supra diximus.

NOTA.

I. Supervacaneum quoque est in hoc explicando Capite immorari; nihil jam aliud continet, quam cæremonias quasdam ad praxim spectantes, quas dilucide explicatas in ipso Capite habes, & in nostris etiam ad Cæremoniale Episcoporum Commentariis, quos non opus est hic repetere.

CAPUT IX.

De reverentia erga Cardinales.

Reverendissimi Domini Cardinales, qui bases, & columnæ sunt sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & membra nobilissima mystici Corporis, merito ab omnibus,

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *vadat in locum ſuum procedens, ſedeat ſecundum ſuum Ordinem.*

Digitized by Google

bus, & ubique venerandi sunt, & maxime honorandi, ita tamen, quod sit differentia inter ipsorum, & Summi Pontificis reverentiam.

COMMENTARIUS.

I. QUanta sit Cardinalium S. R. E. dignitas, jam supra fuse explicuimus Tomo I. in Commentariis ad Titulum VIII. qui inscriptus est, *De creatione novorum Cardinalium*, & Tomo IV. Conciliorum in Commentariis ad Concilium V. Lateranense. Esse ipsos Cardinales bases, & columnas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & membra nobilissima mystici Corporis, pluribus probat eruditissimus Platus in Tractatu, *De Cardinalis dignitate, & Officio*, quem nuper doctissimus Joannes Andreas Tria Archiepiscopus Tyri novis Additionibus, Notis, & Dissertationibus auctum Romæ edidit anno MDCCXLVI. Certe Leo IX. scribens ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, cum dixisset, quod sicut cardine totum regitur ostium, ita in Petro, & ejus Successoribus totius Ecclesiæ disponitur emolumentum, mox ut consequens infert: *Unde & Clerici ejus Cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes.* Itaque jam non ab intitulatione, aut incardinatione alicujus Ecclesiæ, Cardinales vocantur, sed a majori adhærentia Pontifici Romano, quos iccirco S. Bernardus, aliique prisci Scriptores Laterales Papæ appellitant. Porro S. Antoninus, Parte III. Titulo XXI. Capite II. cujus testimonium eo pluris faciendum, quod uti Theologus nihil loquitur augendi gratia, aperte principatum dignitatis in Ecclesia post unum Summum Pontificem Cardinalibus tribuit; idemque sentit Turrecremata haud minor Theologus, Libro I. *De Ecclesia*, Cap. LXXXI. qui ait, eos excedere dignitate omnes Ecclesiasticas dignitates, redditque hanc rationem, *quia sunt membra Papæ, & una persona cum illo*. Quod etiam confirmant duo insignes Viri, & Juris Pontificii peritissimi, Hostiensis, & Joannes Andreas in Capite, *Dilectus, De præbendis*, cujus utriusque illa sunt verba, excepto Summo Pontifice, nullum esse majorem Cardinalibus gradum.

II. Quæ cum ita sint, merito in hoc præsenti Capite edicitur, Cardinales ab omnibus venerandos esse, & maxime honorandos, *ita tamen, quod sit differentia inter ipsorum, & Summi Pontificis reverentiam.* Honoratos fuisse quammaxime a Regibus vel olim Cardinales, plurima exempla nos docent, quæ congessit Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Capite CXIV. Num V. Angliæ Rex anno MCCXXXV. ad Cardinalem scribens Presbyterum, nomen suum nomini Cardinalis postposuit. Rex Siciliæ Carolus Perusiam cum veniret una cum filio Carolo Martello Rege Hungariæ, & in Consistorium ingressus esset, inter Cardinales Episcopos sedit, filius ejus Rex Hungariæ inter Cardinales Diaconos, ut ait ejus ævi Poeta.

Pontificum patrem medium, mediumque secundum.

Inter Levitas primos.

Anno MCCXCV. ut tradit Raynaldus, ambo hi Reges Diademate redimiti ministrarunt Summo Pontifici mensæ accumbenti, accubuerunt postea & ipsi mensæ cum Cardinalibus. Eodem teste Raynaldo ad annum MCDLV. in Comitiis Germaniæ coram Friderico III. Imperatore conquesti sunt Germani, quod Cardinalis Vicecancellarius Romæ sederet supra Regem Romanorum, quod inter extremos Cardinales sederet Rex Hungariæ, & quod non eodem gradu, quo Cardinales, locati fuissent Electores Imperii. Præsto erat Cardinalis Papiensis anno MCDLXXIV. cum Rex Daniæ exceptus fuit Romæ inter duos priores Cardinales, & nec sedere, nec operire caput voluit, nisi post eos, ut idem Raynaldus ad ipsum annum testatur: *Inter duos primos Cardinales sessum receptus, non prius sedere, non prius tegi voluit, quam utrumque ab utroque factum esset.* Interpellavit eos etiam, ut liceret sibi non accedere ad adorandam Christi Crucem (erat enim dies illa Parasceves) nisi post Cardinales omnes, *ut habeatur*, inquit, *justus honor summo Senatui.* Addit Papiensis in Epistola CLVI. potentissimum Regem, cui pavebant tria ad Septentrionem Regna, illustri hoc exemplo vel ipsos Italos edocuisse, quanto honore, & cultu prosequendum sit Christi in Ministris suis Sacerdotium.

III. Sed observanda nunc sunt, ac notanda quæ mox laudatus Thomassinus docet, non dissimulari tamen debere, suapte sponte, & eximia quadam pietate, ac modestia adductos fuisse hos Reges, ut his honorum obsequiis in Sacrum Collegium defungerentur. Et ea quidem consuetudo invaluit, & roborata est. Sed nihilo tamen minus spectanda res tota est, ut in exordiis suis habuit, hoc est, ut in his honorum gradibus pietas, non necessitas attendatur; eos enim sedium honores admoderatur nunc, & primum olim instituit, non vana amplificandi Cardinalatus cupiditas, non intoleranda deprimendorum Regum machinatio, sed cælestis quædam sapientia, charitasque, & cupido extollendi, & propagandi spiritalis Christi Regni, Sacrorumque ejus Ministrorum supra terrena omnia Imperia. Si Principes, si Cardinales, si lectores aliud animo versant, aliud meditantur, cum de his agitur, falluntur, & fallunt, & male suspicantur de Ecclesia, quia præpostere de ea judicant, quia secundum carnales hominum cogitationes de ea judicant; cum ipsam, ejusque ritus, & mores regat, animetque Cælestis Spiritus sapientia, & charitas. Carolus Borromæus, Bellarminus, Baronius, Berullius S. R. E. Cardinales saniissime, & sanctissime de his sentiebant, quia spiritaliter sentiebant; & ubi carnales homines chymerica quædam ambitionis portenta vident, aut videntur sibi videre, illi Christi Crucem purpuratam, illi Martyrii purpuram, illi Sacerdotii Christi trophæa, illi spiritale Christi Imperium, triumphumque de terrenis omnibus potestatibus intuebantur, & eo uno animus eorum pascebatur, & recreabatur intuitu. Inde est, quod & cum Regibus aliter visum est, incunctanter eorum sen-

Digitized by Google

ſententiæ, & voluntati ſubſcriptum eſt. Teſte ſiquidem Raynaldo, anno Domini MCDXCV. Carolus VIII. Galliæ Rex Romæ ſedit *ante Cardinales, ſeu in medio eorum*. Verum Franciſco I. Galliæ Regi fuit pro lege voluntas Bononiæ anno MDXV. non ſolum erga Pontificem, qui profeſſus eſt, cultum eum, & honorem omnem Deo deferri, *omnia hæc in Deum transferens, & Deo omnia attribuens*; ſed & erga Cardinales, quos ut Patres, Fratreſque habuit, pro cujuſque ætate: *Sicut Patrum, & Fratrum ſuorum*: Verba hæc ipſamet ſunt Cæremoniarii Apoſtolici apud eundem Raynaldum ad annum prædictum.

IV. Itaque cum Cardinales ajebant Pio II. *Cardinales pares Regibus haberi*, & cum idem Pontifex novos deligens Cardinales, ajebat illis: *Vos Senatores Urbis, & Regum ſimiles eritis*; cum Cardinalis Papienſis ait in Commentariis Pii II. Lib. III. pag. 66. *Collegium, quod ſacroſanctum in Eccleſia dicimus, Regibus anteferendum putamus*; & cum Paulum II. Papam alloquitur in Epiſtola CLXXX. & alibi, ſcribit, *Si in filios Romani Præſulis, & in membra Vicarii Chriſti, & in eos, quos Sanctitas veſtra anteferri Regibus aſſerit*. Hæc & hujuſmodi alia Religionem ſapere debent, ſiquid ſapimus; pietatem tedolere debent, ut Chriſti bonus odor, utque Chriſti Miniſtri ſimus; nec gratulemur nobis, vel Eccleſiæ, niſi de voluntaria dejectione Regum, lubentiſſime, ac religioſiſſime ad pedes ſe dejicientium ejus, & Miniſtrorum ejus, qui pro ipſis, Rex Regum cum eſſet, æternumque futurus ſit, exinanivit ſemetipſum. Si quibus hi dependuntur honores, aliquid hinc ſuffurantur, & blandiuntur ſibi, nec totum in Chriſtum retorquent, rapina eſt, ſacrilegium eſt, & profanatio Sacrificii, quod Deo offertur. Si Cardinalis Turnonius Sacri Collegii Decanus, ſi Cardinales Lotharingus, & Guiſius adduci non potuere, ut aſſentirentur, Decreto Colloquii Poſſiacenſis, ut Principibus Regii ſanguinis cederent, ſupra quos hactenus ſederant, credere æquum eſt, non tam privatæ gloriolæ amore inſulſo id eos feciſſe, quam ſtudio tuendæ Eccleſiæ, & Sacri Coliegii Majeſtatis propagandæ, cujus ut decus, ita & dedecus in Chriſtum ipſum refundebatur; utque ne Condæo Principi facile concederent, quem avitæ Fidei & Religionis perduelles abduxerant in abrupta novellæ hæreſeos, & cui tunc eum de Cardinalium prærogativa triumphum adornabant, uti rem narrat Spondanus. Atque hæc ſunt, quæ ex Thomaſſino deſcribere libuit de honore ac reverentia S. R. E. Cardinalibus exhibendis.

CAPUT X.

De reverentiis, quæ fiunt Cardinali Divina celebranti.

Cardinali igitur celebranti in præſentia Papæ neque fiunt genuflexiones ad aliquo, neque fit ei præguſtatio, ſive credentia, & ſimiliter in omnibus aliis actibus publice, coram Pontifice nemini iſti duo actus reverentiales exhibentur, niſi tantum Romanorum Imperatori, ſi adeſſet in convivio cum Papa, non Regi, non Cardinali, non Principi quantumcumque Maximo. In abſentia vero Pontificis Cardinali celebranti fiunt genuflexiones a Scutiferis, cum lavat manus, & Capellanis, (1) dum accipit, & dum dimittit Sandalia, & (2) cum fimbrias tenent, & fit præguſtatio. Et quoniam Cardinalis celebrans, abſente Pontifice, cum e Faldiſtorio vadit ad Altare, cum Mitra facit reverentiam Cardinalibus, caput illis inclinando, videtur valde conſentaneum, ut tunc Cardinales alii ei aſſurgant, & in reverentia correſpondeant.

COMMENTARIUS.

I. PAucis hic me expediam. Coram Summo Romano Pontifice jam nulli fiunt genuflexiones, ac præguſtationes, excepto Romanorum Imperatore, cui, ſi adeſſet in convivio cum Papa, præguſtatio fieret, de quo ritu jam nos alibi fuſius diſſeruimus. Sane ubi, abſente Papa, ſolemne Sacrum faceret Cardinalis, fieret haud dubie tunc eidem præguſtatio, cujus ritus mentionem faciunt paſſim in ſuis mſs. Diariis Cæremoniarii Apoſtolici, & eruditiſſimus Mabillonius in ſuo Itinere Italico, ubi de Urbe Roma loquens ad annum MDCLXXXV. & de ſolemni Miſſa die XXIX. Junii Feſto S. Petri in Ara principe Baſilicæ Vaticanæ a Cardinale Cibo celebrata abſente Papa, ſic inter alia ait: *Duo vaſa argentea cum vino, & aqua in menſula poſita erant, ex quibus infuſum eſt vinum, tum aqua in minores ampullas. Utrumque quidam familiaris Cardinalis celebrantis præguſtavit*. Similia docent Cæremoniarii Apoſtolici.

CAPUT XI.

De Bulla pro celebrando ſuper Altare Sancti Petri.

Advertendum tamen, quod nemini, neque Cardinali, licet celebrare ſuper Altare S. Petri, aut aliarum Eccleſiarum Patriarchalium Urbis, niſi ex diſpenſatione

(1) Ly *dum* deeſt in editione Romana, ſed legitur tamen in Veneta I. & Colonienſi.
(2) Ly *&* deeſt in citatis editionibus Veneta I. & Colonienſi.

Digitized by Google

ne Papæ, de qua debet constare per Litteras Apostolicas bullatas affigendas prope Altare. Curet igitur Cardinalis, qui est ibi celebraturus, ut in tempore expediatur Bulla.

COMMENTARIUS.

I. COmmunis omnium Virorum doctorum, ac venerandæ antiquitatis studiosorum opinio est, primis Ecclesiæ temporibus, Altaria fuisse lignea, eaque nec reddita Ecclesiæ pace sublata omnino fuisse, uti pluribus probat Martene, Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. III. Articulo VI. Num. II. & IV. ubi etiam notat, quod quamvis Sanctus Silvester in Dedicatione Basilicæ Principis Apostolorum, uti legitur in Breviario Romano ad diem XVIII. Novembris sanxisse dicatur, nequis deinceps in alio quam lapideo Altari Missam celebraret, istud tamen Decretum nullibi comparet, sed nec in aliis Orbis partibus lignea Altaria esse desiterunt. Quicquid sit de isto ritu, de quo fuse diximus nostro II. Tomo Romani Pontificalis, legimus plane in eodem Romano Breviario ad diem IX. prædicti mensis Novembris, sanxisse eundem S. Silvestrum, ut in Altari ligneo, quod erexit in Basilica Lateranensi, honoris causa Principis Apostolorum, qui in illo sacrificasse dicitur, & aliorum Pontificum, qui usque ad id tempus eo usi fuerant, in Lateranensi Basilica collocato, ne quisquam in eo præter Romanum Pontificem Missam imposterum celebraret.

II. Invaluit autem deinde ritus, ut in cæteris Urbis Patriarchalibus Ecclesiis in Altari, quod Papale appellatur, nulli prorsus celebrare liceret, sine peculiari Summi Pontificis dispensatione, de qua loquitur Ordo XIV Romanus, Cap. LXXVI. ubi agens de Festo Circumcisionis Domini, sic inter alia ait: *Si Papa sit in Urbe hac die Circumcisionis, & non celebret, sed faciat per aliquem Cardinalem celebrari in Ecclesia S. Petri, antequam Cardinalis induatur, præsentetur Bulla, quomodo Papa dispensat cum eo, quatenus possit celebrari super Aram S. Petri, & per totam diem pendeat ante regias, & ita in omnibus aliis Missis, quæ super illud celebrantur.* Eadem leguntur in Ordine XV. Cap. XVII. ubi etiam Mabillonius notat, vocem illam *regiæ*, qua non raro portæ Basilicæ significantur, in citato tamen Romano Ordine XV. passim sumi pro cancellis Altaris. Mentionem faciunt passim ejus ritus Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis, ubi recensent Missas per Cardinales in ipsis Papalibus Altaribus celebratas; ejusdemque etiam meminit in suo Itinere Italico laudatus Mabillonius ad annum MDCLXXXV. Tomo I. Musei Italici, pagina 55. ubi ita ait: *Festo S. Petri Missa solemnis in Ara principe Vaticana a Cardinale Cibo celebrata est. Diploma concessæ facultatis per Pontificem, cui soli Sacra facere in hoc Altari licet, affixum erat ad unam ex quatuor columnis, quæ baldachinum fulciunt.* Docent similia Apostolici Cæremoniarii in suis Diariis.

III. Extat in ms. Diario Burchardi exemplum hujusmodi Bullæ, concedi Cardinali solitæ celebraturo in Altari Papali, quam Alexander Papa VI. anno MCDXCIII. Joanni Antonio Cardinali Tituli SS. Nerei, & Achillei dedit, ut in Dominica III. Adventus, quæ incidit in diem XIII. mensis Decembris, in majori Altari Sancti Petri celebrare posset, estque hujusmodi.

ALEXANDER EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.
Dilecto Filio Joanni Antonio Tituli SS. Nerei & Achillei Presbytero Cardinali Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Devotionis tuæ, quam ad nos, & Sanctam Romanam Ecclesiam geris, magnitudo facit, ut iis, quæ ad augumentum ipsius devotionis cedere possint, quantum nobis cum Deo licet, favorabiliter annuamus. Ut igitur proxima futura Dominica in majori Altari Basilicæ Principis Apostolorum, ad quam dicta Dominica Processione diluvii, & inundationis aquarum, necnon salubris aeris, illiusque conservatione, accedere, & Missæ, ac aliis Divinis Officiis inibi interesse, necnon rogationes ad Omnipotentem Deum effundere decreverimus, Missam, & alia Divina Officia hujusmodi celebrare possis: circumpectioni tuæ ipsa die Dominica pro hac vice dumtaxat celebrandi solemniter ad dictum Altare Missam, & alia Divina Officia prædicta etiam in præsentia nostra, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Statutis, & Consuetudinibus dictæ Basilicæ, juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium de speciali gratia licentiam concedimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDXCIII. Idibus Decembris, Pontificatus anno quarto.

CAPUT XII.

De reverentiis, quæ privatim fiunt Cardinalibus.

In aliis autem actibus tam domi, quam alibi, etsi nonnulli dicant, in Curia Romana genuflexiones Pontifici tantummodo deberi, ego autem arbitror, non esse absurdum, sed satis honestum, simplices laicos, & Clericos non Prælatos in primo congressu ante Cardinales genuflectere, non tamen in Palatio Apostolico, & minus præsente Pontifice. Sed ad modestiam, & benignitatem Cardina-

Digitized by Google

dinalis pertinet, & cenſeo, quod non dimittant illos diutius permanere genuflexos, & Clericos præſertim in Sacerdotio, aut aliqua dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos. Sed ut primum ante ſe genua flexerint, ſtare jubeant, neque aliter eos audiant, quod a pluribus Reverendiſſimis Patribus ſervari vidi (1) domi. Cum Cardinales lavantur ante comeſtionem, vel poſt, conſueverunt omnes laici domeſtici genuflectere, alii caput detegere.

COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc Capite edicitur de reverentiis privatim Cardinalibus exhibendis, genuflectendo coram ipſis in primo congreſsu, etiamſi ad eoſdem acceſserint Clerici in Sacerdotio, aut aliqua dignitate conſtituti, jam merito penitus in deſuetudinem abiit, adeo ut nec ipſi Cardinalium Familiares, vileſque famuli coram eis hodie genuflectant. Summo honore afficiendi ſunt quidem S. R. E. Cardinales, uti jam fuſe oſtendimus ſupra in Commentario Capitis XI. *ſed ita tamen, quod ſit differentia inter ipſorum & Summi Pontificis reverentiam*, ut in citato Capite edicitur. Genuflexio itaque ſoli Pontifici Maximo reſervata eſt, ab omnibus vel ab ipſis Regibus, Imperatoribuſque eidem exhibenda juxta inveteratam, probatamque univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem.

CAPUT XIII.

De reverentiis Epiſcoporum erga Cardinales.

Quod autem aliqui ex Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus permittant, ut audivi, Epiſcopos ante ſe loqui genuflexos, & in menſa, dum manus lavant, ſimiliter mantile miniſtrare, valde abſurdum videtur, & quamvis ſæpe apud pleroſque Reverendiſſimos Dominos in conviviis fuerim, & ante, & poſtquam inter Epiſcopos indignus ſum, nunquam tamen id ſervari vidi. Adſcribendum eſt hoc, pace illorum dixerim, ignaviæ, ac vecordiæ Prælatorum, qui talia faciunt, qui ſupremam in Eccleſia (2) Dei Epiſcopalem dignitatem non cognoſcunt; ſive eorumdem ambitioni, atque adulationi, qui, ut gratiam Cardinalis aucupentur, dignitati ſuæ rationem non habentes (3) eam ſerviliter deturpant. Cardinales autem, qui talia, ſive ex inadvertentia, ſive ex alia cauſa patiuntur, in charitate Dei obſecro, ut importunas hujuſmodi adulationes rejiciant; & cogitent, Summum Pontificem, non alio titulo, quam Epiſcopali decorari, & cum is publice, & in re Divina lavat manus, non Epiſcopus aliquis, ſed Capellanus ſuus Auditor Rotæ mantile ſubminiſtrat. Quod ſi forte aliquos mei ſimiles tanto faſtigio viderint, non perſonam, ſed ſacroſanctam dignitatem in eis venerentur, & opera illorum utantur in his rebus, quæ dignitati utriuſque congruunt. Decet tamen Epiſcopos in omnibus publice, & private, quantum per dignitatem licet, Reverendiſsimos Dominos Cardinales honorare, & venerari, & eis pro viribus aſsiſtere, obſequi, & inſervire; nec minus convenit, Cardinales ipſos benigne ſuſcipere Epiſcopos, & quos Summus Pontifex Fratres appellat, non ut ſervos, ſed ut Confratres honorare. In Capella, præſente Pontifice, nulla Cardinalibus per tranſeuntes ante illos fit reverentia, niſi per illos, qui dant incenſum, ſive pacem, ut ſuo loco dicemus. Abſente vero Pontifice, fit reverentia per tranſeuntes ante eos, caput inclinando tam per Celebrantem, quam per alios Miniſtros.

COMMENTARIUS.

I. NEmo eſt, qui inficiari poſſit, quin magna ſit Cardinalium dignitas, ſed fateri tamen cogimur, eam tantam non eſſe, ut poſſint permittere, *Epiſcopos ante ſe loqui genuflexos, & in menſa, dum manus lavant, ſimiliter mantile miniſtrare*. Valde abſurdum id videri merito in præſenti Capite edicitur. Si enim veterem diſciplinam ſpectemus, diu ſuum quique gradum Cardinales ſervavere, adeo ut ne ipſi quidem Epiſcopi Cardinales ſubſcriberent, ſederentve ante alios Epiſcopos ordinatione priores, nec Presbyteri Cardinales ante ullos prorſus Epiſcopos, uti pluribus probat Thomaſſinus Parte 1. *Veteris, ac novæ Eccleſiæ diſciplinæ*, Lib. II. Cap. CXIII. ubi notat etiam, cœpiſse primum Epiſcopos Cardinales aliis omnibus anteire Epiſcopis, & eo quoque poſtea Cardinales alios varii rationibus, ac gradibus, quos idem Auctor explicat, ſenſim perveniſse. Pervenit autem ipſa Cardinalium

(1) Ly *domi* legitur in editione Romana, & deeſt in Veneta 1. & Colonienſi. (2) Ly *Dei* legitur in editione Romana, & deſideratur in aliis ſupra citatis. (3) Ita legitur in editione Romana; in aliis vero, *quam*.

Digitized by Google

dignitas ad tantum fastigium Sæculo XIV. ut ejus Seculi Scriptor Alvarus Pelagius in suo Opere, *De planctu Ecclesiæ*, non uno in loco queratur, servos Cardinalium effectos fuisse Episcopos. Sed notanda Auctoris nostri Cæremonialis verba, Augustini scilicet Patricii, qui & Cæremoniarum Apostolicarum Magister fuit, & Episcopus Pientinus: *Adscribendum est hoc*, ait, *pace illorum dixerim, ignaviæ, ac vecordiæ Prælatorum, qui talia faciunt, qui supremam in Ecclesia Dei Episcopalem dignitatem non cognoscunt; sive eorumdem ambitioni, atque adulationi, qui, ut gratiam Cardinalis aucupentur, dignitatis suæ rationem non habentes, eam serviliter deturpant.*

II. Viguisse hunc abusum Sæculo XIV. ut Episcopi dignitatis suæ immemores summo honori haberent, ad infima quæque Cardinalium ministeria se abjicere, non modo testatur Auctor nostri Cæremonialis Patricius, qui Sæculo sequenti scripsit, sed & alii quoque Scriptores memorati Sæculi XIV. Sed audiamus laudatum Alvarum Pelagium, qui vixit sub anno MCCCXL. fuitque ex Ordine Minorum Episcopus Silvensis. Is enim Auctor Libro II. prædicti Operis, *De planctu Ecclesiæ*, Cap. VIII. ubi Episcopos sui ævi fugillat raro in Ecclesiis suis residentes, sic inter alia inquit: *In Curia Romana trotant post equos Cardinalium ..... servi ibi effecti, & mercenarii, quum in suis Episcopatibus essent liberi Domini, & majores, ut ambiant amplius, & habeant de honore terreno, non contenti terminis suis.* Atque hic erat quorundam Episcoporum abusus, quem Augustinus Patricius nostri Cæremonialis ordinator perstringit, quique duravit usque ad Concilii Lateranensis v. tempora, ut inferius dicemus.

III. Pergit autem Patricius, Cardinalesque ipsos, *qui talia, sive ex inadvertentia, sive ex alia causa patiuntur*, in charitate Dei obsecrat, *ut importunas hujusmodi adulationes rejiciant, & cogitent, Summum Pontificem non alio titulo, quam Episcopali decorari, & cum is publice, & in re Divina lavat manus, non Episcopus aliquis, sed Capellanus suus Auditor Rotæ mantile subministrat &c.* Culpandi certe Episcopi sunt, qui nullam sùæ dignitatis rationem habentes vile obsequium Cardinalibus exhibebant, sed culpæ etiam rei censendi sunt Cardinales illi, qui fieri sibi hujusmodi obsequia ab Episcopis patiebantur; conatusque est tandem Leo Papa X. hujusmodi abusum ab Ecclesia extirpare, ubi in suo Generali V. Concilio Lateranensi Sessione IX. Cardinalibus S.R.E. præcepit, *ut ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteris præesse instituti, & Sacro Charactere insigniti, in vilia discendant ministeria, passimque Pastoralis Officii contemptum inducant.* Quod Cardinales nonnulli Sæculo XIV. Episcopos parvi penderent, testantur non pauci ejus ævi Scriptores, inter quos Nicolaus de Clemangis Archidiaconus Bajocensis, qui claruit temporibus Sigismundi Imperatoris, & Concilii Constantiensis anno MCDXVII. in Opusculo, quod inscripsit, *De corrupto Ecclesiæ statu*, Cap. XIII. postquam inter alia dixit, Cardinalibus id olim fuisse negotii, *ut efferendis mortuis, sepulturæque mandandis inservirent*, ita statim subjicit: *Nunc vero phylacteria sua in tantum dilataverunt, ut non modo Episcopos, quos Episcopellos solent passim vocare, sed Patriarchas, Primates, & Archipræsules, velut infrà se positos despiciant, imo se jam ab illis supplicibus propemodum adorari sinant.* Alludit forte ad eum Cardinalium abusum in nostro hoc Capite notatum, quod Cardinales ipsi permittebant, *Episcopos ante se loqui genuflexos, & in mensa, dum manus lavabant, similiter mantile ministrare.*

IV. His itaque abusibus occurrit Leo Papa X. Sanctione in Concilio Lateranensi V. edita, ubi postquam statuit, *ut Cardinales ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant*; eisdem deinde etiam jussit, *ut Episcopos, quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri, honorifice, ut Fratres, ac juxta eorum status condecentiam tractent.* Summa est siquidem Episcoporum dignitas, de qua magnifice, ut par est, Patres loquuntur, inter quos S. Gregorius Nazianzenus non veretur asserere, Episcopum in Angelorum esse classe, cum Archangelis Deum celebrare, & cum Christo Sacerdotio fungi; & *ut quod*, inquit, *majus est, dicam, Deus est, aliosque Deos efficit.* Sane docent & illud passim Patres, esse Episcopos Apostolorum Filios, juxta illud Psalmi XLIV. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii, constitues eos Principes super omnem terram.* In quem locum ita in suo Commentario S. Hieronymus ait: *Fuerunt, o Ecclesia, Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt, nunc autem, quia illi recesserant a Mundo, habes pro his Episcopos Filios.* Et infra: *Principes Ecclesiæ, idest, Episcopi constituti sunt.* Eodem modo exponit S. Augustinus, Chrysostomus, & Theodoretus. Ut autem cæteros omittam, S. Leo Papa in Epistola LXXXVIII. & S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. II. *De Divinis Officiis*, diserte asserunt, esse Episcopos Apostolorum Successores, & ideo convenit, *Cardinales ipsos benigne suscipere Episcopos, & quos Summus Pontifex Fratres appellat, non ut servos, sed, ut Confratres honorare.* Atque hic est etiamnum Summorum Pontificum mos, ut, cum ad Episcopos scribunt, eos Fratrum nomine appellent.

V. Cæterum tametsi honori Episcoporum Leo X. consuluerit, jam nou diu post ipsum Barthoiomæus de Martyribus ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopus Bracharensis in Concilio Oecumenico Tridentino conquestus est, Episcopalem dignitatem per Cardinalitiam in vilipendium venisse, acriterque in eam dejectionem invectus est. Qui etiam dum durante Concilio una cum Cardinale Lotharingiæ Romam venisset, & intelligeret, invaluisse consuetudinem, ut in Congregatione, aut in Conventu coram Pontifice Cardinales sederent *tectis capitibus*, Episcopi vero, & Archiepiscopi essent *erecti detectis capitibus*, tanta vehementia, totque argumentis indignitatem illius consuetudinis Pontifici expositi, ut præter omnium expectationem Pontifex resolverit, hunc morem tamquam abusum Episcopali characteri nimium derogantem abrogare, uti & re ipsa abrogavit, mandans in Congregatione eodem die habita, ut Episcopi æque, ac Cardinales sederent tectis capi-

Digitized by Google

capitibus. Hiſtoriam, ac totum ejus coram Pontifice, qui erat Pius IV. diſcurſum refert Scriptor Gallicus ipſius Vitæ Lib. II. Cap. XXII. Multum itaque debent huic Dominicano Epiſcopi, ob vindicatam a vili dejectione Epiſcopalem dignitatem, plurimumque autem debent alii Dominicani Ordinis Alumno, nempe Benedicto Papæ XIII. qui ſemper, & variis argumentis Epiſcopalem dignitatem plurimi fecit, uti omnibus notum eſt.

CAPUT XIV.

De reverentia, quæ ſit Epiſcopo celebranti.

Epiſcopo in Romana Curia celebranti coram Papa, vel coram aliquibus Cardinalibus nullæ fiunt genuflexiones, & non fit præguſtatio. Si vero neque Papa, neque aliquis Cardinalium adſit, fiunt genuflexiones, & præguſtatio, ut in ſua Eccleſia, ſi voluerit. Epiſcopus cum Papa loquens, genuflexus ſemper permanet, dum loquitur, & dum ei per Papam reſpondetur.

COMMENTARIUS.

I. GEnuflectendum eſſe Epiſcopo in propria Diœceſi a Subditis ſuis, ſive in Eccleſia cum Divina Officia celebrat, ſive etiam domi, ubi aliquis ad eum accedit, diximus jam in Commentariis ad Cæremoniale Epiſcoporum non uno in loco. In Curia autem Romana, ut in hoc Capite edicitur, *Epiſcopo celebranti coram Papa, vel coram aliquibus Cardinalibus, nullæ fiunt genuflexiones, & non fit præguſtatio*; quæ quidem eidem in propria Diœceſi ſolemniter celebranti ex antiquo ritu fieri aſſolet, ut in citatis Commentariis late probavimus. Juxta præſcriptum hujus Cæremonialis S. R. E. *ſi neque Papa, neque aliquis Cardinalium adſit, fiunt*, Epiſcopo ſcilicet in Romana Curia celebranti, *genuflexiones, & præguſtatio, ut in ſua Eccleſia, ſi voluerit*. Quod tamen nunquam vidi Romæ obſervatum, ſaltem quod præguſtationem ſpectat, cum vidi in variis Eccleſiis Epiſcopos celebrare.

TITULUS II.

DE ORDINE SEDENDI IN CAPELLA PAPÆ.

CAPUT I.

Summus Pontifex in Solio ſuo Pontificali ſedet, quod ornatum eſſe debet cum ſuo pulvino, aureo panno cum poſtergali ex colore tempori congruente in Capella; in Conciſtorio autem publico etiam cum panno aureo pendente ſuper caput; ſcabellum majus ſimul cum plano Solii panno rubro cooperitur, & apud magnum ſcabellum apponitur parvum detectum, quo pro gradu utitur. Hinc inde a dextris, & a ſiniſtris ſedent ſuper ſcabella nuda rubro colore depicta Diaconi duo Cardinales aſſiſtentes, qui Pontifici ſerviunt, & illum ſemper deducunt; & debent eſſe antiquiores Diaconi, ideſt, primo aſſumpti. A dextris Papæ infra gradus Solii, Epiſcopi, & Presbyteri Cardinales ſedent (1) in ſcamnis longis cum gradu, & poſtergali pannis, quos vocant Atrebatenſes, (2) ornatis. Eà ſcamna duas fere partes quadraturæ Conſiſtorii occupant. In alio ſcamno ſito contra primum ſcamnum Epiſcoporum Cardinalium pariformiter ornato ſedent Diaconi Cardinales, & antiquiores in capite. Quod ſi Presbyteri Cardinales in ſuis ſcamnis ob multitudinem ſedere non poſſunt, ſedent in ſede Diaconorum, ordine tamen retrogrado, ut antiquiores ſint in fine ſcamni, & illorum junior ſit poſt juniorem Diaconum; & hoc modo antiquior Presbyter, qui ultimo ſedet in iſta ſede, videtur continuare poſt ultimo ſedentem in ordine Epiſcoporum, & Presbyterorum. Hoc ſæpe accidit in Baſilica Sancti Petri, dum in Abſide, ſive Tribuna Eccleſiæ apud Altare majus Divina celebrantur. Quod ſi forte adeſt aliquis Princeps, qui ſedere ſolet poſt Diaconos Cardinales in eorum ordine, ut hoc tempore Deſpotus Peliponenſis, hic ſedebit medius inter ultimum Diaconum, & ultimum Presbyterum. Si autem ultra duos Aſſiſtentes non ſuperſit, niſi unus Diaconus, ille ſederet poſt ultimum Presbyterum Cardinalem, in quocumque ſedili Presbyter ille ſedet. Quod ſi nullus ſupereſſet Diaconus, & Presbyteri in ſuis ſcamnis ſedere non poſſent,

(1) Legendum, *in ſcamnis*, ut in Romana editione; in Veneta 1. & Colonienſi legitur, *cum ſcamnis*.
(2) Ita legendum puto, nempe, *ornatis*, non vero, *ornati*, ut in citatis omnibus editionibus.

Digitized by Google

sederent ordine supradicto. Si Imperator Romanorum adest, (1) sedet in sede cum postergali, & parvo scabello viridi ornata, cum suo pulvino, & panno aureo (2) viridi, sita inter sedem Pontificis, & scamnum Episcoporum Cardinalium; & tunc Diaconi assistentes non sedent in loco consueto apud sedem, sed (3) ante faciem Pontificis in parvis scabellis positis supra supremum gradum Solii Pontificalis in cornibus. Reges etiam, inter quos computabatur Imperator Græcorum, sedent, primus, si plures adsunt, post primum Episcopum Cardinalem, & alius post secundum, & ita deinceps; sic quod semper aliquis Cardinalis, sive Episcopus, sive Presbyter, sit medius inter Principem, & Principem. Primogenitus Regis sedet post primum Presbyterum Cardinalem. Si Papa celebrat, & Rex adsit, sedebit solus in Cathedra nuda inter Cardinalem assistentem Papæ, & Episcoporum Cardinalium sedem. Fratres autem, aut alii Filii Regum, & reliqui maximi Principes sedent, vel inter Diaconos mixtim cum eis, ita tamen, ut unus Diaconus primo sedeat, & postea unus Princeps, & sic deinceps; vel sedent post eos Diaconos in eodem ordine secundum qualitatem ipsorum. Si nullus adesset Diaconus Cardinalis, sedent eodem ordine inter, & post juniores Presbyteros Cardinales. Quatuor vero Patriarchæ principales, videlicet Codstantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus sedere consueverunt inter Episcopos Cardinales, ut supra diximus de Regibus; & in Curia Romana ferebant continuo Cappam, & faciebant sibi deferre caudas, ut Cardinales; nostris autem diebus, & tempore Eugenii IV. neque sedent inter Cardinales, neque portatur eis cauda, sedent autem ante assistentes Papæ Episcopos non Cardinales, & ut assistentes serviunt Papæ de Libro, ac lumine. Alii Principes non ita clari sedent in supremo gradu Solii Pontificis. Ad sinistram vero Pontificis in (4) sedibus humilioribus sedent Episcopi non Cardinales assistentes Papæ, & inter eos Sacrista Palatii Apostolici in loco statui suo condecenti; & hoc dico, si est Prælatus, ut semper consuevit esse. Reliqui Prælati sedent in sedibus pro eis ordinatis retro scamna Diaconorum Cardinalium sine gradibus, aut postergali. In Capella autem S. Petri infra sedilia ipsorum Diaconorum, primum locum inter Prælatos obtinet Vicecamerarius, deinde Oratores Regum, ac Principum Prælati; tum Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, Generales Ordinum, & Pœnitentiarii; sed Protonotarii, & Abbates solent habere proprium locum ultimum in ordine; alii supradicti sedent post Episcopos in fine scamnorum. Legi tamen, quod Procurator Ordinis Hierosolymitanorum, & Procurator Ordinis Theutonicorum consueverunt sedere post Abbates. Meo tempore non vidi eos sedentes ibi, neque alibi, ut Procuratores, sed aliquando gerentes se pro Oratoribus, sederunt cum aliis Oratoribus. Si autem Vicecamerarius est Protonotarius, cum Prælati habent sacra paramenta, debet tenere primum locum in sedili Protonotariorum, & post eum alii Oratores Principum, si sint ejusdem Ordinis. Senator, Conservatores, & Barones Urbis, atque alii Proceres supradictis primis inferiores, sedebunt in secundo, & tertio gradu Solii Pontificalis pro eorum qualitate. Primum inter istos Senator locum obtinebit. Oratores Cæsaris, Regum, Principum, & Potentatuum, qui sunt Prælati, sedent ordinarie post scamna Episcoporum, sive Presbyterorum Cardinalium ante faciem Pontificis sedentis, nisi ibi sit Altare, ut in Sancto Petro, & similibus locis, fiunt quasi duæ alæ Officialium, incipientes infra gradum Solii hinc inde, & simul conjunguntur ante faciem Papæ in capite scamni Diaconorum Cardinalium, & hi omnes Officiales sedere debent in terra super pannos virides, qui cooperiunt Solium Capellæ; etsi nostro tempore, qui a sinistris sunt, usurpaverunt sibi sedes super gradus ipsius Capellæ in Palatio Apostolico; qui vero sunt a dextris, sedent in terra sine aliquo sedili secundum antiquas, & debitas Cæremonias, quamvis sint digniores, quod profecto rationi non (5) congruit. Hic ordo sedendi super terram confunditur etiam in Capella Sancti Petri post tempora Pauli Secundi. Nam tunc nemo ipsorum audebat sedere aut in gradibus Capellæ Palatii, aut in gradibus Solii Pontificalis in Capella Sancti Petri, nisi in ultimo tantum gradu. Ordo autem sedendi in ipsis talis est. Subdiaconi primum, deinde Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, Acolythi, Cubicularii, Secretarii, Advocati simul, (6) & qui alas conjungunt ante faciem Pontificis. Subdiaconorum

(1) *Sedet in* deest in editione Romana. (2) *Viridi* legitur in Veneta 1. & Colonienſi editionibus.
(3) In eiſdem legitur, *apud*. (4) Legitur quoque in eiſdem, *ſedilibus*. (5) Ita in editione Romana, in aliis vero, *non quadrat*. (6) Ly & legitur in ſola editione Romana.

Digitized by Google

norum antiquior primum locum obtinet a dextris, ſecundus primum locum a ſiniſtris, tertius ſecundum locum a dextris, & quartus ſecundum locum a ſiniſtris, & ſic deinceps. Ex Auditoribus Decanus Rotæ ſervit de Mitra, & ſedet inter Cubicularios ſecretos in Capella Palatii, & locis (1) ſimilibus. In Eccleſia autem S. Petri ſedet ſuper gradum ſecundum, aut tertium non longe a pedibus Diaconi; Cardinalis a dextris, ut commodius poſſit miniſtrare Mitram. Antiquior ex aliis primum locum tenet a dextris poſt Subdiaconos, tertius primum locum a ſiniſtris poſt eoſdem. A dextris poſt primum Auditorem locum tenet Magiſter Sacri Palatii, qui, ubicumque Ordines Curiæ conveniunt, ſi adeſt, ſedet, vel ſtat poſt unum ex Auditoribus; (2) & ſi unus tantum adeſſet, vel ſi omnes adeſſent, unus tantum ex eis præcedit Magiſtrum Sacri Palatii, & ita vidimus ſemper ſervari. Sequuntur deinde hinc inde alii Auditores, Clerici Cameræ, & Cubicularii in conjunctione alarum. Secretarii, & Advocati ſedent. Quod ſi numerus Cubiculariorum, & aliorum inferiorum eſſet amplior, conduplicantur poſt primos alii, ita tamen, ut in primo circulo ſint ex omni ordine aliqui poſt ipſos. (3) E regione Papæ ſedent Procuratores quatuor Ordinum Mendicantium, & poſt eos Procuratores aliarum Religionum. Duo Cubicularii ſecreti ſedent in terra ad partem ſiniſtram haud longe a Sede Papæ ad pedes Epiſcoporum aſſiſtentium, & inter eos medius Decanus Rotæ ſerviens de Mitra, & Secretarius Papæ, ſi non eſt Prælatus. Medicus Papæ ſedet in capite gradus ſcamni Diaconorum Cardinalium ante Pontificis faciem. Caudatarii Reverendiſſimorum Cardinalium ſedent ſuper gradus ſcamnorum ad pedes Dominorum ſuorum. Prælatus celebrans ſedet in ſuo Faldiſtorio prope cornu Epiſtolæ. Aſſiſtens Capellanus ejus in gradu Altaris penes Prælatum, & ante eum Diaconus, & Subdiaconus miniſtrantes. Serviens de Mitra poſt renes Capellani aſſiſtentis. Reliqui Miniſtri Celebrantis cum Superpelliceis ſedent ſuper terram facientes alam a ſiniſtra. Prælati, & omnes prædicti vertunt faciem ſuam ſedentes, ut vertit Celebrans. Cathedra, ſive Faldiſtorium Celebrantis, ſi locus patitur, ſemper debet eſſe apud ſiniſtrum cornu Altaris, hoc eſt, a latere Epiſtolæ. Hoc enim cornu ſiniſtrum voco reſpectu ipſius Altaris, ſicut eſt; dextrum vero, ubi legitur Evangelium. Qui aliter appellant, reſpectum habent ad Celebrantem, non ad Altare. Nam unumquodque corpus dextrum latus habet, & ſiniſtrum. Sed Celebrans, dum cantat, vel legit Officium Miſſæ, vertit faciem ad Altare, ubicumque ſit. Dum autem ſedet, ſi Altare eſt apud parietem, & tam Chorus, quam populus ſunt inferius, ut in Capella Palatii, & communiter in pleriſque Eccleſiis, tunc Prælatus ſedens vertat faciem ad populum, & Solium Papæ tunc locari ſolet a parte Evangelii, ideſt (4) a dextra. Si vero Altare ſit in medio a Sede, ideſt, Tribunæ, Papa ſedet in medio contra Altare, & Celebrans in cornu Epiſtolæ prædictæ, & vertit faciem ad Sedem Papæ, ut in S. Petro, & multis Eccleſiis Urbis. Alii autem præter ſupranominatos, quantumcumque Nobiles, aut Graduati ſint, non ſedent in Capella Apoſtolica. Laici ſtant, Clerici togati ſedent in terra ſuper pannos virides; ſed in Capella S. Petri, & locis ſimilibus, quia extremitates alarum conjungi non poſſunt propter Altare, Cubicularii, & alii inferiores ſedent ad partem poſt primos in terra, vel inter ſedes Prælatorum ad ſiniſtram, & gradus Solii Pontificalis. Et nota, quod nullus omnino, cujuſcumque Ordinis ſit, debet ſedere ſolus. Si unus ſupereſſet Diaconus, ſederet cum Presbyteris Cardinalibus. Si unus tantum adeſſet Protonotarius, aut Abbas, ſedebit poſt Epiſcopos, & ſic de ſingulis. Capellani, Curiales, qui aderunt, ſedent in terra inter ſcamna Cardinalium. Et hic eſt ordo ſedendi in Capella Apoſtolica. Alii autem Officiales, qui non ſedent, hoc ordine ſtant.

COMMENTARIUS.

I. ORdo ſedendi in Capella Pontificia non idem ſemper & unus fuit, ut vel in hoc præſenti Capite notavit ordinator hujus Cæremonialis Auguſtinus Patricius, diu Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter: *Quatuor Patriarchæ principales*, inquit, *videlicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierſolymitanus ſedere conſueverunt inter Epiſcopos Cardinales, ut ſupra diximus de Regibus, & in Curia Romana fere-*

(1) Legitur ſic in editione Romana, in Veneta vero, & Colonienſi perperam legitur, *ſimplicibus*.
(2) Ita in editione Romana, in aliis legitur, *etiamſi*. (3) In eiſdem legitur, &
(4) Præpoſitio *a* legitur in Romana editione; in aliis, Veneta nempe 1. & Colonienſi deeſt.

Digitized by Google

ferebant continuo Cappam, & faciebant sibi deferre caudas, ut Cardinales; nostris diebus, (ideſt labente Seculo XV. quo Patricius claruit, & Cæremoniale hoc scripsit Innocentio VIII. Pontifice Maximo) *& tempore Eugenii Quarti*, qui electus scilicet Pontifex fuit anno Christi MCDXXXI. & obiit anno MCDXLVII. *neque sedent inter Cardinales, neque portatur eis cauda; sedent autem ante assistentes Papæ Episcopos non Cardinales, & ut assistentes, serviunt Papæ de Libro, & lumine*. Si veterem disciplinam spectemus, jam diu suum quique gradum Cardinales servavere, adeo ut ne ipsi quidem Episcopi Cardinales sederent ante alios Episcopos ordinatione priores, nec Presbyteri Cardinales ante ullos prorsus Episcopos, ut pluribus docet Thomassinus in sua veteri ac nova Ecclesiæ disciplina Parte I. Libro II. Capite CXIII. Num. I. & Cap. CXVI. Num. VIII. Sane in Concilio I. Lugdunensi anni MCCXLV. sederunt omnes Cardinales in eminentiori ante Archiepiscopos loco, & non multo post in Concilio Lugdunensi II. anni MCCLXXIV. ante Latinos Constantinopolitanum, atque Antiochenum Patriarchas, uti ex Actis utriusque Concilii constat, descriptis a Nobis Tomo IV. Conciliorum, quem non ita pridem typis mandavimus.

II. Sequiori ævo Patriarcharum locum fuisse inter duos S. R. E. Cardinales, notat non uno in loco Romanus Ordo XV. ac primum quidem Cap. XX. ubi agens de benedictione candelarum sic ait: *Item notandum, quod post Priorem Episcoporum Cardinalium, si aliquis interfit Patriarcha, candelam recipit de manu Domini Papæ. Quod si Rex est præsens, post Regem candelam recipit Subprior Episcoporum, & in ejus absentia Prior Presbyterorum, & tunc Patriarcha; & sic, si plures sint ibidem Patriarchæ, quilibet recipit post Cardinalem, qui eum antecedit. Semper debent stare Patriarchæ inter duos Cardinales, & sic in Processionibus, & in Missis stare debent Patriarchæ.* Eadem docet Cap. XXXII *Item notandum*, inquit, *quod si esset Patriarcha, qui semper sedere debet inter Episcopos Cardinales, debet candelas, & cineres recipere post Priorem Episcoporum; quod si Rex esset, immediate post, ante omnes alios*. Ita laudatus Ordo Romanus XV. Auctore Petro Amelio, qui claruit labente Seculo XIV. videnturque ideirco Patriarchæ amisisse locum sequenti seculo XV & quidem tempore Eugenii Papæ IV. uti subobscure Auctor nostri Cæremonialis Augustinus Patricius innuit.

III. Quamquam vero Pontificia Capella veterum rituum, ac Cæremoniarum tenax diu extiterit, obnoxia potissimum fuit mutationibus, translata Sede Pontificia Avenionem, & inde etiam Urbi restituta, variis gradibus, ac rationibus, quas abstineo hic recensere. Juxta præscriptum hujus Cæremonialis, *post primum Auditorem*, Rotæ scilicet, *locum tenet Magister Sacri Palatii*, qui, *ubicumque Ordines Curiæ conveniunt, si adest, sedet, vel stat post unum ex Auditoribus, & si unus tantum adesset, vel si omnes adessent, unus tantum ex eis Magistrum Sacri Palatii*. Verum tametsi ita semper servari viderit Auctor ipse Cæremonialis, & diu etiam ita post ipsum servatum fuerit, Decreto tamen Alexandri Papæ VII. assignatus fuit eidem Sacri Palatii Magistro locus in Capella, & in aliis Functionibus post ultimum Sacræ Rotæ Auditorem, uti diximus in Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. I. Capite X. dicemusque iterum infra in Commentario ad illud hujus ejusdem Cæremonialis Caput, quod inscriptum est, *De Magistro Sacri Palatii*.

IV. Generales Ordinum præsertim Mendicantium, ex quo locum obtinuere in Conciliis, puto & locum habuisse in Capella. Habuerunt autem locum primo in Concilio Lugdunensi II. ut quidam tradunt, & deinde in sequioribus Generalibus Synodis, uti vel ex hoc nostro Cæremoniali addiscimus Lib. I. Titulo XIV. *De Concilio Generali*, §. III. in cujus Commentario inter alia notavimus, quod & observavit Fagnanus in Capite, *Ut Abbates, De ætate, & qualitate*, Num. XIX. citans catalogum Patrum, qui habetur expressus in calce Concilii Tridentini, in ipso scilicet generali Concilio Tridentino post Episcopos sedisse Abbates, & post Abbates Ordinum Generales, inter eos autem primum fuisse Generalem illustris Ordinis Prædicatorum, qui etiam nonnisi ex antiquo jure nunc primus, omnium Generalium Ordinum Mendicantium in Capella sedet, sicut ejusdem Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, primus quoque sedet inter alios Procuratores Generales Mendicantium Ordinum, qui non modo locum in Capella habent, verum etiam statis diebus Dominicis Adventus, & Quadragesimæ Sermonem in Capella habent, primus autem omnium semper Procurator Generalis laudati Ordinis Prædicatorum, uti & nostrum hoc Cæremoniale præscribit, & mss. vetera Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria testantur. Sed de his jam alias diximus.

V. Essent in hoc Commentario & alia multa explicanda de iis, qui locum habent in Pontificia Capella, sed cum hujusmodi locus variis mutationibus obnoxius fuerit, immensi esset laboris velle & hoc loco referre contentiones, & lites non semel inter Principum Oratores eam ob causam excitatas, factumque est tandem, ut ipsi Capellæ minime interfint. Sed & inter ipsos Prælatos non semel etiam ortæ sunt lites, quas recensent Cæremoniarii Apostolici passim in suis ms. Diariis, quasque nos supra, ubi se se nobis dedit occasio, memoravimus.

CAPUT II.

De illis, qui stant, ac primum de Magistro Sacri Hospitii, & Scutiferis Papæ, ac minoribus Nobilibus.

Magister Sacri Hospitii, quæ dignitas, ut alias diximus, est in nobili Domo Comitum, stat ante introitum scamnorum Cardinalium, ideſt, apud finem scamni Pres-

Digitized by Google

Presbyterorum Cardinalium, & post eum stant Magistri ostiarii cum suis virgis purpura tectis. Scutiferi Papæ, & minores Nobiles stant in ipso introitu scamnorum, & post scamnum Presbyterorum Cardinalium.

COMMENTARIUS.

I. DIximus jam Tomo I. hujus Operis, & quidem non uno in loco de Magistro Sacri Hospitii, *quæ dignitas*, ut in hoc Capite notatur, & dictum etiam a nobis alias fuit, *est in nobili Domo Comitum*. Hujus Officialis Pontificii & nomen, & munus, atque emolumenta recensent Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. VII. ubi agit de Dominica III. Adventus, sic inquiens: *Dominus Hospitii debet habere pro beneficio omni die unam monetam de oblatis* (alibi, *de oblationibus*) *Missæ, & lacrymas ceræ, quæ remanent in offerenda Missa*. Hæc propria erat illustris istius Viri portio. Ceterum, uti observat eruditissimus Morettus in sua Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte I. Sectione VI. Num. XII. eidem quoque Viro consignatum videtur quicquid sub vocabulo *cœnariæ*, seu *cœnatiæ* proprium erat Scholarum, quæ innuunt præmissa mox descriptis verba laudati Ordinis Romani XI. *Sacri Palatii Ordines hospitantur in Domo Aguliæ* (alibi, *Auguliæ*) *& Dominus Hospitii debet præparare lectos de suis bonis linteaminibus, & accipere in stabulis suis equos eorum, & custodire, & si opus fuerit, facere cœnam ejus diei, quæ vocantur cœnatica, non solum in Statinibus, verum etiam per totum annum, quandocumque* (alibi, *quocumque*) *venerint Cardinales cantare Missam cum Primicerio, & Cantoribus, vel aliis Palatinis Clericis*.

II. Scite observat laudatus Morettus in sua ad recitatum locum Nota, descripta hactenus verba ex memorato Romano Ordine XI. suadere jam nobis, Officialem ipsum Pontificium, de quo prædictus Ordo loquitur, non alium fuisse, quam qui nunc dicitur *Magister Sacri Hospitii*, cujus adhuc aliqua est, licet levissima, cura in publicis Papalibus epulis, uti in hoc Cæremoniali nostro habetur, supra Lib. I. Titulo III. & Lib. II. ubi agitur de publica compotatione. Idem etiam reputatur veluti nobilis Laicus in primariis sacris functionibus exceptor introductorque Ordinum Pontificii Sacelli, necnon custos interior augusti consessus, & nonnihil ageret, siqui Romam convenientes Principes supremi introduci publice deberent in Palatium Pontificium. An hæc sapiant quid antiquimuneris, viderint alii. Certe proprium est splendidum hujus Magistri Sacri Hospitii ministerium inclytæ, ac pervetustæ Familiæ Comitum, quam nobilioribus Romanis Familiis passim vetusti Scriptores accensent. Post Columnenses, Ursinos, Sabellos, primi dicuntur in Ordine VII. ritum Coronationis Imperatoris Occidentis Romæ habendæ per manus Papæ describente apud Codicem ms. Bigotianum reperto, vulgatoque Tomo III. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Auctore Edmundo Martene Lib. II. Capite IX. quod est de benedictionibus Imperatoris, pagina 181. Sed & ut alios omittam, Jacobus Cardinalis Gajetanus in suo Poemate, quod legitur Tomo IV. Maji apud Bollandianos, ubi recenset clariores Laicos adstantes Coronationi Bonifacii Papæ VIII. Cap. I. nobilissimæ Familiæ Comitum etiam meminit.

Interea titulis redimiti sanguine, & armis,
Illustresque Viri Romana ex stirpe trahentes
Nomen in emeritos tantæ virtutis honores
Intulerat se se medios, festumque colebant.
Ex ipsis devota Domus præstantis ab Ursa
Ecclesiæ; vultumque ferens demissus altum
Festa Columna jocis, necnon Sabellia mitis;
Stephanides senior; Comites; Aniballica proles.

III. Quam antiqua, atque illustris sit Romæ Comitum Familia, omnibus notum est, ac iis præsertim, qui in Ecclesiastica Historia versati sunt; ex qua docemur, multos ex hac familia prodiisse Pontifices Maximos, novissime autem Innocentium XIII. Quamobrem non mirum videri debet, si regnans feliciter Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. novo edito Diplomate, cujus supra Tomo I. mentionem, eidem nobilissimæ Familiæ, ac de Romana Ecclesia optime meritæ antiqua Magistri Sacri Hospitii pritii privilegia confirmavit.

CAPUT III.

De servientibus Armorum.

Servientes armorum stant circa ostium cancelli Capellæ intus & extra, servantes ostium cancelli, quamvis antiquis temporibus nullo pacto intrabant Capellam, sed extra cancellum stabant omnes. Sed non est multum inconveniens, quod duo ex eis sint intus, dummodo contineant se apud ostium, & non discurrant per Capellam. Quod si aliqua mandata habeant ab extra ad Dominos Cardinales, aut aliquos, nutu vocent aliquem ex Clericis Cæremoniarum, & per illum mandata transmittant. Intra cancellos (1) Capellæ non permittant intrare, nisi illos, qui debent intrare; multitudinem stantium intra cancellos, & scamna Cardinalium expellant, ita quod non occupent Prælatos, neque conculcent Oratores. Dimittantur ibi tantum Nobiles, Scutiferi Papæ, & unus, vel duo, pro quolibet Cardinali. Clerici togati in terra sedeant, aut extra mit-

(1) Ita in editione Romana, in Veneta I. & Colonienſi legitur, *Intra cancellos Papæ*.

Digitized by Google

mittantur. In Capella non permittant sedere super scamna, nisi Oratores, & Prælatos consuetos; procurent, ut teneatur silentium, dum Sacra fiunt, & maxime dum fit Sermo, & dum Cantores silent. Quomodo autem sedere debeant, in suis locis posuimus.

COMMENTARIUS.

I. SErvientes armorum, qui occurrunt passim in hoc Cæremoniali, & apud Apostolicos Cæremoniarios in suis mss. Diariis, jam longe ante ipsum Cæremoniale in usu erant in sacris Papalibus Functionibus, eorumque mentionem facit sub eodem vocabulo Romanus Ordo XV. præsertim Capite LVII. ubi ritus describitur Processionis fieri solitæ in Dominica Palmarum, his verbis. *Deinde movetur Processio, & graditur, & primo servientes armorum cum virgis suis ante Subdiaconum bajulantem Crucem &c.* Similia leguntur in mss. Codice Piersanctiano, & in Cæremoniali ms. Davantriæ. Porro ex nostro hoc Capite cautum est, ut ipsi servientes armorum inter alia munia sua, *procurent, ut teneatur silentium, dum Sacra fiunt, & maxime dum fit Sermo*. Sed sciendum tamen juxta veterem Ecclesiæ disciplinam id munus pertinuisse ad Diaconos, uti expresse edicit pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum, Lib. II. Cap. LVII. *Diaconus*, inquit, *populum speculetur, nequis murmure obstrepat, dormitet, aut nutus faciat; oportet enim stare in Ecclesia sapienter, sobrie, & vigilanter, auribus ad Verbum Domini intentis*. Itemque Lib. VIII. Capite XI. *Diaconi contemplentur viros, & mulieres, nequis fiat strepitus, nequis nutus faciat, aut mussitet, aut dormitet*. Vide plura in hanc rem apud eruditum Bernardinum Ferrarium, *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum*, Capite XII. itemque in Opere nostro, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, Lib. II. in eo Capite, quod inscriptum est, *De ritu indicendi silentium ad Evangelii lectionem*.

CAPUT IV.

De Clericis Cæremoniarum.

Rursus circa Altare Clerici Cæremoniarum circumstant, & apud credentiam intenti, & soliciti ad omnes actus, qui in Capella fiunt. Hi præcogitare semper, & meditari debent, quæ sunt agenda, & quæ instant, strenue, diligenter, & memoriter exequi, tractareque omnia summa dexteritate, & modestia. Non est mediocre onus Clericorum Cæremoniarum, qui pro omnibus vigilant in Capella, & quibus omnium defectus adscribuntur. Hi duo tantum ordinarii esse consueverunt. Alter in Divinis curam præcipuam gerat circa personam Pontificis, ad quam semper respiciat, si quid imperet, & ad omnes, qui sunt in Capella, ut Prælati, ut Oratores, ut Nobiles, ut alii omnes stent suo quisque loco; non tamen discurrat sursum, & deorsum sine causa, ut videatur multa agere, (1) ut quidam faciebat. Ad Summum Pontificem non accedat sine urgenti causa, vel nisi vocatus, & tunc cum solitis, & debitis reverentiis. Ad Reverendissimos Dominos Cardinales accedat, cum opus est, cum gravitate, & reverentia. Alter vero Clericus Cæremoniarum vacet Altari, & circa personam Celebrantis, ac aliorum Ministrorum. Uterque tamen omnia prospiciat, & pariter curet, suppleatque defectus Collegæ, cum illos prævidet. Antequam vadant ad Capellam, maxime in Solemnitatibus, & actibus non frequentatis, conveniant simul, prævideant quæ sunt agenda, dividant inter se onera, & concordent de occurrentibus, ne postea in Capella oporteat contendere. Junior defert antiquiori, idest, in Officio priori, & primas partes illi permittat. Prior tractet juniorem, & novitium, ut Fratrem, & bonum Collegam. Si habent tertium, eo utantur, ut decet. Quanto plures erunt, si erunt concordes, & ordinem inter se servabunt, facilius, & melius satisfacient. Si erunt inter se contrarii, melius esset unus cantum. Cum ducunt, aut reducunt Prælatos, aut Nobiles ad data sibi loca, vel ad aliquos actus, modeste, & reverenter incedant, & genuflexiones, atque inclinationes doceant. Similiter Ministros Altaris, & quando aliquem actum facere debent (nam omnes magni, & parvi, a Cæremoniario deducuntur) quiete & modeste ducant, ministrent, & aptent, ac non urgeant, non impellant, neque vehant (2) sicut aliquando fieri vidi. Cæremonias omnes, & maxime in Missa Papali, & quæ ad

pre-

(1) Hæc verba, *ut quidam faciebat*, extant in editione 1. Veneta, & Colonienſi; desuntque in Romana.
(2) Similiter & hæc verba, *sicut aliquando fieri vidi*, desiderantur in Romana editione, sed extant in aliis citatis.

Digitized by Google

perſonam Papæ pertinent, graviter, modeſte, & cum congruenti mora peragant, ut reverentiam, & devotionem aſpicientibus majorem inducant.

COMMENTARIUS.

I. EGimus de Magiſtro Cæremoniarum Libro I. Cæremonialis Epiſcoporum in Commentario ad Caput V. in cujus initio notavimus, quod, cum præceptum ſit ab Apoſtolo in Epiſtola I. ad Corinthios, Capite XIV. ſive potius a Spiritu Sancto per os illius loquente, ut in Eccleſia *omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant*, eaque verba de ſacris Cæremoniis, quæ in Eccleſia obeuntur, intelligi debere, obſervet S. Chryſoſtomus, aliique Patres, jam ab oriente Chriſtiana profeſſione, ad interiorem Religionem retinendam, atque exaugendam, inſtitutæ ſacræ ſunt Cæremoniæ: *Iccirco Magiſtri noſtri*, ut ait laudatus Chryſoſtomus Homilia I. in Matthæum, *Eccleſiarum Inſtitutores*, ideſt Apoſtoli, *uſque ad humilia, & minuta præcepta deduxerunt diligentiam diſciplinæ*. Cæremoniis Divini cultus ſedulo ſtuduiſſe priſcorum ſeculorum Clericos, eaſque diligenti ſollicitudine ſervaſſe, docet nos exemplum Nepotiani Presbyteri, quem in ejus Epitaphio, ſive funebri oratione inter alia laudat S. Hieronymus, quod *cerneretur ejus in omnes Cæremonias ſolicitudo diſpoſita*.

II. Antiquitatem Officii Magiſtrorum Cæremoniarum tam in Romana Eccleſia, quam in aliis reliquis omnibus, nemo profecto eſt, qui vocare poſſit in dubium. Licet enim varia ſit iſtorum denominatio apud Scriptores, ac recentior, quum ſuperiori ævo vel clerici Cæremoniarum dicti ſint, vel ſingularius ad eos pertineat appellatio Clericorum Capellarium in monumentis Veterum quandoque occurrens, ſcitiſſime tamen notat rei ritualis peritiſſimus Amicus noſter Petrus Morettus inſignis Baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim Canonicus in Appendice I. ad doctiſſimam ſuam illam Lucubrationem, *De Presbyterio*, Num. III. pag. 306. munus ipſorum tam antiquum eſſe, quam antiqua in rebus Eccleſiaſticis, ſacriſque Officiis neceſſitas ordinate, & Canonice dirigendi ritus Chriſtianæ Religionis, ſuumque locum, & dignitatem cuique ſervandi.

III. Sacris ipſis Cæremoniis dirigendis præfici conſueviſſe jam olim certum quempiam Virum, teſtantur ea S. Dorothæi Abbatis verba Sermone II. ubi ait: *Num Præpoſitus Cæremoniarum, aut quivis alius e Fratribus mihi dixit quidquam, & ego non tuli, ſed contradixi?* Puto equidem, priſcis ſeculis ſacras in Eccleſiaſticis Functionibus Cæremonias direxiſſe Diaconos, ſive etiam Archidiaconos, uti conſtat ex quibuſdam eorum muniis, quæ Tomo I. Conciliorum, & Tomo I. Romani Pontificalis, atque Libro II. *De Codice S Evangelii &c.* Cap. XII. recenſui, itemque ex Capite II. & ſeqq. *De Officio Archidiaconi*, notatque Macrius in ſuo Hierolexico, verbo, *Cæremoniarum Magiſter*. Certe addubitari nequit, quin primis ſeculis Diaconi peragerent, quæ hodie ex variis Synodis, atque Cæremonialibus peculiaria ſunt Magiſtrorum Cæremoniarum munia. Auctor quippe vetuſtus Apoſtolicarum Conſtitutionum, Lib. II. Cap. LVII. inter alia ita de Diacono inquit: *Diaconus populum ſpeculetur, nequis murmure obſtrepet, dormitet, aut nutus faciat &c.* Hoc hodie munus ſpectare ad Cæremoniarum Magiſtros, inter alia Cæremonialia docet & ipſum Cæremoniale Epiſcoporum Lib. I. Cap. V. §. VII.

IV In Eccleſia Romana Magiſtrum quidem Cæremoniarum agebat olim Archidiaconus, quippequi ordinabat ipſe Proceſſiones, diſcurrebatque manu ferulam tenens in muneris ſui ſignum, uti liquet ex Ordine Romano XI. Auctore Cencio, Capite III. Num. VII. & Capite XXXIX. Num. LXIII. ubi loquens de Proceſſione haberi ſolita a Papa cum Epiſcopis, Cardinalibus, & aliis Ordinibus, ita inquit: *Ordinantur in Proceſſione ab Archidiacono, & Subdiacono Baſilicæ, & Priore Subdiaconorum habentibus in manibus ferulas, ut ſuperius in aliis Proceſſionibus eſt narratum*. Erat itaque præcipuus Cæremoniarum Magiſter Archidiaconus, Prior vero Subdiaconorum, ejus Miniſter, ſeu adjutor videtur ipſius fuiſſe. Scio, aliam ede opinionem Viri Clariſſimi Petri Moretti, quippequi in ipſa Appendice ad Lucubrationem, *De Presbyterio*, Num. IV. poſt citatum Ordinis Romani locum a nobis deſcriptum, munus fuiſſe autumat Subdiaconorum Cæremonias ſacras dirigere; quod nos libenter concedimus, modo præcipuum munus ſpectaſſe dicatur ad Archidiaconum, Subdiaconos autem ejuſdem tantum adjutores fuiſſe; id enim non obſcure innuit citati Romani Ordinis locus; eaque cauſa forte eſt, ob quam memoratus Morettus nonniſi dubitans ſcripſerit, in Eccleſia Romana Subdiaconos ipſos egiſſe Magiſtros Cæremoniarum. En ejus verba loco citato: *Olim forſan e Subdiaconis eligebantur tantummodo, qui pondus, honoremque portarent, quum Sacriſtæ, tum Magiſtrorum Cæremoniarum &c.* Agit eo loci laudatus Auctor de Schola Crucis, quam fuiſſe ait compoſitam Romæ e Sacriſta, Subdiaconis, & Magiſtris Cæremoniarum.

V. Variis nominibus in Eccleſia tum Latina, tum Græca appellatum olim fuiſſe Cæremoniarum Magiſtrum, obſervat in laudato ſuo Hierolexico Macrius: *Admonitorem*, ſcilicet, quod omne id, quod agendum ſit, admonere debet; itemque *Memorialem*, *Remomeratorium*, *Hypomimniſcon*, ſeu, *ſuggeſtorem*, quod ei in Eccleſia Conſtantinopolitana cura eſſet Patriarchæ Celebranti Cæremonias, & verba ſuggerere. Dicebatur præterea Hieromnemenon, ideſt, rerum ſacrarum Præfectus, eratque in ipſa Conſtantinopolitana Eccleſia, ſicut in Romana, uti dictum eſt, Diaconale Officium magnæ exiſtimationis, ad quod pertinebat Patriarcham Pontificaliter induere, preces in Libro indicare, in Throno locum electis, ac conſecratis conſignare, contacium Ordinationis conſuetum intonare: *Itaque*, ut verbis Macrii utar, *Officio Cæremoniarum Magiſtri corriſpondebat*. Sed de hoc Officio apud Grecos videri poteſt eruditiſ-

Digitized by Google

simus Jacobus Goar in suis ad Euchologium Notis, aliique Auctores, qui in Rituale Græcorum scripsere.

VI. Sed omissa Ecclesia Orientali, aliisque particularibus Occidentis Ecclesiis, quod Capellam Pontificiam spectat, de qua nos agimus, duo olim constitui soliti tuere Cæremoniarum Magistri, ut alter scilicet curam præcipuam gerat circa personam Pontificis, ad quam semper respiciat, siquid imperet, & ad omnes, qui sunt in Capella, ut Prælati, ut Oratores, ut Nobiles, ut alii omnes sunt suo quisque loco; alter vero vacet Altari, & circa personam Celebrantis, ac aliorum Ministrorum. Additum & his duobus deinde fuisse tertium, quem supernumerarium appellant, testatur in suo ms. Diario Grassus, præsertim vero ad annum MDXIII. sub die XIII. Decembris, ubi hæc habet: *Antequam Papa*, Leo nempe X. *veniret ad Capellam, cum pararetur apud lectum, vocavit Dominum Bernardinum Gutteri Hispanum olim Magistrum Cæremoniarum, & dixit ei, qualiter placeret Cardinalibus, quod ipse serviret in Capella Papali in Officio Cæremoniarum, quia Dominus Balthassar socius meus jam multo tempore infirmus, & absens esset ab Urbe, & quia ego Paris Episcopus Pisaurienſis non commode, nec honeste servirem discurrendo per Capellam cum Cappa, quod non convenit dignitati Episcopali; sed quod non speraret ex hoc commodum aliquod, quia volebat, quod esset sine præjudicio Magistrorum, ipse autem Pontifex aliunde sibi satisfaceret, & sic eadem die, & illico, accepit Cottam, & indutus servire incœpit simul cum Hippolito substituto meo.* Quamquam Episcopatu Pisaurienſi donatus Paris, agebat tamen Romæ Cæremoniarium Apostolicum, ut liquet ex ejus Diario, in quo recenset Cæremonias ab ipso directas toto Leonis X. Pontificatu. Porro consuevisse & aliquando ex ultramontanis creari Apostolicos Cæremoniarios, testatur idem Paris de Grassis in eodem Diario ad annum MDXVIII. ubi etiam ait, se persuasisse Pontifici, ut Italus crearetur, extatque de ipsa re hæc ejus narratio loco citato.

Mortuo socio meo, multæ praticæ habitæ sunt per diversos de alio deputando, aliique Papæ persuadebant, omnino ultramontanum Magistrum creari debere juxta Decreta noviter in Concilio Lateranensi habita, alii vocari debere censebant Dominum Bernardinum Gutteri Hispanum, cum quibus Papa inclinabat. Alii, datam esse supplicationem signatam, & desuper Bullas expeditas in favorem Michaelis olim Substituti Domini Joannis Burchardi Episcopi Castellani Magistri Cæremoniarum, ipsumque Michaelem fuisse vocatum, ut quamcelerius properet ad Urbem. Ego autem cum Pontifice, & aliis, quam potuit honestius, loquutus sum, non plus ultramontanum, quam citramontanum suffici posse, cum in arbitrio sit Pontificis facere eum, qui sibi placeat, & non arctari ad ultramontanum, sicut fecit Papa Alexander, qui, quia erat ipse ultramontanus, voluit, ambos ultramontanos esse tempore suo; deinde cum Dominus Bernardinus resignasset in citramontanum Officium suum, & deinde defunctus sit Dominus Bruccardus Alemanus, Papa Julius voluit in loco suo ponere, & sic posuit Dominum Balthasarrem de Viterbio citramontanum, dicens cum Papa sit citramontanus, & a simili allegabat in Curia Imperatoris se fuisse, & nullibi vidisse Italos Officiales, propterea nec ipse volebat, nisi Italos Magistros. Hortatus sum etiam Papam, quod faciat, non habens respectum ad Decreta Concilii, quæ pro majori parte non sunt in observantia, & Papa de facili potest derogare. Quo autem ad Dominum Bernardinum sic dixi, quod si ipse, cum nuper serviret, tanquam substitutus, erat ita superbus, & intolerabilis, ut eum omnes damnarent, quid faciet modo, si ex profunda Hispania sponte, & ultro vocatus fiat Magister. Si ergo nunc fit, quasi invitus fiet, & invitus serviret. Quo autem ad Michaelem dixi, ipsum fuisse satisfactum a Papa Julio in collatione Præposituræ Argentinensi, quam sibi gratis dedit, ne ad officium aspiraret, & sic ipse contentus recessit ex Urbe.

Itaque consului, alium, & quidem Italum fieri posse, & debere. Cum autem persona conveniens quæreretur a Papa, & a Cardinalibus, atque ab aliis omnibus fautoribus suis, cum quibus hæc res agebatur, & tandem sic operatus sum, quod ego sibi debuissem Papam super hoc negotio rogare, ipsemet Papa me rogavit, ut ipsum repellerem, dicens Papa omnes virtutes ipsius Domini Blasii; intantum quod ego sic a Papa inductus fui contentus, & supplicavi Sanctitati suæ, quod ipsum mihi daret socium, quod Papa concluſit, & sic ipse Dominus Blasius tandem post multas discussiones fuit admissus ad osculum pedis Papæ tanquam Magister in locum Balthasarris, & cum ipse Pontifex parabatur, fecit eum vocari, ut veniret ad Capellam, quia ibi Superpelliceum indueret, & sic præstita per omnes Cardinales reverentia solemni, priusquam surgeret ad cantandum, *Deus in adjutorium*, vocato ad pedes suos ipso Domino Blasio imposuit Superpelliceum, hortatus ad benefaciendum Officium Cæremoniarum; & sic ipse, qui nunquam fuerat Clericus, nec in Ecclesiasticis practicus, nec discipulus, factus est Magister cum admiratione, ne dicam risu multorum.

VII. Tradit hæc quidem in suo ms. Diario ad memoratum annum MDXVIII. Grassus, ex quibus plura addiscere licet, sicut ex iis, quæ de sua in Apostolicum Cæremoniarium electione narrat Franciscus Mucantius ad annum Christi MDLXXIII. ubi inter alia docet, fuisse aliquando ipsum Cæremoniarii Apostolici munus venale, sed gratis tamen collatum sibi fuisse ex benignitate Gregorii Papæ XIII. Lubet integrum ejus locum describere, tum præsertim, quod de ejus electione agitur, cujus Diario nos passim usi sumus in hoc explicando S. R. E. Cæremoniali. Sic autem ait.

Die decima sexta hujus mensis in Vigilia Sanctissimæ Trinitatis in Sacristia Capellæ post Vesperarum celebrationem, ac postquam Papa fuit exutus paramentis ibidem propter impedimentum transitus Aulæ regiæ, præsentibus omnibus Cardinalibus, ego Franciscus Mucantius osculatus fui pedem Sanctissimi Domini nostri Gregorii XIII. gratias illi ingentes agens, quod me ad serviendum Sanctitati suæ in Officio Magistri Cæremoniarum delegerit, quod fuit sine præjudicio duorum Magistrorum moderno-

Digitized by Google

norum, videlicet Domini Ludovici, & D. Cornelii de Firmanis, quoad emolumenta, & fructus Officii, sed cum futura successione in locum alterutrius primo vacaturum, de eorumdem consensu, & interim cum provisione decem scurorum auri quolibet mense, & victu in Palatio pro me, & duobus famulis, & uno equo, Qua in re ultra alios mirum in modum fuere mihi propitii Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales Moronus Sacri Collegii Decanus, Nicolaus Cajetanus Cardinalis de Sormoneta nuncupatus, Ferdinandus Cardinalis de Medicis Cosmi Magni Ducis Etruriæ filius, sed potissimum ipse Cardinalis de Medicis, quibus perpetuo ero obnoxius. Jam fere erant transacti decem anni, cum tempore felicis recordationis Pii Papæ IV. nonnulli Illustrissimi, & Reverendissimi Cardinales in hujusmodi Officium me introducere cupiebant, quod crederent me tanquam nepotem quondam D. Blasii Baronii de Cæsena olim Magistri Cæremoniarum, hæredemque Scriptorum illius, aut etiam tanquam meapte natura in id studii genus proclivem, ac deditum, in eo Magisterio idoneum fore. Res tamen tunc effectu caruit, quia Officium venale fuit factum, quod ego emere recusavi. Sed huc me tandem revocavit Gregorii XIII. benignitas, cum quo mihi ante Pontificatum aliquantulum familiaritatis intercessit. Sed in hoc ejus erga me superabundavit gratia, & charitas, quod me inscio, nec prorurante, a se ipso primum, deinde opera Illustrissimorum Cardinalium tale mihi munus gratis contulit; quo nomine plus me illi, quam Mortalium ulli debere intelligo. Faxit Deus Optimus Maximus, ut ejus, aliorumque de me opinioni cum fructu, & laude respondere valeam. Eram tunc constitutus in anno ætatis meæ XL. non completo.

X. Auctus est tandem hodie supra modum Cæremoniariorum Apostolicorum numerus, factumque est ex ipsis Collegium, cui tamen duo præsunt Viri diligentissimi, ac summæ prudentiæ, quorum primus est Ignatius Reali, Romanæ Aulæ Prælatus, alter vero Philippus Venantius Piersanctes, quibus plurimum me debere profiteor ob eorum patientiam in legendis meis hisce Commentariis, in quibus vix aliquid invenire potuerunt, quod eos lateret, neque enim ex usu, vel praxi solum Cæremonias Pontificiæ Capellæ callent, sed plenam earumdem notitiam habent ex jugi veterum mss. Codicum studio, & lectione.

CAPUT V.

De Cardinale assistente Pontifici in Divinis.

Summo Pontifici celebranti, sive audienti Divina solemniter semper assistit Prior Episcoporum, sive Prior Presbyterorum Cardinalium in Officio Capellani, præterquam quando Papa non habet Mitram; tunc enim nulla fit assistentia. Assistentia etenim fit in Missa, in Vesperis, (1) & in benedictionibus. In Matutinis nunquam fit, quia tunc Papa nunquam habet Mitram.

COMMENTARIUS.

I. AGit de ministerio Episcopi, vel Presbyteri Cardinalis servientis Papæ Solemnia Missarum celebranti *in officio Capellani*, Romanus Ordo XIV. Cap. XLVII. ubi primo sciendum monet, *quod Romano Pontifici Missarum Solemnia celebranti servire solet in Officio Capellani Episcopus Cardinalis diebus, qui Processionales vocantur, in quibus idem Pontifex longe ab Altare sacris indutus vestibus, & cum ordinata Processione, Mappa,* idest, Baldachino, *super caput ejus extensa, ad Sacrum Altare procedit; aliis vero diebus, in quibus non fit hujusmodi Processionis Solemnitas, servire solet Presbyter Cardinalis; sed a Feria quarta in capite jejunii, licet dicta Processio fieri soleat, tamen Presbyter Cardinalis servire debet. Quando autem Pontifex alicui Episcopo, vel Presbytero Cardinali committit Sermonem faciendum in Missa, is, qui prædicaturus est, servire debet, etiamsi alias ad alium pertinere servitium videatur.* Plura alia mox scitu digna docet idem Ordo Romanus citato loco de Cardinale assistente Papæ in Divinis, longumque esset ea referre in hocce Commentario. Unum est, quod omitti nullatenus debet, quod nempe laudatus Ordo nos docet de Sede Cardinalis assistentis Pontifici: *Sciendum*, ait, *quod Cardinalis, qui servit in loco Capellæ, si est Episcopus, Faldistorium suum habere debet ad dexteram partem Sedis prædictæ, nempe Papæ, super alios Episcopos Cardinales, qui sedent in eadem parte. Si autem Presbyter est, non debet habere Faldistorium, sed locum habebit ante pedes Pontificis in dextera parte juxta duos Diaconos Cardinales, qui eidem Pontifici assistunt.*

II. Agit & de ipsa assistentia Prioris Episcoporum Cardinalium Grassus in suo Ordine Romano Cap. XII. ubi inter alia ita inquit: *Reverendissimus Dominus Prior Episcoporum Cardinalium Pontifici in Basilica Pontificaliter celebranti semper assistere Pluviali paratus, & super non scabello, sed cathedra nuda sedere, quod si Episcopi deficientis vicem suppleat Prior Presbyterorum, tunc quamvis Pluviali indueretur, non tamen super cathedra, sed super scabello nudo sedere debet.* Porro, ut in hoc Capite edicitur, Summo Pontifici celebranti, sive audienti Divina solemniter semper assistit, Prior Episcoporum, sive Prior Presbyterorum Cardinalium in Officio Capellani, præterquam quando Papa non habet Mitram; & ratio est, quæ ibidem recensetur, quia scilicet tunc nulla fit assistentia; assistentia etenim fit in Missa, in Vesperis, in benedictionibus; in Matutinis autem nunquam fit, quia tunc Papa nunquam habet Mitram. Similia docent Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria.

(1) Ly & deest in editione Romana, sed legitur tamen in Veneta 1. & Coloniensi.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quando Episcopus Cardinalis assistit Papæ celebranti, & de diebus Processionum.

Prior Episcoporum Cardinalium assistit in diebus Processionum, quando vadit sub baldachino, & cum Processione ad Altare, videlicet in Nativitate Domini nostri Jesu Christi, in Circumcisione, in Epiphaniis, Ramis Palmarum, Cœna Domini, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecostes, Dominica Trinitatis, Corporis Christi, S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & in omnibus glorioſissimæ Virginis Mariæ Festivitatibus. Item in Festo omnium Sanctorum, in Canonizatione alicujus Sancti, in sua Coronatione, & quotiescumque solemnizaret aliquod Festum. In his omnibus assistit Episcopus Cardinalis, & sedet super nudam cathedram inter Papam, & alios Episcopos Cardinales, si Papa celebrat in Vesperis, & in Missis.

COMMENTARIUS.

I. PRiorem Episcoporum Cardinalium assistere debere Pontifici in diebus Processionum, quando scilicet Papa vadit sub baldachino, & cum Processione ad Altare, notatum etiam in præcedenti Commentario fuit ex antiquo Romano Ordine XIV. Auctore Gajetano Cap. XLVII. Numerantur autem in hoc Capite dies ipsi Processionum, videlicet in Nativitate Domini nostri Jesu Christi, in Circumsione, & aliis pluribus Solemnitatibus, de quibus diximus nos suis locis. Cæterum quod in his omnibus Celebritatibus assistat Pontifici Episcopus Cardinalis, & sedeat super nudam cathedram, non autem super scabellum, super quo sederet Prior Cardinalium Presbyterorum, si Episcopi Cardinalis deficientis vices suppleret, notatum quoque a nobis superius fuit in prædicto Commentario, ubi locum descripsimus citati Romani Ordinis XIV. cui & alii Cæremoniales Pontificiæ Capellæ Codices consentiunt, quorum loca supervacaneum est describere; satisque censuimus antiquiores ritus in hoc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cæremoniali ab Augustino Patricio ejus ordinatore notatos referre.

CAPUT VII.

Quando Presbyter Cardinalis assistit Papæ celebranti.

Prior autem Presbyterorum Cardinalium servit in aliis temporibus, videlicet in Dominicis Adventus Domini, in secundo, & tertio die post Natale Domini, in die Cinerum, in Dominicis Quadragesimæ, præterquam in Palmis, in Parasceve, in Sabbato Sancto, (1) in Albis, in secunda, & tertia Feria Paschatis, & Pentecostes, in Ordinationibus, & si quando Papa in Vigiliis, aut pro Defunctis solemniter celebraret, quod raro accidit. Papa enim secundum antiquas Cæremonias nunquam consuevit solemniter celebrare pro Defunctis. Item in Absolutionibus Defunctorum, si quando fiunt per Papam, & in omnibus benedictionibus, & quotiescumque Papa interest Divinis, & non celebrat principaliter.

NOTA.

I, ENumerantur in hoc Capite dies, ac Solemnitates, in quibus Prior Presbyterorum Cardinalium Pontifici assistit, præscriptæque a nostro Cæremoniali regulæ adhærent mss. Apostolicorum Cæremoniariorum antiqua Diaria, ubi ritus in ipsis diebus, Solemnitatibusque observatos recensent.

CAPUT VIII.

De assistentia in Vesperis cum paramentis.

Cardinalis igitur assistens Pontifici, sive Episcopus, sive Præsbyter, in Vesperis Papalibus, indutus Pluviali, & alba Mitra sedet in sua nuda cathedra, si est Episcopus Cardinalis; si vero Presbyter, in scabello nudo inter Sedem Papæ, & Episcoporum Cardinalium sedilia. Cum Papa est intonaturus primam Antiphonam ad Vesperas, accedit ad eum, & super caput suum retinet Librum, ex

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur, *& albis*.

Digitized by Google

ex quo Papa intonat Antiphonam; deinde redit ad ſuam cathedram; ſtans deinde in ſuo loco intonat tertiam Antiphonam. Item cum Papa eſt intonaturus Hymnum, ſimiliter accedit, & tenet Librum, & redit ad locum ſuum. Similiter cum intonat Antiphonam ad *Magnificat*, & tunc non diſcedit; ſed poſtquam Pontifex intonata Antiphona ſederit, accipit naviculam incenſi de manu Acolythi, & miniſtrat Pontifici, dum imponit incenſum more ſolito; deinde reddit naviculam Acolytho, & expectat finem Antiphonæ. Tum, cum incipitur, *Magnificat*, ſequitur Pontificem euntem ad Altare, & poſtquam Pontifex oſculatus fuerit Altare, offert illi thuribulum, quod ab Acolytho receperat, & catenularum extremitates primo exoſculatus, ponit ad ſiniſtram manum, partem vero juxta ſummitatem thuribuli ad dextram, oſculando ſemper manum Pontificis, & tunc, & quando aliquid dat, vel recipit ab ejus manibus; retrahit ſe deinde, cum Pontifex incenſat Altare, & tandem, finita incenſatione, ſtans in cornu Epiſtolæ, accipit thuribulum e manu Pontificis, & illud dat Acolytho, qui eum ſervat. Sequitur deinde Pontificem redeuntem ad Sedem ſuam, & firmat ſe ad infimum gradum Solii; & cum Papa fuerit in Sede, accipiens thuribulum ab Acolytho ſtans ſine Mitra, incenſat Pontificem ſtantem cum Mitra. Demum revertitur ad locum ſuum, dato thuribulo uni ex Subdiaconis, qui incenſat omnes alios. Cum vero Papa eſt dicturus Orationem, iterum accedit Cardinalis aſſiſtens, & retinet Librum ſupra caput; deinde revertitur ad locum ſuum, & eſt finis ſervitii ſui pro hac vice.

COMMENTARIUS.

I. QUæ in hoc præſcripta ſunt Capite de aſſiſtentia Epiſcopi, vel Presbyteri Cardinalis in ſolemnibus Veſperis Papalibus, egregie enarrat Paris de Graſſis diu Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter in ſuo Romano Ordine Cap. XII. quod nos integrum ad majorem noſtri Cæremonialis explicationem deſcribere cenſuimus. Sic autem inquit apud Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.*

Reverendiſſimus D. Prior Epiſcoporum Cardinalium Pontifici in Baſilica Pontificaliter celebranti ſemper aſsiſtere Pluviali paratus, & ſuper, non ſcabello, ſed cathedra nuda ſedere; quod ſi Epiſcopi deficientis vicem ſuppleat Prior Presbyterorum, tunc quamvis Pluviali indueretur, non tamen ſuper cathedra, ſed ſuper ſcabello nudo ſedere debet.

Surgente Pontifice, ac *Pater noſter* pro initio Veſperarum dicente, ipſe illico, antequam ſe moveat ad aſſiſtentiæ cathedram iturus, invitat ſubſequentem ad aſſiſtentiæ honorem, & ſic vadit, ubi primo Diaconum a dextris ſalutat. Dum prima Antiphona Pontifici intimatur, accedit ſine Mitra ad ſuſtinendum ſuper caput Librum Antiphonarum ante ipſum cantantem. Quo ceſſante, redit ad cathedram, ubi quoties ſeſſurus eſt, ſemper Diaconum prædictum ad prius ſedendum invitat.

Tertiam Antiphonam ſibi a Subdiacono intimatam acceptat mitratus, quam demum ſtans ſine Mitra cantando reſumit.

In fine Capituli recitati, dum per Subdiaconum intimatur Hymnus Pontifici, ipſe ad Librum ſuſtinendum, ut prius, accedit, & mox redit ad cathedram.

Quando per Chorum reſponderetur ad Verſiculum ante *Magnificat*, vadit ad Librum ſuſtinendum, ut prius, ſed inde non deſcendit miniſtraturus naviculam Pontifici, nec etiam thure poſito diſcedit.

Euntem ad Altare Pontificem comitatur, firmans ſe apud Epiſtolæ cornu, ubi acceptum ab Acolytho thuribulum offert Pontifici cum oſculis thuribuli, & manus,

Dum per Pontificem incenſatur Altare, ipſe introcedens ſtat immobilis, & demum Altari thurificato, recipit thuribulum cum eiſdem oſculis, quod illico reddit Acolytho ibidem aſtanti.

Redeuntem ad Solium Pontificem ipſe ſubſequitur uſque ad infimum gradum Solii, ubi accepto thuribulo, ſtans ſtantem, Mitratuſque (legendum, Mitratumque) Pontificem incenſat. Tum teddito thuribulo, revertitur ad cathedram ubi ante Diaconum incenſatur a Subdiocono;

Ultimo Acolythis Ceroferariis ab Altari ad Pontificem euntibus, ipſe ſimiliter a ſuo loco vadit ad Librum ſuſtinendum, ut prius, pro Oratione; qua cantata, revertitur ad alios Cardinales, ubi paramenta deponit, ſicut acceperat.

CAPUT IX.

De aſſiſtentia in Miſſa cum paramentis.

In Miſſa autem, ſi Papa deſcendit ad Eccleſiam proceſſionaliter, quia ex Camera Papæ movetur Proceſſio, Pontifex paratus cum Pluviali, & Mitra, antequam a lecto paramenti ſe moveat, incenſum ponit in thuribulum, miniſtrante tunc naviculam Priore Presbyterorum Cardinalium, & deinde in Eccleſia Prior Epiſcoporum ſervit diebus ſuis. In Eccleſia autem aſſiſtens Cardinalis ſedet in loco ſui

Digitized by Google

sui Ordinis a principio usquequo Papa sit dicturus Orationem ad Tertiam. Tunc accedit, & tenet Librum in capite etiamsi non esset paratus; & si esset dies Ferialis, quod Oratio esset dicenda per Papam genuflexum, ipse assistens Cardinalis genuflexus teneret Librum ante Pontificem dum diceret Orationem; & finita Oratione, non discedit, sed expectat, quousque portetur aqua ad lavandum manus Papæ; & tunc stans ad dextram Pontificis, apponit manum ad pelvim, in qua est aqua, & simul cum Nobili illam portante infundit aquam super manum Pontificis. Redit deinde ad locum, ubi prius erat; & in fine, cum Papa accipit Mitram, ipse Cardinalis accedens immittit ei Annulum Pontificalem, & alios, & non discedit amplius. Sed cum Papa vult intrare ad Altare, ministrat naviculam incensi, cum Papa illud in thuribulum imponit; deinde procedit immediate ante Papam simul cum Diacono Cardinale Evangelii ad dextram, & cum Papa facit Confessionem, stat ad ejus dextram, & Diaconus ad sinistram. Finita Confessione, cum Papa osculatus fuerit Altare, simul cum Subdiacono, offert ei osculandum Librum Evangeliorum, deinde retrahit se ad partem, quoad Papa imponat incensum, incenset Altare, & incensetur. Nam apud Altare, non Cardinalis assistens, sed Diaconus Evangelii semper ministrat naviculam, & incensat Papam. Cardinalis vero assistens id Officium facit, cum Papa est apud Sedem eminentem, & illinc stans tenet Librum supra caput, dum Papa legit Introitum; postea sedente Papa, vadit ad suam cathedram nudam, ut in Vesperis. Sed advertendum, quod, si assistens est Presbyter, & non est Episcopus Cardinalis, non sedet super cathedram, sed super scabellum rubro colore pictum, cum Pluviali tamen ut Episcopus. Cum Papa est dicturus, *Gloria in excelsis Deo*, accedit, & tenet Librum super caput, & deinde prosequitur cum eo Hymnum Angelicum, & redit ad sedem suam. Item cum Pontifex est dicturus Orationes, accedit, & tenet Librum supra caput, quousque Papa finiverit Orationes, & redit ad locum prædictum. Si fieret Sermo, & post Sermonem Papa faceret Absolutionem &c. similiter accederet, & teneret Librum supra caput. Cum Papa est dicturus, *Credo in unum Deum*, similiter accedit, & tenet Librum super caput, & deinde prosequitur cum eo Symbolum. Item cum Papa est lecturus Offertorium, accedit, & tenet Librum. Cum vero Papa legerit sedens Epistolam, Graduale, & Evangelium, non ipse, sed Episcopi assistentes non Cardinales, tenent Librum. Accedit etiam, cum Papa est lavaturus manus post Offertorium, & servit, ut superius diximus in prima lotione. Descendit deinde cum Pontifice ad Altare, & ponit se ad ejus sinistram, ubi est Liber Missalis, & ibi tenet ipsum Librum elevatum aliquantulum cum sinistra, & cum dextra vertit folium, & digito ostendit Pontifici, quæ sunt dicenda; & cum Papa post incensationem manus tertio lavat, servit, ut supra. Et nota, quod quando Cardinalis assistens serviturus est de Libro, duo primi Episcopi non Cardinales assistentes Papæ subserviunt ipsi, quorum prior servat Librum, & apponit manum, cum Cardinalis illum tenet supra caput, alter vero tenet candelam accensam ante Librum, & in Altari ille prior tenet manum sub Libro, & præostendit dicenda Cardinali; alter similiter tenet candelam, & isti cum Libro præveniunt ad Altare, & similiter ad sedem. Assistens Cardinalis præfatus intendit deinceps administrationi Libri, diligenter veniendo, & ostendendo omnia dicenda usque dicto, *Agnus Dei*. Tunc vero cum Papa dicit Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, pacem &c.* accedit ad dexteram Pontificis, genuflectit, surgit, osculatur Altare; deinde in tempore accipit pacem a Pontifice, & eam defert ad alios Cardinales, incipiendo a primo Episcopo Cardinali, & illi primo dat pacem, osculando ipsum in facie, deinde primo Presbytero, inde primo Diacono, non tamen ex illis, qui sunt apud Altare, sed ex iis, qui sunt apud sedilia Cardinalium in suo ordine. Deinde siquis est Princeps, qui sedeat in scamnis Cardinalium, illi dat, & in fine primo ex Episcopis assistentibus non Cardinalibus, ideſt, illi, qui servit de Libro. Demum dat pacem uni ex Subdiaconis, qui illam distribuit omnibus gradibus, & ordinibus Capellæ more consueto. Redit deinde Cardinalis assistens ad Pontificem jam apud Sedem eminentem existentem, & accipiens calamum aureum de manu Sacristæ, cum quo Papa Sanguinem Christi sugere debet, illum cum suo stilo super quendam Calicem, Sacrista vinum ex ampulla superfundente, purgat, & de ipso vino dat ad prægustandum ipsi Sacristæ. Tum, cum Pontifex Corpus Chri-

Digitized by Google

Christi sumpserit, Cardinalis calamum ipsum prius a se deosculatum in Calice, ubi est Sacramentum, immittit, & ponit ad manus Papæ; qui cum illo Christi Sanguinem sugit, & in Calice illum ad manus Diaconi Evangelii dimittit. Tum aliquantulum vini, & aquæ, si Papæ placet, in Calice superius dicto imponens, non tamen in quo est Sacramentum, dat Pontifici ad purificandum os. Retrahit se deinde ad partem Cardinalis assistens, quousque Papa post purificationem manus quarto solemniter lavet, cui servit, ut supra diximus; & descendentem deinde Pontificem ad Altare præcedit; illique, dum legit Postcommunionem, & cantat, servit de Libro; & demum data solemni benedictione per Papam in Altare, pronunciat Indulgentias ex parte Pontificis, & sic est finis sui servitii in eo Officio Missæ. In diebus Processionum, in quibus Prior Episcoporum Cardinalium assistit, Prior Presbyterorum indutus sua Planeta post Communionem Corporis, & Sanguinis Domini infundit vinum ex ampulla super digitos Pontificis ad eos purificandos, dextra (1) sua manu, & sinistra supponit quandam pateram auream cum ansa, & deinde vinum ipsum purificationis portat ad Altare, & dat Ministris, & ad locum suum revertitur. Si vero assistit Papæ ipse Prior Presbyterorum in diebus supranominatis, erit indutus Pluviali, non Planeta, & in Vesperis intonabit tertiam Antiphonam, & quartam Subprior Presbyterorum. In Missa infundet vinum pro purificatione ad digitos Papæ, sicut supra diximus de Priore Presbyterorum.

COMMENTARIUS.

I. PRæscripta in hoc Capite de assistentia Prioris Episcoporum Cardinalium in Missa solemni Processionali cum paramentis, luculentius enarrat Paris de Grassis in suo Romano Ordine jam toties a nobis citato, Cap. XIII. quod integrum hoc loco describendum censuimus; multa enim continet, quibus nostro Cæremoniali lucis plurimum affert. Sic autem inquit.

In Missa vero idem Prior, postposita Pontifici obedientia, stat in loco suo cum aliis Cardinalibus, ubi expectat quousque per illum sit oratio pro hora Tertiarum cantanda. Nam tunc dimissa Mitra, vadit ad Librum ut supra sustinendum. Oratione cantata, firmat se a dextro latere Pontificis, ubi bacile pro prima ejus lotione manuum adjuvat sustinendo, deinde revertitur ad alios Cardinales.

Dum Pontifici missalibus indumentis parato Mitra imponitur, vadit, ut eidem Pontificalem Annulum cum osculis solitis imponat, a quo non discedit.

Ante Pontificis a sede angulari discessum ipse naviculam offert eidem, qui imponit incensum.

Euntem ad Altare Pontificem præcedit cum Mitra junctus cum Cardinali Diacono Evangelii ad ejus dextram.

Ante Altare ad dextram Pontificis se firmat: cui Confessionem facienti respondet simul cum Diacono Evangelii in sinistra Pontificis manente.

Confessione finita, prævenit ad cornu Evangelii, ubi post osculatum a Pontifice Altare, etiam Textum Evangelii illa die currentis osculandum simul cum Subdiacono Latino offert.

Dum incensum apud Altare per Pontificem imponitur, ac Altare incensatur, ipse ad partem retrocedit.

Communiter Pontifice celebrante, Diaconus Evangelii semper apud Altare, sed Episcopus assistens semper apud Sedem naviculam ministrat; & quisquis ex illis ministrat naviculam, similiter, & incensat.

Euntem ad Solium Pontificem sequitur, ubi Librum pro Introitu legendo sustinet, ut supra, quo lecto, redit ad cathedram, & sedet mitratus, faciens ut in Vesperis.

Pro Hymno *Gloria in excelsis* cantando vadit ad Librum sustinendum, quo intonato, & Prælatis redituto Libro, prosequitur Hymnum cum Pontifice, stans ad ejus dextram, & mox redit ad cathedram.

Pro Oratione unica, vel pluribus, ante Epistolam cantanda similiter vadit ad Librum sustinendum, ut supra.

Nunquam tamen pro Graduali legendo ipse, sed Prælatus Librum sustinet.

Descendente Diacono Evangelii ab osculo manus Pontificis, vadit ad naviculam offerendam pro incensando Libro Evangeliorum, & thure posito, revertitur ad cathedram.

Cantato Evangelio Latino, & Græco, ac Textu utriusque osculato, stans ante gradus Solii infimos, Pontificem sine Mitra stantem incensat.

Pontifice post Evangelium incensato, vadit ad Librum sustinendum pro Symbolo, ideit *Credo* cantando. Quo incœpto illud cum Pontifice prosequitur, ut de Hymno Angelico dictum est.

Pro Offertorio dicendo vadit ad Librum sustinendum, quo demum lecto, ibi subsistit adjuvans bacile pro secunda manuum lotione, & Pontifici deponit, & rursus ponit Annulum Pontificalem, & alios, ut supra.

Manibus tersis, euntem ad Altare Pontificem præcedit, firmans sed apud cornu Evangelii, ubi Librum sinistra manu sustinet, & indice dextro semper ostendit Pontifici omnia legenda, quæ etiam ipsemet verbatim cum illo profert, exceptis tamen ex reverentia verbis consecratoriis.

Loturo tertia vice Pontifici servit adjuvans bacile, quo loto, ad Librum revertitur, ubi versa ad incensantem Cardinalem facie, cum mutuis reverentiis incensatur.

In Missa prosequitur expedite, sicut Pontifex, singula legendo, non autem aliquos actus faciendo, nisi pro elevatione Hostiæ, & Calicis genuflectit, & surgit, ut Pontifex.

In-

(1) Ly *sua* legitur in editione Coloniensi, deestque in Veneta 1. & Romana.

Digitized by Google

Inchoante Pontifice Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, pacem meam &c.* accedit ad ejus dextram, ubi genuflexus osculatur Altare, inde surgens a Pontificis facie, & pectore pacis osculum capit.

Pacem a Pontifice habitam offert cum mutuis reverentiis primo Cardinalibus trium ordinum, inde sine reverentia Principibus, & Prælatis assistentibus; ac Sacristæ, ac demum uni Subdiacono, qui aliis etiam more solito distribuit.

Post hæc stans ad dextram Pontificis mundat cum vino calamum aureum Papæ, & ipsum lotionis vinum dat totum Sacristæ bibendum.

Corpore Christi per Pontificem sumpto, ponit calamum in Calice Sanguinis a se prius osculatum, quem consignat in dextra ejusdem.

Dum per Pontificem Sanguis Christi cum calamo prædicto sugitur, infundit purum vinum pro purificatione in alium Calicem, & ipsum offert in manibus Pontificis.

Priore Presbyterorum vinum super digitis Papæ infundente, ipse purificatorium lineum cum osculis solitis offert.

Purificatione facta, adjuvat tenens bacile pro quarta manuum lotione Pontificis.

In die autem Paschæ, si per Pontificem agenda sit generalis Communio, ipse tenet Librum, ut supra, ex quo Pontifex dicit, *Misereatur vestri &c* ac etiam, *Indulgentiam &c.*

Similiter apud Pontificem communicantem assistit, donec Diaconus assistens a dextris fuerit communicatus, quo ad suam assistentiam reverso, ipse vadit ad cathedram, ubi manet usque ad perfectam populi Communionem

Descendentem ad Altare Pontificem præcedit apud cornu epistolæ stans, & ibi de Libro ministrat usque ad finem Missæ.

Post benedictionem a Pontifice datam stans in prædicto cornu Epistolæ, idest ad dextram illius, petit, & publicat Indulgentiam, quæ solet esse plenaria, nisi in die Paschæ, quia publicatur per Diaconos in logia.

Forma Indulgentiæ est videlicet:

Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster D. Fullus Divina providentia Papa II. dat, & concedit omnibus hic præsentibus plenariam Indulgentiam in f rma ecclesiæ consuetam. Rogate Deum pro f.lici statu suæ Sanctitatis, & sanctæ matris Ecclesiæ.

Ultimo expeditis omnibus, ibidem sub Tribuna se exuit simul cum aliis, nisi in die Paschæ, quia sic paratus, & mitratus vadit ad logiam, ubi datur Benedictio solemnis, & Indulgentia.

II. Hactenus descriptis adnectere lubet, quod idem Gratius in eodem Romano Ordine, Cap. XIV. tradit de nonnullis aliis diversis ejusdem Prioris Cardinalium Episcoporum Officiis intra annum peragendis, ubi hæc habet.

In die Purificationis idem Reverendissimus Prior Episcoporum, facta per Pontificem, aut eo absente, per Celebrantem benedictione candelarum, distribuit primo tres suas magnas candelas Pontifici, aut eo absente, unicam Celebranti.

In die Cinerum, absente Pontifice, ipse Cineres super caput Celebrantis imponit; non autem præsente Pontifice, quia id facit Celebrans.

In die Palmarum suas tres Palmas Pontifici, & eo absente, unicam Celebranti, sicut candelas distribuit, & eodem modo, nisi quod hac die Palmarum post finitam distributionem, lavaturo adjuvat, tenens bacile, quod in die candelarum non ipse, sed Prior Presbyterorum tenet.

Pro Vesperis, Matutinisque Defunctorum in absentia Pontificis peragendis, si celebraturus crastinam Missam non adsit, ipse Prior supplere solet. Quod etiam in omnibus Vesperis servatur.

In Matutinis tenebrosis sanctæ Hebdomadæ, absente Pontifice, peragendis, ipse solet genuflexus dicere Orationem, videlicet, *Respice quæsumus &c.*

In creatione Cardinalium novorum, videlicet die publici Consistorii, idem in capella parva super ipsos prostratos novos, stans in cornu Epistolæ cantat versiculos & orationes ad id ordinatas.

In obitu alicujus ex Episcopis Cardinalibus Prior solet primam Missam exequialem celebrare, nisi aliquis ex Episcoporum ordine fuerit executor defuncti, qui id velit, ut plerumque facere solet, si potest.

Cum quis pronuntiatus est Episcopus Cardinalis, illico a Consistorio ad proprias ædes ab omnibus Cardinalibus collegialiter associatur; qui etiam visitat, & visitatur, quæ solemnitates in tranlsato Episcopo Cardinali cessant.

Licet Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in aliis eorum titularibus, cathedralibus & commendatariis Ecclesiis, seu quomodolibet illas habentes omnibus Cardinalibus cedant manentes in loco sub omnibus ultimo, nihilominus sex Episcopi Cardinales in suis sex Ecclesiis Episcopalibus suburbanis nulli cedere, sed supra omnes sedere debent, idest quisque in sua Ecclesia.

Ceterum quæcumque alia circa Apostolatus vacationem, & novi Pontificis creationem, ac ejusdem, & Imperatoris Coronationem pertinent ad Priorem Episcoporum, alio loco dicentur.

In Matutinis noctis Natalitiæ absente Pontifice, Celebranti pro ultima Lectione cantanda benedictionem petenti respondet, videlicet, *Verba Sancti Evangelii doceat nos Filius Dei.*

III. Non me latet post editionem nostri Cæremonialis, & Romanum Grassi Ordinem, nonnulla fuisse mutata sequiori ævo, uti constat ex nostris Commentariis, in quibus Apostolicorum Cæremoniariorum testimonia retulimus, præsertim vero Francisci Mucantii, qui passim in suo ms. Diario, multarum Cæremoniarum mentionem facit, quæ vel suo ævo mutatæ fuerunt.

CAPUT X.

De assistentia Cardinalis sine paramentis in Vesperis.

Quando autem Papa non celebrat principaliter, & interest publice Divinis cum Pluviali, & Mitra, tunc assistit & Prior Presbyterorum cum Cappa lanea tam in Vesperis, quam in Missa, & servit in hunc modum. In Vesperis facit reveren-

Digitized by Google

verentiam cum aliis, & ſedet in loco ſuo a principio. Deinde cum Papa dixerit, *Deus in adjutorium meum intende &c.* dum incipitur prima Antiphona, antequam Cardinales alii ſedeant, ducitur ad ſcabellum aſſiſtentiæ, quod ponitur ad ſiniſtram Papæ ante aſſiſtentes Epiſcopos, ſi locus eſt idoneus, ut in Capella Palatii. In Sancto Petro vero, & aliis locis illius proportionis ſedet ut in Miſſis Papalibus. Quando locus eſſet arctior, ſederet in loco ſuo inter alios, niſi alibi eſſet locus magis conveniens. Cum eſt apud ſuum ſcabellum, ſedet cum aliis uſque ad Capitulum; tum ſurgit cum aliis, & incœpta Antiphona ad *Magnificat*, cum Acolythus venit verſus Pontificem cum thuribulo, ipſe Cardinalis primo accedit ad dextram Pontificis, & capiens naviculam de manu Acolythi, miniſtrat Pontifici, ut ſuperius diximus; reddit deinde naviculam Acolytho, & ſtans expectat finem Antiphonæ. Cum incipitur, *Magnificat*, procedit cum Pontifice ad Altare, & accedens ad illius dextram, accipit thuribulum adolens de manu Acolythi, & illud dat ad manus Pontificis, & cum Papa incenſavit Altare, recipit ab eo thuribulum in cornu Epiſtolæ, & illud reddit Acolytho, & ſequitur Pontificem redeuntem ad Sedem, ſed expectat ante infimum gradum; & cum Papa fuerit ante Sedem ſuam, Cardinalis accipiens thuribulum ab Acolytho, illum incenſat more ſolito, & mox revertitur ad ſuum ſcabellum, ubi ſtans incenſatur. Sedet deinde, cum replicatur Antiphona, & in finem poſt benedictionem Pontificis, vadit ad ſedendum cum aliis Dominis Cardinalibus in loco ſuo.

N O T A.

Ex iis, quæ ſupra jam diximus, explicari poſſunt, quæ in hoc, & aliis ſequentibus Capitibus ſtatuuntur a noſtro Cæremoniali de aſſiſtentia Cardinalium Pontifici, ſive celebranti, ſive præſenti Divinis Officiis, quæ coram eo celebrantur; illa itaque a ſtudioſo Lectore obſervanda.

C A P U T XI.

De aſſiſtentia in Miſſa ſine paramentis.

In Miſſa autem aſſiſtens Cardinalis cum fecerit reverentiam ſolemnem Pontifici, firmat ſe ad ejus dextram, & miniſtrat incenſum ponendum in thuribulo, & hoc ſi tunc cantatur Introitus. Quod ſi inter reverentiam Cardinalium, & Introitum Miſſæ fiat intervallum, ut in Candelis, Cineribus, Palmis, & ſimilibus, tunc non miniſtrat incenſum, ſed poſtea, cum Papa, facta Confeſſione, redierit ad Sedem ſuam, & cum Celebrans incenſaverit Altare, & ipſe fuerit incenſatus, Cardinalis aſſiſtens; ex circulo, vel ſcamno Cardinalium veniens ante infimum gradum Sedis Papæ, finita omnium Cardinalium reverentia, accipiens thuribulum de manu Cæremoniarii, genuflexus incenſat Pontificem ſedentem, reddit thuribulum Cæremoniario; deinde ſtat in circulo cum aliis Cardinalibus, & dicto (1) cum Pontifice, *Kyrie eleiſon*, & *Gloria*, ſi dici debet, vadit ad ſcabellum aſſiſtentiæ, & ibi ſtat, vel ſedet pro temporis exigentia, uſquequo Cæremoniarius venit cum thuribulo ad Pontificem ante Evangelium. Tunc præveniens Cardinalis, ponit ſe ad dextram Papæ, & miniſtrat naviculam, & mox revertitur ad ſcabellum, & ibi permanet uſque ad finem Evangelii. Tunc ſtans ante infimum gradum, incenſat Pontificem, reddit thuribulum Cæremoniario, & ſi eſt habendus Sermo, vadit ad ſcamnum ad locum ſuum cum aliis Cardinalibus; ſi vero non fit Sermo, vadit ad ſcabellum ſuæ aſſiſtentiæ. Finito Sermone, & data benedictione a Papa, vadit ad circulum cum aliis, dum dicitur, *Credo*, & illo finito, vadit ad ſcabellum aſſiſtentiæ. Inde cum Papa eſt impoſiturus incenſum poſt Offertorium, accedit, & miniſtrat naviculam, ut ſupra; deinde cum Celebrans incenſavit Altare, & eſt incenſatus, accipit thuribulum a Cæremoniario, & incenſat Pontificem ſedentem ipſe genuflexus, & reverſus ad ſuum ſcabellum, ſtans incenſatur a Diacono Evangelii, ut dicemus inferius; & paulopoſt cum incipitur Præfatio, diſcedet a ſcabello, revertitur ad locum ſuum cum aliis Cardinalibus, & amplius non revertitur ad ſcabellum, quod a Miniſtris removetur, & ponitur ad partem. Sed cum in circulo cum aliis dixerit, *Agnus Dei*, inde ſe movens, accedit ad Altare ad dextram Celebrantis, & genuflexus oſculatur Altare primum, & mox Celebrans, dicta Oratione congrua, dat illi oſculum pacis, dicens, *Pax tecum*, & ille reſpondet, *Et cum Spiritu tuo*. Deinde diſcedens aſcen-

(1) Ly *cum* deeſt in editione Romana, ſed recte legitur in Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

ascendit ad Pontificem in Sede stantem, & dat ei pacis osculum, & revertitur ad locum suum. Ad quem mox accedens Capellanus assistens Celebrantis ductus a Cæremoniario, accipit pacem ab eo, & illam distribuit cæteris, ut dicemus in loco suo, & hic est finis sui ministerii. Si autem esset Missa Defunctorum, & Papa in fine vellet absolvere, tunc veniret ad scabellum assistentiæ, & sederet ibi, dum cantatur Responsorium, & in tempore ministrat, dum Papa imponit incensum in thuribulo, dum aspergit aquam sanctam, & dum incensat, porrigendo aspersorium, & thuribulum, & ea recipiendo. Idem etiam facit, quotiescumque Papa aliquid publice benedicit, servit de aspersorio, & incenso, ut dictum est. Modus autem, qui servari solet per assistentem Cardinalem in sua ministratione, & servitio, est hujusmodi generaliter.

NOTA.

Nihil nos urget, quod hoc loco nos dicamus. Cæremoniæ peragendæ a Cardinali in assistentia Missæ sine paramentis, luculentissime in hoc Capite recensentur, nullaque explicatione indigent.

CAPUT XII.

Quomodo Cardinalis assistens servit in sua assistentia.

Quotiescumque e scamno, aut e circulo Cardinalium vadit ad Pontificem, aut ad scabellum assistentiæ, capite detecto, & elevatis manibus a parte anteriori Cappæ, capite versus Cardinales superiores, & inferiores aliquantulum inclinato, quasi licentiam discedendi ab eis petens, & caudam Cappæ per terram trahens, proficiscitur; & facta reverentia Altari, & Pontifici, vadit ad scabellum, seu ad Pontificem. Cum est apud scabellum, capite salutat Diaconos, & alios assistentes, & pariter sedent omnes. Cum autem est ministraturus incensum Pontifici, cum videt Cæremoniarium cum thuribulo venientem, surgit, & vadit ad dextram Pontificis, & dimissa manu dextra per aperturam Cappæ, & sinistra per oram inferiorem, accipit naviculam a Cæremoniario, sive ab Acolytho, & ambabus manibus offert illam Pontifici, itaut apertura naviculæ sit versus Pontificem, & inlinatus dicit, *Benedicite Pater Sancte*, & antequam Papa accipiat coclear, (1) osculatur illud, & deinde ejus manum, & similiter, cum illud reponit, & tunc reddit naviculam Cæremoniario. Cum in Altari porrigit thuribulum Papæ, osculatur primo catenulas, quas dat ei ad manus, & dans, & recipiens thuribulum, osculatur ejus manum.

CAPUT XIII.

Quod Papæ debent osculari manus, cum aliquid traditur, sive ab eo accipitur.

Et nota, quod tam Cardinalis, quam quivis alius laicus, sive Clericus, qui aliquid dat ad manus Papæ, si est Cardinalis, Prælatus, aut Princeps, si est inferior, osculatur pedem, & similiter cum a Pontifice aliquid accipit, eidem osculatur manum, & illi pedem. Assistens igitur partes superiores catenularum, ubi sunt anuli, tenens ipse in dextra, ponit ad sinistram Pontificis, & partes inferiores juxta summitatem ciborii in sinistra sua tenens, ponit ad manum dextram Papæ. Cum incensat Pontificem, si Pontifex stat, & ipse stans incensat, ter ducens tractim thuribulum cum aliqua distantia inter tractum, & tractum. Tum surgens, reddit thuribulum Cæremoniario, & facta reverentia Pontifici, revertitur ad suum scabellum, & antequam incensetur, invitat Diaconum a dextris Papæ assistentem. Cum autem est discessurus a scabello, inclinat se prius versus Altare, deinde facit reverentiam Pontifici, & discedit.

COMMENTARIUS.

I. QUæ in duobus hisce Capitibus statuuntur, spectant cæremonias servandas a Cardinale assistente, quum servit in sua assistentia. Forte nonnihil ab iis mutatum fuit sequiori ævo, sicut de aliis non semel notavimus. Sed non tantum otii est nobis, ut omnes mutationes recenseamus, tum præsertim quod non paucæ per errorem con-

(1) Ly *osculatur* legitur, & recte in editione Romana; deest vero, & male in Veneta I. & Colonienſi.

Digitized by Google

contigerint, ut ſæpe Cæremoniarii Apoſtolici teſtati ſunt in ſuis mſs. Diariis. Reliquæ Cæremoniæ notatæ in Capite XIII. quod nimirum Papæ debent oſculari manus, cum aliquid ei traditur, ſive ab illo accipitur, locum habet in S. R. E. Cardinalibus, alii enim inferiores, non quidem manum Pontificis, ſed pedem oſculari ſolent, ut pluribus exemplis probari poſſet, quæ paſſim occurrunt in mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, quorum loca Cæremonias ipſas, quæ in duobus præſentibus Capitibus præſcriptæ ſunt, ſpectantia, jam in ſuperioribus Commentariis nos opportune deſcripſimus. Cæterum ut porrigendum ſit thuribulum in manus Pontificis, de quo ritu nonnihil dicitur Capite XIII. explicatum etiam ſupra non uno in loco invenies, nec opus eſt hic aliud iterum addere.

CAPUT XIV.

De aſſiſtentia duorum Diaconorum Cardinalium, & quomodo Papa paratur in Camera ordinarie.

Duo Diaconi Cardinales antiquiores in Cardinalatu debent ſemper aſſiſtere, & miniſtrare, ac ſervire Pontifici in omnibus publicis actibus, cum tamen Papa eſt in Pontificalibus, ideſt, cum Pluviali, & Mitra, vel cum Mitra tantum, ut in Paraſceve, & in Miſsis Defunctorum, aliter non aſsiſtunt. Cum Papa exit ad Cameram paramenti, quæ papagalli dicitur, duo Diaconi prædicti ſtantes capite detecto hinc inde apud lectum paramenti induunt Papam ſacris veſtibus, antiquiore Diacono a dextris principaliter operante, qui primum rubrum birretum Pontifici detrahens, album illi imponit. Deoſculatur, & imponit illi Amictum, & circa collum decenter aptat, ita ut veſtium collaria cooperiat, & adjuvantibus altero Diacono, & duobus Subdiaconis Apoſtolicis, qui retro ſunt, colligant cordulas. Imponit deinde Albam, & adjuvantibus ſupradictis, circa collum, & circa manus decenter componit, & aptat. Inde Cingulo cingit, & Albam attollit, Acolythis, qui hæc omnia genuflexi circum circa ſubminiſtrant, Albæ extremitates aptantibus, ut æqualiter fluant. Poſtea imponit Stolam a collo pendentem, & a lateribus colligit. Amictum tamen, & Stolam prius Pontifici exoſculanda offert, quam ea illi imponat. Imponit illi poſt hæc Pluviale, & ante pectus ornamentum pectorale, & demum Mitram. Hæc omnia ornamenta Sacriſta prius explicat, & diſponit ſupra lectum paramenti. Induto Pontifice, duo Diaconi prædicti, unus poſt alium faciunt conſuetam reverentiam, ſecedentes per aliquot paſſus inclinant ſe profunde, deinde accedentes ad Pontificem, oſculantur ejus dextram ſub auriphrygio Pluvialis porrectam, & capientes hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis in diebus Proceſsionum, & cum Pontifex aliquid manu geſtat, ipſi deferant; in aliis vero diebus, eas Protonotario deferendas tradunt, & capite cooperto præcedent immediate Pontificem. Et advertendum, quod ipſi Diaconi, dum ſerviunt Papæ in aliquo actu, dum eum per Capellam comitantur, fimbrias elevantes, aut tale quidpiam facientes, ſemper ſunt capite detecto. Cum Pontifex venit ad Eccleſiam, ſive ad Capellam, Diaconi firmant ſe apud Faldiſtorium, & Pontifice adveniente, capiunt fimbrias Pluvialis, & dum ille genuflectit ante Faldiſtorium, fimbrias ipſas ſupra Faldiſtorium diſponunt, & mox Diaconus a ſiniſtris extrahit illi Mitram, & a dextris birretum. Deinde, ſi tunc eſt Miſſa celebranda, finita Oratione, Papa ſurgit, & facit Confeſsionem cum Celebrante, & tunc Diaconus a ſiniſtris retrahit ſe aliquantulum, dans locum Celebranti, qui ſtat ad ſiniſtram Pontificis. Finita Confeſsione, &, ſi non dicitur Miſſa, finita Oratione, Diaconus a dextris imponit birretum, & Mitram Pontifici, adjuvante altero Diacono, & ambo capientes fimbrias, deducunt eum ad Sedem eminentem. Quotieſcumque Papa debet elevare manum dextram, ſive ſignando, ſive pectus percutiendo, Diaconus a dextris elevat Pluviale, capiens fimbrias ante pectus. Cum debet elevare manus ambas, ambo Diaconi hinc inde elevant. Quando eſt (1) aliquid lecturus ex Libro, apponunt hinc inde manus; ſimiliter & cum eſt oſculaturus Librum Evangeliorum. Cum Papa accepit Pacem a Cardinale aſsiſtente, ipſi unus poſt alium deſcendunt a Sede Pontificis, & facta reverentia Altari, & Pontifici, ut fieri ſolet, cum fit reverentia ſolemnis, aſcendunt ad Papam, eique genam ſiniſtram exoſculandam præbent, dicentique *Pax tecum*, reſpondent, *Et cum Spiritu tuo*. In fine Miſſæ deſcendentes cum Pontifice ad Faldiſtorium, componunt fimbrias ſuper illud; & cum ſurgit, nam

(1) Ita in Romana, & Colonienſi editione legitur; in Veneta vero I. *aliquis*, & male.

Digitized by Google

Mitra tunc non (1) removetur, capientes fimbrias, eas dant Protonotario, nisi ipsi inferant in diebus supra nominatis. Et quotiescumque Mitra est Papæ imponenda, vel birretum, ea imponit Diaconus a dextris, & quando est removenda Mitra, eam removet Diaconus a sinistris, & birretum a dextris. Diaconi prædicti stant, Pontifice stante, & similiter stante Cardinali assistente. Sedent, sedente Pontifice, & nihil faciente. Si autem Pontifex sedens legeret, vel benediceret incensum, aut tale quicpiam faceret, starent cum omnibus assistentibus. Cum Pontifex ad Cameram redierit, exuunt eum sacris vestibus in eodem loco, cooperante principaliter Diacono a dextris, qui dat ei Stolam, & Amictum ad osculandum. Cum aliquid operatur circa Pontificem, cum Pontifex aliquid legit, vel cum eis loquitur, cum vadunt, & deducunt illum per Capellam sursum, aut deorsum ad Altare, ad Faldistorium, ad Sedem, semper debent esse capite nudo; & cum generalis Processio fit, antequam Papa de loco discedat, Diaconus a dextris dicit alta voce, *Procedamus in pace*; & Chorus respondet, *In Nomine Christi, Amen*.

COMMENTARIUS.

I. FUisse semper Diaconos in sacris functionibus, ac præsertim in Missarum Solemniis, ac Divinorum Officiorum celebrationibus Episcoporum Ministros, veteres Patres, ac Synodi passim nos docent. Multos fuisse Romæ Diaconos, egregie ostendit eruditus Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum pag. XVII. Quamquam scribat Sozomenus Lib. I. Cap. XV. suo tempore apud Romanos non plures fuisse Diaconos, *quam septem, instar eorum, qui ab Apostolis ordinati sunt*; recte animadvertit idem Mabillonius, id certum esse de Romanis Diaconis, qui Regionarii appellabantur, sed alios quoque fuisse ait Romæ Diaconos, in illis scilicet Ecclesiis, quæ Titulorum nomine erant insignes. Regionarii præcipui censebantur, neque Presbyteris Titularibus, ut alii, sed Archidiacono, qui primus inter illos septem erat, subjiciebantur. Hi sub cura sua singuli illas Diaconias habebant, quæ in sibi assignata Regione erant sitæ. In Diaconiis autem Nosocomia, & pauperum diversoria erant, ubi viduæ, aliique egentes Ecclesiastica stipe alebantur. Temporum decursu in Collegia Clericorum conversæ sunt hujuscemodi Diaconiæ, adeoque facultatibns diminutæ, ut nihil subsidii afferant pauperibus, in quorum gratiam primitus institutæ fuerant; redditus autem, qui supersunt, percipiunt, suosque faciunt Clerici ipsi, Canonicique præsertim, qui hujusmodi Ecclesiis adscripti sunt.

II. Quicquid autem de ea re sit, sicut Episcopis cæteris in eorum Diœcesibus in celebratione Divinorum Officiorum, uti habetur in Cæremoniali Episcoporum, Lib. I. Cap. VIII. duo ex Ordine Diaconorum Canonici assistunt, ita & Summo Pontifici Divina Officia solemniter celebranti, vel iis præsenti, duo Cardinales Diaconi assistunt, ejusque ritus mentionem faciunt non uno in loco Romani Ordines XIV. & XV. ac Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis. Quæ sint munia ipsorum Diaconorum Papæ assistentium, explicata in hoc Capite habes. Sed sciendum tamen, in citato Romano Ordine XIV. munia ipsa expleri per Diaconum Evangelii, & Subdiaconum Epistolæ consuevisse. Porro inter alia memoratus Ordo XIV. Romanus, Cap. LIII. ubi agit de solemni Missa celebranda per Papam, præscribit quidem, ut *Pontifice super Faldistorio residente, Diaconus, & Subdiaconus accipientes ab Acolythis tobaleam suam, & pecten, extendant to baleam circa collum, & caput ejus leviter, & decenter pectine t, videlicet primo Diaconus a parte dextra, deinde Subdiaconus a sinistra; quod si Diaconus, & Subdiaconus ad hoc docti non sint, Capellanus hoc faciat vice eorum*. Similia legere est apud Auctores, qui de Divinis Officiis tractant, præsertim vero apud Gulielmum Durandum in suo Rationali Divinorum Officiorum, & apud alios sequioris ævi Auctores, quos necesse non est hic referre.

CAPUT XV.

De Officio Cardinalis Diaconi Evangelium lecturi.

Diaconus Cardinalis lecturus Evangelium in Missa Pontificali, ante, & tempore sibi congruo Deo per Confessionem reconcilietur, quia est participaturus de Sacramento Altaris simul cum Pontifice. Cum vero erit in Palatio, antequam Papa exeat ad Cameram paramenti, accipiat sacras vestes, videlicet Amictum supra Rochetum, Albam, Cingulum, Stolam, Dalmaticam. Manipulum autem accipiat, cum Papa intraverit ad Altare. Et hæc fiunt in diebus Processionum, cum Papa descendit ad Ecclesiam, & sub baldachino. Si autem Papa non iret ad Ecclesiam, Processione præeunte, tunc caperet paramenta sua prædicta, cum Papa accipit Sandalia; &, si uti debeat Planeta, non Dalmatica, tunc illam

(1) Ita in Veneta I. editione, & Colonienſi; in Romana vero legitur, *non reponetur*.

Digitized by Google

lam capit, postquam Papam induerit omnibus sacris ornamentis. Sed nostris temporibus Papa raro celebrat, nisi in diebus Processionum. Igitur Diaconus, ut supra dictum est, paratus, cum Papa descendit ad Ecclesiam processionaliter, vadit immediate ante eum solus, vel, si Papa vehetur in Sede, ibit medius inter duos Diaconos assistentes Papæ. In Ecclesia faciet reverentiam Papæ in suo ordine, & inde firmabit se ad dextram Papæ apud assistentem Diaconum ab ea parte ante Diaconum prædictum. Cum vero Papa, finita Hora, laverit manus, Diaconus Evangelii ascendit scabellum positum ante Papam, & primo retrahit illi Mitram cum Pluviali, & Stola, & afferentibus Acolythis ex ordine sacra ornamenta, primo accipit Cingulum cum Subcinctorio, & cum eo præcingit Pontificem, ita ut Subcinctorium pendeat a sinistra Pontificis. Firmato bene Cingulo, solvit aliud Cingulum, quo prius Pontifex erat accinctus, & Alba circumcirca bene dispositа, accipit Crucem pectoralem, quam osculandam offert Pontifici, & deinde ad collum ponit, ut ante pectus pendeat. Cum accipit Fanonem, quem supra caput Pontificis ponit cum plicatura a parte anteriori diligenter illum aptat, primum offerat Fanonem osculandum Pontifici, illum ambabus manibus tenens, tum imponat super ejus caput, ita ut ante oculos pendeat, & media pars illius ad dextram, media ad sinistram, & extremitates ejus pariter fluant; deinde extremitatem Fanonis, quæ a sinistra Pontificis defluit, super illius dextrum humerum imponit, & quæ a dextra super sinistram, ut mentum Papæ circumdent tanta amplitudine, ut spatio palmi, vel circa a mento distent, & a fronte dependeat medii palmi latitudine. Imponit deinde Diaconus Pontifici Stolam ad collum, quam prius eidem deosculandam offerat, & pendere faciat ab humeris. Tum imponat Tunicellam, & Fanonem a parte anteriori circa collum diligenter extrahat, imponatque deinde Dalmaticam, & Fanonem extrahat, attollatque illum ab oculis Pontificis supra caput aliquantulum, & Pontifici sedenti imponat Chirothecas, quas prius osculetur, & similiter osculetur manum Pontificis, ipse tum dextram tantum imponat, & Subdiaconus sinistram, qui stans a sinistra, in omnibus Diaconum juvat. Tum surgit Pontifex, & Diaconus imponit ei Planetam, quæ (1) hinc inde aptatur super brachia, & Fano similiter, ut supra extrahitur, ut æqualiter circumcirca pendeat. Adaptata Planeta, Diaconus partem Fanonis, qui erat super caput Pontificis, reflectit circa collum, & circumcirca decenter aptat. Deinde accipiens Pallium, Crucem illius posteriorem osculandam offert Pontifici, illumque adjuvante Subdiacono, super Pontificis humeros imponit, ut Fanonis oras complectatur, & aliquantulum ex Fanone sub Pallio videatur; advertatque, ut partem Pallii super sinistrum humerum imponat; tum spinulam pulchriorem Diaconus Cruci anteriori parte Pallii infigit, aliam Cruci super humerum sinistrum existenti, tertiam vero Subdiaconus in Cruce posteriori figit. Spinulæ taliter infigendæ sunt, ut a gemma ad dextram infigentis remaneat, & ut tertio Crucem pertranseant, non autem perforent Pallium, neque Planetam tangant; non enim figitur ad retinendum Pallium, sed ad mysterium Passionis significandum; poteruntque pro retinendo Pallio parvæ spinulæ imponi, si placuerit; debet tamen Diaconus advertere, & sæpe aptare Pallium, ut decenter humeros, & Fanonem ambiat. Post hæc Diaconus Mitram imponit Pontifici, & præcedente illo ad Altare, ibit ad sinistram Episcopi Cardinalis assistentis immediate ante Pontificem; & cum Papa fuerit ante Altare, deponit ei Mitram, & stans a sinistra Pontificis, facit cum eo Confessionem. Deinde cum Papa fuerit osculatus Altare, & Librum, accipit de manu Acolythi naviculam incensi, & inclinatus dicit, *Benedicite Pater Sancte*, osculatur coclear, & dum Papa illud capit, ut incensum imponat, illius manus osculatur, & similiter, cum illud reponit in navicula. Deinde accipiens thuribulum de manu Acolythi prædicti, cui prius naviculam reddiderat, illud ad manus Pontificis ponit, catenulas videlicet superiores ad sinistram, inferiores ad dextram, quas prius, & deinde manum osculatur. Cum Pontifex incensat Altare, (2) adstat illi ad dexteram, (3) elevando manicas Dalmaticæ, & Planetam. Deinde, facta incensatione, stans in cornu Epistolæ, accipit thuribulum de manu Papæ, quam osculatur, & illum, cum Mitram accipit, incensat, ter thuribulum ducens, inclinatque se Pontifici profunde, antequam incenset, & post, & in isto actu, & similiter, postquam Pontifex incensa-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *quæ tantum inde aptatur*.
(2) Ly *adstat* legitur in editione Romana, & deest in aliis supra citatis.
(3) In iisdem legitur, *& elevando*; sed tamen deest & in Romana.

Digitized by Google

censaverit Oblata, Mitram imponit, & Diaconus assistens a dextris; in aliis vero omnibus actibus, cum Papa est apud Altare, Diaconus Evangelii semper illi imponit Mitram, semperque in Altari ministrat naviculam, & incensat Pontificem, quem mox, reddito thuribulo Acolytho, stantem circa medium Altaris osculatur, primo os, deinde pectus, quod & alii duo Diaconi assistentes faciunt. Deinde discedente Pontifice ad Sedem eminentem, Diaconus remanet in cornu Epistolæ, ubi simul cum Diacono, & Græcis, si adsint, legit Introitum, & dicit, *Kyrie eleison*, ex Libro super Altare stante, & a suo Capellano accipit Manipulum, & Papa sedet, sedente & ipso super scabellum in dicto cornu super gradum Altaris positum, vertens faciem ad cornu Evangelii. Cum Papa dicit, *Gloria in excelsis*, surgit Diaconus, & cum Subdiacono, & Græcis prosequitur Hymnum Angelicum; & sedente Papa, sedet in loco suo; & similiter surgit ad Orationes, & illis finitis sedet. Cantata Epistola per Subdiaconum, Diaconus in cornu Epistolæ & ipse eam legit cum Graduali, & Versibus. Deinde tempore congruo accipit Librum Evangeliorum, & illum ante pectus suum tenens, cum reverentiis solitis vadit ad Altare, super quod Librum ponit in medio, quo ibi dimisso, cum debitis reverentiis ascendit ad Pontificem, & manum ejus dextram reverenter osculatur. Deinde reversus ad Altare genuflexus dicit: *Munda cor meum, & labia mea Omnipotens Deus, qui labia Esaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut Sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum, Amen.* Tum surgens accipit Librum de Altari, & illum ante pectus portans, tempore congruo vadit ante Pontificem, & stans ante infimum gradum Solii, profunde dicit, *Jube. Domne benedicere*; & accepta benedictione, vadit ad pulpitum, super quod Librum (1) portat, & circumstantibus septem Ceroferariis, junctis manibus incipit, *Dominus vobiscum*; & cum dicit, *Sequentia*, &, *Initium Sancti Evangelii*, pollice dextro signat Librum, deinde frontem, os, & pectus; & cum deinde respondetur a Choro, *Gloria tibi Domine*, accipiens thuribulum de manu Acolythi, incensat Librum ter, in medio, a dextris, & a sinistris; deinde reddito thuribulo, junctis manibus, quas supra Librum tenet, prosequitur Evangelium; quo finito, factis reverentiis, revertatur ad Altare. Cum Papa dixerit, *Credo in unum Deum*, Diaconus stans in cornu Epistolæ prosequitur Symbolum cum Subdiacono, & Græcis; quo finito, Diaconus, & Subdiaconus vadunt ad credentiam Papæ, ubi aliquis ex familiaribus Diaconi expectat cum vasis, & mantili, & ibi ambo mundant manus, & revertuntur ad Altare, & mappam quandam sericeam amplam a Sacrista oblatam extendunt supra Altare; tum Diaconus expectat cum vasis, & mantili stans in cornu Epistolæ. Subdiaconus vero ex credentia Sacristæ portat ad Altare bursam cum Corporalibus, hostiaria, & purificatorio, quæ omnia consignat ad manus Diaconi, qui ponens bursam super Altare, primo removet ab ea hostiariam cum extractis ex bursa Corporalibus; magnum Corporale explicat super Altare, parvum super magnum ponit ad partem, bursam collocat in loco condecenti, vel ante se, vel ad partem. Deinde veniente Sacrista cum Calice, & ampullis, primo ex hostiaria tres Hostias capit, quas ponit super Patenam per ordinem ad rectam lineam; & veniente Pontifice ad Altare, ante gradum stans deponit ei Mitram, & brachium illius dextrum reverenter capiens, & sublevans, deducit ad medium Altaris. Tum conversus ad dextram, ubi Patena cum tribus Hostiis super Calicem existit, cum Hostia, quæ est a dextris, tangit alias duas, & illam dat comedendam Sacristæ; deinde Hostiam, quæ est ad sinistram, capiens, cum ea tangit Patenam, & Calicem intus, & extra per totum, & similiter illam dat comedendam Sacristæ. Tum capiens Patenam cum Hostia, quæ in medio remansit, illam prius exosculatus, dat ad manum Pontificis dextram, quam deosculatur. Tum conversus ad Calicem, pauxillum vini, & aquæ ex ampullis super vasculum infundit, & dat Sacristæ ad prægustandum, & imponit vinum in Calice ad sufficientiam, ut satis sit pro tribus communicantibus; aquam vero in Calicem Subdiaconus infundit ex parvo cocleari. Quo facto, Diaconus Calicem dat ad manus Pontificis, & cum eo dicit Orationem, *Offerimus tibi &c.* & cum Papa Calicem super Corporalia posuerit, Diaconus statim illum Palla, seu parvo Corporali tegit; & cum Papa est impositurus incensum, ministrat naviculam, ut in prima incen-

(1) Puto legendum *ponit*, licet in omnibus editionibus legatur, *Librum portat*.

Digitized by Google

incenſatione diximus. Sed cum Papa incenſat ſuper, & circa Oblata, tunc Diaconus dextram manum tenet ad pedem Calicis, ne forte rueret, & ſiniſtram ad manicas Dalmaticæ Pontificis, ne cum illis Pallam percutiat; & in fine cum incenſaverit Papam, incenſat Cardinalem aſſiſtentem Epiſcopum, ſive Presbyterum, & duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes ibi apud Altare; dum vadit ad alios Cardinales, omnes incenſat ſuo ordine, bis ducens thuribulum, ante, & poſt illis ſe inclinans. Idem facit & Principi, ſiquis adeſt, qui in ſcamno Cardinalium ſedeat. Tum revertitur ad Altare, & Epiſcopos non Cardinales aſſiſtentes Pontifici incenſat, ſemel tantum thuribulum ducens, & ſine inclinatione. Deinde ſtans poſt Pontificem medius inter duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes, incenſatur ipſe ab uno ex Subdiaconis, cui ipſe tradit thuribulum. Perſtat poſt hæc inter præfatos Diaconos, quouſque Pontifex finierit Præfationem, & tunc accedit ad ejus dextram, & cum eo dicit, *Sanctus &c.* & revertitur ad locum ſuum; & quotieſcumque Pontifex ſignat ſuper Calicem, aut Hoſtiam, accedat reverenter, & elevet manicam Dalmaticæ, ne cum ea percutiat Calicem, & Pallam, & mox revertatur ad locum ſuum; & ab eo puncto, in quo Pontifex incipit Canonem, ideſt, *Te igitur*, ſemper attente advertat, ut in tempore poſſit elevare manicam, tegere, & detegere Calicem, cum ſit opus. Cum Pontifex conſecrat Hoſtiam, genuflectit ad dextrum latus, & dum eam elevat, & ipſe ab eo latere Planetam elevat, & cum ille repoſuerit Hoſtiam ſuper Corporalia, ipſe detegit Calicem, & rurſus genuflectit; & ſimiliter attollit Planetam, cum Pontifex elevat Calicem; quo depoſito, ſtatim Palla tegit, & redit ad locum ſuum. Dum poſt elevationem Sacramenti, Pontifex dicit, *benedicis, & præſtas nobis*, Diaconus accedens detegit Calicem; & cum Pontifex cum Hoſtia ſignat ſuper Calicem, dicendo, *Per ipſum &c.* retinet ipſe duobus digitis dextræ manus Calicis pedem; & cum Pontifex repoſuerit Hoſtiam ſuper Corporalia, ipſe tegit Calicem, & revertitur ad locum ſuum. Cum vero in fine, *Pater noſter*, Subdiaconus reportat Patenam, Diaconus accedens ad latus Pontificis, vertitur ad Subdiaconum, & de manu ejus accipit Patenam, quam, cum Pontifex dicit, *Libera nos quæſumus Domine &c.* dat illi ad manum dextram, & prius oſculatur Patenam, & poſtea manum Pontificis, & cum Pontifex Patenam ſuppoſuerit Hoſtiæ, ipſe detegit Calicem, & ſemper, quando ipſe detegit Calicem, genuflectit, adorans Sacramentum; & cum Pontifex immiſerit particulam Hoſtiæ in Calice, iterum Calicem tegat, & cum Pontifice dicat, *Agnus Dei &c.* & revertitur ad locum ſuum, & non capit pacem a Pontifice, quia illam capiet poſtquam communicaverit. Cum vero Pontifex data pace aſcenderit ad Sedem eminentem, tunc Diaconus, ſi apud Altare remanſit, accedens debitis reverentiis accipit Patenam cum Sacramento Corporis Chriſti ex Altari ambabus manibus, & illam modeſte elevans uſque ad oculos, vertit ſe a dextra ſua ad medium circulum, ita ut renes vertat ad Altare, & per eandem viam revertitur quouſque faciem ſuam vertat ad Altare. Tunc vertens ſe a ſiniſtra parte, rurſum girat ad medium circulum, & Subdiacono genuflexo ſuper gradum ante cornu Evangelii Patenam cum Sacramento committit; qui ſtans ſurgit, & Diaconus genuflectit, Sacramentum adorans. Cum vero Subdiaconus ab Altari diſceſſit, ſurgit Diaconus, & cum Sacramentum pervenerit ad Pontificem, Diaconus accedens hujuſmodi reverentiis ex Altari Calicem cum Sanguine Chriſti accipit, & elevans, & girans, ut cum Patena fecit, ipſe Calicem ad Pontificem defert, nulli tunc reverentiam faciens; & ad dextrum Pontificis latus (1) conſtituens, expectat quoad Pontifex de Corpore Chriſti communicet, dum Calicem ſubminiſtrat Pontifici, ex quo ille Sanguinem cum calamo ſugit. Quo facto, Diaconus (2) Patenam dextra tenens, ſiniſtra calamum intra Calicem exiſtentem retinet, & curvato capite manum Pontificis exoſculatur, Corpus Chriſti ab eo reverenter accipit, & mox ejus faciem oſculatur; tum cum Calice, & Chriſti Sanguine ad Altare revertitur, nuſquam calamum ex Calice extrahens, & ibi ſtans in cornu Epiſtolæ partem Sanguinis cum calamo ſugit; reliquum vero cum particula Hoſtiæ Sacratæ, quæ in Calice remanſit, Subdiaconus cum Patena ad Altare reverſus reverenter ſuſcipit, cum prius Patenam ipſam diligenter ſuper Calicem excuſſerit, nequa particula Sacramenti in ea remaneat. Tum Diaconus

(1) Forte legendum, *ſe conſtituens*, ſed ly *ſe* deeſt in omnibus editionibus.
(2) Ita legendum, ut in Romana editione, non vero *paterам*, ut in Veneta 1. & Colonienſi legitur.

Digitized by Google

nus cum Subdiacono calamum supra Calicem vino purgant, & abluunt, atque eodem vino se purificant; deinde, si non sunt alii communicandi, Diaconus expectat Pontificem apud Altare; si vero sunt communicandi alii, sicut in Resurrectione Domini, Diaconus postquam se purificaverit, factis debitis reverentiis, ascendit ad Pontificem, & stans ad ejus sinistram, in tono ejus consueto dicit: *Confiteor Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & te Pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum.* Et cum dicit, *& tibi Pater*, rursus, *& te Pater*, inclinat se profunde ante Pontificem; & cum dicit, *mea culpa &c.* ter percutit pectus cum manu dextra; & mox Diaconus, ubi hæc dixerit, revertitur ad Altare; & postquam Pontifex fecerit Absolutionem, Diaconus reverenter accedens, accipit de Altari Calicem christallinum, vel aliud vas, in quo sunt Hostiæ consecratæ pro communicandis, & elevat, & girat a dextris, & sinistris, ut prius diximus, & Subdiacono genuflexo, ut prius, dat ad portandum ad Pontificem; ipse vero apud Altare expectat, quousque Pontifex, communicato populo, revertatur ad Altare. Venienti igitur ad Altare Pontifici deponit Mitram, & ponit deinde se in loco suo, stans medius post Pontificem inter duos Diaconos; & cum Papa finierit Orationes ultimas, & dixerit, *Dominus vobiscum*, ipse Diaconus versus, ut Pontifex, dicit cantando, *Ite Missa est*, in tono Solemnitati convenienti cum *Alleluja* pro temporis exigentia, & in fine cum Papa compleverit omnia, & vult discedere ab Altari, extrahit illi Pallium, & reponit illud super Altare, nisi Papa sit iturus ad benedictionem, vel ad alium actum, Processione præeunte, quia tunc debet portare Pallium. Deinde vadit cum Pontifice paratus usque ad ejus Cameram ipse, & alii Diaconi ex debito more, quamvis nonnunquam ex indulgentia Pontificis solent dimittere paramenta, & postquam deduxerunt Papam extra Ecclesiam, illum dimittere, & redire ad domos suas; sed honestius est, sicut diximus, ut Pontificem adhuc Missalibus paramentis indutum Diaconi parati ad Cameram usque deducant. Si autem tempus exigeret, ut Diaconus uti deberet Planeta, & non Dalmatica, tunc Diaconus parabit Pontificem sine Planeta; & cum imposuerit illi Mitram post omnia ornamenta, ipse accipit Planetam, quam deinde ponit, antequam cantet Evangelium, & plicatam accipit super humerum sinistrum, & sic cum ea manet, quousque Papa communicaverit; tunc rursus induitur Planeta, ut prius. Advertat etiam Diaconus, quotiescumque aliquid dat ad manum Pontificis, ut primo deosculetur rem ipsam, deinde manum Pontificis. Item quando post Consecrationem tegit, vel detegit Calicem, primo, & post reverenter genuflectat, & adoret Sacramentum.

COMMENTARIUS.

I. MUnus esse Diaconi cantandi Evangelium in Missa Solemni, explicuimus jam in nostro Opere, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus Lectione, & usu vario ritibus*, Lib. II. & Tomo I. Commentariorum in Cæremoniale Episcoporum, Cap. IX. Quod Solemnem Summi Romani Pontificis Missam attinet, cautum est primum ex nostro hoc Capite, ut *Diaconus Cardinalis lecturus Evangelium in Missa Pontificali, ante, & tempore sibi congruo, Deo per Confessionem reconcilietur, quia est participaturus de Sacramento Altaris simul cum Pontifice*. Estque hic antiquus Pontificiæ Capellæ ritus, ut non modo Diaconus, verum etiam Subdiaconus in ipsa Solemni Papæ Missa communicent, & quidem sub utraque specie. Hunc autem ritum plures antiqui Ordines Romani memorant, quorum loca nos alibi descripsimus. Cæterum generalis Synodus Tridentina Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. XIII. loquens de Diaconi, & Subdiaconi ordinatione, inter alia inquit, *maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministraverint, Sacram Communionem perceperint.* Porro abstineo plura hoc loco referre de Officio Cardinalis Diaconi Evangelium lecturi, quod non modo in citatis superius Libris fuse de illo Officio dixerim, verum etiam in præsenti Opere non uno in loco, ac præsertim ubi explicui ritus Solemnis Missæ, quam Papa statis quibusdam festis diebus solet hodieque celebrare Pontificaliter. Huc etiam faciunt, quæ varii Auctores rerum Liturgicarum docent, ubi munus Diaconi in Solemni Missa recensent. Sed, quum in præsenti Capite agatur de Officio Cardinalis Diaconi cantaturi Evangelium, celebrante Romano Summo Pontifice Missarum Solemnia, legi

Digitized by Google

gi profecto possunt, quæ de eodem Cardinale Diacono tradit inter alios Romanus Ordo XIV, Auctore Jacobo Gajetano, Cap. LIII. & quæ noviſſime notavit eruditiſſimus Dominicus Georgius in Libris, *De Litu rgia Romani Pontificis*, & in Appendice Mon umentorum, ubi varios Ordines veteres æque, ac recentiores Solemnis Miſſæ Papalis ex variis mſs. Codicibus ſcripſit.

CAPUT XVI.

De ſupplendis vicibus Cardinalium in aſſiſtentia Papæ deficientium.

Celebrante Pontifice, ſi Prior Epiſcoporum Cardinalium abeſt, qui illi aſſiſtere debet in Officio Capellani, ejus vices ſuppleat ſenior Epiſcopus Cardinalis; & ſi nullus adeſt Epiſcopus, ſenior Presbyter Cardinalis. Item ſi Prior Presbyterum in ſua aſſiſtentia deeſt, ſenior ex aliis Presbyteris ſupplet. Quod ſi nullus adeſt Presbyter Cardinalis, junior Epiſcopus Cardinalis ſupplet ejus vices, ſive cum paramentis, ſive cum Cappis laneis. Diaconus autem non ſupplet vices Epiſcoporum, neque Presbyterorum. Si vero adeſt unus Diaconus tantum in aſsiſtentia, junior ex Presbyteris Cardinalibus ſupplet locum ſecundi Diaconi. Sed Diaconus, qui aderit, tanquam Archidiaconus, & in proprio Officio ſedebit a dextris, & Mitram ſemper ponet, & deponet, Presbytero Cardinale a ſiniſtris adjuvante. Si nullus adeſſet Presbyter junior, Epiſcopus Cardinalis ſupplet, & tunc Epiſcopus erit a dextris; ſed Diaconus quamvis non ſit a (1) dextris, ſemper tamen ponet, & deponet Mitram. Quod ſi nullus adeſset Diaconus, duo juniores Presbyteri, ſive Epiſcopi, illis etiam deficientibus, aſſiſtunt; & ſi Pontifex celebraret principaliter in Veſperis, ſive in Miſſa, eſſent in habitu Diaconorum cum Dalmaticis, & non in proprio. Et nota, quod Pontifex non poteſt intereſſe Divinis cum Solemnitate, niſi ad minus cum tribus Cardinalibus, quorum duo aſsiſtant loco Diaconorum, & tertius, ut Capellanus aſsiſtens. In Miſſa autem, quando Papa celebrat ſolemniter, quatuor ad minus ſunt neceſſarii, duo Diaconi aſsiſtentes, Diaconus Evangelii, & Epiſcopus, ſive Presbyter Cardinalis Capellanus aſsiſtens. Sed, ut dixi, Presbyteri, vel Epiſcopi, Officium Diaconorum ſupplere poſſunt, Diaconi non poſſunt, ſupplere Officium Epiſcoporum, ſive Presbyterorum in Divinis.

COMMENTARIUS.

I. QUUM Cardinalium Collegium accuratiſſima ſit antiquiſſimorum Capitulorum Cathedralium effigies, ut jam notatum cumpluries fuit, hinc ſicut in Cæremoniali Epiſcoporum, Lib I. Capite XXVI. agitur de ſupplendis vicibus Canonicorum, aliorumque Miniſtrorum deficientium, ita & in hoc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Papalis Capellæ Cæremoniali, jure merito agitur de ſupplendis vicibus Cardinalium in aſſiſtentia deficientium; ſunt enim S. R. E. Cardinales Senatus Papæ, ſicut Canonici, antiqui præſertim, ſui proprii Epiſcopi. Sane mirari ſubeſt, quod in defectu alterius Diaconi junior ex Presbyteris Cardinalibus illius locum ſupplens ſedere a ſiniſtris debeat, cum poſſet ſedere & ipſe a dextris, ſicut dicitur de Epiſcopo, qui, Diaconibus, & Presbyteris deficientibus, vicem alterius Diaconi ſupplens, erit a dextris. Quicquid ſit, vetus eſt Patrum adverſus Diaconos querimonia, quia ſcilicet honorificis muniis ſuis elati, arrogabant ſibi etiam ſupra Presbyteros conſeſſum. Porro S. Hieronymus in Epiſtola ſua ad Evagrium, ut quorumdam ſui temporis Diaconorum audaciam reprimeret, qui ſe, & Presbyteris prætuliſſent, & ſuperiore ante eos ſediſſent loco, Presbyteros ſupra modum extulit, Diaconos autem ita dejecit, ut niſi diligentius, accuratiuſque ejus verba, & maturius expenderis, ultra modum progreſſus videri poſſit. Nam & Presbyteros pene confundit cum Epiſcopis, & Diaconos ſolius communis pauperum menſæ fere miniſtros facit. Legendus Thomaſſinus Parte I. Diſciplinæ, Libro I. Capite LII. Num. VI. & alibi.

II. At vero diu etiam poſt Hieronymum hujuſmodi conſeſſum ſupra Presbyteros Diaconi in multis Eccleſiis uſurparunt, iſtique abuſui mederi conata eſt Trullana Synodus, edito Canone VII. quo prohibentur Diaconi ſupra Presbyteros ſedere, niſi abſentis Epiſcopi ſui, a quo mitterentur, vices ſuſtinerent: *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos Officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia, & licentia fretos ante Presbyteros ſedere; ſtatuimus, ut Diaconus etiamſi in dignitate, ideſt, in Officio quovis ſit Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vices gerens, adſit in alia Civitate ſuper aliquo Capite; tunc enim ut locum illius implens honorabitur.* Vide plura in hunc Canonem dicta a nobis Tomo II. Conciliorum in Commentariis ad Canones Trullanos. Cæterum pœna, quæ in immorigeros recitato Canone decernitur, ea eſt, ut inter Ordinis ſui Collegas ultimum in locum detrudantur. Nec ad ſolos Diaconos, ſed ad alios inferiores Ordines eadem lex, & pœna por-

(1) Puto ita legendum, nempe, *a dextris*, licet in omnibus citatis editionibus legatur, *a ſiniſtris*.

Digitized by Google

porrigitur; unde & hos quoque conjicitur, non dispari insaniisse superbia, & Officiorum gloria tumentes, in superiorum Ordinum Clericos dominari, & præesse voluisse, uti notat Thomassinus, Parte I. Lib. II. Cap. CIV. Num. IV.

III. Quamquam denique ex præscripto nostri hujus Cæremonialis *Pontifex non potest interesse Divinis*, in Vesperis scilicet, *cum Solemnitate, nisi ad minus cum tribus Cardinalibus, quorum duo assistant loco Diaconorum, & tertius ut Capellanus assistens*; tradit nihilominus Ordo Romanus XV. Cap. CXX. ubi agit de Assumptione Beatæ Mariæ, quod *Dominus Urbanus Sextus anno secundo*, Pontificatus scilicet, *in primis Vesperis fecit ante se sedere loco Diaconorum Episcopos Cremensem, & Senogalliensem, quia non erat, nisi Cardinalis Sancti Petri*.

CAPUT XVII.

De Officio assistentium non Cardinalium Sanctissimo Domino nostro Papæ.

Scripturi deinceps de Officiis Prælatorum, & aliorum Officialium Curiæ Romanæ, de illis Officiis, & servitiis suis tamen dicemus, quæ exhibent Summo Pontifici in Divino Officio, & publicis actibus, & quæ pertinent ad Sacras Cæremonias. De aliis non est nostræ professionis. Et primo de assistentibus Episcopis Prælatis. Romano Pontifici assistere consueverunt in Divinis, & publicis actibus ordinarie decem Prælati ex dignioribus Curiæ, ut ex Libris Cameræ Apostolicæ conjectare licet, qui portiones decem. ex minutis distribuunt assistentibus. Nostris autem temporibus aliquando pauciores, sæpius plures fuerunt. Ad hos spectat Pontifici asisistere, & in Divinis illi servire de Libro, & de lumine, & semper sequuntur Pontificem immediate post Cubicularios, & Medicos secretos; & quando sunt parati, præcedunt immediate Cardinales. Hi, cum Pontifex ante Altare fecit Orationem, & ascendit ad Sedem eminentem, sequuntur illum, & sedent, vel stant secundum exigentiam ad sinistram partem. His connumerant etiam Sacristam, si sit Prælatus, & sedet in loco statui suo convenienti. Inter istos non habetur ratio Officiorum, sive Legationum, sed digniores, & antiquiores in dignitate præcedunt. Duo ex eis primi, sive Patriarchæ, sive Archiepiscopi, sive Episcopi sint, serviunt Pontifici, primus cum Libro, alter de lumine, hoc modo. Cum Pontifex aliquid est dicturus ex Libro, accedunt hi duo Asisistentes (1) non trahentes Cappam per terram, sed eam sinistra manu sibi ipsis deferentes, & primus genuflexus in scabello Sedis Pontificis, si Papa sedet, si autem stat, stans Librum tenet supra caput ante faciem Pontificis, ambabus manibus illum sustinendo, & Diaconi asisistentes apponunt hinc inde manum. Secundus vero candelam accensam ante Librum retinet stans in loco convenienti. Quod si, dum solemniter celebratur, & Episcopus, sive Presbyter Cardinalis retinet Librum, tum ille primus dat Librum Cardinali, & illum adjuvat, & Librum deinde recipit; & in Altari, dum Papa celebrat, serviunt ambo, & cum Cardinali ministrant Librum, & candelam, ut dictum est. Præveniunt hi duo semper Pontificem, & ad Altare, & ad Sedem; inveniunt quæ sunt dicenda, & signant. Cum Pontifex celebraturus est, in Sede, ubi accipit paramenta, asisistunt ante ejus faciem divisi in duas alas hinc inde. Cum est apud Altare, faciunt semicirculum post illum, & seniores hinc inde stant in capitibus semicirculi, exceptis illis duobus, qui serviunt in Altari de Libro, & de lumine. Cum Papa etiam non celebraturus a Sede descendit ad Faldistorium ante Altare, semper illum sequuntur, & post eum genuflectunt; & similiter cum redit ad Sedem, sequuntur, & redeunt ad locum suum. Surgentibus Cardinalibus assistentibus, surgunt; & illis sedentibus, sedent. Si nullus adesset Protonotarius, cum Papa exit ad Officium, primus ex eis defert anteriores fimbrias Pluvialis; & item, si nullus adesset Nobilis, aut Orator, qui deferat caudam Pluvialis, primus ex eis defert. Et si neque Protonotarius, neque Orator adesset, duo ex eis supplerent, primus ad caudam, secundus ad fimbrias. Quando autem Pontifex non habet Pluviale, sed Cappam amplam laneam, sive purpuream, vel Mantum, tunc primus ex eis portat fimbrias, & caudam simul conjunctas retro post Pontificem, & cum Socio fimbrias aptant sub Faldistorio, quando Pontifex non portat Mitram, & apud Sedem illas ante, & super scabellum extendit. Et semper illi, qui serviunt, manum dextram emittunt per aperturam Cappæ anteriorem, & sinistram per ex-

(1) Verba ista, *non trahentes Cappam &c.* usque, *deferentes*, leguntur quidem in editione Romana, & desunt in Veneta I. & Colonensi.

Digitized by Google

extremitatem Cappæ, & convoluta cauda Cappæ, illam ſub axilla, & ſuper ſiniſtrum brachium retinent, ut ſint magis expediti ad ſerviendum; & quando Papa exit ad Capellam cum Manto Papali, & cum capucio ſupra caput inverſo, quod facere conſuevit in Matutinis tenebroſis, & aliquando etiam in aliis diebus propter frigus, tunc Epiſcopi aſſiſtentes debent habere Mantellum aſſiſtentiæ apertum a parte anteriori, & capucium in modum Cubiculariorum.

COMMENTARIUS.

I. ANtiquiſſimum aſſiſtentium Epiſcoporum Collegium, qui ſcilicet Summo Pontifici in Divino Officio, & publicis actibus, & in iis, quæ pertinent ad Sacras Cæremonias, aſſiſtere ſolent, a quo Pontifice inſtitutum fuerit, incompertum eſt. Illud plane conſtat, jam ante editionem noſtri hujus Cæremonialis, quod Auguſtinus Patricius Innocentio Papæ VIII. anno MCDLXXXVIII. dedicavit, Collegium ipſum extitiſſe. Innocentius etenim ipſe ante diem ſuæ Coronationis, uti olim mos erat, aſſiſtentium Prælatorum catalogum firmavit, teſte Burchardo in ſuo ms. Diario ad annum MCDLXXXIV. ubi etiam eorum nomina accurate recenſet.

II. Fit autem per ſolum Pontificem hujuſmodi Prælatorum deputatio, & quidem ſimpliciſſime, ut verbis utar Paridis Graſsi in ſuo ms. Cæremoniali in eo Titulo, quem de aſsiſtentibus inſcripſit. Dum enim Pontifex aliquem Prælatum ad Pontificalis Solii gradum, latus, & aſsiſtentiam ſuam aſſumendum cenſuerit, Prælatum ipſum per Cæremoniarium inter Sacra Solemnia, Feſtiva ſcilicet, non autem Ferialia, nec emortualia, vocari tunc ſimpliciter jubet. Cæremoniarius itaque, dum omnia in Capella viderit compoſita, illum adiens, ducit recta ad aſsiſtentiæ locum ultimum, ubi is Collegas omnes ſimul aſſurgentes ſalutat nutu tantum, & in eo demum ſe firmat loco, quem ſuæ ad Prælaturam promotionis ordo requirit. Finita demum re Divina, ac Pontifice apud Aulam paramentorum ſacris veſtibus exuto, pedem ejus oſculatur gratias agens.

III. Tradit hæc quidem Graſsus, qui licet ſcripſerit, in Feſtivis tantum Miſsis Solemnibus Prælatos aſsiſtentiæ prærogativa decorari, ſciendum tamen, die XIX. Junii anni MDCXXXII. in Miſsa exequiali Sigiſmundi III. Poloniæ Regis, ad aſsiſtentiæ munus admiſsum fuiſse Benedictum Bragadenum Archiepiſcopum Corcyrenſem. Præter morem factam fuiſſe hujuſmodi admiſsionem, & non niſi urgente neceſsitate, docet Paulus Alaleo Cæremoniarius Apoſtolicus in ſuo Diario ad prædictum diem, quia ſcilicet unicus tantum Epiſcopus aſsiſtens tunc in Capella reperiebatur, oportuitque iccirco, novum illum creari aſsiſtentem, ut Pontifici de lumine inſerviret. Cæterum vix aliud ſimile exemplum in Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis invenies, ex quibus paſsim docemur, nonniſi in Miſsis Feſtivis Solemnibus Prælatos ad aſsiſtentiæ gradum aſsumptos fuiſse, longumque eſset loca ex ipſis Diariis deſcribere, in quibus admiſsiones ipſæ recenſentur.

IV. Neque vero prætermittendum eſt, quatuor Patriarchas, quos noſtrum hoc Cæremoniale ſupra Titulo II. Cap. I. principales vocat, nempe Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum jure ſuæ dignitatis aſsiſtentes eſſe, atque in aſsiſtentium Epiſcoporum ſedilibus ſedere, uti jam docet Phœbeus Tomo I. Diariorum ſub die VIII. Maji anni MDCXLI. Inter eos autem non antiquitas promotionis, ut inter Epiſcopos, ſed Patriarchalium ſedium ordo attendendus eſt, uti deciſum fuit in Generali Concilio Lateranenſi IV. his verbis: *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, Sancta univerſali Synodo approbante, ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam, quæ, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote mater univerſorum Chriſtifidelium & Magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineat.* Vide in hunc Canonem Commentarium Tomo III. Conciliorum, quæ nos ſuperioribus annis Prolegomenis, & Commentariis illuſtravimus.

V. Sacriſta quoque ſcilicet Pontificii Sacrarii Præfectus ex Officii ſui privilegio Aſsiſtentium honore potitur, teſte Angelo Rocca in Chronhiſtoria, *De Apoſtolico Sacrario*, Capite inſcripto, *De loco Sacriſtæ in Capella, & foris*, ubi hæc habet: *Sacriſta Epiſcopali, vel majori dignitate inſignitus, quando Papa Divinis Officiis intereſt, tenet locum in Capella inter Prælatos aſſiſtentes juxta gradum, & antiquitatem ſuæ promotionis; nam ex Officii ſui natura, ſeu privilegio, abſque eo, quod vocetur more aliorum Aſſiſtentium, pro Aſſiſtente habetur, & propterea in ordine ſuo celebrat, & ſervit Papæ in Capella, Aſſiſtentiumque honoribus, privilegiis, & immunitatibus potiri ſolet. Abſente autem Papa, ſedet inter Prælatos, tenetque locum ſuæ dignitati, & antiquitati congruentem, nulla Aſsiſtentiæ habita ratione.* Sed non omittenda quæ mox de eodem Sacriſta ſubjicit, qui non eſt Epiſcopus: *Sacriſta vero non Epiſcopus, abſente Papa, in Capella ſedet immediate poſt ultimum Epiſcopum, vel poſt Abbatem Mitratum, ſi adſit; præſente autem Papa, ad noſtra uſque tempora locum mox poſt ultimum Prælatum, ſive Epiſcopum aſsiſtentem habere conſuevit, quippequi, ut in Libro Aſsiſtentium legitur*, Aſsiſtens *ſaltem* de Mitra *nuncupatur, cum in Capella Papæ Mitram ſubminiſtrat Auditorum Rotæ Decano, qui eam Papæ imponendam ad Cardinalem Diaconum aſsiſtentem defert.* Sed de Sacriſta, ejuſque Officio vide mox infra in Capite ſequenti.

VI. Porro præcipuum Prælatorum aſsiſtentium munus eſt, ut ex præſenti Capite addiſcimus, *Romano Pontifici aſsiſtere, & in Divinis illi ſervire de Libro, & de lumine, &*

Digitized by Google

semper sequuntur Pontificem immediate post Cubicularios, & Medicos secretos, & quando sunt parati, præcedunt immediate Cardinales. Varia alia ipsorum munia explicata habes in hoc Capite, ac aliis locis hujus Cæremonialis. Atque, ut alia præteream, in Dominicis, tum Adventus, tum Quadragesimæ, exceptis tertia, & quarta, respective, Missas celebrant in Capella per turnum a Capellano inter eos distribuendas. Missæ autem in prima Dominica per digniorem Assistentem, & per alterum illi proxime sequentem cantandæ sunt, ut, non obstantibus eorum Statutis, præscripsit Gregorius Papa XIII die 11. Decembris anni MDLXXVI. ut ad ipsum diem testatur Franciscus Mucantius in suo ms. Diario.

CAPUT XVIII.

De Officio Sacristæ.

Sacrista Apostolici Palatii, quod est Officium perpetuum, semper consuevit esse Prælatus, nec consuetudo adstringit ad aliquem Ordinem Religiosorum, ut aliqui aliquando dixerunt. Et quia habet curam, & inventarium rerum Sacristiæ, & opera sua est continuo in Palatio, habet Cameram in Palatio, & expensas in tinello cum suis servitoribus. Ad hunc spectat ex mandato Pontificis nunciare, & distribuere Missas celebrandas Dominis Cardinalibus, & aliis Prælatis, (1) & dare mandata cursoribus, ut intiment Cardinalibus, & Prælatis Curiæ, quando, ubi, & per quem est celebrandum in diebus ordinariis, & quando placet Pontifici. Debet præterea reservare, & custodire suo inventario paramenta, & ornamenta omnia, quæ pertinent ad Altare, ad personam Papæ, & Prælatos, atque Ministros celebrantes in Capella Papæ, videlicet vestes sacras, vasa sacra, ubi Reliquiæ Sanctorum reconduntur, Cruces, Calices, candelabra, Imagines, & vasa pretiosa, & etiam subministrare, & custodire quæ pertinent ad Capellam secretam Papæ, & ad Capellam communem Palatii, ubi quotidie celebratur. Debet in tempore per Clericos Capellæ ordinare Altare, credentiam, & quæ pertinent ad celebrationem Missæ, vel Divini Officii. Præterea (2) debet, antequam Papa exeat ad Cameram, paramenta præparare super lectum paramenti sacras vestes, Mitras, & ornamenta, quibus uti debet Summus Pontifex. Et quia solus non posset tot rebus satisfacere, oportet, quod habeat aliquem Capellanum, vel Socium, qui eum adjuvet in inveniendis, præparandis, explicandis, & adaptandis rebus opportunis. Debet etiam semper interesse, quando Pontifex celebrat, sive publice, sive privatim, & ministrare opportuna, & habere exactam providendi curam, ne res Sacristiæ destruantur, & ut destructæ instaurentur. Cum Papa solemniter celebrat, parat credentiam suam in tempore, & servat ea, quæ in Missa Papali præscripsimus. Adinvenit in tempore Libros opportunos pro persona Papæ tam pro Missa, quam pro benedictionibus, absolutionibus, & aliis Divinis Officiis, & eos Episcopis assistentibus consignat. Curat diligenter, ut Sacramentum Corporis Christi nitide & munde semper conservetur in loco convenienti, & semper ante illud ardeat lumen. Cum vero Pontifex in Pontificalibus equitabit, præparet Sacramentum in (3) Cossino ornato, & super equum album faleratum imponi faciat; equum freno ducit aliquis ex suis familiaribus; Clerici Capellæ cum laternis præcedent; ipse vero ferulam manu gestans, in habitu statui suo condecenti equitans subsequitur; curabitque, cum ad locum destinatum perveniat, ut Sacramentum in loco honesto, & cum luminaribus reponatur. In Conclavi electioni novi Pontificis interest, & præparat, quæ ad rem Divinam pertinent, & ipse celebrat coram Patribus, & pro novo Pontifice indumenta congrue subministrat. Item in transitu, vel obitu Pontificis assistit, administrat Sacramenta Ecclesiastica, nisi Cardinales id faciant, & cum Cæremoniariis procurat funus. Et de Sacrista hactenus in genere, nam particularia latius in locis suis posuimus.

COMMENTARIUS.

I. EXtat in Libro 1. Decretalium Titulus XXVI. qui inscriptus est, *De Officio Sacristæ*, de quo late diximus nos Tomo 1. Cæremonialis Episcoporum in Commentariis ad Caput VI. Quod autem Sacrarii Apostolici Præfectum, seu Sacristam Romani Pontificis spectat, de quo in præsenti Capite agitur, latissime eam rem tractavit eruditissimus Angelus Roc-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero 1. & Colonienſi desunt ea verba, *& dare mandata cursoribus, ut intiment Cardinalibus, & Prælatis.* (2) In citatis Veneta 1. & Colonienſi editionibus legitur, *Præter hæc.* (3) In iisdem legitur, *in pulvino.*

Digitized by Google

Rocca Sacrista & is Apostolicus peculiari Opere, quod inscriptum est, *Chronhistoria de Apostolico Sacrario*, ubi inter alia ostendit, Præfectura ipsa Sacrarii Pontificii longo seculorum ordine Fratres Eremitas S. Augustini functos fuisse, & quidem possessione a tempore immemorabili nunquam interrupta; corruitque iccirco quod initio nostri hujus Capitis dicitur, Sacristæ scilicet Apostolici Palatii Officium nequaquam consuetudine adstringi ad aliquem Ordinem Religiosorum. Ceterum testatur laudatus Rocca in citato Opere, primum ex suo Augustiniano Ordine Sacristam Pontificium fuisse Magistrum Fr. Augustinum Thermitanum cognomento Novellum juris utriusque peritissimum, a Nicolao IV. Papa creatum, itemque Pœnitentiarii, & Confessarii Papæ nomine insignitum, ut in Cæremoniali perantiquo, & in Chronicis Mauritii Tertii, & Josephi Pamphili legitur; additque mox etiam, credi posse, quamvis ante ipsum Novellum alius Sacrista minime inveniatur, ut alii ex eodem Augustiniano Ordine Fratres hoc in munere obeundo dictum Fratrem præcesserint, cum de initio hujusce Officii non extet hominum memoria, quæ contrarium ullo insinuet modo.

II. Quicquid sit de ipsa origine, testatus est quidem Alexander Papa VI. in Litteris suis datis VI. Idus Novembris anni MDIV. Pontificatus I. quibus Fratrem Nicolaum Aquapendentanum, Ordinis Eremitarum S. Augustini post resignationem Fratris Venturæ Episcopi Messanensis, Sacristam creavit, *Officium prædictum ad vitam concedi, & per unum ex Professoribus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini teneri consueviſſe.* Extant Litteræ integræ apud laudatum Roccam Tomo I. omnium ejus Operum Romanæ editionis pag. 343. & sequenti. Etiam post Alexandrum VI. usque ad nostra hæc tempora, serie nunquam interrupta, creatos fuisse a Summis Pontificibus Pontificios Sacristas ex laudato Augustiniano Ordine, solide ostendit memoratus Rocca, & qui post eum seriem ipsam Sacristarum continuavit, ut propterea non opus sit diligentiæ laudatorum Auctorum aliud adjungere. Ceterum quod Sacristæ Pontificii munia attinet, testatur idem Rocca, se in Bibliotheca Vaticana perantiquum Cæremoniale inveniſse, in quo omnia Apostolici Palatii Officia recensentur, Alexandro V. id Pisis postulante, ac jubente anno Domini MCDIX. die IV. Julii, ut exactam de suorum Officialium muniis notionem haberet. Ea vero, quæ ex dicto ms. Cæremoniali de Sacristæ Officiis recensentur, sub Confessarii Titulo leguntur. Olim enim Sacristæ fere omnes Confessarii Summorum Pontificum erant.

CAPUT XIX.

De Officio Protonotariorum.

Protonotariorum Officium est notare ea, quæ in publicis Consistoriis geruntur, cum rogantur a Procuratore Fiscali, & cum opus fuerit, in publicam redigere formam; ideo oportet, eos interesse publicis Consistoriis. De Officio eorum in Cancellaria nihil ad nos. Pontifici in publicum cum Pluviali, & Mitra exeunti Protonotarius fimbrias inferiores simul junctas deferre debet; nam ad sinistram Pontificis præcedens, caudamque Cappæ suæ sibi deferens, ut de Episcopis assistentibus diximus, sinistram ad extremitatem fimbriarum, dextram ad superiorem partem ante Corpus Pontificis tenens, proficiscitur. Cum pervenit ad locum, ubi Pontifex consistit, dimittit fimbrias ad manus Diaconorum, & vadit ad locum suum. Cum Pontifex in Divinis est daturus Benedictionem solemnem, Protonotarius accedit, & genuflexus super scabellum Sedis Papæ, dum Papa benedicit, fimbrias inferiores a sinistro latere elevat, & cum eis Corpus Pontificis tegit ab umbilico, & infra. Finita Benedictione, dimittit fimbrias, & revertitur ad locum suum.

COMMENTARIUS.

I. TEste Thomassino Parte I. veteris, ac novæ Ecclesiæ disciplinæ, Libro II. Cap. CIV. Num. 3. tyrocinium Clericatus ponebant plerumque pueri, vel adolescentuli, in Notariorum, vel Lectorum Officio fungendo. Compendiariis notis exarabant Notarii vel Acta publica, vel privata Episcoporum mandata. Romæ S. Clementem Papam I. septem Notarios instituisse, eisque Urbis regiones divisisse, ut Acta Martyrum conscriberent, & posteritati transmitterent, scribit Libri Pontificalis Auctor. Cum vero laudatus Papa septem ipsos Notarios instituisset, ut celeriter exciperent verborum notis gesta dictaque Martyrum, S. Fabianus qui creatus Romanus Pontifex fuit anno CCXXXVI. considerans, hanc scribendi rationem esse valde obscuram, septem Notariis totidem præfecit Subdiaconos, qui curarent litteris interim perscribi quod notis compendiose exceptum antea erat, dicente Anastasio, ad hoc Fabianum fecisse *septem Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent.* Ceterum quod tempore Julii Papæ I. non ita Christianorum Martyria frequentarentur, ob pacem per Constantinum Magnum Imperatorem Ecclesiæ datam, ideo prædicti Notarii nil habentes, quod jam de Martyribus scriberent, ex mandato ejusdem Julii Pontificis, ut Auctor Libri Pontificalis S. Damaso a quibusdam tributi scribit, in Vita Julii, ubi etiam de scrinio scripturarum Notariorum meminit, omnia, & quæcumque ali-

ad

Digitized by Google

ad Ecclesiam pertinentia scribere cœperunt; indeque verisimile est, Notarios ipsos a Scriniis reconditarum Scripturarum, quæ eisdem committebantur, dictos etiam Scriniarios fuisse.

II. Erat certe & Romæ Schola, sive Collegium Notariorum, quorum primus, vel Primicerius curæ suæ demandatas habebat chartas. Cum enim Subdiaconus Arator Poema a se elaboratum, quo historiam Apostolicam complexus est, Vigilio Papæ obtulisset, illud Vigilius dedit Primicerio Notariorum, servandum in Scrinio Ecclesiæ: *Surgentio Viro venerabili, Primicerio Scholæ Notariorum, in Scrinio dedit Ecclesiæ collocandum*. Apostolicas quoque Litteras scripsisse Notarios Ecclesiæ Romanæ, ex antiquis Apostolicis Litteris Sergii Papæ IV. manifestum redditur in illis verbis: *Scriptum per manus Benedicti Notarii Regionarii, & Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ &c.* Quæ quidem verba duo indicant, primum, illius Bullæ Scriptorem fuisse unum ex septem Notariis a Clemente Papa I. institutis, quia scilicet appellatur Regionarius. Secundo, dici illum scriniarium, cujus munus erat, Litteras ipsas, quas scribebat, in Scrinio recondere. Id quod etiam probatur ex alio antiquo Martini II. Diplomate, ubi Notarius, & Scriptor illius Scriniarius appellatur: *Scriptum*, inquit, *per manus Hadriani Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ &c.*

III. Varia Notariorum S. R. E. munia legere est apud laudatum Thomassinum, Cap. CIV. & seqq. de iisque diximus etiam nos Tomo I. Conciliorum in Prelegomenis, Cap. XIV. & in Commentario ad Canonem II. Concilii Generalis Chalcedonensis. Late etiam de eisdem agit Cohellius in sua Notitia Cardinalatus, Capite XVIII. & peculiari Tractatu Hieronymus Andreuccius Societatis Jesu Theologus, novissimeque Josephus Rigantius primum in Romana Curia Advocatus, postea Episcopus Aprutinus, in Dissertationibus, quæ inscriptæ sunt, *De Protonotariis Apostolicis, tam de numero participantium, quam supra numerum, necnon titularibus, seu non participantibus*.

IV. Porro quamvis triplex sit Apostolicorum Notariorum genus, uti post alios notat citato loco Cohellius, agitur tamen in hoc præsenti Capite de Protonotariis, quos participantes vocant, septemque numero illos fuisse usque ad sua tempora, testatur Polydorus Virgilius Lib. IV. *De rerum inventoribus*, Cap. XI. *Sunt hodie*, inquit, *Protonotarii Apostolici numero septem, qui, ut dictum est, in illud Collegium precio cooptantur &c.* Auctus est deinde numerus a Sixto Papa V. usque ad duodecim, ut ex ejusdem Pontificis Constitutione XII. constat, notatque Oldoinus in sua nova Additione ad Ciaconium in Vita Sixti V. Tomo IV. Col. CXXVIII. Lit. C. ubi ita ait: *Participantes*, nempe Apostolicos Protonotarios, *qui septem tantum erant in Romana Curia, ad duodecim auxit*.

V. Fuit olim adeo excellens eorum dignitas, ut ad Pii II. tempora Episcopos etiam præcederent. Jam non satis comperi, quando cœpissent in Aula Romana ipsi Protonotarii supra Episcopos sedere, sed illud tamen comperi, a laudato Pontifice Pio II. redditos esse Episcopos honoribus, sedibusque suis, idque ab ipsomet referri Pio verbis de amplitudine Episcopatus honorificentissimis. Profitetur enim, non esse ullum in universali Ecclesia sublimiorem gradum, Ordinemque, ipsumque Christi Vicarium Romanum Pontificem Maximum amplum illud sibi ducere, ut Episcopus vocetur: *At Pius altitudinem Episcopalis eminentiæ animo volvens, qua nihil est in Ecclesia sublimius, & quod ipse Romanus Præsul Jesu Christi Vicarius, Episcopi nomine contentatur, Notarios non consuetudine, sed corruptela prælatos Episcopis judicavit, idque deinceps prohibuit, edita Lege, quam totus ferme Orbis collaudavit. Notarii, etsi ambiendo contra niterentur, & multa in Præsulem probra jactarent, Legem tamen vel inviti receperunt.* Extant hæc Libro III. Commentariorum Pii Papæ II. pagina 64. Lex ista est Constitutio IV. laudati Pii Pontificis, quæ in Bullario Romano legitur. Quæ autem eam in rem promulgata est Bulla, insinuare videtur, eam innovationem ex eo profectam esse, quod Notarii, vel Protonotarii Apostolici in Consistoriis publicis propiores assiderent Summo Romano Pontifici, ut eorum, quæ ibidem statuta fuerant Acta, & Registra commodius conderent.

VI. Insignes Protonotariorum Apostolicorum prærogativæ, quæ in hoc Capite recensentur, jam a nobis explicatæ superius sunt, ubi se se nobis dedit occasio, de eisdemque, sicut & de aliis multis, late disserit laudatus Sixtus V. in citata sua Constitutione, quam descripsit memoratus Cohellius in citata sua Cardinalatus Notitia, Cap. XVIII.

CAPUT XX.

De servitio Subdiaconi Apostolici.

Quæ Subdiaconum agere oporteat specialiter in Vesperis, aut in Missa, dum Papa principaliter celebrat, superius diximus in locis opportunis; nunc generalia quædam subjungemus. Subdiaconi participantes quinque sunt numero nostris temporibus. Cum Papa in publico procedit, sive ad Divina, sive ad humana negotia, unus ex eis Crucem Papalem præfert, sive equo, sive pedibus, sive utcumque. Quando Papa autem exiit ad Cameram paramenti, ut sacras vestes induat, duo ex eis sunt ibi prope lectum paramenti, qui stantes hinc inde post Diaconos assistentes, juvent illos, cum Pontificem parant, & illo sacris induto, unus ex eis capiat Crucem. Inter Crucem, & Papam Cardinales tantum, & qui in eorum scamno sedent, incedere oportet, & nullos alios. Duo Magistri Ostia-

rii

Digitized by Google

rii cum ſuis virgis collateraliter aſſociant Crucem. Subdiaconus Crucem reponit in Capella in loco congruo, deinde vadit ad locum ſuum cum aliis; & primum locum obtinent Subdiaconi inter omnes alios Prælatos, ſive Officiales non pileatos. Cum Pontifex poſt Sermonem, vel in fine Miſſæ eſt daturus ſolemnem benedictionem, Subdiaconus accipit Crucem Papalem, & ponit ſe ante Pontificem, vertitque Crucifixum verſus Pontificem; & cum ille incipit, *Precibus, & meritis*, ſive, *Sit nomen Domini*, genuflectit. Data benedictione, ſurgit, & reponit Crucem in loco ſuo; ſive ſi eſt recedendum, incipit procedere, & expectat in loco convenienti, quoad Papa appropinquet. In Camera papagalli reponit Crucem, & vadit ad exuendum Pontificem cum aliis. Sed advertat Subdiaconus, cum portat Crucem, ut ſemper Crucifixum vertat ad Pontificem, qui ſequitur. Cum autem Pontifex non ſequitur, Crucifixus ſit in parte anteriori. De modo equitandi in Pontificali, & de variis ſervitiis, quæ Subdiaconus in diverſis actibus exhibet Pontifici, & adminiſtratione Palliorum, in propriis locis abunde dictum eſt.

COMMENTARIUS.

I. TRes fuiſſe olim Romæ Ordines Subdiaconorum, docet nos vetus Libellus a Cardinali Baronio laudatus ad annum MLVII. ubi hæc habet: *Subdiaconi ſunt omnes numero viginti & unus: ſeptem Regionarii, qui Epiſtolas, & Lectiones cantant in Stationibus; ſeptem Palatini, qui idem munus præſtant in Eccleſia Lateranenſi; ſeptem alii, qui dicuntur Schola Cantorum, qui cantant tantummodo, quando Summus Pontifex celebrare conſuevit.* Ex primis erat Joannes ille *Subdiaconus primæ regionis*, qui e collo Silverii Papæ Pallium abſtuliſſe perhibetur, & exutum veſte monaſtica induiſſe, quod Sixtus *Subdiaconus regionis ſextæ* Clero nuntiavit, uti notavit Mabillonius in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Cap. III. pagina XVIII. Porro varia fuerunt Subdiaconorum munera antiquitus in Eccleſia Romana, ſed illud plane præcipuum, quod cum olim S. Clemens Papa ſeptem Notarios inſtituiſſet, ut celeriter exciperent verborum notis geſta, dictaque Martyrum, S. Fabianus itidem Papa, quod noſceret, hanc ſcribendi rationem eſſe valde obſcuram, ſeptem ipſis Notariis totidem præfecit Subdiaconos, qui curarent litteris integre perſcribi, quod notis compendioſe exceptum antea erat, dicente Anaſtaſio, ad hoc Fabianum Papam inſtituiſſe *ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integrum colligerent &c.*

II. Ut alios omittam, veterum Subdiaconorum Romanæ Eccleſiæ ſyſtema ex antiquis ipſius Romanæ Eccleſiæ monumentis exponit eruditiſſimus Panvinius pag. 5. interpretationis vocum Eccleſiaſticarum, ſic inquiens: *Subdiaconi Notariis a Clemente Papa inſtitutis imminebant, ut res geſtas Martyrum in integrum colligerent. Et cum ſeptem Diaconi, ut miniſtrarent pauperibus Chriſtianis, totidem Notarii, ut Martyrum facta deſcriberent, per Urbis regiones ſparſi eſſent, iis ipſi Subdiaconi juncti fuerunt. Ideo etiam ipſi Subdiaconi regionarii vocati ſunt.* Tum vero mox: *Alii ſeptem Subdiaconi, quod Miſſarum celebrationi intereſſent in Baſilica Lateranenſi, & per vices deſervirent, S. R. E. ſive Baſilicarii Subdiaconi appellati. Nam Eccleſiæ majeſtate aucta, Subdiaconi ad Epiſtolæ lectionem, & miniſterium Altaris acciti, & Sacri Ordinis participes facti ſunt; & propterea regionarii, qui per regiones diebus Stationum Pontifici miniſtrabant celebranti, ſeptem alii addicti, & ad XLV. numerum aucti. Hi porro S. R. E. Subdiaconi, quod Pontifici certis Officiis aſſiſterent, & ſervirent, ut in Camera, & in menſa, & in Proceſſione ante ipſum Crucem deferrent, Palatini etiam Subdiaconi dicti ſunt. His in Schola Cantorum VII. alii addicti, eorumque numerus unus & viginti factus.* Deinde paucis interjectis, ſubjicit: *Stationarius Subdiaconus erat is, qui hebdomada ſua Epiſtolam in Stationibus, Papa celebrante, cantabat.* Atque hæc confirmari plane poſſunt ex iis, quæ ante Panvinium ſcripſit Joannes Diaconus in Libro, *De Eccleſia Lateranenſi*, Cap. VIII. ubi ſic inter alia ſcribit: *Debent etiam ibi eſſe ſeptem Subdiaconi Palatini, & Schola Cantorum, ſcilicet alii ſeptem Subdiaconi, qui vocantur regionarii. Iſti debent legere Lectiones, & Epiſtolas in Stationibus Romæ conſtitutis. Alii ſeptem, ſcilicet Schola Cantorum, debent canere Officium, dum Dominus Papa celebrat Miſſam in Baſilica Lateranenſi, & in aliis. Alii vero ſeptem Palatini debent legere in Palatio ad Miſſam Apoſtolici, & in eadem Patriarchali Baſilica Lateranenſi, necnon etiam ad Miſſas ipſius Apoſtolici.*

III. At vero licet in mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis paſſim mentio fiat de memoratis Apoſtolicis Subdiaconis, ſuppreſſum eſt tandem ipſorum Collegium anno MDCLXV. per Alexandrum VII. qui eorum munia tranſtulit in Collegium Auditorum Rotæ, dato Diplomate, quod legitur in Hiſtoria hujus Tribunalis edita ab erudito Bernino. Sane legitur & apud Ciaconium Tomo IV. in Vita Alexandri Papæ VII. quod *Officium Subdiaconorum Apoſtolicorum in Sacello Pontificio, quod nullo perſonarum delectu venale erat, abolevit, eoque miniſterio inſignivit Sacræ Rotæ Romanæ Auditores, tributo colore violaceo, & ſportulis Palatinis.* Sed de Auditoribus ipſis jam etiam mox differemus. Adeo autem conſpicuum eſt eorumdem Sacræ Rotæ Auditorum Collegium, ut ex ipſo multi prodierint Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Summi etiam Pontifices, ut videre eſt in eorum Vitis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De Auditoribus.

Auditores Cauſarum Sacri Palatii, qui Capellani ſunt Summi Pontificis, debent illi aſſiſtere in Divinis, & in omnibus publicis actibus (1), illorumque Decanus, ideſt, ſenior in Officio, ſemper ſervit Sanctiſſimo Domino noſtro de Mitra, & tunc habet ſindonem ſericeam ad collum ſupra Cappam, vel ſupra Superpelliceum, & eſt medius inter duos Cubicularios ſecretos immediate poſt Papam. Cum igitur Papa apud lectum paramenti induit ſacras veſtes, Auditores adſtantes a ſiniſtra genuflectunt, & deficientibus Acolythis, adminiſtrant paramenta eorum loco. In Eccleſia vero, quando Papa ex Faldiſtorio aſcendit ad Sedem eminentem, & quotiens a Sede ad Altare, vel ad Faldiſtorium deſcendit, duo Auditores hinc & inde elevant inferiores fimbrias veſtimentorum ejus, ne impediant Papam euntem, neve pedes ſupra veſtem imponat, & inclinati pariter cum eo procedunt. Sed advertant, quod ita modeſte veſtes elevent, ne crura Pontificis videantur. Quando Pontifex eſt incenſaturus Altare, duo ex eis præveniunt ad Altare, & hinc inde elevant mappam primam, quæ eſt ſuper Altare uſque ad medium Altaris, & ponunt ſuper aliam mediam. Deinde expectant ad partem genuflexi, quoad Papa incenſaverit Altare, & mox, ſurgentes reſtituunt mappam, ut prius erat. Quod ſi non adſunt alii duo Auditores, ut fimbrias elevent, iidem duo elevent prius mappam, & deinde vadunt ad fimbrias Papæ, & ſimiliter poſt incenſationem reponant mappam, & poſtea attollant fimbrias. Item quotieſcunque Papa publice lavat manus, duo ex eis vadunt ad credentiam, & ſenior accipit mantile, & illud duabus manibus elevatis uſque ad faciem profert ad Pontificem, & illo deoſculato, ponit ſupra gremium Pontificis, & genuflexus a dextra, & Collega ſuus a ſiniſtra tenent mantile, quoad Papa lotus manus abſterſerit, deinde illud cum Socio reportat ad credentiam, & una manu tantum; tum revertitur ad locum ſuum. Antequam veniat ad Pontificem cum mantili, ſemper tertio genuflectit. Similiter cum Papa eſt diſtributurus candelas, ſeu Agnus Dei, accipiunt a Credentiario mantile, & ponunt ſuper gremium Pontificis, illudque utrinque retinent uſque ad finem diſtributionis. Et generaliter, quotieſcumque mantile, ſeu Gremiale, portatur ad Pontificem, aut ante eum tenetur, idem fit per Auditores. Et cum Papa celebrat, unus ex eis continuo ſervit de Gremiali, quod ipſe debet accipere a credentia Sacriſtæ, & illud, finito ſuo Officio, illuc reportare. Auditor autem, qui ſervit de Mitra, cum eſt imponenda Mitra, illam dat ad manus Diaconi Cardinalis miniſtrantis a dextra; cum vero eſt removenda, accedit ad Diaconum, qui eſt a ſiniſtra, & ex ejus manibus Mitram accipit, cum debitis ſemper reverentiis.

COMMENTARIUS.

I. SUnt qui autumant, Tribunal duodecim Summi Romani Pontificis Capellanorum, quos Rotæ Auditores vocant, a Joanne Papa XXII. inſtitutum fuiſſe. Sed errant tamen, nam Joannes ipſe in Conſtitutione XIV. Tomi I. Bullarii Magiſtratum Rotæ Romanæ minime inſtituit, ſed inſtitutum reformat, addicitque certis legibus. Auditores Rotæ appellari cenſent plerique, quod alternis vicibus, quaſi *rotatim* ſuo fungantur munere, vel quod præcipua Chriſtiani Orbis negotia apud illos verſentur, & agitentur. Sane, ut docet Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Curiæ Romanæ, Diſcurſu XXXII. licet Papa pro quibuſdam primariis, ac majoribus negotiis Auditores, & Conſiliarios Cardinales adhibere jam multis ab hinc ſeculis cœperit, cum quorum conſilio in Conſiſtorio ea explicaret, *alia explicare conſuevit in Capella, ſive in Camera cum ope, & conſilio ſuorum Capellanorum, quales proprie Rotæ Auditores appellantur; attributo quoque antiquitus alio magis frequenti nomine Auditorum Sacri Palatii Apoſtolici, ex eo quod, priuſquam congregarentur in conſpectu Papæ, ipſumque de cauſarum ſtatu, ac meritis informarent, atque votum ſuum, ſeu conſilium præberent, partes in eodem Palatio Apoſtolico audiebant; atque ad tollendas confuſiones, quodque quilibet ſciret, quas cauſas relaturus eſſet, conſuevit idem Papa ſupplicationes, quæ illi porrigebantur, ſingulis Capellanis, vel Auditoribus diſtribuere &c.*

II. Capellanorum Papæ crebra fit mentio in Romanis Ordinibus, ipſique Sacri Palatii, ſeu Rotæ Romanæ Auditores hactenus Capellanos ejuſdem Papæ agunt in maximis Solemniis,

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur. *Illorum Decanus &c.*

Digitized by Google

niis, distinctique ab iis sunt, qui aut *secreti*, aut *communes* dicuntur, quique Pontifici intra Palatium, minoribus officiis famulantur. Antiqua esse priorum Capellanorum, seu Auditorum Rotæ munia, quæ in hoc Capite recensentur, ex eisdem Romanis Ordinibus constat, ex quibus etiam habemus, participasse eos medietatem oblationum in Stationibus S. Petri provenientium, *ex quo tualia extendebatur*, juxta notata ab eruditissimo Moretto in Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte I. Sectione VI. Num. VI. ubi etiam observat, memorari a Cencio auctore Ordinis Romani XII. duplicem oblatorum portionem post excensam tobaleam, alteram, quæ divideretur inter Scholas, haud exclusis Capellanis, idest, illatam, operante Sacrum Pontifice, alteram, quæ importaretur ante accessum ejusdem ad Altare: *Nullatenus prætermittendum, quod si forte, ex quo tobalea exponitur a Capellanis super Altare, aliquod oblatum fuerit Papæ, ipsorum Capellanorum est, nullo alio cum ipsis participante, & ita durat, donec ad Altare pro Missa cantanda Dominus Papa accedat.* Ita Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. XXXIX. Numero LXVI. Ex quo addiscimus, munus extendendi tobaleam, seu mappam super Altari, de quo & in præsenti Capite fit mentio, fuisse vel olim Capellanorum Papæ.

III. Porro tradunt Platina, & alii in Vita Innocentii VI. hunc Pontificem Sacri Palatii Auditoribus, quos Rotæ vocant, salaria constituisse, ne muneribus corrumpi in decernendis litibus ob inopiam possent. Dicebat enim, famelicos non facile etiam ab alieno cibo abstinere, si sit oblata quovis modo edendi facultas. A Platina non dissentit Ægidius Cardinalis Viterbiensis, ubi hæc scribit de laudato Pontifice: *Causarum Auditoribus dedit præmia, ne in jure dicundo, causas non judicare, sed vendere potius cogerentur.* His concinit Auctor tertiæ Vitæ ejusdem Pontificis Ægidio, & Platina antiquior, dum scribit: *Hic ordinavit stipendia Auditorum Sacri Palatii.* Teste Cohellio in Notitia Cardinalatus, Cap. XIX. antiquis temporibus viginti unus & eo amplius Auditores Rotæ extiterunt, qui divisi erant in Auditores primi gradus, & in Auditores secundi gradus, qui ultimi cum essent quatuordecim, Sixtus IV. eos ad duodecim redegit, ut ex ejus Constitutione II. liquet, §. II. Censet autem Cohellius, in locum Auditorum primi gradus fortasse successisse Auditorem, quem hodie Generalem Cameræ Apostolicæ appellant, & Auditorem quem dicunt Contradictoriarum. Quod demum abolito Officio Subdiaconorum Apostolicorum ministrantium Pontifici rem Divinam facienti, ad quod utpote venale aditus erat etiam minus dignis, Alexander Papa VII. in eorum locum, suffecerit Sacræ Romanæ Rotæ Auditores, concessa eisdem veste coloris violacei, & sportulis Palatinis, legere est apud Ciaconium in Vita ejusdem Alexandri. Plura de ipsis Auditoribus videri possunt apud laudatum Cardinalem de Luca, & apud Berninum, qui de ipsis Auditoribus insigne Opus edidit.

CAPUT XXII.

De Magistro Sacri Palatii.

Magister Sacri Palatii consuevit esse ex Ordine Prædicatorum, & ordinarie, quando fit Consistorium, legit in Palatio publice aliquid in Theologia. Ad hunc spectat ordinare qui debent facere Sermones in Capella Apostolica, & eorum Sermones prævidere, curareque, ut nihil dicatur puritati Fidei, & gravitati illius loci contrarium; & sedet, vel stat semper post primum Auditorem, qui adest.

COMMENTARIUS.

I. Magistri Sacri Palatii dignitas coæva est primæ institutioni inclyti Ordinis Prædicatorum, eoque munere omnium primus functus est S. Dominicus ejusdem Ordinis Parens amplissimus. Id jam nos late ostendimus in Opere nostro, quod inscripsimus, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, divisimusque in duos Libros, quorum alter originem, prærogativas, ac munia, alter eorum seriem continet, qui eo munere ad hanc usque diem donati fuere. Fuisse S. Dominicum primum Sacri Palatii Magistrum, jam non obscure conjicitur ex celebri testimonio Joannis de Columna qui Ordinem Prædicatorum professus sub Gregorio Papa IX. fuit deinde ab Alexandro IV. creatus Archiepiscopus Messanensis anno MCCLV. Is quidem in suo ms. Libro, *De Viris illustribus*, cujus meminit eruditissimus Jacobus Echard, Tomo II. Scriptorum prædicti Ordinis, pag. 996. sic inter alia de S. Dominico scribit: *Cum autem esset Vir Dei Romæ, annis nempe Christi 1216. 17. 18. & 20. multi ad ejus sanam doctrinam convolabant. Legebat enim tunc in publicis Scholis Paulum, ad cujus Scholas confluebat non modica turba Scholarium, & etiam Prælatorum, & Magister ab omnibus vocabatur.* Tum ita mox: *Scripsit autem tunc super omnes Epistolas Pauli, cujus scripta multa scientia, & devotione plena adhuc inveniuntur.* Itaque ex paucis hic relatis ab Auctore suppari, imo teste oculato constat, S. Dominicum Romæ cum ingenti Auditorum confluxu, & plausu in publicis Scholis sacras litteras docuisse, quod occasionem dedit instituendi Magistri Sacri Palatii, siquidem ea ætate Scholæ in Sacro Papæ Palatio habebantur, uti ostendimus nos in citato Opere nostro, & late probat Vir Clarissimus Josephus Carafa Clericus Regularis in Opere suo, quod inscripsit, *De Gymnasio Romano, & ejus Professoribus ab Urbe condita ad hæc usque tempora.*

II. Præterea quod omnium primus amplis-

Digitized by Google

sima Magistri Sacri Palatii dignitate donatus fuerit S. Dominicus Prædicatorum Ordinis institutor, eique in eam dignitatem successerint ejusdem Ordinis alumni, probatur perspicua auctoritate S. Antonini Archiepiscopi Florentini, qui Parte III. Historiæ, Titulo XXII. Cap. II. hæc habet: *Ad sapientiam Scripturarum, & Sacræ Theologiæ totum se applicans Beatus Dominicus, amore ejus noctes ducebat insomnes, ut sacra ejus testatur historia, idque hausit avide, quod postea effudit abunde, Magisterque factus in Sacra Theologia, primusque Magister Sacri Palatii, quæ postea dignitas Ordini Prædicatorum fuit indulta, legit in Curia Romana, & in aliis locis plures Libros Paginæ sacræ, disputans frequenter contra hæreticos, & prædicans, & exhortans cunctos Fideles, & maxime per Ordinem suum, cui soli collatus est Titulus Prædicatorum.* Atque his concinens Auctor nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius, qui eodem, quo S. Antoninus, seculo claruit, recte initio hujus Capitis scribit, quod *Magister Sacri Palatii consuevit esse ex Ordine Prædicatorum.*

III. Qua occasione institutum hoc Officium fuerit, docet Malvenda in Annalibus Ordinis sui Prædicatorum ad annum MCCXVIII. testimonio fultus ex Flaminio hunc in modum relato: *Sanctæ Sabinæ Monasterium vicinum erat Pontificis Maximi Ædibus. Quare cum Beatus Dominicus cerneret, quotidie occupatis cum Pontifice Cardinalibus, eorum ministros in Aula variis deambulationibus, ac nugis tempus terere, indoluit, & Pontificem adiit, ac dixit, turpe, & damnosum esse, tempus a tanta multitudine in cassum teri, sibique videri utile futurum, si tantisper, dum Cardinales cum eo in negotiis Ecclesiæ occupantur, quispiam doctus aliquid publice interpretetur. Placuit admodum Honorio*, Papæ scilicet III. ejus nominis, *consilium, & ipsi, qui consuluerat, nam magnus in sacris litteris Vir erat, id negotium dedit, quod libenter suscepit ille, & quotidie Pauli Apostoli, magno Auditorum consessu, & attentione interpretari Epistolas cœpit. Atque adeo res placuit, ut deinceps institutum sit, ut ex Ordine Prædicatorum ad hujusmodi munus aliquis semper eligeretur, & dignitatis ille titulo, qui delectus fuisset, insigniretur, sacri Palatii Magister diceretur. Codex autem ille, quo usus est S. Dominicus, Epistolarum Pauli, Tolosæ in S. Romano servatur.* Atque ad hanc certe institutionem alludens Augustinus Patricius in præsenti Capite, ubi de Magistro Sacri Palatii agit, ait, quod *ordinarie, quando fit Consistorium, legit in Palatio publice aliquid in Theologia.*

IV. Inter alia munia, quibus deinde a Summis Pontificibus auctus fuit Magister Sacri Palatii, jam unum illud est, quod & in hoc Capite recensetur, ad eum scilicet spectare *ordinare, qui debent facere Sermones in Capella Apostolica, & eorum Sermones prævidere, curareque, ut nihil dicatur puritati Fidei, & gravitati illius loci contrarium.* Hoc privilegium videtur Eugenius IV. contulisse primum Joanni de Turrecremata Dominicano Sacri Palatii Magistro, ut ex ejusdem Pontificis Litteris constat die XXX. Octobris anno MCDXXXVII. ad ipsum Joannem datis, & descriptis Tomo III. Bullarii Ordinis Prædicatorum, pagina 81. ubi inter alia dicitur, *quod eos, qui in dicta Capella*, Pontificia scilicet, *coram nobis sermocinaturi erunt, vos pro data vobis in Domino prudentia, Viros doctos, & scientia, & sermocinandi peritia præstantes, qui materiam, de qua Sermonem facturi erunt, vobis manifestare teneantur, quibusque sermones pro temporum, & festivitatum occurrentia imponere possitis, valeatis, ac debeatis.* Cur hæc sancita fuerint, docet plane Callistus Papa III. suo Diplomate dato Idibus Novembris anni MCDLVI. quod in eodem Tomo III. Dominicani Bullarii legitur pag. 356. estque hujusmodi.

CALLISTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Licet ubilibet ad seminandum Verbum Dominicum, Apostolica Sedes decreverit operarios fore ex omni Religione Viros idoneos assumendos, illud tamen in alma Palatii Apostolici Capella, in qua ad Romanum Pontificem undique ex diversis mundi nationibus confluentes viri famosissimi sedulo conveniunt, & in qua veluti ex Christianæ sapientiæ, & eloquentiæ fonte quævis doctrina imbibitur, eo studiosius & accuratius agi voluit, quo universus Orbis ea, quæ apud Sedem ipsam aguntur, tanquam præclarissimum quoddam salubris eruditionis intuetur exemplar, & quo periculosius foret, si in Dominica traditione quantumlibet exiguus asseveretur error, quam Sedes ipsa sinceram, & puram, sine ruga, vel macula Fidelibus toto Orbe ministrare procurat. Hac igitur consideratione moti, nonnullorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui inter alia statuerunt, & injunxerunt, ut nullus in eadem Capella Sermonem verbi Dominici habere præsumeret, nisi prius a Magistro dicti Palatii pro tempore existente examinatus, & correctus, ac pro idoneo judicatus foret, vestigiis inhærentes, ac periculis, quæ propter ignorantiam, vel temeritatem quorundam, qui non subacto examine, hujusmodi Sermones ipsos in eadem Capella nonnunquam proferre temere præsumpserunt, facile possent emergere, præsentis Constitutionis edicto occurrere cupientes, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia statuimus, & ordinamus, quod nullus de cætero cujuscumque præeminentiæ, gradus, ordinis, vel dignitatis existat, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus dumtaxat exceptis, Sermonem in eadem Capella præsumat habere, nisi illud sibi a dicto filio Fratre Jacobo Ægidii Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ professore moderno, & pro tempore existente Magistro Sacri Palatii fuerit ante commissum, ipseque Sermo ab eodem Magistro prævisus, accuratus, examinatus, & si opus extiterit, ante correctus, & emendatus, ac sufficiens, ut in conspectu Romani Pontificis haberi valeat, reputatus: ille vero, cui hoc commissum fuerit, ut præfertur, neminem possit loco sui sine ipsius Magistri petita, & habita licentia subrogare. Magister autem præfatus, in cujus humeris super hoc cura dicti Pontificis requiescit, in hujusmodi Sermonibus, ea quæ ad integri-

ratem

Digitized by Google

tatem Fidei orthodoxæ, ſalubritatem doctrinæ, & omnium revocationem ſcandalorum pertinent, necnon ad faſtidioſæ proliſitatis moderamen diligenter intendat. Si quis vero tantum de ſe ipſo præſumeret, ut correctionem hujuſmodi humiliter forte recipere recuſaret, ex tunc liceat eidem Magiſtro Sermonem ipſum alteri, niſi illud temporis anguſtia prohiberet, committere, alioquin Sermonem eundem pro ea die, ſi ſibi videatur, prohibere. Quod ſi forte quiſpiam ita temerarius fuerit, ut illud, in quo correctus ab eodem Magiſtro extiterit, in dicta Capella ſermocinando, malitioſe enunciare præſumpſerit, ex tunc ad amplius in dicta Capella perorandum indignus cenſeatur, ac excommunicationis ſententiæ ſe ſubjacere noverit eo ipſo, & nihilominus ab eodem Magiſtro publice, etiam noſtro in conſpectu, acriter arguatur. Sacriſta autem, vel Subſacriſta, necnon Magiſtri, & Clerici Cæremoniarum de hujuſmodi Sermonibus agendis, vel non agendis, ſive pronuntiandis, non aliter ſe, niſi quantum eis per Magiſtrum præfatum injunctum fuerit, quomodolibet intromitant. Volumus autem, quod ipſe Magiſter, quoties ipſum ab eadem Capella, infirmitate, aut alio impedimento legitimo abeſſe contigerit, ſubſtituendi ibidem alium loco ſui liberam habeat vigore præſentium facultatem, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Domini MCDLVI. Idibus Novembris, Pontificatus noſtri ſecundo.

V. De loco Magiſtri Sacri Palatii in Capella Pontificia, & in aliis ſacris Papalibus functionibus, juxta præſcriptum noſtri Cæremonialis, *ſedet, vel ſtat ſemper poſt primum Auditorem qui adeſt*. Atque hunc locum, ut ſcilicet immediate poſt Sacræ Rotæ Decanum ſederet, vel ſtaret Magiſter Sacri Palatii, obtinuit quidem olim ex Indulto Eugenii Papæ IV. qui in Diplomate dato anno MCDXXXVII. ad Fratrem Joannem de Turrecremata Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Magiſtrum, ſic inter alia edicit, *ut in Capella noſtra, dum Divina celebrantur Officia, ac in publicis, & generalibus Conciſtoriis, & aliis publicis Actibus, tu, & Succeſſores tui immediatum poſt dilectum filium Decanum dilectorum filiorum Capellanorum noſtrorum, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum, qui in obſequio Mitræ pro tempore nobis miniſtrat, teneatis, & habeatis*. Atque hic mos ſervatus fuit uſque ad annum MDCLV. quo Alexander Papa VII. Officii Subdiaconorum Apoſtolicorum, quod nullo perſonarum delectu venale erat, abolito, eo miniſterio inſignivit Sacræ Rotæ Romanæ Auditores, prærogativaque Rochetti, ac habitus violacei eoſdem donavit. Forſan ratione ſymmetrici, vel hierarchici Ordinis (ut verbis utar laudati Cardinalis de Luca, in ſua Relatione Romanæ Curiæ Parte II. Diſcurſu VIII. ubi agit de Sacri Palatii Magiſtro) & ne inter indutos habitu Clericorum ſecularium interſecarent induti habitu Regulari, nunc Magiſter Sacri Palatii ſedet quidem cum Auditoribus Rotæ, ſed poſt eorum ultimum.

VI. Multa ſcitu digna, quæ dignitatem, ac varia munia Magiſtri Sacri Palatii ſpectant, jam nos explicuimus in citato Opere noſtro, *De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici*, ubi inter alia non uno in loco oſtendimus, Magiſterium Sacri Palatii a prima ſua origine ad hæc uſque tempora non interrupta ſerie inclyto Prædicatorum Ordini hæſiſſe.

CAPUT XXIII.

De Clericis Cameræ.

Clerici Cameræ Apoſtolicæ (1) ſeptem & ipſi adſtant Pontifici, cum apud lectum paramenti capit ſacras veſtes, genuflexi ad ſiniſtram poſt Auditores. Ad eos pertinet portare Enſem benedictum cum Pileo ante Papam in nocte, & die Nativitatis Domini; tenent vaſa cum auro, & argento, & mantilibus dandis Pauperibus, quando Pontifex lavat illis pedes. Item ſubminiſtrant Camerario, ſive Diaconis aſſiſtentibus candelas, & Palmas, quæ diſtribuuntur per Papam, & ſimilia. In Sacris non operantur, niſi in nocte Nativitatis Domini, unus ex eis, qui dicit quintam Lectionem loco illius, cui Enſis datur.

COMMENTARIUS.

I Scuti Camerarius, ita & Cameræ Apoſtolicæ Clerici antiqui ſunt in Eccleſia Romana, de iiſque plura adnotavit Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ, Parte II, Diſcurſu XXXIII. ubi inter alia docet, quod cum iſtorum Clericorum numerus indeterminatus olim eſſet, illeque nimium creviſſet, Eugenius IV. eorum numerum ſeptenarium ſtatuit, auctumque deinde ait numurum ipſum uſque ad duodecim *cum longe majorum emolumentorum, ac præeminentiarum additione juxta ſtatum præſentem*. Porro licet varia olim eſſent Clericorum Cameræ munia in ſacris Summi Pontificis functionibus, quæ in hoc præſenti Capite recenſentur, & explicata a nobis in hoc Opere ſuis locis fuerunt, tradit nihilominus idem Cardinalis de Luca in fine prædicti Diſcurſus XXXIII. *non habuiſſe antiquiori tempore Clericos Cameræ locum in Capella Pontificia, quem nunc habent poſt ejuſdem Capellæ reformationem ſub Alexandro VII. cum eorum tamen diſplicentia, dum ita deciſa fuit quæſtio, quæ prius indeciſa pendebat ſuper præcedentia cum Auditoribus Rotæ.*

(1) Verbum, *ſeptem*, legitur in editione Romana, & deeſt in Veneta I. & Colonienſi.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

De Acolythis.

Acolythi Apostolicæ Sedis octo sunt ordinarii. Hi etiam, cum Pontifex apud lectum paramenti, & similiter in Ecclesia est celebraturus, induitur sacris vestibus, circumstant genuflexi, & ornamenta subministrant Diaconis Cardinalibus. In Processione, & Divinis Officiis, celebrante Pontifice, candelabra, intorticia, ampullas vini, & aquæ, thuribulum cum navicella incensi, vas aquæ benedictæ, cum opus est, & similia portant, & de illis, cum tempus est, serviunt. Debent igitur, cum Papa est celebraturus, omnes interesse; quando autem non est celebraturus, tres ad minus intersint, & maxime in Vesperis, & tunc portant secum Superpellicea, quia unus ex eis debet servire de incenso, & duo alii de candelabris, dum Papa dicit Orationem, & supra Rochetum debent habere Superpelliceum. In eorum defectu Auditores Rotæ juniores serviunt.

COMMENTARIUS.

I. AColythus unus est ex quatuor Ordinibus Minoribus, de quibus fuse dixi in Commentariis ad Romanum Pontificale. In Ecclesia Romana divisos jam olim fuisse Acolythos in Regionarios, Palatinos, & Stationarios, docet Panvinius in Opusculo interpretationis Vocum Ecclesiasticarum, & Paulus Aringhus in Romæ Subterraneæ Tomo II. seu Libro IV. Cap. XXV. Palatini Pontifici Maximo in Apostolico Palatio, ac Lateranensi Basilica inserviebant. Stationariorum id potissimum munus erat, eidem Pontifici in Ecclesiis, in quibus Stationes de more haberentur, ministerium exhibere. Regionarii demum Diaconis in titularibus eorumdem Regionibus ad sacra obeunda munia sedulo ministrabant. Verum Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum, pag. XIX. duo tantum Acolythorum genera primis illis temporibus fuisse, ex Ordine Romano I. & III. manifeste intelligi ait, Regionarios scilicet, ac Titulares, quorum illi Diaconis Regionariis, & Pontifici; hi Presbyteris Titularibus serviebant. Palatini erant Lateranenses, Stationarii vero ex Regionariis assumti. Ordo Romanus ab Hitorpio vulgatus pag. 31. *Parochianos Clericos vocat*. Idem pag. 89. de ordinatione eorumdem agens, singulos *ad Titulum* fuisse ordinatos aperte declarat.

II. Varia fuisse olim Acolythorum munia[a] in Ecclesia Romana, docent antiqui Roman. Ordines, inter quos Ordo XI. Auctore Benedicto, agens de Dominica Palmarum, Numero XXXVIII. hæc habet: *Mane Statio ad Lateranum, ubi Palmæ sunt ab Acolythis collectæ in Basilica S. Silvestri, de quibus dant Acolythi* (alibi legitur, *datur Acolythis*) *Basilica S. Petri, & accipiunt de Altari viij. solidos*, sive, ut alibi legitur, *duos solidos*. Accepisse olim & ipsos Acolythos de Altari S. Petri ceram, de qua Agnos Dei conficerent, atque Pontifici præsentarent, testis est Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. XXXVIII. *Acolythi DominiPapæ Agnos Dei debent facere ad Altare S. Petri decem libras ceræ recipientes, & præsentare Domino Papæ*. Subdiaconum Apostolicum una cum aliis Subdiaconis, & *Acolythis Papæ, manibus propriis* formade antiquitus Agnos, & quidem de cera alba, quæ a Fidelibus, *qui volebant per se Agnos, ponebatur super Altare B. Petri*, docet etiam Auctor hujus Cæremonialis Lib. I. Tit. VII. Cap. VIII.

III. Præter notata, fuerunt & alia Acolythorum munia, ac privilegia, quæ tamen, sicut & onera, suppresso tandem antiquo ipsorum Acolythorum Collegio, addicta sunt Collegio Votantium Signaturæ Justitiæ.

CAPUT XXV.

De Cubiculariis secretis, & aliis.

Cubicularii secreti duo semper Pontificem sequuntur immediate in Capella, & in Consistoriis. Sedent non longe a pedibus Papæ a sinistris, in terra tamen sine aliquo sedili. Hi semper incedere debent ad faciem Papæ, præsto facturi siquid eis imperet. Servant honeste sub veste sudariola, sive nasitergia, birreta, & similia; & si Pontifex illis vult uti, ea porrigunt Diacono Cardinali assistenti ad sinistram. Alii Cubicularii, si Papa fertur in Sede, ipsi cum Scutiferis portant Pontificem. In Divinis non habent aliud Officium secreti Cubicularii. Cum Cardinales veniunt ad reverentiam Pontificis, removent parvum scabellum a Sede, & facta reverentia, illud reponunt, & hoc junior ex illis facit, quoties opus est, & amovet, & reponit.

COMMENTARIUS.

I. CUbiculariorum Officium in Romana Ecclesia antiquissimum fuisse a S. Leone Magno Pontifice Maximo institutum ad Beatorum Petri & Pauli Apostolorum sepulcra custodienda, in ejus Pontificis Vita legitur. Sed non agitur in hoc Capite de illo Cubi-

Digitized by Google

biculàriorum genere, ſicut nec de illorum, qui Officium habent in Cancellaria Apoſtolica, de quibus Paulus Jovius in Vita Leonis X. Lib. IV. hæc habet: *Ad hæc peragenda in bellicos ſumtus ingentem auri vim collegit, nequaquam provincialibus expilatis, ſed inſtituto novo Equeſtri Ordine ad numerum quadringentorum: ii Equites coemptis privata pecunia ejus dignitatis Officiis, ex vectigalibus demum quotannis centenos aureos accipiebant, & immunitatis prærogativa juvabantur. Addidit etiam Cubiculariorum, Scutiferorumque Collegia Officiis eorum venalibus ad eam ſpem uberrimi redditus, ſicut ante Julius*, Papa ſcilicet ejus nominis II. immediatus Leonis X. præceſſor, *Officia annonæ Præſidentium inſtituiſſet*. Hæc Jovius, qui, uti obſervat Cohellius in Notitia Cardinalatus, Capite XXIX. unico contextu tria Collegia a Leone, atque unum a Julio inſtituta aſſignat. Quo vero nomine Equeſtris Ordo dictus eſſet, Panvinius in ejuſdem Leonis X. Papæ Vita docet, & S. Petri Milites vocat. Addit etiam, præter Equites, Cubicularios, & Scutiferos, Ripæ etiam officia ab ipſo Leone excogitata, & vendita fuiſſe: *Pecuniæ quærendæ cauſa*, inquit, *quum multa, tum ædificiis, tum effuſis largitionibus, & bellorum uſibus abſumpſiſſet, pretio Cardinales aliquot legit, & officia quædam venalia excogitavit, ut Cubicularios, Scutiferos, Milites S. Petri, & Ripæ Portionarios &c.*

II. Verum, ut ſcite etiam notat Cohellius, nimis mordicus eſt in Leonem Panvinius, legenti enim Bullam erectionis Cubiculariorum, & Scutiferorum, manifeſte apparet, non ad largitiones effuſas, & ædificia conſtruenda conſtituiſſe ea officia Leonem, ſed ut bellum in Italia exardeſcens extingueret, Parmam, Placetiamque periculis objectas juvaret, aliaſque Civitates, & loca ſub Eccleſiaſtica ditione quieſcentia tueretur, Uladislaum Hungariæ, & Bohemiæ Regem ab immaniſſimo Turcarum Tyranno devictum, & Belgradum jam occupatum, ejuſdemque Tyranni majores progreſſus impediret, officia prædicta, ex quibus, quo minori Subditorum onere poſſet, pecunias compararet, adinveniſſe. Addit præterea Cohellius, quod Leo ipſe X. conſiderans non mediocriter honori, & dignitati Summorum Pontificum pro tempore exiſtentium conſultum fore, ſi Impetatorum exemplo, ipſi quoque Romani Pontifices Maximi certos, & particulares haberent Cubicularios, & Scutiferos in hoc potiſſimum incumbentes, ut Oratores Principum ad Apoſtolicam Sedem accedentes honorifice, & obſequenter exciperent, & ad penetralia introducerent, Cubicularios ſexaginta, Scutiferos vero centum quadraginta Papæ aſſiſtentes ordinavit, quos licet fere ſemper, Pontifice in publicum prodeunte, illi videamus adſtantes, potiſſimum autem ubi Sacratiſſimum Jeſu Chriſti Corpus ſolemni pompa ab Urbano Papa IV. inſtituta, certo anni tempore, & ſtatuta die circumfertur, & Urbs Leonina luſtratur. Quantum hi, ceterique Apoſtolicæ Cancellariæ Officiales, propriis indumentis exornati, facibuſque accenſis incedentes huic ſolemnitati præbeant ornamenti, decoriſque, non alios, quam qui viderunt, teſtes adhibeo.

III. Hæc & alia plura de ipſis Cubiculariis Cohellius, addique iis poteſt aliud genus Cubiculariorum, qui tonſurati dicuntur ad differentiam Cubiculariorum laicorum. Tonſuratorum autem munus erat circa veſtes Eccleſiaſticas Papæ, ut laicorum circa quotidianas. De tonſuratis hæc quidem habet Ordo I. Romanus omnium antiquiſſimus, Num VI. apud Mabillonium Tomo II Muſei Italici, pag. 6. *Pontifex autem per manus Subdiaconorum regionariorum mutat veſtimenta ſua* alibi *ſolemnia*) *hoc ordine. Refert explicata Cubicularius tonſuratus accepta a manibus Oſtiarii*. Extat & in eodem Romano Ordine mentio laici Cubicularii, de quo ita legitur Num. III. in fine: *Sellam autem Pontificis Cubicularius laicus præcedens deportat, ut parata ſit, dum in Sacrarium venerit*. Eligebantur Cubicularii Pontificii tonſurati ex Schola Cantorum, ut ex eodem Romano Ordine addiſcimus, qui ita inquit: *Primum in quacumque Schola reperti fuerint pueri bene pſallere, tollantur inde, & nutriantur in Schola Cantorum, & poſtea fiant Cubiculariii. Si autem Nobilium filii fuerint, ſtatim in Cubiculo nutriantur, & hanc accipiant poteſtatem ab Archidiacono, ut liceat eis ſuper linteum villoſum ſedere, quod mos eſt ponere ſuper ſellam equi*.

IV. Quicquid autem de prædictis antiquis hiſce Cubiculariis Pontificiis ſit, occurrunt paſſim in hoc noſtro Cæremoniali Cubicularii ſecreti, vel etiam honoris, eorumque munia in hoc Capite recenſentur, & in mſs. Diariis Apoſtolicorum Cæremoniariorum paſſim, in quibus tamen aliquando notantur, quod ii ſcilicet etiam quæ non ſunt propria munia aliquando uſurpent. Varia privilegia fuiſſe eiſdem conceſſa a Summis Pontificibus, docent nos variæ ipſorum Pontificum Conſtitutiones, quæ extant in Bullario.

CAPUT XXVI.

De Secretariis, & Advocatis.

Secretarius principalis Sanctiſſimi Domini noſtri, ſi eſt Prælatus, ſedet, & ſtat in loco ſuæ prælationis in Capella. Si non eſt Prælatus, ſtat inter Cubicularios ſecretos. Ordinarie nullum habet exercitium in Divinis. Si forte aliquæ Litteræ præſentarentur, eas Pontifex illi conſignare poſſet. In publicis Conſiſtoriis, ſive Prælatus ſit, ſive non, ſedet ad pedes Pontificis in plano Solii, & inſtrumenta, atque Litteras, quæ dantur Pontifici ab Oratoribus, palam legit. Alii Secretarii nullum habent exercitium in publicis actibus. Advocati in Divinis nullum habent exercitium. In publicis autem Conſiſtoriis proponunt cauſas, ut ſuperius

Digitized by Google

perius diximus, cum nos de publicis Consistoriis ageremus, Advocatus pauperum primo proponit, vel Advocatus Fisci, si est causa Fiscalis.

COMMENTARIUS.

I. Fuit jam olim Summorum Pontificum mos, ut pluribus Secretariis uterentur quorum numerum sive ob tenuitatem emolumentorum Secretariis ipsis assignatorum, sive alias ob causas moti Gallixtus Papa III. & Pius II. ad sex tantum reduxerunt, ut Innocentius Papa VIII. in sua Constitutione XII. testatur. Qui quidem Innocentius, uti notat Cohellius in sua Cardinalatus Notitia, Cap. XXII. suorum temporum necessitate coactus, cum Mitram Pontificalem Regnum nuncupatam, & alia quamplurima Romanæ Ecclesiæ jocalia pretiosa, aurea, & argentea diversis mercatoribus pro summa centum millium ducatorum auri de Camera oppignorasset, nec commode ex dictæ Ecclesiæ proventibus tunc exhaustis illa redimere posset, alios viginti quatuor Prælatos, & in Ecclesiastica dignitate constitutos Viros, prædictis sex Secretariis Apostolicis addidit, itaut in ipsa erectione triginta numero essent, illis vero sex prioribus deficientibus, eorum Collegium ex viginti quatuor in futurum constaret; ex quorum Officiorum venditione sexaginta duorum millium, & quadringentorum florenorum auri Cameræ summam ad prædictam Mitram Pontificalem redimendam recepit. Teste Spondano ad annum MCDLXXX. Innocentius ipse, *bello ærario exhausto*, *Sixti*, Papæ IV. scilicet ejus nominis, *exemplum sequutus*, *quo pecuniam colligeret*, *Plumbatores Bullarum*, *Secretariorum Collegium*, *Præsidentes Ripæ instituit*, *quæstus gratia venditis singulis certo pretio*. Similia legere est & apud Ciaconium in ejusdem Innocentii VIII. Papæ Vita

II. Quod Advocatos spectat, de quibus fit in hoc Capite mentio, eruditissimus Amicus noster Josephus Carafa Clericus Regularis in suo celebri Opere, *De Gymnasio Romano*, & *ejus Professoribus ab Urbe condita usque ad hæc tempora*, Lib. I. Cap. VIII. Num. IX. a priscis Sæculis eorum originem trahere conatus est, additque mox, recentiori ævo dici cæpisse Advocatos Consistoriales, quod ipsis solis fas esset in Consistorio Summi Pontificis negotiis Episcoporum, Ecclesiarum, & pauperum patrocinari. Eadem fuisse ipsis Consistorialibus Advocatis munia, quæ olim Defensoribus Romanæ Ecclesiæ incumbebant, docent tum plures Auctores, tum omnium doctissimus BENEDICTUS XIV. Brevi suo Pontificio edito die V. mensis Martii, anno MDCCXLII. ut idem Scriptor citato loco testatur. Sane comitabat olim Advocatorum ipsorum Collegium decem Jurisconsultis, jussuque Sixti IV. auctus illorum numerus ad duodecim. Ex hisce unus antiquissimo jure Bononiensis, alter Decreto Urbani VIII. anno MDCXV. Ferrariensis. Unus Pii IV. jussu anno MDLX. Mediolanensis, alter beneficio Innocentii XII. anno MDXCV. Neapolitanus, cæteri ex Ditione Papæ. Universi ut in hunc Cœtum admittantur, præditi esse debent Juris scientia, & hujus rei periculum faciunt in publico conventu, & Clemens XII. Brevi Pontificio dato die XXII. Januarii anni MDCCXXXI. decrevit, non nisi optimos Jurisconsultos in hunc Ordinem cooptandos, ne impares deinde sint Officiis *Advocatorum Fisci*, *& Cameræ Apostolicæ*, *Advocati Pauperum*, *& Promotoris Fidei*, *quæ eis conferri consueverunt*. Inter eos primas tenet Decanus, seu is, qui in hoc Collegio est ceteris antiquior, quique inter Prælatos Aulæ Romanæ non recensetur.

III. Quamquam vero jam diu mos ille desierit, ut Pontifex in Consistorio, auditis Advocatis, jus redderet, adhuc tamen verba ipsi Advocati faciunt in Consistorio, cum a Pontifice petenda sunt Pallia Archiepiscopis conferenda, ac præsertim, cum agitur de iis, qui in numerum Sanctorum sunt recensendi. Sed longum esset varia illorum Advocatorum munia, prærogativas, & privilegia hoc loco referre, quæ eisdem Summi Pontifices concessere, quæque Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS Papa XIV. qui diu in hoc Collegio meruerat, Constitutione, quæ incipit, *Inter conspicuos Ordines*, edita quarto kalendas Septembris anni MDCCXLIV. quæque legitur apud laudatum Carafam pag. 608. & seqq. confirmavit, & auxit. Cæterum videri & de eisdem Advocatis possunt, quæ nos supra scripsimus Tomo I. hujus Operis, Lib. I. Titulo IX. & quæ novissime de eisdem scripsit laudatus Carafa.

TITULUS III.

DE HABITU OMNIUM TAM CELEBRANTE PONTIFICE, QUAM NON CELEBRANTE.

SAcris Vestibus usos fuisse Apostolos, eorumque Successores in Divinis celebrandis Officiis, jam nos abunde probavimus in Opere nostro, *De Codice Sancti Evangelii*, *ac servatis in ejus lectione*, *& usu vario ritibus*, Lib. II. Cap. VII. ubi non modo hæreticos, sed & Catholicos quosdam etiam Scriptores confutavimus, qui persuasum sibi habent, nec Apostolos, nec eorum Successores in vestibus Sacris celebrasse, sed tantum quotidianis usos fuisse. Longum esset hic eam rem iterum discutere, viderique possunt quæ de sacris vestibus, earumque antiquitate, ac varietate non uno in loco Operum nostrorum scripsimus. Agunt & de iis passim qui de Ecclesiæ Ritibus tractant, sed præ cæteris legi posset eruditissimus Georgius Tomo I. *De Liturgia Romani Pontificis*, ubi singillatim de vestibus ipsis, ac iis potissimum, quæ ad Romani Pontificis Liturgiam spectant, copiose, docteque disseruit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

De omnium habitu, Pontifice celebrante solemniter Vesperas, vel Missam.

Cum Pontifex solemniter celebrat, sive Vesperas, sive Missam, Episcopi Cardinales, & omnes alii, qui sunt in dignitate Episcopali, sive Abbatiali, Pluvialibus utuntur, & albis Mitris, Presbyteri Cardinales Planetis, Diaconi Cardinales Dalmaticis, & Mitris etiam albis; sed Mitræ Cardinalium sunt ex serico Damasceno, aliorum ex tela linea. Item Episcopi, & Presbyteri Cardinales plerumque sub sacra veste habent Superpelliceum, & Amictum, aut saltem alterum ex his, cum quo vestium collaria cooperiant. Diaconi, quando paramenta sunt violacea, aut nigra, utuntur Planetis ante pectus plicatis, & non Dalmaticis; & ex decore semper debent habere Amictum, ut collaria vestium tegant. Prælati Religiosi, quia non habent Rochetum, sub veste sacra habeant Superpelliceum. Pœnitentiarii Papæ Planetas, & sine Mitris. Subdiaconus, qui portat Crucem, & qui lecturus est Epistolam, Tunicella induitur. Alii Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, & Acolythi supra Rochetum habeant Superpelliceum. Clerici Cæremoniarum, Clerici Capellæ, Cantores Papæ, Capellani Cardinalium, qui servant eorum Mitras, Superpelliceum tantum habent.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam antiquæ sint sacræ vestes, quæ in hoc Capite recensentur, non tamen dici potest, antiquum ede ritum, ut eo vestium apparatu Cardinales, ac Prælati in Pontificia Capella uterentur, dum Divina a Pontifice celebrarentur. Vix enim ejus ritus mentionem faciunt Romani Ordines XIV. & XV. tametsi longe ante istos Ordines, Mitræ usum habuisse Cardinales, constet ex Ordine antiquo Romano, Auctore Cencio, Cap. XXXIX. qnod est de ritu, quo Papa pergit in Litania majori in Festo S. Marci, ubi inter alia ita inquit: *Item Cardinales Mitrati solummodo cum Primicerio, & Schola sua Cantorum, & Subdiaconorum, & Schola Crucis, & Acolythis, X. solidos habent eadem die de prædicto Altari*, scilicet S. Petri, *qui taliter dividuntur a priori Diacono Cardinali &c.* Loquitur de Presbyterio dari solito in Processione S. Marci, de quo nos supra suo loco diximus. Cæterum Cardinalibus etiam non Episcopis Mitræ usum jamdudum concessum fuisse, patet tum ex Charta Compendiensi anni MCCXIV. cui pendent tria sigilla Cardinalium, & in his Guidonis tituli S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis cum Mitra, tum ex Litteris Gerardi Episcopi Sabinensis, & Benedicti S. Nicolai in eodem Carcere Tulliano Cardinalis Diaconi anno MCCXC. datis, quibus ob sententiam inter Archiepiscopum, & Capitulum Remensis Ecclesiæ ab se pronunciatam decernunt, ut suæ amborum Imagines argenteæ *pretii quingentarum librarum Turonensium ad minus* fiant, supra majus Altare singulis solemnibus Festivitatibus exponendæ, *& ambæ ipsæ Imagines sint mitratæ*. Vide Mabillonium in Præfatione II. ad Seculum IV. Benedictinum, Num. CLXXXIV.

II. Ex Abbatibus, quibus Mitræ usus concessus sit, nullum invenisse se dicit idem Mabillonius in Præfatione Partis I. Sæculi VI. Benedictini, pag. 17, ante Egelsinum Monasterii Sancti Augustini prope Cantuariam Abbatem, cui Alexander II. qui creatus Summus Pontifex fuit anno MLXI. id privilegii impertivit, ob ipsius scilicet Romanorum Alumni, atque Anglorum Apostoli dignitatem. Hic usus postea frequentari cœpit sub Urbano II. labente Sæculo XI. qui ex Chronici Casinensis Lib. IV. Cap. XVII. Oderisio Casinensi, & ex Bibliotheca Cluniacensi, pag. 514. & 517. Hugoni Cluniacensi, Abbatibus idem privilegium largitus est. Hinc cum lis inter Episcopum Lincolnienſem, & Robertum Abbatem S. Albani de ornamentis Abbatum Pontificalibus, aliisque rebus verteretur, teste Matthæo Parisio, ubi agit de eo Abbate in Libro Vitarum Abbatum S. Albani, dixit Archidiaconus Pictavienſis in Gallia: *Meus Vicarius in Ecclesia B. Hilarii incedit Mitratus in omnibus præcipuis anni Solemnitatibus, nec derogat Mitra Episcopali dignitati.*

III. Etiam olim præsente Papa usos fuisse Abbates Mitra, constat ex Romano Ordine XII. Auctore Cencio, Cap. II. ubi agens de Presbyterio, quod dare Papa solitus erat, inter alios Abbatis meminit his verbis: *Si forte aliquis Abbas Mitratus præsens fuerit, dat ei unum Melequinum, & duodecim denarios Papienses.* Sed ut alia exempla omittam, quæ jam recensui Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. XIX. & in Commentariis ad Titulum XV. pag. 256. & seqq. Lucius III. cum in Cœna Domini Missarum Solemnia celebrans advertisset multos Abbates, excepto Lantelmo Abbate Casæ Dei, Mitra ornatos sibi adesse, nullius suggestione, sed ipsius Abbatis honestate inductus, Mitram ei contulit. Demum cum offenderentur Episcopi, quod in Conciliis Abbates, quibus gestandæ Mitræ jus erat, ab Episcopis non distinguerentur, statuit Clemens IV. ut in Synodis exempti Mitris auriphrygiatis, sed absque gemmis, laminisque aureis, vel argenteis utantur; non exempti vero simplicibus albis, & planis;

Digitized by Google

nis; in aliis vero locis, utrisque iis uti Mitris liceat, quas Sedis Apostolicæ Indulta permiserint. Ita etiam doctissimus Jacobus Sirmundus in Notis ad Gotfridum.

CAPUT II.

Ubi, & quando capiuntur paramenta.

Et hi omnes, si Papa processionaliter descendit ad Ecclesiam, quod fieri debet ad Missam tantum, & in diebus supranominatis, capiunt paramenta in Palatio, videlicet Cardinales in prima Camera paramenti, non autem in secunda, quæ dicitur papagalli, nam ibi solus Papa paratur. Prælati, & alii extra dictam Cameram ubicumque voluerint. Si autem fiunt Vesperæ Papales, aut dies (1) est Processionalis, qui utuntur Superpelliceo, possunt illud capere in Aulis Palatii; sed Cardinales, & alii Prælati in Vesperis capient paramenta in Ecclesia, facta per Cardinales reverentia solemni Papæ, Cardinales apud sua sedilia, Prælati extra cancellos Capellæ. In Missa autem non processionali Cardinales capiunt paramenta in suis sedibus, cum Papa accipit Planetam; & similiter Prælati extra cancellum; & finito Officio, in eisdem locis deponunt paramenta omnes, præter Diaconos assistentes, qui Sacris induti Pontificem in Missalibus ornamentis recedentem ex congruo, & debito more comitantur usque ad Cameram. Quando autem Papa, celebrata Missa, esset daturus solemnem benedictionem populo ex Suggestu, ut in Resurrectione, omnes Cardinales parati illuc secum proficiscuntur, & Prælati similiter, & data benedictione, dimittunt paramenta.

COMMENTARIUS.

I. PRæscripta in hoc Capite recentioris sunt quidem instituti; non enim ulla eorum mentio in antiquis Romanis Ordinibns a Mabillonio Tomo II. Musei Italici descriptis, Occurrunt tamen passim in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, erantque in usu ante editionem nostri Cæremonialis, uti constat ex Diario Joannis Burchardi Apostolicarum Cæremoniarum Magistri, ubi describit Sacros Ritus in Pontificatu Innocentii VIII. servatos; cui deinde Pontifici Augustinus Patricius Cæremoniarius & ipse Apostolicus Cæremoniale hoc nostrum dedicavit. Porro iis, quæ in præsenti Capite statuuntur, potissimum concinunt sequioris ævi Diaria, ex quibus nos supra, ubi se sedit occasio, loca descripsimus, quæ ad ipsum ritum, quo, & quando capiuntur paramenta, spectant.

CAPUT III.

De habitu Protonotariorum, Auditoris Contradictarum, & Correctoris Litterarum Apostolicarum, atque aliorum.

Protonotarii Cappis suis laneis semper utuntur, & similiter uti solebant. Auditor Condradictarum, & Corrector Litterarum Apostolicarum primum locum habent post Protonotarios, qui etiam si fuissent Episcopi, aut Archiepiscopi, non induebant sacras vestes, sed sequebantur Pontificem post Protonotarios. Sed adverte, quod illo tempore Protonotarii præcedebant Episcopos, meis autem temporibus de Auditore, & Correctore prædictis nihil vidi servari. Cubicularii, & Secretarii eodem habitu utuntur, vestibus scilicet solutis cum manicis ad amplitudinem manus latis, & Capuciis circa collum, & pectus a capite descendentibus. Advocati vestibus manicatis cum variis, & Capuciis, ut Cubicularii; sed Secretarii, & Advocati habent Capucia supra collum aliquantulum inversa. Servientes armorum debent esse honeste armati cum suis baculis argenteis in manu. Et hi sunt habitus, cum Papa celebrat solemniter, aut procedit ad Ecclesiam processionaliter. Quando autem procedit sine Processione, hoc modo utuntur.

COMMENTARIUS.

I. NOtandum hic illud primum potissimum est, prima hujus Capitis verba, *Protonotarii Cappis suis laneis semper utuntur, & similiter uti solebant*, legi quidem in editione Romana hujus Cæremonialis, & omnino in Veneta I. & Colonienſi desiderari in

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *aut dies non est supplicationi deditus*. Si Romanam excipias, in aliis citatis legitur semper *Supplicatio* pro *Processione*.

Digitized by Google

in hoc Capite, quia ſcil cet juxta Venetam, & Colonienſem Cæremonialis hujus editiones verba illa deſcripta ſunt in fine Capitis præcedentis. Porro quod Protonotarios ſpectat, quos ſcilicet participantes vocant, plura jam ſupra notavimus, legique de ipſis, & eorum præeminentia poſſunt Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ, Parte II. Diſcurſu XLIV. & Cardinalis Petra ad Conſtitutiones Apoſtolicas, ubi ſcilicet Conſtitutionem v. Pii Papæ II. enarrat. His adde Hieronymum Andreucci Societatis Jeſu Theologum, qui peculiarem Tractatum ſcripſit, *De Protonotariis Apoſtolicis e numero Participantium in Curia Romana*, ubi inter alia agens Capite VI. de Protonotariorum Participantium præeminentia, nonnihil de eorum veſtibus, & loco in Capella Pontificia ediſſerit. De Auditore Contradictarum, & Correctore Litterarum Apoſtolicarum, ac de aliis, de quibus in hoc Capite mentio fit, & infra Titulo V, præter laudatum de Luca videri etiam poſſunt Cohellius in Notitia Cardinalatus Cap. XIX. & Joannes Baptiſta Rigantius in Regulas Cancellariæ, quas egregiis Commentariis illuſtratas noviſſime ejus ex fratre nepotes publici juris fecerunt ingenti Romanæ Curiæ utilitate.

CAPUT IV.

De habitu Papæ.

Summus Pontifex, cum in publicum venit ſolemniter, aut habet Pluviale, aut Cappam in modum Cardinalis, apertam tamen a pectore, & Mitram, aut Mantum Papale cum capucio ſupra caput. Utitur & Mitra ſimplici in Officio Defunctorum, & in die Veneris Sancti. In Matutinis autem quocumque tempore nunquam utitur Mitra, ſed aut Cappa lanea, aut Manto Papali cum Capucio ſupra caput. In Matutinis tamen nocte Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in compotatione, quæ ſolet fieri poſt Veſperas antecedentes, uti ſolet Pontifex Cappa purpurea pellibus armillinis duplicata, quam, ut legi, primus invenit Bonifacius Nonus. Duobus tamen utitur coloribus, albo, & rubro, utroque in Pluviali. In ornamentis autem Miſſalibus utitur colore tempori congruente, & cum Mitra ſimplici, Stola violacea; in aliis vero veſtibus non ſacris ſupra Rochetum rubro tantum, niſi a Sabbato Sancto uſque ad Sabbatum in Albis inclusive; & infra Rochetum utitur ſemper Toga alba, & Caligis rubris cum Sandaliis aurea Cruce ornatis.

COMMENTARIUS.

I. DE veſtibus quotidianis ac ſacris Summi Romani Pontificis Maximi jam non uno in loco hujus Operis diximus. Ad Cappam purpuream quod attinet adinventam a Bonifacio IX ut ea uteretur in Matutinis nocte Nativitatis Chriſti, teſtem ejus rei habemus Romanum Ordinem XV. Auctore Amelio, Cap VII ubi poſtquam dixit, in ipſis Matutinis Papam venire conſueviſſe ad Capellam Cappa lanea indutum, ita ſtatim ſubjicit: *Modernis temporibus eſt de veluto cremoſino foderata de ermelinis. Hoc adinvenit Bonifacius IX. Cappa lanea de ſcarleto rubeo, clauſa uſque ad medium pectoris, cum bireta connodata ſubptus barbam propter frigus, & ſine Mitra ſedet in dictis matutinis, quas ipſe incipit more ſolito. Nec ſtant ante ipſum, nec ad latera Cardinales Diaconi, ſed ſedent in ſcamnis ſuis juxta ordinem ſuum.* Porro antiqua eſt illa veſtis Romani Pontificis, quæ dicitur Mantum, occurritque in Ordine Romano X. Num. III. ubi deſcribitur ornatus Pontificis in Conſecratione Chriſmatis Feria V. in Cœna Domini: *Pontifex*, inquit, *jam indutus Dalmatica habens Mantum* (ita legendum, non *manum* ut legitur apud Mabillonium) *ad collum, ſedeat in Sede ſua, cui præſentatur ampulla &c.* Fuiſſe hujuſmodi Mantum Inſigne, quo probaretur legitima electio Summi Romani Pontificis, conſtat ex Actis electionis Alexandri Papæ III. Puto fuiſſe purpureum ornamentum, quo jam eo ævo uti ſolebant Romani Pontifices, ut ex mss. Codice Vaticano refert Cardinalis Baronius ad annum MCXXI. Num. I.

II. Manto purpureo, quod idem eſt ac Chlamys de ſcarleto cum capucio in capite, uti vel longe ante noſtri hujus Cæremonialis editionem conſueviſſe Papam in quibuſdam Divinis Officiis, docet nos Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. LXII. quod eſt de die Mercurii ſanctioris hebdomadæ: *Venit*, inquit, *cum Chlamyde de ſcarleto cum capuceo in capite abſque Mitra, & ſic venit ad Matutinum, & ſtet cum dicto capuceo non extenſo ſuper frontem, ſed replicato.* Notandum illud mox monet, *de ſero hora competenti venire Papam ad audiendum Officium in Capella ſimpliciter cum Chlamyde rubea, & capuceo ſuper caput, non tamen duplicato, prout aliis diebus conſuevit, ſed ſolum extenſo ſuper oculos.* Mentionem quoque facit idem hic Ordo Papalis Chlamydis cum capuceo de ſcarletto albo, eaque uti conſueviſſe ait Papam Sabbato Sancto poſt Miſſam uſque per totam Octavam Paſchæ. Sed audiamus ipſius verba ſic expreſſa in fine Capitis LXXXIII. *Deinde revertitur ad Cameram ſuam, & deponit paramenta, & recipit Chlamydem cum capuceo de ſcarletto albo, quibus utitur per totam Octavam inclusive, vel ſaltem uſque ad Dominicam in Albis poſt prandium; ſed melius eſt, quod portet per totam diem, cum quibus etiam vadit ad menſam, & ad Miſſam*

Digitized by Google

in Capella sua. Notandum denique hoc loco censemus, quod idem Ordo ex Rubricis servari tunc solitis docet, Cap. CXXXVI. & CXXXVII. his verbis: *Nota bene, & bene nota, prout est in Rubrica de Mitra portanda, quia quandocumque Papa indutus portat Mitram, duo Diaconi stant ante ipsum, & unus Presbyter Cardinalis*. Tum mox: *Sed nota, quod in Paraseeven, quando Papa stat cum Cappa lanea, a medio pectoris aperta usque ad pedes, tunc non stant ante eum, quoniam non consuevit Mitram portare, neque caputium replicatum super caput, nec etiam nocte Nativitatis.* Ex dictis itaque id colligi potest, Mantum, de quo supra diximus, idem esse, ac Chlamydem, seu Cappam, de qua in citato Romano Ordine frequens est mentio, ut ex sequentibus Capitibus constat.

III. Quod quotidiana spectat Papæ indumenta, sunt Toga alba, Rochetum, Mozzetta rubri coloris cum Stola, itemque Caligæ, rubræ *cum Sandaliis aurea Cruce ornatis*. Antiquum esse hunc ornatum Pontificis, jam nos non uno in loco Operum nostrorum diximus, præsertim vero in superioribus Commentariis ad hoc Cæremoniale.

CAPUT V.

De habitu Cardinalium.

Reverendissimi Domini Cardinales cujuscumque sint Ordinis, utuntur semper in Capella, & in publico Cappa ampla supra Rochetum coloris violacei, plus, vel minus clari, aut obscuri blavi, sive aerii, & aliquando rubri, sed rarius. Nam rubeus color proprie ad Papam pertinet, & ad Legatos, qui mittuntur de latere extra Italiam, vel ad aliquod negotium. Nam in istis casibus Pontifex solebat donare Legato Mantum rubrum cum Capucio, & in illo habitu dabat audientiam Legatus in sua Provincia. Paulus Secundus instituit, quod Cardinales birreto rubro uterentur, & super equis, sive mulis, rubris stratoriis. Cappa Cardinalis potest esse ex lana, sive ex zamelloto; & in Officiis Defunctorum, & Sede vacante, & a quarta Feria Majoris hebdomadæ usque ad Sabbatum Sanctum solebant uti Cappis suis obscuris cum pellibus de grisеis, & non de variis; hoc tamen hodie non servatur, sed a Vesperis omnium Sanctorum inclusive usque (1) ad Veseras Pentecostes exclusive utuntur albis pellibus de variis. In reliquo tempore utuntur serico rubri coloris loco pellium.

COMMENTARIUS.

I. De Cardinalium habitu loquuti jam pluries fuimus, quod pluries se se nobis de eisdem loquendi dedit occasio. Juxta Capitis hujus præscriptum, Cardinales ipsi, *cujuscumque sint Ordinis, utuntur semper in Capella, & in publico Cappa ampla supra Rochettum &c.* Cappæ nomine hic intelligitur vestis ampla, ac longa cum Capucio, pellibus, vel serico, secundum temporum exigentiam, subsuto, qua utuntur Cardinales, Episcopi, & in multis Cathedralibus etiam Canonici, uti notat Macrius in suo Hierolexico, verbo, *Cappa*. Notanda sunt illa verba, quibus dicitur, rubri coloris Cappa usos *aliquando* Cardinales, *sed rarius*, ob eam scilicet rationem, quæ mox subjungitur: *Nam rubeus color proprie ad Papam pertinet, & ad Legatos, qui mittuntur de latere extra Italiam, vel ad aliquod negotium*. Esse purpuram antiquissimum ornamentum, quo uti vel olim solebant Summi Romani Pontifices, docet nos pervetustus ms. Codex Vaticanus, quem refert Baronius ad annum MCXXI.

II. Donati fuere deinde Purpura a Pontifice Cardinales, qui extra Italiam de latere Pontificis mittebantur ad aliquod negotium peragendum. Vide, ut illos depingat Græcus Scriptor de Legato agens misso Constantinopolim anno MCCXIII. *Papæ prærogativas omnes referens.... Namque calceos rubros induebat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur, quinimo equi sagulum, & frena eodem inficiebantur veneno*. Leguntur hæc apud Spondanum, & apud Raynaldum in continuatione Annalium Cardinalis Baronii ad annum Christi MCCXIII. de hoc integumento purpureo intelligendus putatur Innocentius III. in Canone V. Concilii IV. Oecumenici Lateranensis anno Christi MCCXV. quo vetat, ne Patriarchæ ipsi Dominicæ Crucis vexillum ante se faciant deferri iis in locis, in quibus *Summus Pontifex præsens extiterit, aut ejus Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis*. Varia exempla Cardinalium Legatorum purpurea veste indutorum recensent Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, inter quos Matthæus Vvestmonasterienſis ait anno Christi MCCLXV. Cardinalem Legatum Ottobonum venisse in Angliam cum rubris vestibus: *Cum rubeis in Angliam veniens indumentis*. Porro donatos etiam fuisse postea eo indumento Legatos de latere cismarinos, ex speciali privilegio, sicut etiam Regulares, si & ipsi Legati de latere creati essent, docet Hostiensis in Cap. *Antiqua, De privilegiis*, sic inquiens: *Legatus transiens mare, etiamsi sit Religiosus, uti potest insigniis Apostolicæ dignitatis, & ita servari vidi, licet alias Religiosus non utatur, nisi vestibus Religionis, etiamsi sit Cardinalis.* No-

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *usque ad mane Dominicæ Resurrectionis exclusive &c.*

Digitized by Google

Notatu autem illud dignum est, quod ait Bzovius ad annum MCCLIII. nempe Dominicanis suis in Polonia gerentibus Legationem Apostolicæ Sedis indultum fuisse ab Innocentio IV. *ut rubeo Galero, rubeis Sandaliis, Ocreis, & Chirothecis rubeis caput, & manus, ac pedes tegerent.*

III. Quod S. R. E. Cardinalium ornamenta spectat, certum est, quod docet eruditissimus Archiepiscopus Tyri Andreas Tria in Notis ad Platum, *De Cardinalis dignitate, & Officio*, Cap. III. §. I. pag. 61. non uno eodemque tempore ipsa ornamenta a Summis Pontificibus fuisse illis delata. Illud plane constat, Innocentium IV. purpureo Galero Cardinales decorasse, & eo quidem consilio, ut invitarentur ad amorem fundendi pro Ecclesia sanguinis, in quam dudum Imperatores, tum vero vel maxime Fridericus Imperator sæviebat. Teste Nangio, donavit Innocentius Papa IV. Cardinales Galero rubeo, *per hoc innuens, quod in persecutione Fidei, & justitiæ, Romana Ecclesia, quæ caput est omnium Ecclesiarum, præ ceteris debet, caput apponere, si necesse fuerit cruentandum.* Sed de hac re videri possunt, quæ scripsimus nos Tomo IV. Conciliorum in enarratione Concilii I. Lugdunensis, quod idem Papa Innocentius IV. celebravit, eique præfuit. Ceterum quod Paulus Secundus instituerit, ut in hoc nostro Capite notatur, *quod Cardinales birreto rubro uterentur, & super equis, sive mulis, rubris stratoriis*, testantur passim Scriptores coævi ejusdem laudati Pontificis, inter quos Cardinalis Papiensis, qui particeps & ipse fuit ejus ornamenti, quod Paulus Cardinalibus concesserat, Lib. II. Commentariorum, pag. 370. hæc habet: *Cardinalibus, qui sacris induti vestibus a Prælatis inferiorum Ordinum, præterquam loco non noscebantur, usum Mitræ sericei Damasceni operis, rubraque capitia indulsit, quibus soli Antistites Romani antea utebantur. Subsellia quoque tam ad Senatus, quam ad Sacrificiorum consessum altius elevavit*, Permidos vero esse Cardinales ab eodem Pontifice purpureis etiam ephippiis equos insternere, tradit in hujus Papæ Vita Platina, & inter alios Spondanus ad annum MCDLXIV.

IV. Tandem quod eo biretorum, pileolorumque rubrorum ornamento, quod Paulus II. Cardinalibus concesserat, Cardinales Regulares carerent, labente Seculo XVI. nempe anno IIDXCI. Gregorius XIV. Cardinalibus ex Ordinibus Regularium assumptis more aliorum Cardinalium, habitu in ceteris nihil immutato, bireti rubri usum suo decreto publicato in Consistorio secreto die XXVI. Aprilis anni, ut dictum est, MDXCI. concessit, legique potest de ea re Constitutio ab eodem edita, quæ extat in Romano Bullario. Ceterum memorat Victorellus in suis ad Ciaconium Additionibus, visas esse a se metallicas icones Pauli II. in quibus essent Cardinales omnes cum Galeris suis. Ex quo ille infert, eos olim in Consistoriis etiam uti consuevisse Galeris illis eisdem, quibus in solemnibus etiam nunc utuntur equitationibus, donec concessit Paulus illis biretum rubrum. Extat apud Macrium in Hierolexico verbo, *Cardinalis*, pag. 125. figura ære incisa, in qua expressum est sacrum Consistorium publicum, in quo cernitur Paulus II. sedere in Throno, alba Stola, ac Pluviali indutus cum Triregno in capite, hinc vero inde Cardinales cum Cappis, & memoratis Pileis, quos memorat Victorellus. Esset insuper & hoc loco dicendum de Cappis Cardinalium, earumque varietate, ac mutatione; sed cum de his variatum fere semper fuerit, legi potest Ordo Officii Divini, qui Romæ quotannis typis mandatur; in cujus calce solet esse appendix, in qua designantur dies, quibus S. R. E. Cardinales debent mutare colorem in Cappis.

CAPUT VI.

De habitu Prælatorum.

Alii Prælati, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, & Subdiaconi, Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, & Acolythi omnes utuntur Cappis laneis supra Rochetum, ut Cardinales, sed non ex zamelloto, neque coloris rubri, aut violacei nimis clari. Prælati assistentes Papæ, cum Pontifex habet Mantum cum capucio inverso supra caput, debent & ipsi habere mantellum, alias Crociam appellatum, & circa collum capucium, sicut Cubicularii, & non supra caput, & hoc si Papa habet Mantum, & non aliter. Prælati extra Ecclesias suas non utuntur Cappa ampla, nisi in Romana Curia, cum sunt in Actis publicis cum Pontifice, vel in ejus Capella. Cappas tamen non capiunt, neque deponunt intra cancellos Capellæ, neque in prima, aut in secunda Camera paramenti, sed extra ubi voluerint; sic etiam sacras vestes.

COMMENTARIUS.

I. DE Cappa, aliisque indumentis, quibus Prælati, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, uti in Pontificia Capella debent, jam aliis in locis diximus; videri nihilominus potest eruditissimus Petrus Morettus in sua Epistolari disceptatione, cui Titulus, *De ritu variandi Chorale indumentum &c.* ubi multa inveniet lector, quibus varia nostri hujus Cæremonialis loca explicantur. Sane *Crocia*, seu *Crocea*, cujus & in hoc Capite mentio fit, teste Macrio in suo Hierolexico verbo *Crocea*, ubi citat Ro-

20.11.

Digitized by Google

manum Ordinem, est genus Chlamydis, longa ad terram usque, a parte anteriori aperta a summo ad imum, & circa collum rugosa, in forma Capparum Prælatorum, si demas cucullum. Sed & de hoc indumento diximus etiam nos supra Tomo I. ubi egimus de Conclavi; utuntur enim Cardinales in Conclavi, ut idem Macrius notat loco citato, Crocea, seu Cappa nigri coloris circa collum crispata longa usque ad terram, & ex parte anteriori aperta, Manto Græcorum Episcoporum simili, nisi quod habet ex posteriori parte exiguum Caputium ad instar illius, quod fertur in Mozzetta, ut memoratus Auctor docet.

CAPUT VII.

De habitu Cardinalium, & Prælatorum Religiosorum.

Prælati ex Ordinibus Mendicantium vadunt cum suo habitu etiam in Cardinalatu, nisi quod sunt ampliores, & [1] ex lana magis pretiosa. Ex Monasticis autem utuntur Cappa ampla colore nigro cum pellibus nigris, ut nostro tempore Nicenus, & Atrebatensis Cardinales, velut vidi aliquos Abbates cum pellibus griseis; vel si sunt alterius coloris Prælati utuntur habitu sui Ordinis, sed ampliori, & non utuntur Rocheto. Assumpti autem ex Canonicis Regularibus, quia in suo Ordine portant Rochetum, deferunt etiam in Prælatura, sed utuntur Capello, ut alii Religiosi, videlicet nigri coloris supra, & infra per totum. Inferiores Officiales utuntur habitu superius dicto.

COMMENTARIUS.

I. Episcopos, qui ex Monachis antiquitus assumpti fuerunt, priscinam vestium retinuisse speciem, & asperitatem, & quidem tam in Oriente, quam in Occidente, pluribus docet Thomassinus in sua veteri ac nova Ecclesiæ Disciplina Parte I. Lib. II. Capite XLIII. & sequenti, de eademque disciplina diximus nos Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXVII. Concilii VIII. Oecumenici, & Tomo III. in Commentario ad Canonem XVI. Concilii generalis IV. Lateranensis, itemque Tomo I. Commentariorum ad Cæremoniale Episcoporum Lib. I. Cap. I. Prælatos, & Cardinales ex Ordinibus Mendicantium, aut Monachorum assumptos, non uti Rochetto, sed Superpelliceo, notavimus jam nos in Commentariis ad Pontificale Romanum, & ad Cæremoniale Episcoporum, in quorum altero, Lib. I. Cap. I. §. IV. etiam diximus, quod & in hoc Capite de Canonicis Regularibus notatur, morem fuisse antiquum, ut ipsi in Episcopos promoti uterentur habitu, & colore, itemque Rocchetto, quo alii Clerici seculares creati Episcopi utebantur. Lege ibidem de hac re Constitutionem Leonis Papæ X. datam Romæ anno Domini MDXIX.

CAPUT VIII.

De habitu Sermonem habituri.

Ille autem qui orat in Capella, si est Episcopus, vel Abbas, cum Pluviali orat, & Mitra; si electus tantum, & secularis, orat in Cappa supra Rochetum. Similiter si est inferioris Ordinis, & in Capella portat Cappam, vel Rochetum, & cum illis orat. Si non portat Rochetum, neque Cappam, tunc Oraturus assumit Cappam tantum sine Rocheto; & finita Oratione, ad partem illam dimittit extra Capellam. Mendicantes, & alii Religiosi orant in suo habitu.

COMMENTARIUS.

I. Perspicua sunt, quæ in hoc Capite notantur de habitu Sermonem habituri in Capella. Quod dicitur de Mendicantibus, & aliis Religiosis, debere scilicet ipsos orare in suo habitu, intelligi debet de Religiosis Monachis; nam alias Clerici Regulares, qui vere Religiosi sunt, perorarent Cappa induti. Nulla autem in hoc Cæremoniali de ipsis Clericis Regularibus fit mentio, quia scilicet eo ævo, quo ordinatum fuit ab Augustino Patricio hoc Cæremoniale Papale, nondum erant exorti. Primi enim, qui Ordinem Clericorum Regularium fundarunt, fuerunt haud dubie Joannes Petrus Carafa Episcopus Theatinus, & S. Cajetanus Tienæus una cum duobus aliis eximiis Viris anno MDXXIV. uti constat ex Pontificio Clementis VII. Diplomate dato prædictis Joanni Petro Carafæ, & S. Cajetano Tienæo Presbytero Vicentino, atque eorum Sociis, & Successoribus. Quod itaque Clerici ipsi Regulares Fundatorem habuerint laudatum Joannem Petrum Carafam Episcopum Theatinum, qui etiam deinde fuit S. R. E. Cardinales, ac demum sub nomine Pauli IV. Pontifex Maximus, Thea-

(1) Ita in Romana editione; in Veneta autem I. & Colonienſi legitur, *& lanæ magis pretiosæ*.

Digitized by Google

Theatini vulgo appellantur. Hi igitur quùm in Capella concionantur, concionantur autem die 1. Cinerum, Cappa, uti jam dictum mox fuit, induti concionantur, ſicut Clerici ſeculares.

CAPUT IX.

De Circulis Cardinalium, qui fiunt ante Papam.

Domini Cardinales primùm, dum Papa in Camera ſui paramenti accipit Sacras veſtes, faciunt Circulum ante ſuam Sanctitatem ſtantes capite detecto, ſed conſuevit Pontifex illos invitare, ut cooperiant caput, & tempore frigoris monere iterum, ut tegant, quod ipſos tandem facere convenit. Er hic ſenior erit ante ſiniſtram Papæ, & alii per ordinem illum ſequentur. Secundo, Domini Cardinales veniunt ad Circulum ad Introitum, facta reverentia ante Miſſam hoc modo. Junior Diaconus incipit, & ponit ſe, factis reverentiis Altari, & Papæ, in ultimo loco contra ſiniſtram Pontificis. Senior in loco primo, & viciniori Papæ, junior vero ex Presbyteris Cardinalibus primo ſe movet a loco ſuo, & ponit ſe haud longe a juniore Diacono ante faciem Papæ. Illum ſequuntur Presbyteri, & deinde Epiſcopi, incipiendo ſemper a junioribus, ita ut ſenior Epiſcopus Cardinalis deſcendat tantum ~~de~~ gradu, in quo ſedebat, & teneat primum locum, & viciniorem ad Pontificis dextram. Hoc ordine veniunt ad Circulum Domini Cardinales ad Introitum, ad *Kyrie eleiſon*, & *Gloria*, ſimul ad *Credo*, ad *Sanctus*, & ad *Agnus Dei*. Præveniunt, quando datur tempus, maxime ad *Sanctus*, & ad *Agnus Dei*. Stant ſemper & in via, & dum ſunt in Circulo, capite detecto. Veniendo, & redeundo faciunt Altari reverentiam, & Papæ. Cum vadunt, juniores incipiunt; cum revertuntur ad ſedes, incipiunt ſeniores, & Diaconi poſt Presbyteros omnes In Miſſis tantum veniunt ad Circulum, & non in Veſperis; & in Miſſis pro Defunctis non veniunt ad Circulum, neque in ſexta Feria Paraſceve. In diebus ferialibus veniunt.

COMMENTARIUS.

I. DIctum a nobis pluries fuit, Collegium S. R. E. Cardinalium accuratam eſſe effigiem antiquiſſimorum Eccleſiæ Capitulorum, ideoque ſicut Cononici ad denotandam ſcilicet membrorum unionem cum ſuo Capite, ideſt Epiſcopo (id enim ipſa Circulorum Cæremonia deſignat) ante Epiſcopum ipſum Circulos faciunt in Solemni Miſsa, quæ coram illo celebratur, uti jam fuſe diximus Tomo 1. Commentariorum in Cæremoniale Epiſcoporum Cap. xxi. ita quoque Cardinales, qui ſunt Senatus Eccleſiæ Romanæ, & Summi Pontificis, in ſolemni Miſſa, quæ celebratur coram ipſo Summo Pontifice, eidem Circulos agunt. Eſſe autem S. R. E Cardinales præcipua Papæ membra, & cum ipſo unum Corpus efficere, fatentur ipſi Summi Pontifices, præſertim vero Eugenius IV. & Sixtus V. quorum primus in Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Cantuarienſem, quæ eſt de S. R. E. Cardinalium dignitate cæteris Eccleſiaſticis dignitatibus præſtantiori, Cap. vi. hæc habet: *Ipſos præterea Cardinales pro honoris, ac dignitatis eminentia, partem ſui Corporis Summi Pontifices appellant. Ex quo ſine ulla dubitatione oſtenditur, poſt Caput Eccleſiæ, quod eſt Papa, contigua ſui Corporis membra, qui ſunt Fratres ejus Cardinales, præ cæteris Eccleſiæ membris, ac partibus, honorari debere.* Sixtus vero V. in proœmio ſuæ Conſtitutionis, quæ incipit, *Poſtquam vetus ille*, in qua de eorundem S. R. E. Cardinalium præſtantia tractat, diſerte inter alia inquit, quod *Cardinales ſunt Papæ perſonæ partes nobiliſſimæ, & præcipua illius membra.* Eſſe antiquum hujuſmodi Circulorum ritum, jam nos alias oſtendimus, viderique de iis poſſunt, quæ ſcripſimus in Commentario ad memoratum Caput xxi. Lib. 1. Cæremonialis Epiſcoporum. Quod vero Capellam Pontificiam ſpectat, occurrit de ipſis Circulis fieri ſolitis a Cardinalibus Papæ ſolemni Miſſæ præſenti mentio in Ordine xv. Romano, præſertim vero Cap. lxxxiii.

TITULUS IV.

DE HABENTIBUS SERMONEM IN CAPELLA PAPÆ ET PRIMO DE PAPA.

CAPUT I.

Summus Pontifex non conſuevit facere Sermonem, alio quopiam celebrante, ſed tantum, dum ipſe celebrat; & tunc, ſi Altare eſt apud parietem, itaut Prælati, & om-

Digitized by Google

& omnes sint inferius, ut in Capella Palatii; tunc Papa descendit e Sede eminenti, & sedet ante Altare super Faldistorium, vel Sedem ibi paratam, vertens faciem ad populum, & renes ad Altare, & post eum Diaconus Evangelii, deinde Diaconus assistens a dextris, a sinistris vero sedet Diaconus tantum, & qui ab illo Altari assistit Subdiaconus Apostolicus; & si sunt Græci Diaconus; & Subdiaconus, sedent in secundo gradu ad illorum pedes hinc (1) inde, Græci a dextris, Subdiaconus solus a sinistris. Post Sermonem Diaconus Evangelii facit Confessionem, Cardinalis assistens annunciat Indulgentias, & Papa dat benedictionem stans in eodem loco modo consueto; deinde revertitur ad Sedem eminentem, & ibi dicit, *Credo*, vel, *Dominus vobiscum*, pro temporis exigentia. (2) Si autem Sedes Papæ non infra, sed super Altare est, ut in Ecclesia S. Petri, & similibus, tunc Papa, qui (3) vertit faciem ad Chorum, & ad populum, sedens in prædicta Sede sua facit Sermonem, & omnes sedent in loco consueto.

COMMENTARIUS.

I. PRædicationem unum esse e præcipuis Episcoporum muneribus, certa res est, asserta passim a sacris Synodis, & a nobis in nostris Operibus sexcenties ostensa. Illud autem stupendum, quod & nos compluries notavimus, quod nempe refert Sozomenus, Romæ nec ab Episcopo, nec a quoquam alio prædicatum fuisse: *In eadem Urbe nec Episcopus, nec alius quisquam in Ecclesia populum docet*. Idem refert & Cassiodorus in Historia tripartita; sed & nos jam supra Sozomini testimonium confutavimus, ostendimusque, tum Liberium, tum Sixtum III. Romanos Pontifices Maximos Conciones Romæ habuisse. De Liberii Sermone habito ad sanctissimam Virginem Marcellinam sororem S. Ambrosii, cum ipse Liberius die Christi Natalitio in Ecclesia S. Petri Romæ velo consecrationis illam donavit, mentionem facit idem Ambrosius, qui Sermonem etiam ipsum in tertium Librum, *De Virginibus*, retulit. Sixtum autem III. sacras ad populum habuisse Conciones, diserte asserit S. Leo Magnus in Sermone LXXXII. qui est de Natali septem Fratrum Martyrum Machabæorum, & Dedicatione Ecclesiæ, Cap. III. his verbis: *Magnificus quidem*, Sixtus, *structor parietum, magnificentior ædificator animarum ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit*. Quæ verba de Ecclesia S. Petri ad Vincula in Urbe a Sixto Pontifice condita, intelligenda esse, recte docet religiosissimus, atque doctissimus Cardinalis Tomasius in Notis ad Capitulare Evangeliorum, pag. 188. primæ editionis, contra ac sensit editor Operum S. Leonis Magni Paschasius Quesnellus Tomo I. pag. 341. primæ editionis. Nam, ut recte notat eruditus Georgius in celebri Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. III. Cap. XIX. Num. II. & veterum Codicum auctoritas, de die festo Dedicationis memoratæ Ecclesiæ kalendis Augusti, & vetusta carmina in eadem olim incisa, illius conditorem, & consecratorem Sixtum III. testantur. *Hic Domini Templum Petro fuit ante dicatum. Tertius Antistes Sixtus sacraverat olim*.

II. Sed & longe ante S. Leonem Magnum consuevisse Romanos Præsules Concionem habere ad populum, & quidem ex Ambone, seu suggesto, colligit Cardinalis Baronius ex Hymno Prudentii, qui S. Hippolyti Ecclesiam describens, suggestum in ea recenset, in quo Pontifex concionari solebat.

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal,
Tollitur Antistes, prædicat unde Deum.

Ex quibus laudatus Baronius ad annum Christi CCVII. Num. XVII. statuit, *antiquitus eam viguisse consuetudinem, ut ab eminenti suggestu ipse Pontifex ad populum concionaretur*. Quod autem ætate S. Leonis res minime nova, Romani Pontificis Concio esset, ex ejusdem Sermonibus, ac præsertim ex Sermone II. de Resurrectione Domini apparet: *Totum quidem*, inquit, *dilectissimi Paschale sacramentum Evangelica nobis narratio præsentavit*. Tum mox: *Sed adjiciendum est etiam nostri Sermonis officium, ut sicut pia expectatione reposcere vos consuetudinis debitum sentio, ita Solemnitati sacratissimæ lectionis subjungatur exhortatio Sacerdotis*. His ergo stabiliri ait memoratus Georgius citato loco, Num. III. Romanos Pontifices sermocinari solitos fuisse ante Sozomeni tempora, atque adeo falsum esse, quod ille litteris consignavit. Ceterum dici & illud potest, quod observavit Thomasinus Parte II. *Veteris, ac novæ Ecclesiæ disciplinæ*, Lib. III. Cap. LXXXIII. Num. V. non abludere a vero, aut a verisimili, usque ad tempora Leonis Papæ contentos fuisse Præsules Romanos familiaribus præceptionibus, qualem ait fuisse illam a Liberio Papa habitam ad Marcellinam S. Ambrosii sororem, ut sævientibus flebat persecutionibus, sine apparatu, sine pompa, plana, & humili, non splendida ordinatione. Et sane nulli prorsus superstites sunt Sermones, non Pontificum modo Leone anteriorum, sed nec Episcoporum quorumlibet, qui prioribus talibus seculis, vel medio etiam seculo quarto floruerunt.

III. Quamquam omnium Ecclesiarum sollicitudine graventur Summi Romani Pontifices, ne ipsi quidem solutos se judicarunt unquam prædicandi necessitate. Constat id auctoritate, & exemplo S. Gregorii Papæ, qui Homilia XVII. in Evangelia hæc habet: *In illo tanto examine*, Judicii nempe extremi, *Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ita Paulus conversum, ut ita dixerim, Mundum ducens,*

(1) *Inde*, deest in editione Romana, sed legitur in Veneta I. & Colonienſi. (2) *Si*, legitur in Romana, sed deest in Veneta I. & Colonienſi. (3) Puto legendum *vertit*, tametsi in omnibus citatis editionibus legatur, *avertit*.

Digitized by Google

cens, ibi Andreas post se Achajam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis conversum ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui Pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Concionatus est sæpe Gregorius, & ubi per effœtam valetudinem illi non licuit concionari, Homilias tum ipse suas dictavit, & per alios in publicum recitari jussit, ut testatur ejus Vitæ Auctor Joannes Diaconus Lib. II. Cap. XVIII. sic inquiens: *Et ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui prævaleret, viginti Homilias Evangelii coram Ecclesia diverso tempore declamavit. Reliquas vero ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronunciandas commisit.*

IV. Itaque Gregorius primum ipse per se concionabatur, deinde, quod præ stomachi debilitate non posset concionari, curabat suas per alium legi Conciones. At vero quod Auditores jam sentiret somnolentos, & minus attentos, quam dum ipsemet concionaretur, secum ipse statuit Evangelium tantum explanare, non perpetuo sermone, nec enim per vires jam licebat, sed variis interrogationibus, & responsionibus interpuncto; eaque arte speravit, & suum pronunciandi laborem levari posse, & audientium excitari attentionem. Ejus verba de hac re hæc sunt Homilia XXI. in Evangelia: *Multis vobis lectionibus, Fratres charissimi, per dictatum loqui consuevi, sed quia, lassescente stomacho, ea quæ dictaveram, legere ipse non possum, quosdam vestrum minus libenter audientes intueor. Unde nunc a memetipso exigere contra morem volo, ut inter sacra Missarum Solemnia lectionem Sancti Evangelii non dictando, sed colloquendo edisseram. Sicque excipiatur, ut loquimur. Quia collocutionis vox corda torpentia plusquam sermo lectionis excitat, & quasi quadam manu sollicitudinis, ut evigilent, pulsat.* Nec a concionando vel sic destitit Gregorius, quamvis fracta in dies magis, & debilitata voce, a paucis exaudiri posset: *Quia a multis audiri non valeo* (sic ille ibidem) *loqui inter multos erubesco. Sed hanc in me verecundiam, & ipse reprehendo. Quid enim? Numquid si multis prodesse nequeo, nec paucis curabo.*

V. Conciones haberi solitas a Romanis Pontificibus inter Missarum Solemnia, ex recitato Gregorii testimonio liquet. Post Evangelium habitas, docet Romanus Ordo VI. Num. VII. ubi habetur, post osculum Evangelii, Pontificem *ad prædicationem per manus Presbyteri, & Archidiaconi* perduci, & forte ad Ambonem, ex quo consuevere aliquando Summi Pontifices concionari, ut apparet ex Sermone, quem Nicolaus Papa I. de Rothadi Suessionensis Episcopi causa ex Ambone in Missa fecit in Basilica S. Mariæ ad Præsepe die Vigiliarum Nativitatis Domini, de quo ita loquitur in ejusdem Nicolai Vita Anastasius: *Tunc in die Vigiliarum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quo secundum olitanam consuetudinem hujus Apostolicæ Sedis Præsul cum Clero, & Populo in Basilica Dei Genitricis ad Præsepe Missarum Officia celebrare consueverat, conveniens cum omnibus Papa benignus fecit in Ambone publice de ipso Rothado Sermonem.* Leonem quoque IX. ubi Ecclesiam Remensem die I. Octobris S. Remigio Remensi Archiepiscopo sacram, anno MXLIX. dedicavit, & Missarum Solemnia ibi celebravit, post Evangelium ex pulpito concionatum fuisse ad populum, tradit Anselmus Remensis Monachus apud Baronium ad prædictum annum, his verbis: *Hac ergo de causa sic locato Remigii Corpore, universis agminibus Episcoporum, Abbatum, Monachorum, Clericorum per choros decentissime dispositis, Missarum Solemnia idem Pontifex ex Dedicationis celebravit Festivitate. Lecto Evangelio, pulpitum conscendens, exhortationis Sermonem fecit.* Similia leguntur de Alexandro III. quippe qui anno MCLXVII. Venetiis Friderici Imperatoris rogatu Pontificalem Missam in Ecclesia S. Marci die S. Jacobo Apostolo sacra celebravit, ac post Evangelium Sermonem Latinum ex pulpito habuit, uti rem narrat Romualdus Salernitanus apud laudatum Baronium ad citatum annum MCLXXVII. ubi ita ait: *Cumque, dicto Evangelio, Papa ascendisset pulpitum, ut alloqueretur populum, Imperator accedens propius, cæpit verba ejus attentius auscultare, cujus devotionem Papa diligenter attendens, verba, quæ ipse litterate proferebat, fecit per Patriarcham Aquileæ evidenter exponi.*

VI. Ritus servandus in Concione, quam haberet Pontifex inter Missarum Solemnia, finito Evangelio, explicatus habetur in Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gaietano, Cap. LIII. his verbis: *Ceterum si Pontifex prædicare debet, non incipiat*, Credo, *vel*, Dominus vobiscum, *sed expectet, donec Diaconus redeat, & osculato Evangelio, sicut prædictum est, accedens ante Altare, inclinet, & oret breviter, detecto capite. Quod si locus, in quo lectum est Evangelium, distet a Sede Pontificis, priusquam Diaconus redeat, potest Pontifex accedere ad Orationem prædictam, & post ipsam recipere incensum, & osculari Librum. Deinde imposita ei Mitra per Diaconum, pergat ad locum, in quo prædicaturus est, ubi Diaconus aptet vestes, prout opus est, & Pontifex prædicat cum Mitra.* Porro & huc facit quod in eodem Romano Ordine edicitur Cap. XCVIII *In diebus, & Solemnitatibus infra positis consueverunt Romani Pontifices Missarum Solemnia celebrare in propria persona, sed prædicare consueverunt in iisdem diebus, & Solemnitatibus in propria persona, quando placeret, & facere prædicari coram se per aliquem Cardinalem, prout sequitur. Non tamen per alium prædicatur coram Domino Papa, quam per Cardinales, quando Dominus Papa celebrat.* Recensetur mox dies ipsos, atque Solemnitates, de quibus nos egimus supra, ubi se se nobis dedit occasio; notavimusque non uno in loco, etiam nostro hoc ævo, sanctæ memoriæ & Clementem XI. & Benedictum XIII. & feliciter regnantem Sanctissimum Dominum nostrum BENEDICTUM XIV. quem diu Deus nobis servet incolumem, consuevisse non semel inter Missarum Solemnia Sermonem ad populum habere.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Cardinalibus.

Cardinales non faciunt Sermonem in Capella Papæ, nisi celebrante Pontifice, vel cum ipsemet Cardinalis celebrat. Si facit Sermonem in Missa Papali ipse, vel Episcopus, sive Presbyter sit, debet assistere in Officio (1) Capellani etiamsi non sit Prior, & in tempore cum Pluviali, & Mitra facere Sermonem. Si vero ipse celebrat, dicto Evangelio, ipse deponens Casulam, accipit Pluviale, & vadit ad osculum manus Pontificis, petit benedictionem, & Indulgentias, & ascendit Pulpitum, & cum Mitra simplici orat.

COMMENTARIUS.

I. CElebrante Pontifice, jam non per alium coram eo prædicari, quam per Cardinalem, est quidem ritus præscriptus in Ordine Romano XIV. Cap. XCVIII. cujus locum in fine Commentarii superioris descripsimus. Hinc idem Romanus Ordo Capite LXXII. quod est de Festo S. Stephani, postquam ritum descripsit servari a Papa solitum in celebratione hujus Missæ usque ad recitatum Evangelium, ita deinde subjicit: *Et osculato Libro Evangeliorum per Papam, fiat Sermo aut per eum, aut per aliquem Cardinalem, cui ipse Papa commiserit faciendum.* Pergit Ordo, ritumque recenset servandum a Papa in pronunciatione Indulgentiæ, quando ipse fecit Sermonem, & deinde ita ad nostram rem inquit: *Si autem Cardinalis Sermonem fecerit, cum vadit ad pedem Papæ, osculando petat benedictionem à Papa flexis genibus, dicens*, Jube Domne benedicere. *Papa sedendo dat benedictionem, & signando, & dicendo*, Sit Dominus in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & competenter annuncies Verbum sanctum suum. *Deinde dictus Cardinalis reverenter quærat a Papa, quantam Indulgentiam placeat sibi concedere; qua pronunciata, Papa dat Absolutionem, ut supra, & Papa concedit, sicut placet sibi; quam Indulgentiam ipse Cardinalis pronunciat.*

II. Consueviſse quoque olim Cardinales non modo in Missis Papalibus concionari, verum etiam in iis, quas ipsi ritu solemni celebrabant, ac præsertim novendialium Exequiarum defuncti Pontificis tempore, quo non duo tantum, sed etiam plures de Pontificis laudibus a Cardinalibus, qui Missas de illius obitu ordinatim celebraturi erant, post Missam recitarentur Sermones, nisi eos alicui Præsuli, seu Magistro in Theologia demandarent, docet Ordo Romanus XV. Auctore Petro Amelio, Cap. CXLVI. in fine his verbis: *Sciendum tamen, quod omni die debet esse Missa, quæ debet dici per Cardinales juxta ordinem suum, & Sermo per eosdem, nisi committant Prælatis, vel Magistris in Theologia, aliis non.* Porro, juxta antiquum ritum, qui jam alias in desuetudinem abiit, celebrante Papa, Cardinalis ipse, qui faciebat Sermonem, sive Episcopus, sive Presbyter esset, inservire debebat Pontifici in Officio Capellani assistentis, etiamsi non esset prior Episcoporum, aut Presbyterorum Cardinalium, & in tempore cum Pluviali, & Mitra Sermonem facere, post cantatum scilicet Evangelium. Si vero ipse Cardinalis celebrabat, dicto Evangelio, per Diaconem scilicet, deponens Casulam, accepto Pluviali, ibat ad osculum manus Pontificis, benedictionem, & Indulgentias petebat, & ascendens pulpitum, cum Mitra simplici Concionem habebat, eaque finita, Missacum Solemnia prosequebatur. Atque hic est ritus, qui in hoc Capite præscriptus est, quem tamen nunquam servatum legi in recentioribus Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis.

III. Quamquam vero ex præscripto nostri hujus Cæremonialis Cardinalis Sermonem coram Pontifice habiturus, benedictionem ab eo petens, manum illius osculetur, sciendum tamen, juxta veterem disciplinam, cujus non semel meminit Romanus Ordo XIV. ac præsertim Capite LXXII. superius descripto, Cardinalem ipsum non quidem manum, sed pedem Pontificis debuisse osculari: *Si autem Cardinalis Sermonen fecerit, cum vadit ad pedem Papæ, osculando petat benedictionem a Papa flexis genibus, dicens &c.* Cur benedictio ante Concionem petatur, jam diximus supra non uno in loco, itemque in nostris Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum Lib. I. Cap. XXII. Sed de hoc ritu, sicut & de aliis pluribus ad Conciones habendas spectantibus videri potest eruditus Ferrarius, in Opusculo, *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum*, in quo plura scitu digna inveniet lector, quæ scilicet veterem concionandi disciplinam antiquis Sanctorum Patrum testimoniis probatam spectant.

CAPUT III.

Diaconi non orant.

Et nota quod Diaconus Cardinalis non prædicat in Capella Pontificis, neque alius quispiam non Prælatus, nisi sit Doctor in Theologia secundum antiquas, & probatas cæremonias, quamvis hodie non modo inferioris gradus Viri, sed sine

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *in officio Capellæ*.

Digitized by Google

sine dignitate, aut sacro Ordine, in studiis humanitatis tantum docti, non sine loci, & Ordinis Pontificalis dedecore onus orandi in totius Orbis gravissimo, ac celeberrimo consessu sibi assumant.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam committi possit Diaconis prædicandi munus, quum primis etiam Sæculis eo perfuncti sint munere sanctissimi Ecclesiæ Diaconi, Stephanus, Laurentius, Vincentius, aliique plures, qui in Ecclesiastica Historia recensentur, isque esset usus complurium Ecclesiarum, ut vel Sæculo Christi v. & vi. Homilias Patrum populo recitarent, si minus ex se concionari valerent, ut diserte ostendit Thomassinus in sua veteri, ac nova Ecclesiæ disciplina, Parte II. Lib. I. Cap. LXXIX. est tamen & ejus opinionis hic Auctor, concionari consueviſse in Italia Diaconos tempore S. Gregorii Papæ I. antea vero tempore Vigilii nonnisi ex Episcopi permissu, & forte nondum prorsus tempore Sancti Leonis, quia scilicet hic Pontifex in Epistolis suis ad Maximum Episcopum Antiochenum, & ad Theodorum Episcopum Cyri ita aliquando scripsit: *Ut præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, sive sit Monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur.* Hinc merito queritur Auctor Cæremonialis Augustinus Patricius, quod suo ævo, ideſt, labente Sæculo XV. quo Cæremoniale hoc ordinavit, *non modo inferioris gradus Viri, sed sine dignitate, aut Sacro Ordine, in studiis humanitatis tantum docti, non sine loci, & Ordinis Pontificalis dedecore, onus orandi in totius Orbis gravissimo, ac celeberrimo consessu sibi assumerent.* Atque hic usus viget quoque nostro hoc ævo, dum solent hodieque in certis anni Solemnitatibus adolescentuli imberbes Latinas in Pontificia Capella Orationes habere, Orationes scilicet ab aliis Auctoribus concinnatas ibidem recitare.

II. Porro ut in hoc Capite notatur, *Diaconus Cardinalis non prædicat in Capella Pontificia, neque alius quispiam non Prælatus, nisi sit Doctor in Theologia secundum antiquas, & probatas Cæremonias*, quarum testis est Ordo Romanus XV. cujus loca superius recensuimus, viderique possunt etiam, quæ diximus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LXIV. Concilii Trullani, & in aliis nostrorum Operum locis.

CAPUT IV.

De Prælatis.

Episcopus, si orat, debet etiam celebrare ordinarie, & orat, ut de Cardinali diximus, nisi quod Pontifici genu, non manum osculatur. Si non celebrat oraturus, super Rochetum, vel Superpelliceum, induit Pluviale, & cum Mitra orat. Idem facit in Abbatiali dignitate constitutus.

COMMENTARIUS.

I. Spectant hæc antiquum ritum, vix enim hodie concionatur Episcopus in Pontificia Capella, multo minus Cardinalis. Porro agendæ gratiæ Patricio hujus Cæremonialis ordinatori, qui ritum notavit, quem servari oporteret, ubi Cardinales, Episcopive in Pontificia Capella Sermonem haberent. Itaque concionaturus ibi Episcopus ex præscripto hujus Capitis, super Rochettum, vel Superpelliceum, si scilicet Episcopus esset Regularis, cum Pluviali, & Mitra oraret, petita prius benedictione a Papa, & osculato ejus genu, non manu, ut esset scilicet differentia inter Episcopum, & Cardinalem, licet & hic ex præscripto Romani Ordinis XIV. Cap. LXXII. cujus locum supra descripsimus, non manum, sed pedem oscularetur. Cæterum quod de Episcopo in nostro hoc Capite edicitur, idem & de Abbate præscriptum est, ubi is Sermonem esset in Pontificia Capella habiturus.

CAPUT V.

De aliis orantibus.

Si oraturus est Officialis Palatii, qui portet Rochetum, & Cappam, non tamen Prælatus, (1) cum illis orat. Si autem non utitur Rocheto, orat cum Cappa tantum. Religiosi non Prælati orant cum suo habitu.

COMMENTARIUS.

I. MOnachis interdictum fuisse olim sacræ Prædicationis munus, non uno in loco Operum nostrorum diximus, præsertim vero in Commentariis ad Concilia Oecumenica. Insigne ejus prohibitionis testimonium suppeditat S. Leo Papa in Epistola

(1) Verba ista, *cum illis orat*, leguntur quidem & recte in Romana editione, desunt autem in Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum, sic scribens: *Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi, & prædicandi audeat vendicare, sive sit ille Monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur; quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii, quæ recta, & sana sunt, sapiant, non tamen permittendum est, ut quisquam extra Sacerdotalem Ordinem constitutus, gradum sibi Prædicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi Corpore & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Quæ verba repetit in Epistola LXIII. ad Theodorum Episcopum data. Sane ratio, cur Monachis prohiberetur olim concionari, illa est, quod ipsi intra laicorum ordinem censerentur. Licet enim Siricius Papa Monachos in Clerum adlegerit, non tamen omnes ea prærogativa gaudebant, nam alias S. Hieronymus, qui eodem, quo Siricius, Sæculo floruit, in Epistolis suis ad Heliodorum, & ad Pammachium, atque ad Riparium, qui Monachi erant, de eisdem loquitur veluti laicis; laicosque etiam ipsos fuisse Leonis Papæ ævo, constat ex variis Canonibus Concilii Chalcedonensis, quod sub ipso Leone habitum fuit anno Christi CDLI.

II. Quicquid autem sit de veteri Ecclesiæ disciplina, jam pluribus ab hinc Sæculis concionari soliti sunt Religiosi etiam in Capella Pontificis, qui etiam, si non Prælati sint, ut in hoc Capite edicitur, *orant cum suo habitu*, Regulari scilicet, si Monachi, vel Fratres sint, nam alias Clerici Regulares, qui veri quidem Religiosi sunt, in ipsa Pontificia Capella induti Cappa orarent, in suis vero, & aliis Ecclesiis cum Superpelliceo, sine tamen Stola, quæ licet sacrorum Concionatorum insigne sit, Romæ tamen ob reverentiam Papæ, qui eam jugiter gestat, a Concionatoribus non adhibetur.

CAPUT VI.

De servandis ab Oratore.

Oraturus igitur, finito Evangelio, cum habitu sibi condecenti offert se Clerico Cæremoniarum, qui, postquam Papa est osculatus Librum Evangeliorum, & incensatus sederit cum Mitra in sua Sede, ducit Oratorem cum consuetis reverentiis ad pedes Pontificis, quos Orator genuflexus osculatur. Tunc erecto capite dicit, *Jube Domne benedicere*. Et Pontifex, *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & fructuose annuncies verba sua sancta. In Nomine Patris &c.* Et Orator iterum, *Indulgentias Pater Sancte*. Et Papa concedit Indulgentias, prout sibi placet.

COMMENTARIUS.

I. RItum esse antiquum, ut Concionem habiturus benedictionem a suo Antistite postularet, non uno in loco vel hujus Operis diximus. Et certe, ut alia exempla omittam, de S. Amando Trajectensi Episcopo, tradit ejus Vitæ Scriptor Beda, solitum eum Concionem mox inchoaturum, benedictionem a Prælato accipere. Quid porro causæ sit, ut Concionum initio peti, & dari soleret hujusmodi benedictio, puto commode eam proferri posse rationem, quam Abbas Rupertus Tuitiensis Lib. I. *De Divinis Officiis*, Capite XII. reddidit, ubi de eo loquitur, qui lecturus in Ecclesia, benedictionem petit, dicens, *Jube Domne benedicere*, quia nemo scilicet, nisi missus, aut accepta licentia, officium prædicandi usurpare potest. Verba Ruperti hæc sunt: *Lecturus vero benedictionem petens, hoc significat, quod nemo, nisi missus, aut permissus, officium prædicandi usurpare debeat.* Quo modo enim prædicabunt?, *inquit Apostolus*, nisi mittantur?

II. Qui ritus servandi sint a Concionatore coram Papa inter Missarum Solemnia, juxta Romanum Ordinem XIV. Cap. LXIII. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 300. hi sunt: *Si Pontifice celebrante, alius inferior eo prædicare debuerit, post Evangelium accedat is, qui prædicare debet, ad Pontificem, & flexis genibus benedictionem petat, dicens*, Jube Domne benedicere; *& Pontifex faciat super eum signum Crucis, dicens*, Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ad annunciandum digne, & fructuose verba sancta, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Tunc is, qui prædicaturus est, pergat ad locum, in quo prædicare debet, & prædicationem prosequatur; qua finita, Diaconus stans juxta Pontificem, faciat Confessionem; qua facta per Diaconum, is qui prædicaverit, stans in loco, in quo prædicavit, annunciet Indulgentiam, si annuncianda est.* Et paulo post: *Is autem, qui prædicavit, postquam annunciaverit Indulgentiam, redire potest ad locum suum.*

III. In Missa Pontificali Sæculi XIV. ex ms. Vaticano Codice 4727. ut ad ea, quæ attulimus, aliquod addatur de iis, qui coram Pontifice inter Missarum Solemnia sunt concionaturi, hæc traduntur, quæ & ad nostri hujus Capitis explicationem faciunt quammaxime; scilicet, si prædicandum sit, ille, qui Sermonem est habiturus, statim post Evangelii deosculationem accedat ad Pontificem, eique pedem osculetur. benedictionem petat, genibus flexis, & capite inclinato dicens, *Jube Domne benedicere*. Benedictione habita, petit a Pontifice Indulgentias post Sermonem evulgandas. Deinde pergit ad Concionis locum, Concioneque peracta, antequam Indulgentias sibi a Pontifice concessas pronuncíet, Diaconus Cardinalis a sinistris Pontifici assistens dicit, *Confiteor*, alta voce; quo dicto, ille, qui Sermonem habuit, statim

pro

Digitized by Google

pronunciat Indulgentias populo. Tunc Pontifex dat Absolutionem, dicens: *Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c.* Atque hic est ritus, cujus passim mentionem etiam faciunt Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, vetera pariter, ac recentiora.

CAPUT VII.

De Indulgentiis.

Consueverunt tamen Pontifices nostro tempore, quando Prælatus celebrat, dare quinque annos; quando Cardinalis, septem annos, in maximis vero Solemnitatibus, decem annos; quando vero ipsemet celebrat, plenariam Indulgentiam, & aliquando decem annos; sed cum annis annunciantur semper totidem quadragenæ. Majores nostri erant aliquanto parciores in istis Indulgentiis, & ratio est, in Missa Papali se extendebant ad septem annos. Orator, audito Pontificis mandato de Indulgentiis, cum reverentiis consuetis vadit ad pulpitum, & eo conscenso, quiescit aliquantulum, dum se componat cum capite cooperto, & est cum Mitra, si illa utitur. Incipit suam Orationem, signo Crucis tamen ante se præmuniet. Cum nominat Pontificem, aut in ejus (1) absentia, Cardinales, detegit caput, & se profunde inclinat versus Pontificem, & ad Cardinales aliquantulum caput hinc inde flectit. Cum dicit, *Ave Maria*, genuflexus orat. Inter orandum, cum Pontificem appellat, caput detegit, alioquin semper est coopertum. Finito Sermone, caput detegit, & expectat. Diaconus autem Evangelii ductus ante Pontificem dicit alte, *Confiteor Deo &c.* & tunc Papa, & omnes surgunt. Sed Papa etiam celebrans, finito, *Confiteor*, cum Mitra discedit. Diaconus, & qui oravit, stans adhuc in suggestu, pronunciat Indulgentias a Pontifice concessas, & statim descendit, & vadit in pace. Interim vero assistentes Papæ accedunt ad ejus pedes cum Libro, & lumine, & Subdiaconus Apostolicus Crucem Papalem ante ejus faciem ponit, & Pontifex sine Mitra dicit, *Precibus, & meritis &c.* & dat benedictionem more solito, Protonotario fimbrias anteriores elevante.

COMMENTARIUS.

I. DE Indulgentiis dandis post recitatum in Capella Pontificia Sermonem jam non unus semper fuit modus servatus, uti ex mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, atque ex nostris ad hoc Cæremoniale Commentariis liquet, ex quibus etiam constat, quod & in hoc Capite notatur, Majores nostros fuisse *aliquanto parciores in istis Indulgentiis*. Certe notandum monet Amelius in suo Romano Ordine XV. Cap. XLIII. *quod Romanus Pontifex nunquam consuevit dare septem annos, nisi ipse celebraret in Missis, nisi in Dominicis de* Gaudete, *&* Lætare. Concinit plane hic Ordo Ordini XIV. Cap. XXX. ubi postquam dictum est, in Dominica I. Quadragesimæ dari a Pontifice *tres annos, & tot quadragenas de Indulgentiis*, promulgandis scilicet ab eo, qui fecit Sermonem, ita mox subjungitur: *Notandum tamen, quod in Dominicis istis consueverunt dari V. anni, & V. quadragenæ, & in quarta Dominica de* Lætare *VII. qui septem anni nunquam solent dari, nisi Pontifex celebret in dicta Dominica de* Lætare, *& in Dominica*, Gaudete.

II. Plura & de hisce Indulgentiis jam alibi diximus. His itaque omissis, ritus & ille antiquus est, cujus in eodem hoc Capite fit mentio, ut nempe concionaturus Crucis signaculo ante Concionem se muniat. Neque enim ullus nobis relinquitur dubitandi locus, quin laudabilis ille mos inchoandi Conciones a Crucis signo, olim etiam in communi, & quotidiano fuerit usu, uti pluribus docet Tertullianus in Libro, *De Corona Militis*, Cap. III. & non uno in loco S. Cyrillus Hierosolymitanus, quorum testimonia recenset eruditus Bernardinus Ferrarius Lib. I. *De ritu Sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum*, Cap. X. In Concione, ubi nominatur Papa regnans, non modo, eo præsente, verum etiam absente, detegendum esse a Concionatore caput, & etiam in aliis actibus, præsertim Ecclesiasticis, ritus est vel in Missalibus Libris præscriptus.

III. Devenio ad alium ritum dicendæ scilicet Salutationis Angelicæ initio Sermonis, quem quidem ritum introductum primo fuisse a S. Vincentio Ferrerio, Scriptores passim referunt, & etiam nos non uno in loco notavimus, ac præsertim Tomo I. Cæremonialis Episcoporum, Capite XXII. in Commentario ad §. III. ex cujus præscripto Concionem habiturus, *capite detecto signat se signo Crucis, & genuflexus recitat Salutationem Angelicam, non*, Regina Cæli, *etiam tempore Paschali*. Salutationis Angelicæ recitandæ initio Sermonis meminit etiam Ordo Romanus XV. Cap. XLIII. ex cujus præscripto, extrahenda est Papæ Mitra, & genuflectit, *dum dicitur*, Ave Maria, *principio Sermonis*. Atque hinc patet quod notat loco citato Mabillonius, nempe Sæculo XV. sive potius labente Sæculo XIV. quo claruit Amelius Auctor Romani Ordinis XV. jam usum invaluisse, ut Salutatio Angelica præmitteretur *in principio Sermonis*, seu Concionis, sive id intelligas, absolute

(1) Ita in editione Romana, & recte; in Veneta I. legitur, *assistentia*.

Digitized by Google

lute de principio ante exordium, ut fit hodie quoque in quibusdam Italiæ, & Germaniæ locis, quod commodius, & opportunius videtur, sive de principio post exordium, ut apud Gallos. Quod alios ritus attinet in Capite præsenti præscriptos, jam illi a nobis explicati fuere in Commentariis superioribus, supervacaneumque iccirco videtur eosdem repetere.

DE QUIBUSDAM EXTRAORDINARIIS ET REGULIS GENERALIBUS.

TITULUS V.

CAPUT I.

De Auditore Contradictarum, & Correctore Litterarum Apostolicarum.

Auditor Contradictarum, & Corrector Litterarum Apostolicarum sunt antiqui Officiales Romanæ Curiæ, & ut legi in Constitutionibus dicti Officii Contradictarum per Eugenium Quartum confirmatis sub data Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, sexto Idus Februarii, Pontificatus sui anno quarto, statuit Eugenius, Auditorem prædictum in Capella, & Consistorio, & locis omnibus, juxta laudabilem Curiæ consuetudinem primum locum inter omnes Archiepiscopos, Episcopos, & inferiores, Oratoribus Principum, Dominorum, seu Communitatum exceptis, in eundo, stando, & sedendo, obtinere; post quem statim sequi voluit Correctorem Litterarum Apostolicarum. Legimus etiam in pluribus Libris Cæremoniarum, quod in Processionibus ibant immediate post Protonotarios cum suis Cappis laneis post Pontificem, etiamsi fuissent Archiepiscopi, aut Episcopi, nam tunc alii Prælati præcedunt Papam cum paramentis, & Mitris. Quod si Prælati alii non erant parati, sequebantur Papam post Protonotarios, & Auditorem, atque Correctorem; qui duo sedendo semper erant post Protonotarios ante alios Prælatos. De Protonotariis scimus, decretum fuisse a Pio Secundo in Conventu Mantuano, quod deinceps non præcederent Episcopos, aut Superiores, & ita servatur. De Auditore, & Correctore prædictis meo tempore nunquam fuit habita aliqua ratio in Capella Papæ, neque præscriptus eis locus aliquis eundo, aut sedendo. Hæc omnia volui addidisse, ut nemo videatur prætermissus. Quid deinceps servandum sit, Majores statuant.

COMMENTARIUS.

I. Dicta est Contradictarum Audientia, ubi auditis partibus contradicentibus judicium pronunciabatur; inde ortum est nomen Auditoris Contradictarum, de quo a nobis dictum superius fuit. Quicquid sit de præcedentia, qua Eugenius IV. anno Domini MCDXXXIV. Auditorem ipsum Contradictarum, & Correctorem Litterarum Apostolicarum decoravit, testatur Augustinus Patricius, qui eodem, quo Eugenius, Seculo vivebat, suo tempore, idest, medio Seculo XV. de prædictis Auditore, & Correctore nunquam fuisse habitam aliquam rationem in Capella Papæ, neque præscriptum eis locum aliquem in eundo, aut sedendo. Sed nec sequiori ævo legi factam de ipsis mentionem in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis. Porro consulendi Scriptores sunt, qui de Romanæ Curiæ Officialibus tractant, præsertim vero Cohellius, de Luca, Joannes Baptista Rigantius in Regulas Cancellariæ, & alii. De Protonotariis, qui aliquando Episcopos præcedebant, & quibus deinde Pius II. Episcopos antepositi, jam etiam nos superius diximus.

CAPUT II.

De incensatione Altaris, & aliorum ordinarie.

§. I.

Secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ in Vesperis semel tantum fit incensatio, idest, ad *Magnificat*, & tunc incensat Papa Altare, incensatur ipse, & deinde alii omnes. In Missa post Confessionem incensat Altare Celebrans, incensatur ipse, & Papa tantum. Ad Evangelium Diaconus incensat Librum in prin-

Digitized by Google

principio, in fine Papa ſolus incenſatur, & eo abſente, Celebrans tantum. Poſt Offertorium Celebrans incenſat Oblata, & Altare, incenſatur ipſe, deinde Papa, & demum omnes alii Ordines Capellæ. Ad elevationem Sacramentum tantum incenſatur. Incenſatio autem fit hoc ordine. Acolythus, ſive Cæremoniarius accipit thuribulum cum prunis ardentibus ex loco convenienti, & ponit catenularum anulos in manu ſua ſiniſtra, ita ut dependeat thuribulum, naviculam autem incenſi portat dextra cum apertura naviculæ a parte exteriori, & factis in tempore reverentiis Altari, & Papæ, annuit Cardinali aſſiſtenti, qui ex loco ſuo accedit ad dextram Papæ, & Cæremoniarius poſt eum accedens; ubi iterum genuflexit in plano ante Pontificem, ſurgit, & naviculam dat in manibus Cardinalis aſſiſtentis, qui illam ambabus manibus tenens, vertit aperturam, ubi eſt coclear, verſus Pontificem, dicens: *Benedicite Pater Sancte*. Cæremoniarius autem interim cum dextra manu aperiens late thuribulum, & per catenulas inter ſummitatem, & infimam partem illud retinens, partem inferiorem, ubi ſunt prunæ, ſupponit manibus Pontificis, itaut ipſa pars inferior æquetur naviculæ in manu Cardinalis aſſiſtentis, & Pontifex capiens cum cocleari incenſum, tertio ponit in thuribulo, interim dicens: *Ab illo benedicaris &c.* & in fine facit ſuper illud ſignum Crucis. Cardinalis aſſiſtens interea ſtat inclinato capite, & antequam Papa accipiat coclear, illud oſculatur, & cum Papa illud accipit, & iterum dum reponit, oſculatur ejus manum, & demum reddit naviculam Cæremoniario, qui, ut venerat, revertatur ad locum ſuum, & ſimiliter Cardinalis aſſiſtens. Cæremoniarius vadit ad Altare, tradit thuribulum adolens Diacono Evangelii, qui illud ponit ad manus Celebrantis, anulos videlicet catenularum in ſiniſtra, & catenulas juxta ſummitatem thuribuli, in dextra. Celebrans, ſine Mitra ſtans ante medium Altaris, primo inclinat caput verſus Altare, illi reverentiam faciens. Tum ſi ſint ibi Oblata, ideſt, Calix, & Hoſtia, facit ſuper ea ter ſignum Crucis cum thuribulo, incipiens ab Altari, & ducens verſus ſe, & deinde in tranſverſum. Tunc facit ſuper eadem circulos duos cum thuribulo a dextra in ſiniſtram, & tertio e contrario, a ſiniſtra in dextram. Deinde iterum ſe inclinat Cruci, & elevatis manibus, tertio thuribulum tractim ducens, illam reverenter incenſat, & rurſus caput illi inclinat. Tum incenſat bis Imaginem a dextra parte Crucis, & toties Imaginem a ſiniſtra. Procedit deinde a ſiniſtra, & tractim incenſat ſuperiorem partem Altaris, ſive ſint ibi Imagines, ſive picturæ, ſive candelabra tantum. Si vero ſint ſuper Altare Imagines, incenſata Cruce, quæ eſt in medio, procedit ad ſiniſtram partem Crucis, ut diximus. Cum pervenit ad cornu Altaris ſiniſtrum, ubi dicitur Epiſtola, flectit manum, ſe inclinans aliquantulum dextrorſum, & incenſat inferiorem partem ipſius cornu, bis ducens thuribulum. Tum aſſurgens, vertens ſe, incenſat ſuperiorem partem Altaris uſque ad Crucem, & iterum ſe inclinans, incenſat reliquam partem ſuperiorem uſque ad cornu dextrum, ubi pariter ſe inclinans, incenſat, ut de ſiniſtro diximus. Vertens ſe deinde incenſat inferius anteriorem partem Altaris a dextro in ſiniſtrum cornu, & cum tranſit ante Crucem, vertit ſe ad eam, & illi caput inclinat. Cum eſt in ſiniſtro cornu, firmans ſe, tradit thuribulum Diacono, & accipit Mitram, & a Diacono incenſatur. Tum Diaconus tradit thuribulum Cardinali aſſiſtenti, qui ſurgens vadit ante gradus Solii Pontificis, & genuflexus ſupra infimum gradum incenſat Pontificem ſedentem cum Mitra, ter ducens thuribulum, deinde reddito thuribulo Diacono, ſurgit, & vadit ad ſuum ſcabellum. Diaconus autem ſtans ante eum, inclinat caput primo, deinde incenſat, bis thuribulum ducens. Et nota, quod hæc incenſatio, ſive circa Altare, ſive circa Papam, ſive Cardinales, fit tractim, modeſte, quiete, & ſine ſtrepitu, ac ſine properatione. Cardinales autem, antequam accipiant incenſum, quiſque ſemper invitat alium ſubſequentem, caput verſus illum inclinando. Cardinalis aſſiſtens invitat Diaconum a dextris, & ille deinde ſuo tempore Diaconum a ſiniſtris, qui nullum invitat. Primus inter Epiſcopos Cardinales invitat ſubſequentem, & ſic uſque in finem ſedium Epiſcoporum, & Presbyterorum. Quod ſiquis Presbyterorum eſſet in ſede Diaconorum, ultimus in prima ſede invitat primum alterius ſedis Presbyterum, qui ſedere debet in fine ſcamni, & ultimus inter Presbyteros invitat primum Diaconum ſedentem in capite illius ſcamni. Incenſato igitur Cardinali aſſiſtente, Diaconus Evangelii tranſeundo genuflectit ante Pontificem, & primo ſe inclinat, deinde bis incenſat, & iterum ſe inclinat ante Diaconum

Car-

Digitized by Google

Cardinalem a dextris. Idem facit Cardinali Diacono a sinistris. Deinde vadit ad primum Episcopum Cardinalem, & quoties transit ante Papam, genuflectit, incensat pariformiter & reliquos Cardinales, Episcopos primum, tum Presbyteros, & demum Diaconos eisdem cæremoniis; nam singulis primo se inclinat, tum bis ducens thuribulum incensat, demum rursus se inclinat. Idem facit Regi, sive Principi, qui in eorum scamnis sedent.

COMMENTARIUS.

I. De thurificatione Altaris, ac aliorum tam in Vesperis, quam in Missis solemnibus, de qua in præsenti Capite agitur, abunde diximus nos in nostris Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, & si ritum peculiarem excipias, quo incensari solet Romanus Pontifex Maximus, sedens nempe in Solio, & a Cardinale genuflexo ante infimum ejusdem Solii gradum, ceteri ritus incensationis in hoc Capite notati, iidem fere ac illi sunt, qui in Rubricis Missalis, ac Breviarii Romani præscripti leguntur, quosque novissime egregie explicavit Cajetanus Meratus Clericus Regularis in suis ad Gavantum Additionibus. Porro qui ritus servarentur in Capella Pontificia labente Seculo XIII. in prima Altaris initio Missæ thurificatione, explicat Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Lib. LIII. his verbis: *Osculato Libro, signet se Pontifex signo Crucis, & tunc Chorus incipere potest Introitum. Cumque Pontifex signaverit se prædicto modo, vertat se ad dextram partem Altaris, & Diaconus accipiens thuribulum de manu Thuriferarii, tradat Pontifici, & ipse Pontifex incensat Altare, incipiens ab ejus medio contra faciem suam, & prius incensat partem dextram, & postea sinistram; deinde a sinistro latere redeat ad dextram, incensando anteriorem partem ipsius Altaris. Quo incensato, reddat thuribulum Diacono, qui osculari debet manum Pontificis, & quando tradit ei thuribulum, & quando recipit ab ipso. Diaconus vero, acceptо thuribulo de manu Pontificis, incenset ipsum Pontificem, deinde Altare per circuitum, postea tradat thuribulum Thuriferario.*

II. Duo sunt quæ potissimum in recitatum hactenus locum notemus. Primum est, nullam in eo fieri mentionem thurificationis Crucis, cum alias ex eodem Romano Ordine constet, non unam tantum Crucem, verum etiam plures una cum Sacris Imaginibus in Altari existentes post Oblatorum incensationem thurificari debuisse: *Et continuo incenset Cruces, & Imagines stantes super Altare, & ipsum Altare desuper.* Verba sunt ejusdem Romani Ordinis XIV. Cap. LXXI. Idque etiam repetit Cap. LXXII. in Missa S. Stephani. Erant ergo plures super Altare Cruces, nempe Crux Stationalis, & quæ alias super Altari poni debebat, ut scite observat Mabillonius ad recitatum locum Capitis LXXI. pag. 331. De Cruce Stationali jam nos nonnihil alibi diximus, videtque de ea potest eruditus Morettus in Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte II. Sectione IV.

III. Notato hoc obiter, alterum quod observemus in descriptum superius locum ex Cap. LIII. laudati Romani Ordinis XIV. illud est, nempe non solum a Celebrante consuevisse olim thurificari Altare, verum etiam a Diacono *per circuitum*. Variat itaque non nihil antiquus thurificandi Altare ritus initio Missæ a recentiori, similemque varietatem cernere est in eodem Romano Ordine, citato Capite inferius, ubi agit de thurificatione Oblatorum, Altaris, & aliorum Ministrorum, ac Missæ adstantium: *Pontifex*, inquit, *postquam dixerit*, Veni Sanctificator &c. *convertens se, signum Crucis faciat contra ipsum thuribulum, dicendo illam orationem*, Per interceſſionem &c. *& Diaconus accipiens ipsum thuribulum, tradat Pontifici, osculando manus ejus, & Pontifex, accepto thuribulo cum dextra manu, stans in medio Altaris, versa facie ad ipsum Altare, elevet paulisper in altum ipsum thuribulum, dicendo illam Orationem*, Incensum istud &c. *deinde cum ipso thuribulo faciat ter Crucem super Calicem, & Hostiam simul, dicendo ter illum versiculum*, Dirigatur Domine &c. *subsequenter prosequendo illos Versiculos*, Elevatio manuum, *usque ad finem illius Versus*, Ut non declines cor meum &c. *& circumferat ter ipsum thuribulum in gyro circa Calicem, & Hostiam. Deinde thurificet totum Altare, incipiens in medio contra faciem suam, & procedens ad dextram partem; postea rediens ad medium, inde procedat ad sinistram partem, deinde a sinistro latere Altaris, procedat thuriferando anteriorem partem usque ad dextrum latus.*

IV. Pergit laudatus Ordo, ex ejusque præscripto, *facta thurificatione prædicto modo, tradit*, Pontifex scilicet, *thuribulum Diacono, dicendo illam Orationem*, Accendat Dominus &c. *& Diaconus osculando manum Pontificis accipiens ipsum thuribulum, thurificet ipsum Pontificem, & tradens thuribulum servandum Thuriferario, aptet vestes Pontificis, prout fuerit opportunum; quibus aptatis, recipiat thuribulum de manu Thuriferarii, & thurificet Altare per circuitum, primo a parte dextra, deinde a sinistra, postea thurificet Capellanum, qui servit Pontifici. Potest etiam thurificare Prælatos, & digniores personas siquæ interfuerint Missæ. Deinde reddat thuribulum Thuriferario, qui thurificet ipsum Diaconum, & alios Ministros, & reliquos adstantes, prout videbitur faciendum.* Hactenus Romanus Ordo XIV. a quo non parum dissentit ritus thurificationis in hoc nostro Cæremoniali præscriptus, a quo etiam nonnihil variatum est a sequioribus Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, ut in eorum Diariis videre est, in quibus etiam contentiones recensentur oriri olim solitæ inter Principum Oratores, atque Prælatos ob præcedentiam thurificationis. Sed hujusmodi lites occurrunt & in aliis Ecclesiis passim, de iisque nonnihil jam diximus in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Quomodo incenſetur Imperator, & alii.

Imperatorem autem non Diaconus Evangelii, ſed primus Epiſcopus non Cardinalis aſſiſtens Papæ incenſat ſtans, & bis thuribulum ducens, & immediate poſt Papam. Alios omnes incenſat Diaconus Evangelii, Pontifice non celebrante. Clericus Cæremoniarius ducit Diaconum incenſantem, quem ſi non eſt aſſuetus, officio inſtruit, & genuflexiones, atque inclinationes omnes primo facit. Si vero expertus eſt, factis primo reverentiis, retrahit ſe ad partem, & expectat ejus progreſſum, advertens tamen, ne erret. Incenſatis Cardinalibus, ſiquis magnus Princeps eſt in ſupremo gradu Sedis Pontificalis, ut puta, aliquis Dux ex minoribus, ſive Præfectus Urbis, ſive Capitaneus Eccleſiæ, aut frater, ſive nepos Pontificis, quos Pontifex vult honorare, incenſantur ante aſſiſtentes, ſed neque fiunt ante eum inclinationes, & ſemel tantum ducitur thuribulum. Poſt hos incenſantur ſimiliter aſſiſtentes Papæ, deinde Vicecamerarius, & Oratores Cæſaris, ſi ſunt præſentes. Tum Senator Urbis. Poſt eum Oratores Prælati, ſi inter eos ſint aliqui Regii. Inde Oratores Regum, & Principum non Prælati. Quod ſi Camerarius abeſt, incenſantur Cæſaris Oratores ante alios, ubicumque ſint, deinde Senator, tum Oratores Prælati, ſi ſunt Regii inter eos; ſin minus, incipitur a laicis, ſi ſunt Regii, & a ceteris paribus Prælatis ſemper incipitur; neque refert, an potentior ſit Rex, vel Princeps laici, quam Prælati, dummodo ejuſdem dignitatis ſint. Et ab hac parte, qua incipitur, præſentibus Imperialibus, incenſantur omnes Oratores etiam minores, & hoc etiam in Vicecamerarii præſentia obſervatur. Inde Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, Generales Ordinum, & Pœnitentiarii Papæ, qui omnes ſedent in ſedibus. Inde revertitur ad Solium Pontificis, & ibi incenſat Conſervatores Urbis, Barones, & alios Nobiles ibi ſedere ſolitos; tum Subdiaconum Apoſtolicum a dextris Papæ, & alios cappatos ab ea parte; deinde Subdiaconum a ſiniſtris, & poſt eum Auditorem, qui ſervit de Mitra Sanctiſſimo Domino noſtro. Deinde alios cappatos, Subdiaconos, Auditores, Clericos Cameræ; & Acolythos, tum Cubicularios ſecretos, & Secretarium, ſi eſt cum eis; inde Capellanum aſſiſtentem Celebrantis, (1) tum alterum Cæremoniarum Clericum, & Subdiaconum Epiſtolæ. Inde Cubicularios alios, Advocatos, & Secretarios mixtim, & demum Procuratores Ordinum. Si Magiſter Sacri Hoſpitii adeſt, qui ſtare ſolet apud finem ſcamni Presbyterorum Cardinalium, incenſatur poſt Nobiles ſedentes circa pedes Papæ. Poſt Procuratores incenſantur Capellani Celebrantis ſtantes in Superpelliceis; deinde Scutiferi Papæ, & alii Nobiles, qui ſunt cum eis; tum Magiſtri Oſtiarii, & Servientes armorum, qui ſunt apud portam cancelli; reverſus demum ad credentiam Credentiarios, & Cæremoniarium, & ipſe in fine a Cæremoniario incenſatur.

COMMENTARIUS.

I. PRæter Altaris incenſationem, incenſatos fuiſſe in ſolemni Miſſa Celebrantem, Sacros Miniſtros, ac alios Miſſæ adſtantes, docent paſſim antiqui Libri Cæremoniales, ac præſertim Romani Ordines, quorum loca deſcripſit eruditiſſimus Georgius in celebri Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*. Fateri autem cogimur, quod in hoc Capite edicitur de ordine in thurificatione ipſa ſervando, non ſemper idem fuiſſe, mirumque videri debet, quod Auguſtinus Patricius noſtri hujus Cæremonialis initio hujus §. ſcribit, nempe Imperatorem non per Diaconum Evangelii, ſed per primum Epiſcopum non Cardinalem aſſiſtentem Papæ thurificari; cum alias teſte eodem Patricio in deſcriptione adventus Friderici III. Imperatoris Romam ad Paulum II. Pontificem, quæ legitur Tomo I. Muſæi Italici Parte II. pag. 256. & ſeq. *intra Miſſarum ſolemnia*, celebrata nempe ab ipſo Paulo Papa II. præſente laudato Imperatore, *cum poſt Offertorium fit incenſatio, poſt Pontificem primus incenſum accepit Imperator a Diacono Cardinali*.

II. Ad Reges quod attinet, munus etiam fuiſſe Cardinalis Diaconi illos thurificare, & quod mirum eſt, poſt omnes Cardinales Diaconos, & ante Epiſcopos, & Presbyteros omnes Cardinales, tradit Ordo Romanus XV. Cap. LXXXII. quod eſt, *De incenſatione &c.* his verbis: *Papa incenſat Altare, ut moris eſt; & exinde ipſe Diaconus Cardinalis recipit thuribulum*

(1) Verba hæc, *tum alterum Cæremoniarium Clericum*, leguntur in editione Romana, & deſiderantur in Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

bulum de manu Papæ, semper manum ejus osculando in tradendo, & recipiendo; quo recepto, incensat Papam ter, & tradito thuribulo Acolytho, parat sibi Planetam, & Pallium cum Fano: postea incensat Altare, & Presbyterum Cardinalem, qui ipso die servit Papæ, deinde duos Diaconos Cardinales antiquiores, qui Papæ astiterunt in Missa, postea alios Diaconos Cardinales, deinde Regem, si sit ibi, & postea Episcopos Cardinales, & Presbyteros Cardinales &c. Atque hæc sunt, quæ in hoc Commentario adnotanda censui, longumque esset de singulis ordinibus differere, qui incensandi sunt, tum præsertim quod ordo ille incensandi variationi semper obnoxius fuerit.

§. III.

De aliis incensationis ritum spectantibus.

Et nota, quod omnes, qui accipiunt incensum, debent stare, & non sedere, & esse capite detecto, exceptis Papa, & Celebrante, qui cum Mitra accipiunt incensum. Papa in principio Missæ, & post Offertorium sedens incensatur. Advertat Diaconus (1) & non incenset qui non assurgunt. Quando Papa celebrat, Acolythus servit de incenso, & Diaconus Cardinalis Evangelii incensat Papam, Cardinales, Principes, qui cum eis sedent, & Episcopos assistentes. Inde ipse incensatur ab uno ex Subdiaconis Apostolicis, non tamen ab eo, qui cantat Epistolam, & ille incensat alios. In Vesperis solemnibus Papalibus cum paramentis Acolythus servit de thuribulo, & incensat omnes præter Pontificem. Absente Pontifice, Capellanus assistens Cardinalis facientis Officium debet incensare, sine Pluviali tamen, nam illo in Vesperis non utitur; in cujus locum si non est (2) aptus, substituitur Subdiaconus Papæ cum Superpelliceo tamen.

COMMENTARIUS.

I. VAria docet hic noster §. de ritu incensationis, de quibus nonnihil diximus nos in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum. Excepto Papa, & Celebrante, qui cum Mitra accipiunt incensum, cæteros omnes Missæ adstantes debere capite detecto, ac omnino nudo, incensum accipere, docent passim qui ritus Divinorum Officiorum explicuere. Porro quod hic dicitur de Diacono Cardinali Evangelii in Missa, ut nimirum ipse incenset Papam, Cardinales, Principes, qui cum eis sedent, & Episcopos assistentes; concinit plane Romano Ordini XIV. Cap. LIII. Sed hæc perspicua sunt, & leguntur passim in Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, quorum loca tædet semper referre, & Libri molem augere.

CAPUT III.

De ordine dandi Pacem inter Missarum Solemnia.

I. RItum dandæ Pacis in Missa, antiquum esse in Ecclesia, & Christianæ Religioni coævum, abunde ostendimus Tomo I. Cæremonialis Episcoporum in Commentario Capitis XXIV. Dicemus iterum hoc loco, eaque tantum notabimus, quæ ritum spectant dandæ Pacis in Missa, quam solemniter Papa celebrat, vel cui ab alio celebratæ præest, afferemusque iccirco varia antiquorum Ordinum loca, quæ ad eam rem pertinent, quam inter alios egregie explicuit eruditissimus Georgius in suo Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*.

§. I.

De ritu dandæ Pacis in Missa, Papa celebrante.

Quando Papa celebrat, osculato Altari, dat primo Pacem Cardinali Episcopo assistenti, qui ab ejus dextra genuflexus, primo osculatur Altare, & deinde accipit osculum a Pontifice, eique dicenti, *Pax tecum*, respondetur, *Et cum Spiritu tuo*. Deinde Pontifex vertit faciem ad cornu Epistolæ, & recipit ad osculum Pacis duos Diaconos assistentes, sicut receperat Episcopum Cardinalem. Si autem Imperator sit præsens, primo illum recipit ad osculum Pacis, deinde Episcopum Cardinalem, & duos Diaconos assistentes. Episcopus Cardinalis deinde dat Pacem primo Episcopo Cardinali existenti cum aliis Cardinalibus, primo Presbytero, & (3) primo Diacono existenti apud scamna. Item Prin-

(1) Ita in cunctis editionibus, sed puto legendum, *ut*. (2) Ita in editione Romana, in aliis legitur, *apertus*.
(3) Ita legendum ut in Romana editione, in Veneta I. & Colonien si legitur, *& primum &c.*

Digitized by Google

Item Principi laico, qui ſedet in ſcamno Cardinalium, & demum primo Epiſcopo Cardinali aſsiſtenti Papæ, & in fine Subdiacono Apoſtolico, qui aliis Pacem diſtribuit, & ipſe Epiſcopus Cardinalis revertitur ad Summum Pontificem.

COMMENTARIUS.

I. Sitiſſime obſervat laudatus Georgius in citato ſuperius Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. IV. Cap. XIV. morem eſſe nonnullis ab hinc ſæculis, ut Pontifex prius dicat ante Altare Orationem, *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c.* deinde Pacis oſculum det, dabatur enim Pax olim alio Miſſæ loco. De hujus autem apud priſcos Fideles oſculi antiquitate, antequam Sacram Euchariſtiam ſumerent, plene diſputavit in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti XLV. Num. XXIII. & XXIV. Cardinalis Baronius auctoritate Juſtini, Athenagoræ, Tertulliani, Origenis, Auguſtini, Cyrilli Hieroſolymitani, & Joannis Chryſoſtomi, in cujus Homiliam de compunctione cordis videri poſſunt eam in rem Notæ eruditiſſimi Frontonis Ducæi.

II. Quod ritum recentiorem ſpectat dandæ Pacis in Miſſa, quam ſolemniter Summus Pontifex celebrat, jam illum nos ſupra explicuimus Lib. II. Cap. XIV. §. I. ex cujus præſcripto, *cum Pontifex Altare deoſculatus, dicit*, Pax tecum, *Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, oſculato prius Altari, a Pontifice Pacem accipit, oſculando ipſum in ore, deinde in pectore; ſimili modo duo Diaconi aſſiſtentes a Pontifice Pacem accipiunt, ipſum primo in ore, deinde in pectore oſculando, Altare autem non oſculantur. Diaconus autem Evangelii a Pontifice tunc Pacem non accipit, ſed poſtquam ipſum Papa communicaverit. Accepta Pace a Pontifice, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, præcedente Cæremoniario, defert Pacem aliis Cardinalibus, Regi, & nobiliſſimo cuique, ſi adſunt, ordine ſuo: deinde primo Epiſcopo, aſſiſtenti videlicet ei, qui de Libro ſervit, qui aliis Pacem ſubminiſtrat. Poſt hæc uni ex Subdiaconis in Superpelliceo, qui Pacem proſequitur Prælatis paratis cum Vicecamerario, ſi ſit Protonotarius, & aliis more conſueto.* Placuit hunc prolixum locum repetere, quo melius hoc præſens Caput explicetur.

III. Per idem tempus, quo Cæremoniale hoc noſtrum vulgatum eſt ab Auguſtino Patricio ejus ordinatore, nimirum ſub Sæculi XV. finem Gabriel Biel ſuum Opus in Canonem Miſſæ ſcribebat, ubi nonnulla de Pacis oſculo ex more Pontificiæ Capellæ, & aliarum Eccleſiarum profert, itemque de formulis in mutua oſculantium ſalutatione, quas ex vetuſtis Codicibus memoratus Georgius deſcripſit. Sed audiamus Bielem, qui hæc habet: *Hodie vero id in Capella Papæ, & in quibuſdam Eccleſiis oſculum continuari cernitur, ut qui tunc non participant Sacramentaliter, ſaltem in una fide Sacramenti ſe communicare oſtendant ſpiritualiter &c.* Tum vero mox: *Quod*, oſculum ſcilicet, *cum Sacerdos Miniſtro porrigit, dicit*, Pax tecum, *quam oſculo, Pacis ſigno repræſento, ſit qui a me oſculum, quaſi Pacis ſignum accipiat. Ad quam vocem reſpondet Miniſter*, Et cum Spiritu tuo: *ſit pax Chriſti vera. Sequentem Orationem quidam non legunt, ideo eam exponere placuit. Dicit itaque Sacerdos*: Habete vinculum Pacis, & charitatis, ut apti ſitis Sacroſanctis Myſteriis. *Rurſus dicit ſecundum morem aliquorum*: Pax Chriſti abundet in cordibus veſtris.

IV. Itaque quibuſdam in locis recitatæ formulæ, quæ alias leguntur in antiquioribus Cæremonialibus Libris, & ad Pacis oſculum ſpectabant, ſub finem Sæculi XV. adhuc in aliquibus Eccleſiis vigebant. Sed quicquid ſit de aliis Eccleſiis, quis fuerit antiquus Romanæ Eccleſiæ ritus labente Sæculo XIII. in danda Pace in Miſsa, quam Papa celebrat, explicat quidem Romanus Ordo XIV. Cap. LIII. cujus hæc ſunt verba: *Capellanus vero*, nempe Cardinalis Epiſcopus aſſiſtens, *dum Pontifex dicit prædictam Orationem* (nempe, *Domine Jeſu Chriſte &c.*) *dextram accedat ad partem Altaris, & Pontifex, oſculato Altari, convertat ſe ad ipſum, & det ei Pacem, dicendo*, Pax tecum, *quam ille recepturus, inclinet reverenter ante Pontificem abſque genuflexione. Deinde, recepta Pace, reſpondet*, Et cum Spiritu tuo, *& oſculetur pectus Pontificis, & aptet ei veſtes, prout viderit opportunum. Poſtea det Pacem Diacono, & Diaconus Subdiacono, & Subdiaconus ei, qui ſervat Mitram, & ille uni de Acolythis, & ille aliis, & ſic Pax diffundatur per circumſtantes. Capellanus vero, data Pace Diacono, ſi Epiſcopi adſunt in Miſſa, vel alii Prælati, ſeu Principes, portet eis Pacem; qui, ſi ſimiliter ſtent, ſufficit, quod det uni eorum, qui primum locum tenet; ſi vero ſtent in diverſis locis, accedat ad eos, prout viderit expedire, & data ei Pace, revertatur ad Pontificem. Et eſt obſervandum, quod ſi adſunt communicaturi in fine Miſſæ, ipſi non debent Pacem recipere, quando aliis datur.*

V. Multa ſunt in recitato hactenus loco, quæ præſens noſtrum Caput, & locum citati Capitis XIV. mirifice illuſtrant, tametſi nonnihil deinde ſequiori ævo variatum ſit. Atque ut alias variationes omittam, docet nos plane Ordo Miſſæ Pontificalis in die Natalis Domini Urbano VIII. Pontifice Maximo exaratus, apud laudatum Georgium Tomo III. prædicti Operis in Appendice Monumentorum pag. 598. quod Oratione illa, *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c.* completa, *Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens accedens ad dexteram Pontificis, ſimul cum eo oſculatur Altare &c.* cum alias ex noſtro Cæremoniali, & in præſenti Capite, & Capite XIV. Libri II. Cardinalis Epiſcopus aſſiſtens non ſimul cum Pontifice oſculetur Altare, ſed primum ille, & deinde iſte. Sed longum, & inutile eſſet alias variationes notare, tum præſertim quod parvi momenti ſunt. Porrò notandum illud, qui inter Miſsarum Solemnia communicant, eos jam non ante, ſed poſt Communionem Pacem accipere. Atque hic fuit etiam ritus ſervatus in Solemni Miſsa Pauli Papæ II.

Digitized by Google

cui interfuit Fridericus III. Imperator, atque communicavit. Teste siquidem Augustino Patricio ordinatore nostri Cæremonialis in descriptione adventus ejusdem Imperatoris Romam ad laudatum Pontificem, *intra Missarum Solemnia, cum post Offertorium fit incensatio, post Pontificem primus incensum accepit Imperator a Diacono Cardinali; Pacis vero osculum ab ipso Pontifice, cum ex ejus manibus Sacratissimum Christi Corpus susceperit.*

VI. His denique addi potest, id quod & in suo ms. Diario ad annum MDXV. tradit Grassus, qui agens de Missa Solemni celebrata Bononiæ a Leone Papa X. præsente Francisco I. Galliæ Rege, sic inter alia inquit: *Item quæsivi a Rege, an vellet Pacem a Pontifice in Missa recipere, & placuit similiter, sed prius quæsivi a Papa, an vellet sibi illam dare, sicut dedit Sixtus*, Quartus scilicet ejus nominis, *Regi Datiæ, & placuit similiter, quod factum fuit*. Non modo itaque in solemni Missa, quam Papa celebrat, dat ipsemet Pacem Imperatori, verum etiam Regibus. Porro Rex Daniæ, seu Daciæ, cujus Grassus meminit, est Christiernus, qui Romam venit anno MCDLXXIV. ad visitanda Limina Apostolorum, quique summopere laudatur a Cardinale Papiensi in Epistola sua DLVI. ob honores ab eo impensos Sixto IV. Papæ, ac cœtui Cardinalium. Inter quos fuere, quod lavanti ad Sacra manus Pontifici pelvim sustinuit, & inter duos Cardinales receptus, non prius illis sedere, aut tegi voluit.

§. II.

De ritu in danda Pace servando in Missa Solemni, a Cardinali, vel Prælato celebrata, præsente Pontifice.

Quando autem aliquis Cardinalis, sive Prælatus celebrat, Pontifice præsente, Cardinalis assistens, dicto, *Agnus Dei*, recedit de Circulo, & factis reverentiis, ascendit ad Altare, & genuflexus illud osculatur primum, tunc surgens capit Pacem a Celebrante, & deinde ascendit ad Papam, cui dat osculum Pacis, ut supra, deinde revertitur ad locum suum cum aliis Cardinalibus; & alii Diaconi assistentes descendentes a latere Pontificis, factis reverentiis, similiter ascendunt ad Papam, & capiunt ab eo osculum Pacis; & si adest Imperator, accipit Pacem a Pontifice ante Diaconos assistentes, faciens reverentias. Cardinales genuflectendo tamen, non inclinando solum. Interim vero Capellanus assistens Celebranti cum Pluviali, ductus a Cæremoniario, relinquens Librum (1) Missalem ad manus Diaconi, cum reverentiis solitis accedit ad Cardinalem assistentem, & ab eo accipit osculum Pacis, & se ei inclinat, antequam capiat, & postquam acceperit Pacem. Deinde dat Pacem Priori Episcoporum Cardinalium, tum Subpriori Episcoporum, inde primo ex Diaconis in sede, demum Principi laico, siquis adest in ordine Cardinalium, & his omnibus inclinat se primo, & postea. Deinde dat Pacem Præfecto, sive magno Principi, qui sedet ad pedes Papæ; inde primo Episcopo assistenti, tum Vicecamerario, qui eam dat Prælato juxta eum stanti, & ille alteri, & sic cæteri. Deinde Oratori Cæsaris laico, vel non Prælato, & ille alteri Oratori juxta eum stanti, etiamsi alter non sit Imperialis, vel Regalis Orator, & sic de aliis. Tum Senatori, inde primo Episcopo in secundo ordine, & primo in tertio, & sic de aliis, si sunt plures Ordines Episcoporum. Deinde primo Protonotario in illorum ordine, qui sunt in eisdem locis, sive Abbates, sive Generales, aut Pœnitentiarii accipiunt Pacem a superioribus. Interea si Celebrans jam perfecit Communionem suam, revertitur assistens Capellanus ad Altare, & Cæremoniarius accipit ab eo Pacem, & distribuit reliquis, quibus ille non dederat. Post nominatos primo dat Pacem Nobilibus, & Baronibus, qui sunt ad pedes Papæ, deinde Magistro Sacri Hospitii, si adest, tum Subdiacono a dextris, & ille reliquis cappatis ab eo latere; inde Subdiacono a sinistris, & ille similiter suis cappatis; deinde Auditori servienti de Mitra, & ille secretis Cubiculariis, tum alteri Cæremoniarum Clerico, deinde Diacono Evangelii, & ille Subdiacono. Inde primo ex Cubiculariis, primo ex Advocatis, sive Secretariis; deinde primo ex Procuratoribus, tum primo ex Capellanis Celebrantis, postea antiquiori ex Scutiferis Papæ, primo ex Ostiariis, & primo ex Servientibus armorum, & sic est finis. Absente vero Camerario, dat primo Oratori Cæsaris, & ille alteri, ut supra dictum est, tum Senatori, deinde primo Oratori Prælato, si Cæsaris Orator est laicus, vel non Prælatus; sin autem dat primo Oratori laico, seu non Prælato, & aliis, ut supra diximus. Quod si etiam Oratores Cæsaris non intersint, dat Senatori, tum Ora-

(1) Legendum, *Librum Missalem*, licet in omnibus editionibus legatur, *librum Missale*.

Digitized by Google

Oratoribus Prælatis, ſi inter eos ſint Regii; ſin minus, incipitur a laicis, ſi ibi ſunt Regii, & cæteris paribus a Prælatis.

COMMENTARIUS.

I. JUxta antiquum ritum, quem nos docet Romanus Ordo XIV. Cap. LX. quod eſt de Miſſa, quæ celebratur in præſentia Papæ, jam alius ordo ab eo diverſus, qui in hoc Capite præſcribitur, ſervatus fuit in danda Pace, ubi non Papa, ſed alius, eo præſente, Miſſarum Solemnia celebraret. En laudati Ordinis verba: *Poſtquam Cardinalis prædictus aſſiſtens Domino Papæ, dixerit cum ipſo Domino Papa*, Agnus Dei, *pergat ad Altare, & cum Pontifex celebrans convertit ſe ad dandam Pacem, recipiat ipſam ab eo, & portet Domino Papæ, qui dat eam primo Diacono aſſiſtenti a dextris, & poſtea Diacono aſſiſtenti a ſiniſtris, & ipſi duo dant eam duobus de Cardinalibus aliis aſſiſtentibus hinc inde, & illi dant eam aliis, & ſic Pax diffunditur per Circumſtantes &c.*

II. Variat quidem ab hoc Ordine noſtrum Cæremoniale, & ab hoc etiam mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Daria, in quibus etiam mentio litium fit, quæ excitatæ non ſemel fuerunt ob præcedentiam in recipienda Pace, factumque demum eſt, ut Oratores Principum eam ob cauſam Miſſis hujuſmodi minime interſint.

CAPUT IV.

Quando Papa lavat manus ante Miſſarum ſolemnia, & actibus publicis.

Princeps, Nobilis, ſive Orator, qui aquam ferre debet ad lavandum manus Pontificis, in tempore vocatur a Cæremoniario, & a duobus Servientibus armorum conducitur ad credentiam Papæ, & cum eo duo Auditores Rotæ. Hinc apud credentiam imponitur circa collum mappula ſericea longa, quæ utrimque ante pectus ei deſcendet, manu dextra capit inferiorem pelvim, in quo Credentiarius aquam imponit, & Nobilis aliquantulum aquæ ex pelvi imponit in vaſculum, quam Credentiarius præguſtando bibit; tum ſiniſtra manu capit ſuperiorem pelvim, & a Magiſtro Hoſpitii, vel Scalco Papæ cooperiuntur pelves mappula a dextra parte pendente. Tum elevatis manibus cum pelvibus uſque ad oculos, adjuvantibus hinc inde Magiſtro Hoſpitii, & Scalco Papæ, vel ſaltem altero, ſi alter abeſt, ad Pontificem proficiſcitur hoc ordine. Primo procedent duo Servientes armorum; hos ſequuntur Cæremoniarii, qui genuflexiones, & geſtus oſtendunt, tum duo Auditores, quorum ſenior portat duabus manibus mantile, quod a Credentiario acceperat, illo prius ab eo oſculato. Demum Nobilis cum pelvibus aquæ, medius, ut diximus, inter Magiſtrum Hoſpitii, & Scalcum. Cum tranſeunt ante Altare, omnes genuflectunt, & antequam ad Pontificem perveniant, tertio genu terram tangunt. Cum pervenerint ad ejus pedes, Auditor mantile deoſculatum deponit ſuper genua Pontificis, & Diaconi aſſiſtentes illud explicant, & ipſi Auditores genuflexi hinc inde extremitates mantilis retinent. Cardinalis aſſiſtens interea, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, accedit ad Pontificem, & ponit manus ad pelves. Nobilis aquam portans, elevata ſuperiore pelvi, poſitaque in loco inferiori, ſuper ejus labium imponit pauxillum aquæ, quam præguſtando ſorbet, & deinde, adjuvante aſſiſtente Cardinale, infundit aquam ſuper manus Pontificis in (1) ſubjectam pelvim, dextra ſuperiorem cum aqua, inferiorem ſiniſtra, ubi aqua recipitur, retinens. Interim laici omnes circumſtantes genuflectunt. Cardinales ſurgunt ſine Mitris. Prælati ſurgunt detecto Capite. Lotis manibus, Diaconi aſſiſtentes (2) explicant mantile ſuper manus Papæ. Nobilis iiſdem reverentiis, & ordine revertitur ad credentiam Papæ. Auditor, reaſſumpto mantili, cum ſocio ſequitur Nobilem, & id reddit Credentiario, & revertitur ad locum ſuum. Hic ordo ſervatur, quoties Papa publice lavat manus, & quando celebrat, quia quater ſunt lavandæ manus. Incipitur a minus digno, itaut dignior, etiamſi eſſet Rex, aut Imperator, ultimo ferat aquam ad manus Pontificis.

COMMENTARIUS.

I. DE lotione manuum Pontificis in ſolemni Miſſa fieri ſolita eidem per Nobiliores eidem Miſſæ aſſiſtantes, jam non ſemel ſuperius diximus, ubi de ea lotione differendi non una nobis ſe dedit occaſio. Eſt hic plane antiquus ritus, cujus mentionem faciunt

(1) Ita in Veneta 1. editione, & Colonienſi; in Romana legitur, *in ſubdictam*.
(2) Ita in Romana editione; in Veneta vero 1. & Colonienſi, *replicant*.

Digitized by Google

ciunt Romanus Ordo xv. atque Apostolicorum Cæremoniariorum mss. Diaria; ex quibus etiam docemur, ipsos etiam magnos Principes non dedignatos fuisse hujusmodi obsequium Romano Pontifici Maximo exhibere. Si veterem Romanæ Ecclesiæ morem spectemus, præsertim postquam Pontifex oblationes susceperat, ductus a Primicerio, & Secundicerio, redibat ad Pontificalem Sedem, & lavabat manus, ministrantibus ei tribus Acolythis aquam, ac manutergium. Ita sane docent pervetusti Romani Ordines, I. Num. xiv. II. Num. ix. III. Num. xiii. Sed audiamus Ordinem VI. qui Num. ix. & eam manuum lotionem, & ejusdem ritus rationem designat, sic inquiens: *Ubi... Episcopus Sedem petierit, antecedant duo Acolythi cum manutergio, & genuflexi ante eum, totum illi sinum de eodem cooperiant, ne lavans manus, aqua Casulam spargat. Tertius autem Acolythus aquam illi ministraturus, in medio duorum genuflectat cum eo. Quod ideo ab antiquis Patribus decretum fertur, ut Pontifex, qui Cælestem Panem est accepturus, a terreno pane, quem a laicis accepit, manus lavando, expurget.* De hac manuum lotione ad Offertorium videri possunt Innocentius III. Lib. II. de Mysteriis Missæ, & ut alios omittam, nostrum Cæremoniale supra Lib. II. Cap. xiv. & Cæremoniale Episcoporum Lib. II. Cap. viii.

II. Munus etiam Acolythorum fuisse seculo xiii. ut Pontifici initio Missæ manus loturo Acolythi una cum Cardinale assistente Pontifici in Officio Capellani inservirent, docet nos Ordo Romanus xiv. Cap. liii. *Acolythus*, inquit, *extendat super gremium ipsius Pontificis aliam tobaleam, & Pontifex, amoto Anulo suo, quo utitur communiter, tradat ipsum servandum Capellano, qui accipiens ab Acolytho pelves cum aqua, & tenens inferiorem pelvim manu sinistra, superiorem vero dextra manu, flexis genibus fundat aquam super manus Pontificis, assistentibus interim ipsi Pontifici Diacono a parte dextra, & Subdiacono a parte sinistra, genibus flexis, & tobaleam præditam tenentibus.* Mirum plane videri potest quod dicit de altera ablutione post Offertorium: *Pontifex*, inquit, *postquam thuribulum Diacono reddiderit, potest ad majorem munditiam abluere digitos suos in dextro parte Altaris, Capellano fundente aquam cum pelvibus, quamvis hoc non servetur communiter in Ecclesia Romana.* Quicquid sit, abluit iterum manus Pontifex post sumptam Communionem, aquam Capellano assistente infundente cum pelvibus, ut idem Ordo nos docet, *& ipsa aqua projicebatur in loco mundo*, tum vero aqua abstergebat os *cum panno terforio*, quem ei porrigebat is, qui Mitram servabat. Sane licet olim aqua in hac manuum lotione projiceretur in locum destinatum, modo simul cum vino ad purificationem, ut loquuntur, miscetur in Calice, atque utrumque haurit Celebrans.

III. Fateri autem cogimur, esse antiquum ritum, ut Summo Pontifici celebranti, in manuum lotione, nobiles Viri, Principesque maximi, Reges, atque ipsi etiam Imperatores inservirent. Hinc Cæremoniarius Paris de Grassis in ms. Diario ad annum MDXV. agens de Missa solemni celebrata Bononiæ a Leone X. præsente Francisco I. Galliæ Rege, postquam dixit, quæsivisse se a Rege, *an vellet caudam Pluvialis Papæ per quatuor passus sublevare, sicut est de more Imperatoris, & quorumlibet Regum*; eumque respondisse, *quod libentissime faceret, prout fecit*; ita statim subjicit: *Etiam interrogavi, an vellet aquam manibus ministrare in lotione post Communionem? Et similiter respondit benigne, se facturum, prout fecit.*

CAPUT V.

De luminaribus in Capella Papæ, & sacris Imaginibus super Altare.

Super Altare, cum Divina peraguntur, sive Cardinalis, sive alius Prælatus celebret, candelabra sex super Altare, super credentiam vero duo cum luminaribus semper habentur. Ad Evangelium luminaria duo; Ad elevationem Sacramenti funalia quatuor. Super cancellos Capellæ, si Cardinalis celebrat, sex; si alius Prælatus, quatuor funalia ardent. Si Papa celebrat, super Altare candelabra septem ardent, super credentiam duo, ad Evangelium Latinum septem, ad Evangelium Græcum duo, ad elevationem Sacramenti funalia octo, super cancellos octo. Ad Processiones Papales semper candelabra septem. Quando Papa non est præsens, duo candelabra ardent. Si Papa celebrat in aliqua Ecclesia, ubi Sedes eminens multum distet ab Altari, ut in Ecclesia Lateranensi, vel in Ecclesia S. Pauli de Urbe, tunc cum Corpus, & Sanguis ex Altari defertur ad Papam, octo funalia, quæ ibi permanent accensa usque post Communionem, feruntur ante Sacramentum, primo ante Corpus, deinde ante Sanguinem; neque extinguuntur antequam sit completa Communio. Imagines, & Reliquiæ ponuntur super Altare, quando utuntur Mitra auriphrygiata, & non aliter.

COMMENTARIUS.

I. DE candelabrorum, & cereorum usu in Altari, dum Divina celebrarentur Officia, ex pervetusto Ecclesiæ ritu, diximus jam nos non uno Operum nostrorum loco, præsertim vero in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum. Legendus præ ceteris eruditissimus Stephanus Durantus Libro I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. viii. ubi vetera plurium Patrum testimonia describit, quibus probat, perpetuo in Ecclesia Christianorum re-

Digitized by Google

retentum fuiſſe uſum candelabrorum, ac luminarium. Porro quod in noſtro hoc Capite edicitur de candelabrorum, & luminarium numero adhibendo in Pontificia Capella, ſuper Altare, ſuper cancellos, ſuper credentiam, in ſolemni lectione Evangelii, & ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ut nimirum plura, cum celebrat Pontifex, pauciora vero, cum Cardinalis, & Prælatus celebrant, adhibeantur, recentioris videtur eſſe inſtituti, ejuſque differentiæ mentionem paſſim faciunt mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria.

II. Eſſe autem antiquum ritum Romanæ Eccleſiæ, ut ad ſolemnes Summi Pontificis proceſſiones, ac ad illam præſertim, qua ex Secretario pergebat ad Altare ad celebranda Miſſarum Solemnia, ſeptem Acolythi cum ſeptem candelabris accenſis Pontificem ipſum præcederent, diſerte docet Romanus Ordo I. omnium antiquiſſimus, Num. VIII. *Subdiaconus*, inquit, *cum thymiamaterio procedit ante ipſum, mittens incenſum, & ſeptem Acolythi illius regionis, cujus dies fuerit, portantes ſeptem cereoſtata accenſa præcedunt ante Pontificem uſque ante Altare*. Similia docent & alii Ordines ſequioris ævi, ſed notandum illud potiſſimum, quod ait laudatus Ordo I. Romanus ex vetuſtiſſimo Codice Veronenſi a Viro Clariſſimo Franciſco Blanchino edito in Prolegomenis ad Anaſtaſium Bibliothecarium Tomo III. pag. 38. & ſeq. ubi dicitur, quod finita Antiphona ad Introitum Miſſæ, dum *Kyrie eleiſon* dicebatur, *continuo Acolythi* ponebant *cereoſtata in pavimento Eccleſiæ, tres quidem in dextra parte, & tres in ſiniſtra, unum vero in medio ſpatio, quod eſt inter eos*.

III. Septem igitur illa candelabra, ſeu cereoſtata, quæ ab Acolythis regionariis in Proceſſione Miſſæ Pontificalis præferebantur, jam non in Altari collocabantur, neque accenſa per totam Miſſam tenebantur, ſed poſt cantatum *Kyrie eleiſon*, in pavimento ordinatim ſtatuebantur, ut vetuſtiores Romani Ordines nos docent, quorum loca deſcripſit Georgius in ſuo Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Tomo II. Libro III. Cap. II. ubi etiam ſcite obſervat, quod licet ex Romanis Ordinibus vetuſtioribus, erui poſſit, per novem priora ſecula candelabra fuiſſe Altari impoſita, certum tamen eſt, circum Altaria, luminaria, lucernaſque, oleo, & lychnis ſuccenſa, atque cerea, funalia ſeculo Chriſti IV. adhiberi conſueviſſe diu noctuque micantia. Perſpicuus eſt enim in eam rem vulgatus S. Paulini Nolani locus in Natali III. S. Felicis.

Clara coronantur denſis Altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte, dieque micant.

Porro uſum ſeptem candelabrorum cum cereis accenſis in proceſſu Pontificis ad Altare, & in ſolemni Evangelii lectione fieri Latine ſolita per Diaconum Latinum in ſolemni Miſſa, quam Papa celebrat, diu intermiſſum, renovavit initio ſui Pontificatus Gregorius Papa XIII. teſte in ſuo ms. Diario Franciſco Mucantio, cujus locum ſupra deſcripſimus.

IV. Reſtat, ut de Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum dicamus, quæ etiam, ut in fine noſtri hujus Capitis edicitur, *ponuntur ſuper Altare, quando utuntur Mitra Auriphrygiata, & non aliter*. Quamquam de Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum ſuper Altari locatis plura extent apud antiquos Scriptores teſtimonia, notat nihilominus Georgius in laudato Opere Tomo II. Lib. III. Cap. IX. Num. XI. hanc fuiſſe apud omnes fere Eccleſias uſque ad Seculum XI. religionem, atque conſuetudinem, ut ſuper Altari nihil niſi quod ad Sacrificium pertineret, poneretur, quamobrem Reliquiæ ipſæ in Altaribus exponi non ſolebant. Extant inſignia exempla a Mabillonio Lib. I. *De Liturgia Gallicana*, Cap. IX. Num. IV. & ab aliis allata, ex quibus conficitur, minime licuiſſe Reliquias ſuper Altaribus collocare. Nam Reliquiis S Bercharii Abbatis, teſte Anonymo antiquo Scriptore Lib. II. de miraculis ejuſdem Bercharii, Cap. XXVI. religionis ergo ab Ædituo Eccleſiæ Beruenſis ſuper Altare collocatis, eidem Ædituo S. Bercharius apparuiſſe dicitur, & ut inde eas auferret protinus juſſiſſe. Reliquiæ etiam S. Gualburgis, ſeu Yvalburgis, quum ſuper Altare per aliquot dies manſiſſent, miracula non fecerunt; ac ipſa Sancta Virgo apparens hæc monuit, ut refert S. Odo Abbas Cluniacenſis Lib. II. *Collat.* Cap. XXVIII. *Iccirco*, inquit, *non ſanamini, quia Reliquiæ meæ ſunt ſuper Altare Domini, ubi majeſtas Divini Myſterii debet ſolum modo celebrari*.

V. Hæc narrantur prodigia Seculo X. quamquam Seculo IX. ac X. in morem inductum fuiſſe, ut ſuper Altare etiam Reliquiæ, ac thecæ cum Sanctorum Reliquiis collocarentur, apparet ex Admonitione Synodali Leoni Papæ IV. ac item Ratherio Veronenſi Epiſcopo adſcripta Tomo II. Spicilegii Dacheriani pag. 260. *Super Altare nihil ponatur, niſi Capſæ, aut Reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia, & Pyxis cum Corpore Domini ad Viaticum infirmis.* Hujuſmodi Admonitionem ab aliis jam diu editam, & a Baluzio in Appendice ad Reginonem ad fidem duorum Codicum vetuſtiſſimorum recuſam, publici etiam juris fecit ad fidem ms. Vaticani Codicis accuratus Georgius in Appendice laudati Operis, *De Liturgia Romani Pontificis*. Porro conſuevi.le jam olim non modo Reliquias, verum etiam Imagines ſuper Altari locari, jam nos alias oſtendimus, probarique hic uſus poteſt ex Ordine XIV. Romano longe ante hoc noſtrum Cæremoniale ſcripto, Cap. LXXI. ubi agens de incenſatione Oblatorum in II. ſolemni Miſſa Nativitatis Domini, inter alia edicit, ut Papa celebrans *incenſet Cruces, & Imagines ſtantes ſuper Altare*. Id quod etiam repetit Cap. LXXII. ubi agit de Miſſa celebrari ſolita a Papa in Feſto S Stephani. Ceterum plurali numero Cruces dicit, quia tunc temporis plures ſolebant ſuper Altari poni Cruces, nempe Stationalis, & quæ alias ſuper Altare locari ex antiquo ritu debebat.

VI. Plura ſcitu digna de Cruce Stationali videri poſſunt apud doctiſſimum Petrum Morettum in Appendice I. ad inſigne Opus ſuum, *De Presbyterio*, Numero VIII. Quum vigeret uſus deferendi Crucem Stationalem Vaticanam per Stationes Quadrageſimales, illa præibat univerſo Urbis Clero procedenti, ut teſtatur Mallii locus apud laudatum Morettum, & alios Scriptores.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Ministris Celebrantium.

Cardinali Divina celebranti adesse debent Diaconus, & Subdiaconus cum suis paramentis opportunis, Capellanus assistens cum Superpelliceo, & Pluviale, Serviens de Mitra cum Superpelliceo, & mappula longa ad collum, & septem alii Capellani cum Superpelliceis, qui servire debent, unus in sustinendo Librum supra caput, unus in ampullis, alius in tenendo thuribulo, & quatuor in tenendis candelabris in Evangelio, & funalibus in elevatione, & juniores debent servire in istis ultimis. Totidem aderunt celebranti Vesperas. Prælato autem non Cardinali ultra Diaconum, (1) Subdiaconum, & Assistentem cum Pluviali, aderunt quatuor alii tantum Ministri cum Superpelliceis. In credentia pro Cardinali erunt tres Scutiferi, pro Prælato duo tantum.

COMMENTARIUS.

I. NIhil ad explicandum hoc Caput afferri luculentius potest, quam quod tradit Romanus Ordo XIV. Cap. XLVIII. quod est, *De bis, quæ observanda sunt circa ministerium, quando Episcopus Cardinalis Missarum solemnia celebrat, & quos Ministros debet habere, & de vestimentis, seu ornamentis Pontificis, & ipsorum.* Multa plane in hoc Capite recensentur, quæ licet ad Cardinalem Episcopum celebrantem spectent, jam explicant etiam nobis ritum servandum in solemni Missa, quam Cardinalis Presbyter celebraret, si pauca scilicet excipias, quæ propria sunt solius Cardinalis Episcopi. Verba autem citati Romani Ordinis pag. 288. hæc sunt.

Quando Episcopus Cardinalis Missarum solemnia celebraturus est in Ecclesia aliqua, Clerici ejus, quibus Capellæ cura committitur, præcedere debent ad eandem Ecclesiam cum ipsa Capella, & sollicite providere, quod omnia deferant, quæ necessaria sunt ad ministerium, tam pro persona Pontificis, quam pro Ministris ejus, & pro sacro Altari. Ministri autem, quos Pontifex omni tempore habere debet, sunt hi: Capellanus, Diaconus, & Subdiaconus, & quatuor Acolythi ad minus, videlicet, unus qui Mitram servare debet, unus qui sit Thuriferarius, & duo, qui sint Ceroferarii. Cum opus est, poterunt nihilominus aliqui alii de Clericis Celebrantis Induti Superpelliceis eidem assistere cum prædictis Ministris. Vestimenta vero, seu ornamenta pro persona Pontificis deferenda, hæc sunt. Caligæ, Sandalia, Amictus, Alba, Cingulum cum Subcinctorio, quod habet similitudinem Manipuli, & dependere debet a Cingulo in sinistra parte, Crux pectoralis, Stola, Tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, Planeta, seu Casula, & Manipulus, Pallium cum tribus spinulis aureis, si Pontifex Pallio utitur, Mitra, & Anulus Pontificalis. Cambuta, seu Baculo Pastorali non utuntur Summi Pontifices, nec Episcopi Cardinales in Romana Curia. Sunt necessaria pro persona Pontificis pecten, & tobalea circumponenda collo ejus, quando pectinatur, pelves, & tobalea ad abstergendum manus, Faldistorium cum scabello, & cussinis supponendis Faldistorio, & pannum ad tegendum ipsum.

Capellanus autem Camiseam lineam super communes vestes, Superpelliceum, seu Cottam, Amictum, & Pluviale habere debet. Diaconus Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Dalmaticam, & Manipulum. Subdiaconus Amictum, Albam, Cingulum, Tunicellam, & Manipulum. Acolythi omnes debent esse induti Cottis secundum consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; & notandum, quod Diaconus, & Subdiaconus diebus, quibus est usus violacei, seu nigri coloris, non Dalmaticas, & Tunicellas, sed Planetas Sacerdotales habere debent.

Provideant etiam prædicti Clerici, quod deferant cum Capella Altare portatile, nisi sciant, quod Altare, in quo celebrandum est, sit consecratum, & pannum sericum, qui dicitur dorsale, & aurifrigium, ad adornandam faciem Altaris, Crucem ponendam super ipsum Altare, Pallam, Corporale, Calicem, Patenam, mappulam ad tergendum Calicem, ampullas pro vino, & aqua ad Sacrificium, vasculum, quod continet Hostias, barilium, seu vas, unde deferant vinum pro Sacrificio, & aliud vas pro aqua necessaria in ministerio. Deferant etiam naviculam, & thuribulum cum cochleari, & Libros, videlicet Missalem, Librum Evangeliorum, & Librum Epistolarum; tobaleas etiam, quarum unam tenet Capellanus, vel aliquis alius de Ministris porrigendam Pontifici, cum opus fuerit, ad tergendum os, vel nares. Tobaleas habeat is, qui servat Mitram ad tenendam ipsam Mitram; aliam etiam ad extendendam super gremium Pontificis, quando sedet. Nihilominus habeant paratas & alias tobaleas aliquas, & aliquem alium pannum, seu pannos sericos, quibus uti possint ad alia ministeria, quæ prædicta sunt, si necesse fuerit, utpote ad ornandum Ambonem, vel posteriorem partem Altaris, si ejus dispositio id requirat, vel aliquem alium ornatum. Deferant quoque æstivo tempore flabella ad abigendum muscas a ministerio. Insuper deferant tapetia plura sternenda sub Faldistorio, & ante Altare, & super sedilia, in quibus debeant sedere Ministri. Præterea provideant supradicti Clerici Capellæ, quæ vestimenta Pontifici, & Ministris conveniant, & sint coloris tempori congruentis.

II. Hæc

(1) In editione Romana ob typographi errorem deest, *Subdiaconum*, quod tamen recte legitur in citatis toties editionibus Veneta r. anni 1516. & Colonienſi anni 1557.

Digitized by Google

II. Hæc ſunt, quæ adnotanda hic cenſui ex Ordine XIV. Romano, in cujus recitato hactenus loco multa obſervare poterit lector non modo circa Miniſtros Cardinalis Divina celebrantis, verum etiam circa apparatum Capellæ, quæ in ipſa Divinorum celebratione inſtruebatur; id quod etiam ex aliis Scriptoribus conſtat.

CAPUT VII.

De Evangelio & Epiſtola Græce legendis.

Evangelium & Epiſtola Græce leguntur, quotieſcumque Pontifex Romanus publice, & ſolemniter celebrat, ſi illi placuerit, & in hoc non eſt aliqua Feſtivitas magis privilegiata, quam alia. In Coronatione Pontificis legi, obſervatum eſſe vocari ad hoc Monachos ex Monaſterio Cryptæ Ferratæ, ſi Romæ fiat, qui ſunt fere in ſuburbiis, & linguam, ac ritum Græcanicæ Eccleſiæ ſervare conſueverunt. Ego tamen nunquam vidi illos in tali exercitio. Habeantur igitur duo, qui docti ſint, & linguam Græcam bene noverint. Neque adhibeantur, qui ſint inexperti, & non intelligant; quia raro eſt, quod non ſit aliquis doctus in illa lingua, qui cum audiunt barbarizantes, ſive ſolecizantes, irrident Solemnia noſtra. Melius eſt a tali actu deſiſtere, quam ponere non idoneos. Oportet tamen, ut hi in Diaconali, & Subdiaconali adminus Ordine ſint conſtituti. Vidi tamen ſæpius obſervari, quod Epiſcopus quiſpiam Evangelium Græce dixerit, Epiſtolam vero alius Vir non indoctus, neque vilis. Hanc autem conſuetudinem Græce legendi, hinc ortam puto, ut appareat, Romanam Eccleſiam in ſe continere utramque gentem, Græcam ſcilicet, & Latinam, ex quibus Eccleſia Dei fere tota conſiſtit. In qua quidem Primatum obtinet, quod Græci diu recuſarunt, Apoſtolica Sedes. Ego reperi in antiquiſſimis Codicibus, non modo Evangelium, & Epiſtolam, ſed & Prophetias, & Paſſionem Chriſti in ſacra Hebdomada, & alia hujuſmodi, Græce legi conſuetum fuiſſe. Hi Diaconus, & Subdiaconus debent accipere paramenta, quando alii, & ſedere, ut in Miſſa Papali diximus.

COMMENTARIUS.

I. DE Evangelio, & Epiſtola, atque aliis etiam Lectionibus Latine non modo, ſed & Græce legendis in Liturgia Romani Pontificis, jam ſupra non uno in loco diximus, præſertim vero ubi egimus de ſolemni Miſſa per Papam celebrata, *Evangelium, & Epiſtola*, ut in hoc Capite notatur, *Græce leguntur, quotieſcumque Pontifex Romanus publice, & ſolemniter celebrat, ſi illi placuerit*. Uſurpatum quoque fuiſſe hunc olim ritum in Eccleſia Conſtantinopolitana, liquet ex Nicolai Papæ I. Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, qui Latinam linguam ex contemptu barbaram appellabat. In Regno Neapolitano, ac præſertim in noſtra Calabria eundem ritum viguiſſe, noſtri Scriptores tradunt. Ritum ipſum ſervat hodie, retinetque in eodem noſtro Neapolitano Regno Eccleſia Neritina, ut prodit Vir doctus Sebaſtianus Pauli Clericus Regularis Congregationis Matris Dei in Libro, *De ritu Eccleſiæ Neritinæ*, Parte II. Num. v. Quæ illuſtris in Japygia Eccleſia licet Latinum ritum ab origine acceptum nunquam dimiſerit, *quia tamen partim Latino, partim Græco conſtabat populo, variaque olim Græci ritus Oppida intra Diœceſim complectebatur, materni ejus officii fuit hos quoque ſinu fovere, & ſeſe quandoque piis eorum uſibus accommodare. Alienum enim a Chriſtiana Religione erat, ut confluentes in primis anni ſolemnitatibus ad Eccleſiam Græci Fideles, nil ibidem ſuſpicerent, quod eorum pietatem aleret, pietatiſque fervorem frequentia Sacrorum Myſteriorum roboraret*. Hæc, & alia ad rem plura jam notavit laudatus Scriptor cui facem prætulit Petrus Pollidorus, Vir eximiæ eruditionis, qui peculiari Diſſertatione eamdem rem jam pridem illuſtravit. Semel præterea in anno Dominica Palmarum Brunduſii in Sallentinis Epiſtolam item & Evangelium Græca lingua ex priſca, & immemorabili ejuſdem Latinæ Eccleſiæ conſuetudine cantari, narrat Andreas de Monacha, Lib. v. *Hiſtoriarum Brunduſinarum*, Cap. XI. & ultimo.

II. Antiqui hujus ritus varias rationes recenſet in citato Opuſculo memoratus Pauli pag. 100. & ſeqq. Primum, inquit, ut perſpectum omnibus fieret, unum illum Antiſtitem utriuſque Gentis eſſe caput, æquali iccirco veneratione colendum, audiendumque. Secundo, ut ſe uni tantum, veræque Eccleſiæ ſubjectos ſcirent, eamque illam eſſe non uno nomine dignam, quam veluti communem, benemerentemque Matrem impenſius obſervarent. Poſtremo, ut Eccleſiæ unitatem, peculiarem ipſius notam, animadverterent, extra cujus fines, nec ſalus, nec ſpes ulla ſalutis ſupereſt, & eos qui eam ſcindunt, & aqua, & igni, & commercio generis humani interdicendos. Quod & olim in Conſtantinopolitana Eccleſia uſurpatum fuiſſe, nos docet laudatus ſuperius Nicolaus Papa I. in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, ubi ſic inquit: *Iſtius enim dictione Linguæ*, Latinæ ſcilicet, *Conſtantinopolitana Eccleſia lectionem Apoſtolicam, & Evangelicam in lectionibus primitus recitare, ſicque demum Græco ſermone propter Græcos utique ipſas Lectiones recitare*. Re vera

Digitized by Google

ra, ut Græcæ ibidem Gentes consueta Evangeliorum, ac Librorum Ecclesiasticorum lectione non frustrarentur, sed pariter, ut specimen aliquod Dominationis exhiberetur, quod Papa Oecumenicus in omnes alias Ecclesias sibi vendicat, ut recte opinatur Baronius, quidquid contra eum effutiat Casaubonus.

III. Sed ut de Ecclesia Romana loquamur, consueviſſe olim in ea Epistolam, Evangelium, aliasque Lectiones dici Latine, ac Græce, jam diximus nos, ubi ritum descripsimus Solemnis Missæ celebrandæ per Papam. Quod autem in hoc Capite edicitur, in Coronatione Pontificis consueviſſe olim *vocari ad hoc Monachos ex Monasterio Cryptæ Ferratæ, si Romæ fieret, qui sunt fere in Suburbiis, & linguam, ac ritum Græcanicæ Ecclesiæ servare consueverunt*: docet nos quidem Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano, Capite XLVI. his verbis: *Item duo Græci de Monte Cryptæ Ferratæ, etiamsi essent in Curia alii Græci, dummodo Curia sit in tali loco, quod de ipso Monte possint haberi, alioquin de aliis, sicut fieri potest, intersint in Missa, quorum unus indutus Alba, & Tunicella legat Epistolam congruentem diei; alius sit indutus paramento, & Dalmatica, & cantet Evangelium, quod congruat diei*. Porro Monasterium hoc Cryptæ Ferratæ fundavit Sanctus Nilus Calaber Rossani natus, qui Basilianum institutum professus anno CMXL. post transactos in Monasteriis S. Nazarii, Mercurii, ac solitudine annos XV. ad Agrum Besidianensem divertit anno CMLV. In Monasterio S Hadriani ab ipso fundato XXV. annos absumpsit. Inde ad Montem Casinum se contulit anno CMLXXX. Tum annis XV. in Monasterio Vallelucii sanctissime exactis, Monasterium Serperi per annos X. incoluit. Romam petiit anno CMXCVII. In eodem Monasterio Serperi ab Othone Imperatore invisitur anno scilicet M. tametsi Sigonius in Libro, *De Regno Italiæ*, id ad annum MII. referat. Inde Tusculum digressus memoratum Monasterium Cryptæ Ferratæ ædificavit, ubi plenus dierum sancto fine quievit. Vide Aceti Notas ad Barrium, *De antiquitate, & situ Calabriæ*, Lib. V. Cap. II. pag 366.

II. His obiter dictis, jam nedum Græce, & Latine, sed & Hebraice Sancti Evangelii lectionem publice in Summi Pontificis Missa, ac præsertim in ejus inauguratione decantatam fuisse, certis etiam constat monumentis Historiæ. Ut alia vero sileam exempla, in solemni Alexandri V. Papæ inauguratione celebrata in Concilio Pisano, de qua diximus nos Tomo IV. Conciliorum, Epistolam, & Evangelium tribus linguis pronunciatum esse, nimirum Græce, Hebraice, ac Latine, testantur Acta ejusdem Concilii apud Dacherium Tomo VI. Spicilegii, pagina 334. Sed de his, & aliis ad solemnem Evangelii Lectionem in Missa spectantibus vide quæ diximus in nostro Opere, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, Libro II. Capite III. atque sequentibus. Viget hodieque hic ritus in Pontificia Capella, celebrante siquidem Papa, Evangelium æque ac Epistola Latine, & Græce cantatur, uti in citato Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*, Georgius testatur, & docent passim Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis.

CAPUT VIII.

De genuflexionibus in Capella.

In diebus solemnibus cum Papa venit ad Missam, dum facit cum Celebrante Confessionem, Pontifex, Celebrans, Cardinales, & Prælati omnes stantes faciunt Confessionem, præter Assistentes, qui post Papam genuflectunt, reliqui omnes genuflectunt. Deinde, cum Pontifex ante elevationem Sacramenti venerit ad Faldistorium, omnes genuflectunt; & cum Sanctitas sua, elevato Sacramento, surrexit, omnes surgunt. Cum Papa dat benedictionem post Sermonem, vel in fine Missæ, cum incipit, *Precibus, & meritis*; vel, *Sit Nomen*, omnes genuflectunt, præter Cardinales, & Prælatos. Prælati vero, cum incipitur, (1) *Benedictio Dei Patris*, sive, *Benedicat vos Omnipotens Deus*, genuflectunt, Cardinales stantes se inclinant. In diebus Ferialibus, & Missis Defunctorum genuflectunt omnes ad primas Orationes ante Epistolam, & ad ultimas post Communionem. Et cum dixerit, *Sanctus*, genuflectunt, & ita permanent usque ad, *Per omnia secula seculorum*, ante, *Agnus Dei*. Item ad Versum, *Adjuva nos Deus salutaris noster*, in Quadragesima omnes genuflectunt, ad Versum in *Credo*, *Et incarnatus est &c.* omnes genuflectunt semper. In Evangelio, *In principio erat Verbum*, cum dicitur, *Et Verbum Caro factum est*. In Evangelio Epiphaniæ, cum dicitur, *Et procidentes adoraverunt eum*. In Passione Domini nostri, cum dicitur, *Et inclinato capite emisit spiritum*. Item cum in Missa Sancti Spiritus dicitur Versus, *Veni Sancte Spiritus &c.* omnes genuflectunt. In Vesperis, cum dicitur Versus, *Veni Creator Spiritus*; & similiter, *Ave maris stella*, omnes genuflectunt, & permanent usque ad finem Versus. Inter Pascha, & Pentecoste non fiunt genuflexiones etiam in Ferialibus, nisi ad ad elevationem Sacramenti, & ad, *Incarnatus est*; &, *Veni Sancte Spiritus*; & ad Hymnos, *Veni Creator Spiritus*, &, *Ave maris stella*, si pro

(1) In Veneta I. & Colonienſi editione legitur, *& benedictio &c.*

Digitized by Google

pro tempore dicendi erunt; & generaliter, quotiescumque ille, qui facit Sermonem, dicit, *Ave Maria*, omnes genuflectunt.

COMMENTARIUS.

I. GEnuflexiones, seu adgeniculationes, antiquæ sunt in Ecclesia exemplo Jesu Christi, quem in terram procidentem orasse legimus in Evangelio Lucæ, Capite XXIII. Varia in hunc ritum Patrum loca, descripsit eruditissimus Stephanus Durantus Libro III. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Capite XXIV. Quando in Missa, & in aliis Divinis Officiis genuflectendum sit, docent passim Cæremoniales Libri, & Auctores, qui Ritus, & Cæremonias Ecclesiasticas explicarunt, quibus adjungi possunt quæ nos in hocce Opere, & in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum diximus, ubi scilicet se se de is loquendi dedit occasio. Porro juxta ipsum Cæremoniale Episcoporum, aliasque Rubricas Missalis, ac Breviarii Romani, genuflectendum est in aliis pluribus Divinorum Officiorum locis, quorum nulla in hoc Capite facta est mentio, ut exempli gratia in Hymno Officii Sanctissimi Sacramenti ad illum Versum, *Tantum ergo Sacramentum &c.* itemque ad Hymnum, *Te Deum laudamus*, ad illum Versum, *Te ergo quæsumus tuis famulis subveni &c.* Vide Grassum in Tractatu *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Lib. 1. Cap. XXII. atque Bauldryum in praxi Sacrarum Cæremoniarum, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Parte 1. Capite III.

II. A Paschate usque ad Pentecosten, & in Dominicis prohibitæ sunt quidem genuflexiones a variis Conciliis, præsertim ab omnium primo Oecumenico Concilio Niceno Can. XX. ubi nos Tomo 1. Conciliorum in Commentario ad ipsum Canonem causam ejus prohibitionis docuimus. Cæterum ea prohibitio minime obstat, quin etiam prædicto tempore ex peculiari sua devotione Fideles genuflectant, præsertim vero ad Versus in Rubricis notatos, & in elevatione Sanctissimi Sacramenti. Inducta enim ea prohibitio fuit ad confodiendos hæreticos, qui negantes Christi Domini Resurrectionem, contendebant, genuflectendum esse Paschatis tempore, & diebus Dominicis, ad notandum mœrorem, quod Salvator noster Christus minime resurrexerit.

CAPUT IX.

De Mitris, & Thiara cum triplici Corona, quibus Papa utitur.

Romani Pontifices tribus Mitris pro temporis exigentia secundum antiquas Cæremonias utebantur. Prima, & pretiosior erat cum unionibus, & gemmis, & habebat auriphrygium in circulo, & titulo, idest, per medium a circulo ad summitatem, & hac utebantur in Solemnitatibus. Per circulum designant, ut ajunt, coronam potestatis, per auriphrygium, quod ad summum ascendit, contemplativæ vitæ discursum. Secunda etiam erat cum unionibus, auriphrygiumque tantummodo habebat in circulo, & hac utebantur in Consistoriis tam publicis, quam privatis, per quam significabatur Regia potestas. Tertia erat alba ex damasceno sericeo, sive unionibus, sive auro, aut aliquo ornamento; & hac utebantur in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, diebus Ferialibus, & in Officiis Defunctorum. Hodie quatuor Mitras habemus. Pretiosiori utitur Papa in majoribus Solemnitatibus. Secunda etiam, quæ pretiosa est, (1) & ambæ habent auriphrygium in circulo, & in titulo, utitur in diebus minus solemnibus, & in Consistoriis. Tertia Mitra nihil habet auri, sed ex unionibus ornata, & habet circulum, & titulum ex unionibus, & ista utitur Papa Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, præterquam in Dominica, *Gaudete*, & Dominica, *Lætare*, in quibus utitur secunda Mitra. Quarta est de serico damasceno multo auro contecta, sed non habet uniones, aut gemmas, & hac utitur in Ferialibus diebus; & aliquando in diebus solemnibus post principium, ut minus gravetur, & maxime, dum fit Sermo. Habet etiam aliam magis simplicem ex damasceno cum parvo auro, qua utitur in Officiis Defunctorum, & diebus Ferialibus (2) majoris hebdomadæ. Et præterea Thiara triplici corona ornata, quod Regnum appellatur, per quam significatur Sacerdotalis, & Imperialis summa dignitas, atque potestas. Hac Thiara utitur Pontifex in maximis Solemnitatibus, eundo ad Ecclesiam, & redeundo, sed nunquam illa utitur in Divinis. Cum pervenit ante Altare, deponit Thiaram, orat, & assumpta Mitra, vadit ad Sedem, & cum ista prosequitur Divinum Officium sive in Vesperis, sive in Missa. Thiara autem interim reponitur super Altare. Finito Officio, cum Papa revertitur ad Palatium, rursus ei imponitur Thiara, & cum

(1) Ly & deest in Romana editione. (2) Ly *majoris* deest in editione Romana, sed legitur in Veneta 1. & Colonienſi.

Digitized by Google

hac coronatur in die suæ Benedictionis, & Coronationis. Antiquitus quando Romanus Pontifex diebus solemnibus Thiaram hanc ferebat, fiebant ei Laudes a Diaconis, & Officialibus, ut in Coronatione, *Exaudi Christe &c.* & Pontifex dabat Presbyterium. Hodie utrumque abolitum est. Dies autem, quibus Papa coronabatur, erant infrascripti, videlicet, in Festo Sanctorum quatuor Coronatorum, S. Martini, S. Clementis, in Dominica, *Gaudete*, in Dominica, *Lætare*, in Nativitate Domini, in S. Stephani, in Epiphania, in Resurrectione, & secunda Feria, in Dominica, *Ego sum Pastor bonus*, in Ascensione, in Pentecoste, in Sancti Petri, in Sancti Silvestri, & in Anniversario suæ Coronationis.

COMMENTARIUS.

I. DE Mitra, ejusque origine abunde dictum a nobis jam fuit Tomo 1. Commentariorum ad Pontificale Romanum, in Prolegomenis, Cap. XIX. & alibi etiam in eodem nostro Opere, ac in aliis etiam aliorum nostrorum Operum locis. Sed ut aliqua in hoc Commentario dicamus de Mitris, quibus olim uti Romani Pontifices consueverunt, notandum censuimus, quod de iisdem nos docet Romanus Ordo XIII. seu Cæremoniale Romanum jussu Gregorii Papæ X. editum, Num. XII. ubi hæc habet: *Notandum est*, inquit, *quod Dominus Papa tres Mitras diversas habet, quibus diversis temporibus utitur, scilicet unam albam totam, unam cum aurifrisio in titulo sine circulo, & Mitram aurifrisiatam in titulo, & in circulo. Mitra aurifrisiata in circulo, & in titulo utitur in Officiis diebus Festivis, & aliis, excepto a Septuagesima usque ad Pascha, & ab Adventu usque ad Natale, & quando cantat pro Defunctis. Et est illa ratio, quia Coronam repræsentat, & activæ, & contemplativæ vitæ discursum. Mitra vero cum aurifrigio in titulo sine circulo utitur, cum sedet in Consistorio, & judicat, unde Coronam regalem repræsentat. Alba utitur diebus Dominicis, & aliis non Festivis ab Adventu usque ad Vigiliam Nativitatis Domini in Vesperis, præterquam in tertia Dominica de Adventu, quæ dicitur Dominica de* Gaudete, *in quo die in Laudibus est quinta Antiphona*, Juste, *quia tunc Dominus Papa facit quandam Solemnitatem, quæ talis est &c.*

II. Itaque juxta antiquum ritum tres olim erant Mitræ, quibus variis temporibus utebantur Summi Romani Pontifices in Divinis Officiis. Thiara autem, seu Regno, triplici Corona ornata, quæ antiquum est capitis Papæ ornamentum, & significat summam Sacerdotalem, & Imperialem dignitatem, ut in hoc nostro Capite habetur, *utitur Pontifex in maximis Solemnitatibus, eundo ad Ecclesiam, & redeundo, sed nunquam illa utitur in Divinis.* Plura de hac Thiara jam nos superius diximus, sicut & de origine trium Coronarum, quibus Thiara ipsa ornata est. Utitur autem eo potissimum ornamento die suæ Coronationis, de qua late diseruimus supra Tomo 1. hujus Operis, & Tomo etiam II. ubi se præbuit nobis occasio, sicut & de antiquo ritu, quo statis anni diebus coronari olim Papa solebat, quas recensent Romani Ordines, ac præsertim Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, qui etiam agens de Festo Nativitatis Domini inter alia, Num. XVI. ait, consueviśe Papam hac die in Basilica Vaticana solemnem Missam cantare, *& ibi accipere Coronam in capite suo, & per mediam Urbem cum Processione redire ad Palatium perficere Festum Coronæ.* Vide ad ipsum Ordinem additionem ex Codice Vallicellano, & excerpta ex Libro Petri Mallii Canonici S. Petri ad Alexandrum III. Capite XXVII. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, pag. 153. & 158. ubi notatæ sunt Festivitates, in quibus Pontifex coronari debebat, in iisque expressa fit mentio earum Festivitatum, quæ in hoc nostri Cæremonialis Capite sunt expressæ.

CAPUT X.

De Processibus generalibus.

Processus legi consueverunt, & excommunicationes fulminari ter in anno; in quinta Feria Cœnæ Domini, in die Ascensionis, & in Dedicatione Basilicæ Apostolorum Petri & Pauli, eodem ordine, & modo. Nunc id fit tantum in Cœna Domini. Causas cur in istis diebus potissimum fiant, istas dicunt. In Cœna Domini habuit principium Christi Sacramentum. Congruit, ut in illa die excludantur ab Ecclesia, qui eo Sacramento indignos se reddiderunt. In Ascensione Christus rogavit pro Fidelibus suis, dicens: *Pater Sancte, serva eos, quos dedisti mihi.* Declaratur, quod non oravit pro istis. In Dedicatione declaratur, quod excluduntur a loco congregationis, & orationis Fidelium. Candelæ accensæ projiciuntur, & extinguuntur, quia sicut candela accensa, projecta extinguitur; ita illi sic ejecti ab Ecclesia, lumine, & gratia Spiritus Sancti privantur. Campanæ tumultuose pulsantur, quia sicut illarum ordinata pulsatione fidelis populus congregatur, ita confusa, & tumultuaria infideles dissi-

pan-

Digitized by Google

pantur. Cum fiunt aliis temporibus Proceſſus contra certas, & nominatas perſonas, omnes ſunt parati, & fit iiſdem Cæremoniis. Cum autem fiunt contra incertos, ſolus Papa eſt paratus; alii ſunt in ſuis Cappis laneis, & ita ſervatum legitur a Clemente Papa Sexto anno quarto die prima Februarii, cum fecit Proceſſus contra interfectores Andreæ Regis Siciliæ illuſtris incertos, & non nominatos.

COMMENTARIUS.

I. DIximus jam ſupra hoc eodem Tomo de Proceſſibus generalibus, ideſt, excommunicationibus, de quibus Caput hoc præſens loquitur, cui explicando plurimum lucis affert Ordo Romanus XIV. Capite CXII. quod inſcriptum eſt, *Qualiter, & quibus diebus fiant Proceſſus generales*. Multa enim continet, quorum notitia, non poteſt eſſe non grata, utiliſque veterum Papalis Capellæ rituum tyroni. Sic autem inquit.

Proceſſus namque generales ſecundum conſuetudinem approbatam fiunt tribus diebus in anno, videlicet Feria quinta in Cœna Domini, item in Aſcenſione Domini, item in Dedicatione Baſilicarum Apoſtolorum Petri & Pauli; & prædictis tribus diebus fiunt etiam aliqui Proceſſus ſpeciales, prout expedit, ſive contra aliquas Communitates, vel perſonas notabiles, etiamſi Reges, vel Imperatores eſſent, contra quos eorum ..... ad monitionem, citationem, ſuſpenſionem, excommunicationem, interdictum, & privationem, vel ad alias ſpirituales, & temporales pœnas, & ſententias procederetur; & in Proceſſibus ſunt omnes Cardinales, & Prælati Curiæ parati in albis. Dominus tamen Papa habet Pluviale rubeum, & alia obſervantur ut infra proxime ſequuntur.

Feria quinta in Cœna Domini ordo, qui ſequitur, obſervatur. Nam dicta per Dominum Papam in Camera Tertia, & Sexta ſine nota, habens ipſe Dominus Papa Stolam ad collum more conſueto, & indutus Pluviali rubeo, habente aurifrigium ſollemne cum perlis, & geſtans Mitram cum perlis, miniſtrantibus ſibi duobus Diaconibus indutis Cappis ſuis de lana, ut ſolitum eſt; hora Tertia, vel Sexta, præcedentibus ipſum cum Cruce Diaconibus Cardinalibus, & Capellanis, & aliis, progreditur ad locum ſollemnem, & eminentem paratum ad prædicandum, & ut fiant Proceſſus, qui fuerint faciendi.

Ad locum perveniens, ſedens in Faldiſtorio recipit ad reverentiam Cardinales, & Prælatos nondum paratos, licet quandoque parati ad reverentiam veniant, de proceſſura timentes. Qua reverentia facta, Dominus Papa ſermocinatur ad populum in vulgari, aſſumpta tamen auctoritate in Latino, & breviter, quia multa ea die ſunt peragenda; vel committit Sermonem alteri, ſcilicet alicui Epiſcopo, vel Presbytero Cardinali. In Sermone poteſt fieri mentio, ſi placet, de ſollemnitate diei, & aliquid etiam tangi de Proceſſibus faciendis.

Si ipſe Dominus Papa ſermocinetur, ipſo prædicante, omnes ſunt parati, tam Cardinales, quam Prælati, in albis, ſinguli in ſuo habitu; Diaconi in Dalmaticis, & Tunicellis, Presbyteri in Planetis, Epiſcopi in Pluvialibus, Capellani in Scutis, & Cotta ſeu Superpelliceo. Subdiaconi Domini Papæ poſſunt eſſe in Tunicellis, qui ea die deberent eſſe duodecim.

Si vero aliquis Epiſcopus, vel Presbyter Cardinalis ſermocinaretur, ipſe prædicans debet eſſe paratus, ſed alii Cardinales, & Prælati poſſunt differre recipere paramenta, quouſque incipiantur Proceſsus, vel quouſque Diaconus Cardinalis ipſos incipiat vulgarizare.

Sed in omnem eventum duo Diaconi, qui miniſtrant Domino Papæ, & ille Diaconus, qui debet vulgarizare Proceſsus, & unus Epiſcoporum, ſaltem qui prædicat, poſsunt recipere paramenta, ſtatim facta reverentia, ut ſint magis parati ad ſuum miniſterium exſequendum.

Sic igitur iſte conſuevit eſse ordo, ut Dominus Papa veniens ad locum Proceſsuum, in Faldiſtorio ſedeat, eatur ad reverentiam, fiat brevis Sermo ad populum per Papam, vel per aliquem Cardinalem, revertatur Dominus Papa ad ſedendum. Si prædicavit aliquis Capellanus, vel plures, ſi ſint plures Proceſsus, in Cotta, & Scuta ſtans verſus populum, cito & intelligibiliter legant Proceſsus (1) in vero, ad modum quo leguntur lectiones in Eccleſia. Unus Diaconorum in paramentis albis tenens Mitram in capite verſus populum, lectum Proceſsum per Capellanum ſaltem in ſubſtantia vulgarizet. Idem faciat, & eodem ordine, ſi fuerint plures Proceſsus.

Et ſciendum quod Proceſſus communes, qui fiunt contra Hæreticos, & contra piratas maris, & contra imponentes nova pedagia, & contra falſarios Bullæ, & portantes prohibita Sarracenis, & impedientes euntes, & redeuntes ad Curiam, non conſueverunt omitti.

Quibus peractis, Dominus Papa aſcendit pulpitum verſus ad populum, duobus Diaconibus aſſiſtentibus, uno a dextris, altero a ſiniſtris, & uno Epiſcopo a dextris, ceteri vero Epiſcopi, & Presbyteri Cardinales, prout locus patitur, ſtent a dextris, & Diaconi a ſiniſtris, & alii Prælati, ſive a dextris, ſive a ſiniſtris, ut poterunt; omnes tamen inſpiciant populum cum Mitris in capite.

Tunc Dominus Papa ſtans verſus populum, aliquid poteſt dicere de Proceſſibus lectis, & expoſitis, prout ſibi placet, ſcilicet quod ipſos approbat, ratificat, & facit, prout lecti ſunt, & ſicut Diaconus expoſuit, & circa ultimum verborum habens aliquos torticios accenſos in manu, projicit ipſos Dominus Papa verſus populum ad terram. Hoc idem faciunt ſinguli Cardinales, & Prælati, tenentes tantummodo ſinguli unum torticium in manu, nihil dicendo; & cum candelæ projiciuntur, debent Campanæ Eccleſiæ inordinate pulſari.

Completis Proceſſibus, Diaconus miniſtrans Summo Pontifici a ſiniſtris, depoſita ſibimet Mi-

(1) Forte, *in latino*, ut apud Petrum Amelium in cap. 63.

Digitized by Google

Mitra, & digitis utriusque manus ante pectus invicem in oppositum cancellatis, dicit alta voce, *Confiteor Deo*, cum nota, more solito; quo finito, Dominus Papa resumit valde breviter ad populum, maxime si ipse prædicavit, quod sicut inobedientes, & mali debent pœnas, & graves Processus de sua malitia reportare, sic boni, & obedientes debent gratias, & præmia obtinere; & dat Indulgentiam omnibus, qui interfuerint prædicationi, & Processibus, vel alteri ipsorum, qui talis consuevit esse; indigenis datur annus, & quadraginta dies; extraneis duo anni, & duæ quadragenæ; ultramontanis tres anni, & quatuor quadragenæ; iis qui transierunt mare, quatuor anni, & quatuor quadragenæ.

Tunc Diaconus ministrans a dextris deponat Mitram Domino Papæ, qui manibus elevatis, sicut cum dicit orationem in Missa, facit absolutionem, dicendo clara voce, sicut consuetum est: *Sit Nomen Domini benedictum*, videlicet, *Precibus, & meritis, &c.* & responso, *Amen*, dicit similiter, *Absolutionem, Indulgentiam, &c.* & responso, *Amen*, ultimo dat benedictionem, dicendo, & signando populum, *Et benedictio Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper*. Posit hæc, reposita sibi Mitra per Diaconum, vadit ad Ecclesiam, Cruce, ceteris Cardinalibus, & Prælatis, Subdiaconibus, & Capellanis paratis, ut posit ipsum, præcedentibus; & ibi facto, vel omisso, *Sit nomen Domini*, ut sibi placet, omnia peragat, ut in Ordinario continetur, & dictum est supra.

II. Quod formam, ac ritus ferendæ excommunicationis spectat, de quibus fit mentio in hoc Capite, si veterem Ecclesiæ disciplinam inspiciamus, nulli erant præscripti ritus in excommunicatione vibranda. In hoc unum intenti erant Prælati, ut accurate examinarent causam excommunicationis, & an nullo alio leniori remedio ad pœnitentiam, & correctionem criminosus adduci posset, uti notat Vanespen Parte III. *Juris Ecclesiastici*, Titulo XI. Capite VIII. ubi citans locum pervetusti Auctoris Constitutionum Apostolicarum Lib. II. Cap. XLII. diserte ait, Episcopum priscis Ecclesiæ seculis adhibito Clero suo, sententiam excommunicationis, simpliciter, nullo externo, aut speciali ritu adhibito, pronuntiare consuevisse, & quem a pœnitentia alienum videret, & obduratum, hunc cum mœrore ut insanabilem consuevisse ab Ecclesia ejicere. Verum cum labentibus Seculis, ut præter laudatum Auctorem alii Scriptores etiam observarunt, ac præsertim eruditissimus Raynaudus in Tractatu, *De Monitoriis Ecclesiasticis*, cœpissent excommunicationes a laicis præsertim potentioribus contemni, ut major ipsis Excommunicationibus auctoritas conciliaretur, terrorque populo incuteretur, cœperunt circa Seculum IX. aut X. certæ formuli, & ritus introduci, quæ & sensim majus incrementum acceperunt, ut late diximus non uno in loco Operum nostrorum, & potissimum in Commentariis ad Concilia Oecumenica, & ad Romanum Pontificale, Parte III. ubi egimus de ordine excommunicandi.

III. Ceterum ut aliquid dicamus de excommunicatione vibrata, ut in fine hujus Capitis notatur, a Clemente Papa IV. anno IV. sui Pontificatus die I. Februarii contra interfectores Andreæ Regis Siciliæ; sciendum plane, Andream Caroberti Hungariæ Regis filium secundo genitum anno MCCCXLV. Aversæ decimo quinto Kalendas Octobris infelici exitu vitam terminasse, nocte enim ejusdem diei a quibusdam conjuratis strangulatus est. Joanna Siciliæ Regina, ut crimen occisi mariti a se amoliretur, summo mane Neapolim revertens, coram universis Regni Proceribus, & per Litteras in primis Clementi Pontifici, & Ludovico Hungariæ Regi prædicti Andreæ fratri, & deinde reliquis Principibus Christianis innocentiam suam persuadere contendit. Clemens autem Pontifex, ne Regnum Siciliæ Romanæ Ecclesiæ Feudum ob intestina dissidia periclitaretur, Aymericum de Castroluciis Cardinalem, Vicarium in temporalibus ibi esse voluit, quoad constaret, an Joanna Regina, nocens, innocensve parricidii esset; anathema interea in parricidas, auctores, administros, & quoscumque conscios strinxit, dignitatibus, & honoribus privavit, eorumque bona publicavit, Comitem Novellum Balzium rei inquisitioni præficiens. Rem late narrant Raynaldus ad ipsum annum, & Scriptores Vitæ laudati Pontificis.

CAPUT XI.

Quibus diebus vocantur Cardinales ad Capellam Papæ, & quibus fit Sermo, vel non fit, & quando fiunt Vesperæ, aut Processio.

Papa celebrante, ordinarie nunquam fit Sermo, nisi ipsemet velit orare, aut aliquis Cardinalis id faciat.

In diebus quando fit solemnis Processio, non fit Sermo. Fit autem in diebus infrascriptis. Et primo Cardinales vocantur ad Capellam in diebus sequentibus.

In prima, secunda, & quarta Dominica Adventus Domini, & fit Sermo.

In Nativitate Domini nostri Jesu Christi, & non fit Sermo. Et ante fiunt Vesperæ Papales, & in nocte Matutini, & prima, ac secunda Missa. In Missa Majori Diaconi Cardinales, & alii Officiales Capellæ communicantur a Papa.

In Sancto Stephano, & fit Sermo.

In Sancto Joanne Evangelista, & fit Sermo.

In Circumcisionis, & fit Sermo; ac fiunt Vesperæ.

In die Epiphaniæ, & fit Sermo, & Vesperæ.

In

Digitized by Google

In die Purificationis, & non fit Sermo, & fit Proceſſio cum paramentis violaceis, & candelarum diſtributio.
In die Cinerum, & fit Sermo, & dantur Cineres cum paramentis violaceis.
Prima, ſecunda, tertia, quarta, & quinta Dominica in Quadrageſima, & fit Sermo.
Dominica in Palmis, & non fit Sermo, & fit diſtributio Palmarum, & Proceſſio cum violaceis paramentis, & Palmis.
Quarta Feria majoris Hebdomadæ fiunt Matutinæ tenebroſæ in ſero.
Quinta Feria in Cœna Domini, & non fit Sermo, & fit Proceſſio ad Proceſſus in albis, & fit Mandatum. In ſero Matutinæ tenebroſæ.
Sexta Feria in Paraſceve, & fit Sermo. In ſero fiunt Matutinæ tenebroſæ.
Sabbato Sancto, & non fit Sermo.
In Die Reſurrectionis, & non fit Sermo. Diaconi Cardinales, & alii Officiales Capellæ communicantur a Pontifice.
In ſecunda, & tertia Feria, & non fit Sermo.
In Sabbato in Albis non fit Sermo. Dantur Agnus Dei, portant paramenta.
In Annunciationis Beatæ Virginis fit Sermo, fiunt Veſperæ, ſi non venit in Quadrageſima.
In Aſcenſione Domini fit Sermo, fiunt Veſperæ.
In Pentecoſtes fit Sermo, fiunt Veſperæ.
In ſecunda, & tertia Feria non fit Sermo.
In Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis fit Sermo, fiunt Veſperæ.
In Solemnitatis Corporis Chriſti non fit Sermo, fit Proceſſio in albis, fiunt Veſperæ.
In Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ fit Sermo, & fiunt Veſperæ.
In Feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli non fit Sermo, fiunt Veſperæ.
In Feſto Viſitationis Beatæ Mariæ non fit Sermo, neque Veſperæ.
In Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ fit Sermo, & fiunt Veſperæ.
In Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ fit Sermo, & fiunt Veſperæ.
In Feſto omnium Sanctorum fit Sermo, & fiunt Veſperæ; in ſero Veſperæ, & Matutinæ pro Mortuis.
In Commemoratione Defunctorum non fit Sermo.
In Dedicatione Baſilicæ Salvatoris non fit Sermo, fiunt Veſperæ.
In Dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum Petri & Pauli non fit Sermo, & fiunt Veſperæ.
In Feſto Sancti Andreæ non fit Sermo, & non fiunt Veſperæ.
In Commemoratione omnium Pontificum, & Cardinalium Defunctorum non fit Sermo.
In Anniverſario obitus Pontificis Prædeceſſoris non fit Sermo.
In Anniverſario Aſſumptionis Pontificis non fit Sermo.
In Anniverſario Coronationis Pontificis non fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. SParſim jam in hoc Opere explicuimus, quæ in præſenti Capite continentur, ad quod illuſtrandum operæ pretium duco deſcribere in hoc Commentario integrum Caput Romani Ordinis XIV. Auctore Jacobo Gajetano quod inſcriptum eſt, *Quibus diebus, & ſolemnitatibus conſueverunt Romani Pontifices Miſſarum ſolemnia in perſona celebrare*. Ut vel hinc intelligas, qui fuerit olim ritus antiquus, cui illuſtrando nos in hoc Opere præcipuam operam impendimus. Sic ergo laudatus Ordo Romanus citato loco habet.

In diebus, & Sollemnitatibus infra poſitis conſueverunt Romani Pontifices Miſſarum ſollemnia celebrare in propria perſona, ſed prædicare conſueverunt in eiſdem diebus, & ſollemnitatibus in propria perſona, quando placeret, & facere prædicari coram ſe per aliquem Cardinalem, prout ſequitur; non tamen per alium prædicatur coram Domino, quam per Cardinales, quando Dominus Papa celebrat.

In prima Dominica de Adventu Domini, & prædicatur.

In ſecunda Dominica Adventus, & prædicatur.

In tertia Dominica Adventus, quæ vocatur Dominica de *Gaudete*, & prædicatur, & habet Veſperos præcedentes Papales ſolemnes cantandos in Eccleſia; & datur potus poſt Veſperos in Aula. Dicuntur autem Veſperi Papales, quando Dominus Papa, Cardinales, & Prælati omnes debent eſſe parati. In Eccleſia autem parati non ſunt Cardinales, & Prælati in Veſperis, niſi dicantur Veſperi in Eccleſia.

In Nativitate Domini in tribus Miſſis, & habet Veſperos præcedentes Papales ſollemnes tantum, & habet Matutinum Papale; & non prædicatur hodie, licet antiquitus prædicaretur in Miſſa, ſed communicant omnes Diaconi Cardinales, & Officiales Curiæ de manu Summi Pontificis.

In Feſto Sancti Stephani Protomartyris, & prædicatur.

In Feſto Sancti Johannis Evangeliſtæ, & prædicatur.

In Feſto Innocentium, & prædicatur.

In Circumciſione Domini, & prædicatur.

In Epiphania, & prædicatur, & habet Veſperos præcedentes Papales ſollemnes &c.

In

In prima Dominica post Octavam Epiphaniæ quæ dicitur Dominica de *Nuptiæ*, cum est Romæ, & prædicatur ante Missam.

In Conversione Sancti Pauli, & prædicatur.

In Festo Purificationis, & prædicatur ante Missam.

In Cathedra Sancti Petri, & prædicatur.

In Septuagesima, & prædicatur.

In Quinquagesima, & prædicatur.

In die Cinerum, & prædicatur.

In prima Dominica Quadragesimæ, & omnes Dominicæ Quadragesimæ sunt Papales, specialiter Dominica, qua cantatur, *Lætare Jerusalem*; est ipsa Dominica, in qua fit sollemnitas Rosæ aureæ, & prædicatur in eis, præterquam in Dominica de Palmis, in qua, quatenus sit Papalis, non prædicatur.

In Dominica de Passione, & prædicatur.

In Dominica in Ramis Palmarum non prædicatur, sed ante Missam dantur Palmæ benedictæ Cardinalibus, & Prælatis paratis, & aliis tam Clericis, quam laicis, & fit Processio.

In Die Jovis Sancto, & prædicatur ante Missam. Processus generales fiunt, & etiam aliqui speciales, prout expedit, & in Processibus sunt omnes Cardinales, & Prælati Curiæ parati in albis.

In Paraseeve non prædicatur.

In Sabbato Sancto non prædicatur.

In Paschate non prædicatur hodie, licet antiquitus prædicaretur, sed omnes Diaconi Cardinales, & Officiales Curiæ communicant de manu Summi Pontificis, & ante Missam fiunt quædam sollemnitates tam de adoratione Crucis, quam de oculo.

In die Lunæ in crastino Paschæ, & prædicatur.

In die Martis post Pascha, & prædicatur.

In Sabbato in Albis consuevit celebrare Prior Episcoporum Cardinalium, vel alius Cardinalis coram Domino Papa, licet antiquitus Papa celebraret. Et dicto, *Agnus Dei*, parantur Cardinales secundum morem in suo ordine, & dantur Agnus Dei per ipsum Papam tam Cardinalibus, ceterisque Prælatis, quam aliis, & postea Missa finitur. Postmodum Papa comedit cum Capellanis; & fiunt aliquæ sollemnitates, & dantur eis Agnus Dei per Dominum Papam.

In Annunciatione Beatæ Virginis, & prædicatur.

In Dominica, qua cantatur, *Ego sum Pastor bonus*, & prædicatur.

In Festo Sancti Marci, id est, in Litaniis majoribus, Romæ non prædicatur. Sed hodie non servatur de Missa Papali, sed celebrat unus Cardinalis, Papa præsente, & Cardinalibus.

In Ascensione Domini, & prædicatur ante Missam, & habet Vesperos Papales præcedentes sollemnes &c. Et Processus generales fiunt, & etiam aliqui speciales, prout expedit; & in Processibus sunt omnes Cardinales, & Prælati Curiæ parati in albis. Procellus vero fiunt ante Missam.

In Festo Pentecostes, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes sollemnes cantandos in Ecclesia, & datur potus post Vesperos in Aula.

In die Lunæ crastino Pentecostes, & prædicatur.

In die Martis sequenti, & prædicatur.

In Nativitate Beati Johannis Baptistæ, & prædicatur, & habet Vesperos Papales sollemnes præcedentes &c,

In Festo Apostolorum Petri & Pauli, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes sollemnes.

In Commemoratione Sancti Pauli, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes sollemnes Romæ &c.

In Festo Nivis, quod est die quinta Augusti, & prædicatur.

In Festo Sancti Laurentii, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes Romæ, & etiam alibi; si moraretur Dominus Papa juxta Ecclesiam Sancti Laurentii, Vesperos siquidem sollemnes cantandos in Ecclesia; & datur potus Prælatis in Aula.

In Festo Assumptionis Beatæ Virginis, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes sollemnes &c.

In Anniversario Summorum Pontificum, & Cardinalium, quod est quinta die Septembris, non prædicatur.

In Festo Nativitatis Beatæ Virginis, & prædicatur.

In Dedicatione Sancti Michaelis in Septembre, & prædicatur.

In Festo omnium Sanctorum, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes sollemnes.

In Anniversario omnium animarum, quod est in crastino omnium Sanctorum, non prædicatur.

In Dedicatione Basilicæ Salvatoris, quæ est v. Idus Novembris, & prædicatur, & habet Vesperos Papales præcedentes Romæ sollemnes.

In Dedicatione Basilicarum Apostolorum Petri & Pauli, quæ est in octava Beati Martini, & prædicatur ante Missam, & habet Vesperos Papales præcedentes sollemnes &c. Et Processus generales fiunt, & etiam aliqui speciales, prout expedit; & in Processibus sunt omnes Cardinales, & Prælati parati in albis. Processus non fiunt ante Missam.

In Anniversario Romani Pontificis Prædecessoris semel, id est, primo anno tantum, non proceditur.

II. Sequitur mox in eodem citato Ordine, Cap. xcix. quod inscriptum est, *Additio facta tempore Joannis Papæ XXII.* ejusque verba hæc sunt.

In Anniversario Consecrationis, seu Coronationis Romani Pontificis, idem Romanus Pontifex toto tempore suo celebrat Missam Papalem de illo Festo, quod ea scilicet die Anniversarii occurrit, Cardinalibus, & ceteris Prælatis paratis more solito, & prædicatur in præsentia Domini Papæ non per ipsum, sed per aliquem Cardinalem, & post Orationem Festi dicit Dominus Papa quamdam Orationem pro se, quæ debet esse scripta in Libro Papali. Et licet dictum Anniversarium non habet Vesperos Papales, dico, quod non vocantur Cardinales, ut parati sericis in Vesperis; tamen in Capella suæ Dominus Papa cantat Vesperos Festi, & fiunt quædam sollemnitates postea. Nam dicta Oratione Festi, repetitur *Gloria Patri*, *Sicut erat*, sollemniter, & dicitur Vers. *Elegit te Dominus Sacerdotem sibi &c.* & Papa dicit postmodum Orationem pro se, quæ debet esse scripta in Libro.

Tamen advertendum, quod si Anniversarium Domini nostri fiat die Lunæ, quia eadem die

Lu-

Digitized by Google

Lunæ eſt Anniverſarium Summorum Pontificum & Cardinalium, quod etiam Papale. Nam Papa debet celebrare, & Cardinales ſunt parati, licet non prædicetur, induti violaceis, vel nigris. Poterit enim dictum Anniverſarium Paparum, & Cardinalium differri in ſequentem diem, ſi Domino placebit.

Iſta conſueverunt ſervari. Domini tamen eſt facere quod ſibi placebit.

In Feſto Sancti Andreæ, & prædicatur, & Romæ habebat antiquitus Veſperos Papales, & Matutinum, licet hodie non ſic ſervetur.

Item præter ſollemnitates ſuperius dictas erant aliquæ ſollemnitates antiquæ, in quibus Romani Pontifices ſollemniter celebrabant; ſed hodie non ſic communiter obſervatur.

Item quandocumque Romanus Pontifex facit Ordines, vel Conſecrationes Epiſcoporum, celebrat, ſed non prædicatur in Miſſa.

Item in Feſtis principalioribus Civitatum, in quibus moratur, & in Feſtis aliis, prout devotio ipſum movet, celebrat, & prædicatur.

Item, quamvis conſueverint Romani Pontifices iſtas ſollemnitates ſuperius dictas obſervare, ſi tamen ſint impediti ex debilitate, vel alia rationabili cauſa, poſſunt ipſas omittere, & conſueverunt quandoque commitere alicui Epiſcopo, vel Presbytero Cardinali, quod celebret, & Sermonem faciat in Eccleſia, cujus Feſtum eſt; & etiam, ſi placet, committit, quod celebret Epiſcopus, vel Presbyter Cardinalis in Eccleſia Cathedrali Civitatis, vel alibi, ſicut placet, & Sermonem faciat.

Hactenus Romanus Ordo XIV. Cap. XCIX.

CAPUT XII.

Dies, in quibus noſtro tempore Papa, aut Cardinales celebrant, & Sermones in Capella habentur.

Dominica tertia Adventus Domini, quæ dicitur, *Gaudete*.
In nocte Nativitatis Domini, & in Miſſa majori.
In die Sancti Stephani, & in die Sancti Joannis Evangeliſtæ.
In Circumciſione, Epiphania, Purificatione Beatæ Mariæ Virginis.
In quarta Feria Cinerum, in quarta Dominica Quadrageſimæ, quæ dicitur, *Lætare*, vel de Roſa.
In Dominica Palmarum.
In quinta, & ſexta Feria, & Sabbato majoris Hebdomadæ.
In die Reſurrectionis, & duobus diebus ſequentibus.
In Sabbato in Albis, ſi dantur Agnus Dei, alioquin celebrat alius Prælatus.
In Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis.
In Aſcenſione Domini noſtri.
In Pentecoſte, & duobus diebus ſequentibus.
In Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis.
In Solemnitate Corporis Chriſti.
In Nativitate Beati Joannis Baptiſtæ.
In Natalitiis Apoſtolorum Petri & Pauli.
In Viſitatione, Aſſumptione, & Nativitate Beatæ Mariæ Virginis.
In Feſto omnium Sanctorum, & Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.
In Dedicatione Baſilicæ Salvatoris, & in Dedicatione Baſilicarum Petri & Pauli.
In Anniverſario Aſſumptionis, & Coronationis præſentis Pontificis.
In omnibus ſupradictis diebus conſueverunt Romani Pontifices antiquis temporibus per ſemetipſos celebrare, ſed noſtris diebus ad quatuor, vel quinque, aut plures ſolemnitates reſervantur: in Nativitate Domini, in Reſurrectione, in Pentecoſte, in Natalitiis Apoſtolorum Petri & Pauli, & in Feſto omnium Sanctorum. In his ordinarie, quando non ſunt impediti, celebrant, & extraordinarie in Canonizationibus Sanctorum, in Ordinationibus, ſive Conſecrationibus, ſi quando eas facerent. Et in Coronatione Imperatoris, ſive Regis alicujus, in aliis autem diebus Capellæ celebrant alii Prælati.
Et nota, quod quando Papa per ſe celebrat, omnes Cardinales, & Prælati portant paramenta ſibi convenientia coloris tempori congruentis, tam in Veſperis, quam in Miſſa; ſed non ſemper deſcendunt ad Eccleſiam cum paramentis; ſed tantum in diebus Proceſſionum in Miſſa.
Secundum antiquas obſervationes erant alii dies, in quibus fiebat Capella, noſtris temporibus ab Eugenio Quarto, & citra, ſupra ſcripta fuerunt obſervata, quamvis a tempore Sixti uſque ad hunc diem aliqua fuerint prætermiſſa, & immutata. Solemnitas Veſperarum fit ſemper ordinarie in primis Veſperis, in ſecundis nunquam fit ordinarie noſtro tempore. Quando Papa eſt in craſtinum celebraturus, fiunt Veſperæ ſolemnes, & capiuntur paramenta a Cardinalibus poſt factam reverentiam, & incipiuntur Antiphonæ per Cardinales, & Papam. In aliis

Digitized by Google

aliis non capiunt paramenta, & Papa incipit, *Deus in adjutorium &c.* Incensat ad *Magnificat*, & dicit Orationem, & dat Benedictionem, & nihil aliud in eis agit. Sermones commituntur, & revidentur per Magistrum Sacri Palatii, ut prædiximus. Et in quatuor primis Dominicis Adventus, & Quadragesimæ Fratres quatuor Ordinum Mendicantium orant. In prima Ordinis Prædicatorum, in secunda Ordinis Minorum, in tertia Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, in quarta Ordinis Carmelitarum. In aliis autem diebus Pontifex, si placet; & ordinarie Magister Sacri Palatii committit Sermones ad beneplacitum.

COMMENTARIUS.

I. SI veterem Romanæ Ecclesiæ disciplinam spectemus, consueverunt jam olim Romani ipsi Pontifices Divina Officia celebrare, uti in hoc Opere passim ostendimus, allatis antiquis ipsius Ecclesiæ Romanæ monumentis, atque recitatis variis Romanorum Ordinum locis, ex quibus etiam addiscimus, solitos fuisse olim eosdem Pontifices statis anni diebus in variis Urbis Basilicis celebrare. Mutatam fuisse hanc disciplinam, ex quo Romana Sedes fuit Avenionem per Clementem V. translata initio Sæculi XIV. jam non uno in loco supra adnotavimns. Sicut autem Avenione, ubi diu Romani Pontifices Apostolicam Sedem tenuerunt, in domestica Pontificia Capella celebrari Divina Officia consueverunt, ita quoque factum postea fuit, ubi a Gregorio Papa XI. reducta fuit Sedes Romam. Quæ sit disciplina recentior in celebrandis Divinis ipsis Officiis in Pontificia Capella, notavit Paris de Grassis in suo Romano Ordine apud Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* ubi per varios Paragraphos rem ipsam dilucidat. Placuit autem nonnullos describere, quæ ad Capitis hujus intelligentiam spectant, & sunt. I.

Quoties infra annum ordinarie fiat res Divina in Capella Papali.

Divina Officia, quæ Capellæ Papales vulgo appellantur, quæque ordinarie, & communiter in Majore Palatii Capella, sive in Basilica Principis Apostolorum, aut alibi sollemniter, intra annum fieri solita, præsente, vel absente Pontifice, cum Cardinalibus, & Prælatis, sunt in totum numero quinquaginta, videlicet, Matutinæ quinque, Vesperæ decem, Missæ XXXV.

II.

De Vesperis Papalibus totius anni, quot, quæ, ac ubi fiunt.

Vesperæ Papales ordinariæ intra annum totum quæ, ubicumque sint, fiunt autem semper ac dumtaxat in die Festum antecedente, & numquam in ipsa die Festi, sunt decem; quarum duæ in Basilica Apostolorum Petri & Pauli, videlicet, in Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, & in Vigilia ipsorum Apostolorum. Aliæ VIII. fiunt in Capella Palatii, videlicet in Vigilia omnium Sanctorum, in die eorumdem pro Defunctis, in Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, & Corporis Christi Vigiliis. III.

De Matutinis Papalibus, quot, & quæ, ac ubi fiunt.

Matutinæ V. intra annum, videlicet, in die omnium Sanctorum pro Defunctis, in nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in Mercurii, Jovis, & Veneris diebus sequentis Hebdomadæ. Et omnes in Capella Palatii fiunt.

IV.

De Missis ordinariis totius anni in genere, & quot sunt.

Missæ ordinariæ tam per Papam, quam Cardinales, ac etiam Prælatos communiter intra annum celebrandæ, tam in Basilica Apostolorum, quam in Capella Palatii, aut alibi, sunt, ut dixi, numero XXXV. præter illam, quæ fit per Sacristam Palatinum in galli cantu noctis natalitiæ, nam plerumque eidem nulli interesse solent, sed ea excepta, omnes simul etiam cum extraordinariis nunquam solent regulariter celebrari per inferiores a Prælatis consecratis, quantumcumque nobilibus, generosis, & illustribus, ac in aliis dignitatibus Ecclesiasticis constitutis.

V.

De Missis ad Papam pertinentibus, quot, & quæ, ac ubi fiunt.

De Missis supra dictis ad Papam III. pertinent celebrandæ, videlicet in Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in Resurrectionis ejusdem, & in Sanctorum Apostolorum solemnitatibus, quibus Papa sub baldachino processionaliter ad Basilicam defertur. Alibi autem communiter celebrare non solet. VI.

De Missis ad Cardinales pertinentibus in genere, & quot, & quæ, ac ubi fiunt.

Per Cardinales, tam Episcopos, quam Presbyteros Missæ ordinariæ intra annum communiter XXIII. videlicet quinque apud Basilicam, in Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, & omnium Sanctorum solemnitatibus. Aliæ autem duædeviginti celebrantur in Capella Palatii, videlicet in Dominica III. de Adventu, in nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in die Sancti Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Circumcisionis, Purificationis, Cinerum, quartæ Dominicæ de Quadragesima, quæ dicitur de Rosa, Dominicæ Palmarum, Jovis, Veneris, Sabbati hebdomadæ Sanctæ. Item Lunæ, Martis Paschæ de Resurrectione, Trinitatis, Commemorationis omnium Defunctorum, annuæ Creationis Papæ, & Coronationis ejusdem. Est & alia Missa ad Cardinales quolibet septennio pertinens, videlicet, Sabbato in Albis, quando consecrantur Agni Dei.

VIII.

De Missis ad Episcopos Cardinales spectantibus, & quot, & quæ, ac ubi fiunt.

De quibus XXIII. Missis Cardinalium Episcopi sex totidem Missas annis elapsis, ut audio, celebrabant, ita ut quisque eorum semel in anno ordinarie celebrabat, sed nostro tempore solum duas cantant, in Basilica videlicet in die Epiphaniæ, & Pentecostes. Credo, non aliam interceßisse causam, nisi quia tunc quatuor ex eis propter senectutem inhabiles excusabantur, & pro-

Digitized by Google

propterea usus invaluit, ut etiam nunc duas tantum celebrent. Sed si Papa impeditus non posset, aut nollet celebrare, Prior Episcoporum pro eo supplebit in prima, si poterit; & alii successive procedendo. VIII.

De Missis ad Presbyteros Cardinales pertinentibus, & quot, & quæ, ac ubi fiunt.

Reliquas Missas; videlicet XX. & unam, tam in Basilica, quam in Capella celebrandas per Cardinales Presbyteri agunt; & si Episcopi cantare suas non possunt, seniores Presbyteri supplent. IX.

De Missis ad Prælatos pertinentibus, & quot, ac quæ, & ubi fiunt,

Ad Prælatos Missæ ordinariæ novem in totum pertinent; videlicet, tres in Adventu, & quatuor in Quadragesima, & una Sabbato in Albis, præterquam in Consecratione Agnorum Dei, & nona in Anniversario Pontificis proxime defuncti. Celebratur & illa, quam dixi, in galli cantu noctis natalitiæ per Sacristam; sed quia pauciſſimi interſunt, ideo inter ordinarias solemnes vix computatur.

X.

Sermones ordinarii quot, & a quibus, ac quando, atque ubi fiant.

Sermones intra rem Divinam per totum annum ordinarii sunt numero decem & novem; ex quibus quatuor in totidem Dominicis de Adventu; & quinque in totidem aliis Dominicis de Quadragesima, excepta die Palmarum. Qui omnes non nisi in Capella, & per Regulares fiunt. Sed alii decem tam per Regulares, quam per seculares arbitraliter fieri possunt, videlicet in die omnium Sanctorum, Sancti Stephani Protomartyris, S. Joannis Evangelistæ, Circumcisionis, Epiphaniæ, Cinerum, Parascevæ, Ascensionis, Pentecostes, & Trinitatis. Et quoniam hi novemdecim ordinarii in cantati Evangelii currentis expositionem, & in Dei laudem aguntur, sacri vocantur; ideoque non nisi inter sacra Missarum Solemnia, & post Evangelium cum petitione Benedictionis, ac Angelicæ Salutationis præfatione recitantur. Si qui vero extraordinarii, ut pro pacis, seu victoriæ significatione, sive alia causa, aut in laudem alicujus defuncti fiunt, quia sacri non censentur, ideo post Missas, & absque Benedictione, ac sine Angelicæ Salutationis præfatione recitantur. Intra Missas in honorem Sanctorum Evangelistarum, aut Doctorum Ecclesiæ habendas Sermo haberi potest; sed pro aliis Sanctis non solet. Et regulariter nunquam una eademque die Sermo, & Processio concurrunt.

CAPUT XIII.

Quibus diebus Pontifices Romani consueverunt a Consistorio secreto cessare.

Die Dominica, tertia, quinta Feriis, & Sabbato per totum annum ordinarie non fit Consistorium. *Non fit Consistorium in diebus infrascriptis.*

In Vigilia, & in die Circumcisionis Domini usque post diem Epiphaniæ.
In Festo Sancti Antonii.
In Festo Sanctorum Fabiani, & Sebastiani.
In Festo Sanctæ Agnetis.
In Festo Sanctorum Vincentii, & Anastasii.
In Conversione Sancti Pauli.
In Vigilia, & Festo Purificationis.
In Festo Sancti Blasii.
In Festo Sanctæ Agathæ.
In Cathedra Sancti Petri.
In Festo Sancti Matthiæ.
In Festo Sancti Gregorii.
In Festo Sancti Benedicti.
In Vigilia, & Festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.
In Vigilia, & Festo Ascensionis Domini.
In Vigilia, & Festo Pentecostes, & duobus diebus sequentibus.
In Vigilia, & Festo Corporis Domini.
In Festo Sancti Marci Evangelistæ.
In Festo Apostolorum Philippi, & Jacobi.
In Festo Inventionis Sanctæ Crucis.
In Festo Sancti Joannis ante Portam Latinam.
In Festo Apparitionis Sancti Michaelis.
In Festo Sancti Barnabæ Apostoli.
In Festo, & Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ.
In Vigilia, & Festo Apostolorum Petri, & Pauli, & in Commemoratione Sancti Pauli.
In Festo Sanctorum Joannis, & Pauli.
In Octava Sancti Joannis Baptistæ.
In Octava Apostolorum Petri, & Pauli.
In Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ.
In Festo Sancti Jacobi Apostoli.
In Festo Sancti Petri ad Vincula.

Digitized by Google

In Festo Sancti Laurentii.
In Vigilia, & Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Viginis, & in Octava.
In Festo Sancti Bartholomæi.
In Festo Sancti Augustini.
In Festo Decollationis Beati Joannis Baptistæ.
In Vigilia, & Festo Nativitatis Beatæ Mariæ, & in Octava ejus.
In Festo Exaltationis Sanctæ Crucis.
In Festo Sancti Matthæi Apostoli.
In Festo Dedicationis Beati Michaelis.
In Festo Sancti Hieronymi.
In Festo Sancti Francisci.
In Festo Sancti Lucæ Evangelistæ.
In Festo Apostolorum Simonis, & Judæ.
In Vigilia, & Festo omnium Sanctorum.
In Commemoratione Defunctorum.
In Dedicatione Basilicæ Salvatoris.
In Dedicatione Basilicæ Apostolorum Petri, & Pauli.
In Festo Sancti Martini.
In Festo Sanctæ Ceciliæ.
In Festo Sancti Clementis.
In Festo Sanctæ Catharinæ.
In Festo Sancti Andreæ Apostoli.
In Festo Sancti Nicolai.
In Festo Sancti Ambrosii.
In Festo Sanctæ Luciæ.
In Festo Sancti Thomæ Apostoli.
In Vigilia Nativitatis Domini usque ad diem post Epiphaniam non fit Consistorium, sed aliquando conveniunt Domini Cardinales cum Papa ad tractandum, & consultandum, si est opus.
Item a quinta Feria ante Quinquagesimam usque ad quartam Feriam Cinerum inclusive.
Item a Dominica in Palmis usque ad Dominicam in Albis inclusive.
Item quando fiunt vacationes Curiæ in æstate, statuuntur aliqui dies, in quibus tantum fit Consistorium, & tempus vacantiæ. Et quando audientia resumetur, debet intimari Curialibus, ut quis possit procurare facta sua.
In Anniversariis Pontificum, Cardinalium, sive Regum, quando pro eis fit Capella.
In die Anniversario Assumptionis, Coronationisque Romani Pontificis pro tempore existentis.
Item quotiescunque fit publicum Consistorium, vel Capella.
Item quando Imperator, Rex, Cardinalis Legatus ad Curiam venit, aut recedit a Curia. Et similiter quando novus Cardinalis, aut aliquis Magnus Princeps venit.
Item quando ordinaria Consistoria sunt interrupta, Cardinales non vadunt ad Consistorium, nisi vocentur a Papa. Quando autem non sunt interrupta, vadunt semper statutis diebus, etiam non vocati, nisi prohibeantur. Dies vero Consistoriales sunt secunda, quarta, & sexta Feriis per totum annum, diebus supra nominatis exceptis.

COMMENTARIUS.

I. DIximus jam supra Tomo I. in Commentariis ad Titulum IX. de Consistorio. Esse profecto antiquum Romanorum Pontificum morem, ut in quibusdam diebus Summi ipsi Pontifices a Consistoriis abstinerent, patet ex Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite CI. quod inscriptum est, *In quibus diebus, & solemnitatibus consueverunt Romani Pontifices a Consistoriis abstinere*. Quid olim ageretur in Consistoriis, jam nostro Tomo I. recitato superius loco notavimus. Varia certe negotia & quidem gravioris momenti solet hodie Pontifex Cardinalibus exponere; dumque hæc prælo committimus, en Allocutio Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. habita in Consistorio secreto Feria secunda die XXIV. Januarii MDCCLII. de pretiosa morte Francisci Serrani ex Ordine Prædicatorum Episcopi Tipasitani Vicarii Apostolici Provinciæ Fokiensis in Regno Sinensi, Joachim Rojo, Joannis Alcober, & Francisci Diaz ejusdem pariter Ordinis Dominicani Sacerdotum.

VENERABILES FRATRES.

Tertius jam annus est, ex quo Nos hoc ipso in loco pretiosam mortem (1) Petri Martyris Dominicanæ Familiæ Mauricastrensis Episcopi, & Apostolici Provinciæ Fokiensis in Imperio Sinarum Vicarii, Vobis exposuimus: quo quidem tempore certiores Vos etiam facere non prætermisimus, quatuor alios Dominicanæ ejusdem

(1) In Allocutione scilicet habita in Consistorio secreto die 16. Septembris anno 1748.

Digitized by Google

dem Familiæ Religioſos Viros eſſe, qui in carcere detinebantur, quique non longe ab eo erant, ut eamdem damnationis ſententiam ſubirent, & pro Chriſtiana Religione vitam amitterent. Ibi autem cum Nos antiquam Eccleſiaſticam loquendi rationem ſecuti (1) illos *Martyres deſignatos* nominaverimus, nunc mortis eorumdem, & feralis executionis atrocis ſententiæ nuntio accepto, *Martyres conſummatos* eoſdem appellandos judicamus, quo etiam nomine Mauricaſtrenſis Epiſcopus a Nobis fuerat appellatus: illud Succeſſoribus Noſtris integrum reſervantes, ut Martyres *vindicatos* illos pronuncient, poſtquam probationum examen inſtitutum, atque peractum fuerit, & quæ de illorum geſtis relata huc tranſmiſſa ſunt, a veridicis licet fontibus profecta, authenticis documentis fuerint comprobata; & poſtquam Dei Optimi Maximi benignitas ſignis, ac miraculis manifeſtare dignata fuerit, quantopere horum Servorum ſuorum holocauſtum Divinæ Majeſtati ſuæ fuerit acceptum: cum Sanctæ huic Apoſtolicæ Sedi hoc in more poſitum, & conſtanti lege firmatum ſit, (2) ut ad veri Martyrii approbationem minime procedat, niſi ſupernaturalia ſigna, atque prodigia pariter acceſſerint.

Horum, qui nuperrime pretioſam mortem obierunt, nomina ſunt, Franciſcus Serranus, Joachim Rojo, Joannes Alcober, & Franciſcus Diaz. Etſi autem probe Nobis compertum illud eſt, (3) *Martyrem non facere pœnam, ſed cauſam*, minime tamen plura Nobis hoc loco perſequenda exiſtimamus, ut Vobis enarremus, illud ex iis, quæ huc ad Nos pervenerunt, monumentis colligi, quatuor hoſce Sacerdotes necatos Tyranni juſſu fuiſſe, propter infenſum animum, quem ipſe contra Chriſtianam Fidem gerebat, in cujus prædicatione ipſi Sacerdotes aſſidua, atque indefeſſa cura ſe exercebant; atque ab ipſis mortem Chriſtiana æquanimitate, ac fortitudine exceptam fuiſſe, ejuſdem Sanctæ Religionis cauſa, cujus aſſerendæ miro amore flagrabant; cum de hac re ab hinc ſupra triennium pluribus Nos egerimus, cum ex hoc ipſo loco Mauricaſtrenſis Epiſcopi mortem Vobis annunciavimus. Perſecutio enim, quæ contra pios hoſce Sacerdotes deſæviit, eadem ipſa eſt, quæ in Fidei odium contra Mauricaſtrenſem Epiſcopum excitata fuit; & tam illius, quam horum cauſa communis eſt. Illud hic Nobis adjungendum eſt, Religioſos hoſce Viros non modo lubenti animo mortem ſubiiſſe, immaneſque cruciatus, qui a Tyranno ipſi morti additi ſunt, toleraſſe, verum & ante graviſſimis ærumnis, atrocibuſque contumeliis in ipſo carcere duorum fere annorum ſpatio conflictatos fuiſſe, ut ſatis appoſite de illis dici poſſit, quod (4) *in omnibus exhibuerunt ſemetipſos, ſicut Dei Miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.*

Noſtræ huic Allocutioni finem hic ponere propoſitum Nobis fuerat. Verum, cum in percurrendis ſchedis per Viros fide dignos Nobis traditis, atque tranſmiſſis, inſigniora quædam, ac præcipua deprehenderimus; minime grave Vobis eſſe cupimus, ſi in iiſdem exponendis paululum Vos etiam detineamus.

Pater Franciſcus Serranus ætatis annum agebat quinquageſimum ſecundum, annos autem novendecim in Sancta Sinenſi Miſſione impenderat. Pater Joachim Rojo ætatis erat annorum ſex & quinquaginta, quorum tres ſupra triginta Apoſtolicum munus in Sinenſi item Miſſione exercuerat. Pater Joannes Alcober annos habebat quadraginta duos, horum vero duodeviginti in obeunda Sancta eadem Miſſione exegerat. Pater Franciſcus Diaz tertium ſupra trigeſimum numerabat annum; ſpatio autem annorum novem Divini Verbi Præco ibidem fuerat. De laboribus eorum, de ferventi aſſerendæ Chriſtianæ Religionis ſtudio, ipſarumque Miſſionum fructu, in Tabulariis Congregationis Propagandæ Fidei negociis præpoſitæ plurima extant monumenta, quorum opportuno tempore erit, ut debita ratio habeatur; quoniam, licet pro Martyrio ſatis ſit mors in Chriſtianæ Fidei odium illata, eademque pro Chriſti ipſius amore ſancte obita, ac tolerata; non inficiandum tamen eſt, diuturnam Chriſtianarum (5) virtutum ſeriem in anteacto vitæ curſu heroice exercitarum, ad veram Martyrii declarationem permultum conferre.

Neminem autem, niſi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ admodum imperitum, ignorare arbitramur, Tyrannorum morem fuiſſe, ut enormis cujuſpiam delicti nota Martyres infamarent, ad odium contra ipſos concitandum; ut ſcilicet illam, quæ inde redundabat, invidiam effugerent, (6) quod propter ſolum Chriſtianæ Religionis exercitium, ac profeſſionem, eoſdem interficiendos mandarent.

Idem etiam in quatuor horum Sacerdotum Martyrio eveniſſe comperimus; eo tamen diſcrimine, quod, cum alii Tyranni in eorum calumnia obſtinate uſque perſtiterint, eademque fulti mortis ſententiam pronunciaverint; hic contra ethnici Judices, & idololatræ minime veriti ſunt Sacerdotes Noſtros innocentes declarare quoad ea pertinebat, quæ de enormibus vitiis falſo ipſis objecta fuerant: quibus rebus Tyrannus minime deterritus, & contra Chriſti Fidem infenſior effectus, laqueo eoſdem interimendos crudeliter mandavit.

Cum inter ſententiæ pronunciationem, ejuſdemque executionem, aliquod temporis ſpatium interceſſiſſet, ex quo Sinenſis Imperator illam ſuſpendi mandaverat; fama non inanis percrebuit, & quæ ad piorum uſque Sacerdotum, qui in vinculis detinebantur, aures pervenit, fore ut capitalis pœna in exilium a Regni finibus commutaretur. Magna autem in hoc nuncio vis inerat, ut de eorumdem animo, ac propoſito vere dijudicari poſſet. Nam, ſi ipſi hujuſmodi nuncio lætati forent, id quodammodo minoris roboris, ac fortitudinis indicium eſſe potuiſſet, & cujuſdam affectionis, qua temporali vitæ adhærerent; quæ omnia hæroicæ Martyris fortitudini oppoſita ſunt: contra vero, ſi

(1) In eadem Allocutione, ut ſupra. (2) Libro 3. Noſtri Operis, *De Canonizatione*, Cap. 27. Numero 8. & Cap. 29. a Num. 6. uſque ad ult. (3) S. Auguſtinus Epiſt. 204. Num. 4.
(4) Epiſt. 2. ad Corinthios Cap. 6. (5) Lib. 1. cit. Operis, *De Canonizat.* Cap. 27. Num. 2. & Capite 29. Num. 1. & 2. (6) Lib. 3. ejuſdem Operis, *De Canonizat.* Cap. 13. Num. 7. & ſeq. & Num. 12.

Digitized by Google

contristati essent, suspicio quædam exoriri inde poterat vanæ cujusdam gloriæ, quam in morte fortiter oppetenda iidem sibi proposuissent; (1) qua vana profecto gloria pseudomartyrum hæreticorum mortes inquinatæ sunt. Verum, eorumdem Acta descripta, atque huc transmissa, dum leguntur, heroica in quatuor hisce Religiosis Viris ad Divinam voluntatem conformatio eluceſcit, paratus æque, ac promptus, sive ad exilium, sive ad mortem animus, prout Divinæ voluntati complacitum foret, cui vitam suam, mortemque pariter consecraverant.

Postremo autem nemo Vestrum procul dubio est, cui illa ignota sint, quæ celebri Fischerio Rofensi Episcopo acciderunt. Hic Henrici VIII. Angliæ Regis jussu in angusto carcere cum detineretur, quod legi illi adhærere recusasset, qua Rex supremum se Anglicanæ Ecclesiæ caput constituerat, purpureus eidem Galerus (2) a Pontifice Paulo III. per idem tempus transmissus fuit. Nos Patrem Franciscum Serranum, jam carcere in odium Christianæ Religionis conclusum, datis Apostolicis Litteris, Episcopum Tipasitanum constituimus, & Provinciæ Fokiensis Apostolicum Vicarium designavimus, addita declaratione Coadjutoris cum futura successione in locum Antistitis Mauricastrensis. Pontifici Paulo III. Rofensis vincula nota erant; ignotum vero Nobis erat, Serranum item vinctum teneri. Hoc dumtaxat discriminis inter unum, atque alium intercedit. Cæterum utriusque idem finis fuit; cum quemadmodum Cardinalitia insignia nihil aliud Rofensi tribuerunt, nisi ut profundæ humilitatis actum exerceret, & præclarum testimonium acciperet, quanta virtutis illius ratio apud Pontificem esset; sic ex nostris Apostolicis Litteris nihil aliud Serrano tributum est, nisi argumentum, quanti etiam Nos illum merito faceremus; quæ quidem nostra de illo æstimatio præclaris humilitatis præcipuæ testimoniis aucta est, & obsequiosæ obedientiæ suæ, quam Nobis per idem tempus exhibuit. Et quemadmodum Cardinalitius Galerus a Paulo III. Rofensi transmissus, vitam illi incolumem minime præstitit, quam idem paulo post pro Sancta Religione libenter devovit; sic neque Episcopalis, ac Vicariatus Apostolici dignitas Serrano a Nobis collata, gloriosæ eumdem Martyrii palmæ expertem fecit.

Hæc præcipua sunt, Venerabiles Fratres, quæ de strenuis hisce quatuor Jesu Christi Atleti Vobis exponenda esse censuimus. Cæterum eam Nos quæstionem in medio relinquendam existimamus, uter duorum Ordinum, Dominicanus, an Franciscanus, primus fuerit, qui Sanctas in Sinensi Imperio Missiones perageret. Illud quidem certe affirmabimus, ad hæc usque tempora decem ex Dominicana Familia Viros numerari, (3) qui in Sinensi Missione mortem pro Christi Fide per inaudita tormenta oppetierunt; quorum quidem Causa in Sacrorum Rituum Congregatione aliæ jam introductæ, aliæ vero proximæ sunt, ut introducantur. Quamobrem, Venerabiles Fratres, quoniam nemini Vestrum ignotus est infelix status, quo propter atroces persecutiones Sancta illa Missio in præsens redacta est, restat jam, ut ferventes pro illaconjunctis votis Divinæ Majestati preces porrigamus, magna spe freti, ut Eadem de excelso gloriæ suæ Solio Nobis benigne annuat; quoniam Abrahamo interroganti: (4) *Quid si inventi ibi fuerint decem?* respondit: *Non delebo propter decem.*

II. Hanc Allocutionem Sanctissimi Domini Nostri regnantis Pontificis curavit mox edi in publicam lucem Reverendissimus, ac zelantissimus inclyti Ordinis Prædicatorum Magister, Fr. Antoninus Bremond, suisque encyclicis Litteris inferuit, quas ad universum laudatum Ordinem scripsit, suntque hujus tenoris.

In Dei Filio sibi dilectis Patribus ac Fratribus Ordinis Fratrum Prædicatorum.

FR. ANTONINUS BREMOND
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR
Ejusdemque Ordinis universi Magister Generalis, & Servus.

Salutem, & Apostolicum Spiritum.

Cum eximio, atque immortali Dei O. M. beneficio contigisse arbitremur, ut regiminis nostri primordia ab illustri, & glorioſa Fratrum nostrorum pro Christi Fide confessione auspicaremur, id unum ad faustissimi ominis, lætitiæque nostræ cumulum, fore reliquum videbatur, ut sanguine partam ab Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Fr. Petro Martyre Sans Episcopo Mauricastrensi Ecclesiæ, ac Familiæ nostræ gloriam ceteri ejusdem Apostolatus Socii proprio implerent, atque amplificarent Martyrio, (5) *ut quos vinculum confessionis, & hospitium carceris simul junxerat, jungeret etiam consummatio virtutis, & gloriæ cælestis.* Quo Apostolicæ charitatis æstu, qua votorum constantia, qua exercitatione virtutum ad supremum agonem, beatæque mortis complexum Martyres jam designati se se componerent, ex Litteris Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Fr. Francisci Serrano Episcopi Tipasitani, ac Provicarii Apostolici cumulate intelleximus. Ex ipso carcere, quo cum aliis ad necem servabatur, Episcopi Mauricastrensis passionem, & exitum ad nos scripsit diligentissime, tum Apostolicis sensibus, quo mortem pro Christo obeundi cum Sociis flagrabat, desiderium luculenter adeo expressit, ut in ejus verbis cor ipsum loqui videretur. Parati jam sibi optatissimi Martyrii expectatione suspensus, & anxius propriis culpis, quæ ejus modestia fuit, injectam passionis moram, dilatamque sibi, ut videbatur, nondum satis parato coronam deputabat, patienter interea expectans beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, quo se prorsus indignum prædicabat. Quæ dum obortis præ gaudio lacrymis legeremus, videbatur nobis veterum Ecclesiæ Martyrum fidem, constantiam, flagrantissimam charitatem, beatæque immortalitatis firmissimam spem intueri, (6) *nec invenimus quid in eo prædicare plus deberemus, gloriam vulnerum, an verecundiam morum, quod honore virtutis insignis esset, an quod pudoris admiratione laudabilis, ita & dignitate excelsus erat, & humilitate sublimis.*

Interea designatorum cum ipso Martyrum in tam

(1) Citato Libro 3. *De Canonizatione*, Cap. 20. Num. 12. & seq. (2) Cit. Lib. 3. *De Canoniz.* Cap. 33. Num. 8. (3) Sex memorantur in citata nostra Allocutione habita die 16. Septembris 1748. §. *Vulgata, & Communis*. Quatuor alii sunt, qui in hac Allocutione recensentur.
(4) Gen. Cap. 18. (5) S. Cypr. Lib. 2. Epistola 6. (6) Idem Lib. 2. Epist. 5.

Digitized by Google

tam illuſtri agone certantium diu, noctuque obverſabatur menti noſtræ imago, & præſentia, ac beatiſſimo eorum carcere, ſi non corpore, & vinculis, animo certe, votiſque concluſi Deum jugiter precabamur, (1) *at initiis ad ſumma pergentibus quos fecerat confiteri, faceret coronari*. Favit meritis, & precibus ſuorum Militum, & Confeſſorum, favit expectationi noſtræ Divina clementia, & præconceptam ex præclariſſimo Epiſcopi Mauricaſtrenſis triumpho exultationem ejuſdem Sociorum palmis cumulavit. Recentioribus quippe Litteris, certiſque nunciis accepimus, prælaudatum Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum D. Fr. Franciſcum Serrano Epiſcopum Tipaſitanum, RR. PP. FF. Joannem de Alcober, Johachimum Rojo, & Franciſcum Diaz Hiſpanos, Philippinarum Provinciæ Alumnos poſt diuturni carceris preſſuras, & nobilius, quo longius, certamen, paſſionis, vitæque curſum feliciter conſummaſſe, ac plaudentibus Angelis ad amantiſſimi Fratris Epiſcopi Mauricaſtrenſis complexum evolaſſe. Univerſam eorum Martyrii ſeriem neque aptius, neque luculentius exhiberi poſſe, arbitramur, quam graviſſimis, atque ampliſſimis verbis, quibus eam Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS PAPA XIV. Eminentiſſimis Patribus in Conſiſtorio ſecreto die 24. hujus Menſis nunciavit. Sapientiſsimi Pontificis Orationem, Apoſtolicæ ejus eloquentiæ, atque eruditioni incomparabili parem inter pretioſiora Familiæ noſtræ monumenta perenniter adſervanda oculis veſtris ſubjicimus.

Sequitur mox laudata Sanctiſſimi Domini noſtri Allocutio, quam nos ſupra deſcripſimus, & deinde ita ſubjicit.

Jam vero intelligitis Fratres quas Divinæ erga Nos largitati gratias debeamus, quod ex Dominicanis Alumnis hac etiam ætate ſuſcitaverit, atque elegerit ſibi 1) Homines divites in virtute, dominantes in Poteſtatibus, nunciantes in Prophetis, fortes in bello, contemptores vitæ, mortis triumphatores, quos (2) ludibria, & verbera expertos, inſuper & vincula, & carceres, (3) nec tribulatio, & anguſtia, nec fames, ac nuditas, nec perſecutio, nec gladius ſeparare potuerunt a charitate Dei, ſed in omnibus ſuperaverunt propter eum, qui dilexit nos. Bit profecto, cur iis, cur nobis ipſis gratulemur, quod illorum nomina jam in Cælis deſcripta novum, æternumque decus faſtis noſtris attulerint, ac nova adjecerint nobis incitamenta virtutis. Quis enim præclaris adeo non excitetur triumphis, & quaſi admotis ſtimulis ſe ſe impellere non ſentiat ad eam ineundam Apoſtolicam viam, quam ſuo ſanguine impreſſam glorioſiſſimi Fratres ſignarunt? Nonne cor noſtrum, dum hæc audimus, ardet in nobis, ut Fidei zelo ſuccenſi (4) eamus & nos, & moriamur cum illis? Hæc ſunt, dilectiſsimi, Apoſtolicorum hominum vota, hæc eorum merces magna nimis: hæc Inſtituti, quod profitemur, gloria, a Majoribus noſtris parta, ab Æqualibus aucta, ac noviſsime ad æmulandum nobis propoſita. Ergo (5) non efficiamur ſegnes, ſed imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditaverunt promiſsiones. Ad propoſitum nobis certamen curramus (6) aſſumentes galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, ſuccincti lumbos in veritate, induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.

Quod ſi fortiſsimos Chriſti Athletas per vincula, & mortem ſequi non poſſumus, eorum ſaltem ſectatores ſimus in fide, & charitate, in ſcientia, & longanimitate, (8) ſervantes in ſimplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modeſtiam in humilitate, in defendenda veritate conſtantiam, in diſciplina ſeveritatem, ne aliquid ad recte factorum exemplum deſit in nobis, ſed luceat lux noſtra coram hominibus; & glorificent Patrem noſtrum, qui in Cælis eſt. Hæc ſunt enim veſtigia, quæ illi revertentes in Patriam, nobis reliquerunt, ut illorum ſemitis inhærentes ſequeremur, & in gaudia. Ad ea amantiſsime invitant, ibi nos cupidiſsime expectant (9) jam de ſua immortalitate ſecuri, & adhuc de noſtra incolumitate ſolliciti. Ad eorum conſpectum, & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune erit lætitia! Remiſſas itaque manus, & ſoluta genua erigamus, tantæque expectatione mercedis, forti animo ſimus alacriter ſubeuntes (10) momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, quæ æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. (11) *Si compatimur, & conregnabimus: quod præmium non iis tantum paratum eſt, qui pro Nomine Domini impiorum ſævitia ſunt perempti; quoniam univerſitas Deo ſervientium, ſicut in Chriſto eſt crucifixa, ita in Chriſto eſt coronanda*. Valete, noſtri, Sociorumque memores in Sacrificiis, & precationibus veſtris.

Romæ ex noſtris Ædibus Minervitanis die 31. Januarii 1752.

Hactenus encyclica Epiſtola zelantiſsimi Generalis Magiſtri Ordinis Prædicatorum Reverendiſſimi Patris Fratris Antonini Bremond ad eundem Ordinem ſcripta de pretioſa morte Franciſci Serrani ex laudato Ordine Epiſcopi Tipaſitani, & aliorum Sociorum in Regno Sinenſi in odium Chriſtianæ Fidei necatorum. Placuit & eam poſt Allocutionem de celebri ipſorum Martyrio a Sanctiſſimo Regnante Pontifice in Conſiſtorio habitam in hoc Commentario deſcribere; ut ſicut alia memorati Papæ Allocutione, & alia prædicti Magiſtri Ordinis Prædicatorum Epiſtola de aliorum ejuſdem Ordinis Martyrio alium Tomum ornavimus, ita & hunc Tomum nova tanti Pontificis Oratione, & piis laudati Generalis Magiſtri Litteris illuſtraremus. Atque hic finem noſtris ad Cæremoniale Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Commentariis facimus, proteſtamurque ex animo, ſiquæ in ipſis non ſatis accurate, aut mature pro rei gravitate dicta nobis exciderint, hæc omnia eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Matri, ac Magiſtræ, cujus gratia hic labor a nobis ſuſceptus eſt, ſupremo Judicio, atque Cenſuræ ſubjicere, parum curantes quicquid pſeudocritici noſtri hujus temporis aliena Opera carpentes ſcripſerint.

AP-

(1) S. Cyprianus Lib. 4. Epiſtola 1. (2) Eccleſiaſtici Cap. 44. (3) Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos Cap. 11. (4) Idem in Epiſtola ad Romanos Cap. 8. (5) In Evangelio Joannis Cap. 11.
(6) Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos Cap. 6. (7) Idem in Epiſtola ad Epheſios Cap. 6.
(8) Ven. Beda Sermone 11. de Sanctis. (9) S. Cyprianus de Mortalitate. (10) Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos Cap. 22. (11) S. Leo Magnus Sermone 67. Num. 5.

Digitized by Google

APPENDIX

In qua varia Decreta recensentur ad hoc S. R. E. Cæremoniale spectantia.

I. VAria variis temporibus edita fuisse Decreta a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a Summis Pontificibus deputatis, atque ab iisdem approbata pro reformatione Cæremonialis, quod nos primi omnium innumeris pene ab erroribus correctum, perpetuis Commentariis illustravimus, notarunt jam Apostolicarum Cæremoniarum Magistri, & inter alios Franciscus Mucantius in ms. Diario Pontificatus Gregorii Papæ XIII. cujus narrationem licet sparsim in Commentariis ipsis descripserimus, operæ pretium nihilominus censuimus integram in fine hujus Operis referre, una cum aliis Decretis sequioribus temporibus promulgatis, tum potissimum, quod nullus adhuc, quod sciam, reformationem auctoritate laudati Gregorii XIII. factam publici juris fecerit. Audiendus itaque memoratus Mucantius, cujus narratio eam in rem hæc extat in prædicto suo ms. Diario ad annum MDLXXXII. post diem XXVII. Decembris. Quod quidem Diarium servatur in celeberrima Casanatensi Bibliotheca.

Hoc anno Sanctissimus Dominus noster deputavit Congregationem ad reformationem Sacrorum Rituum, & Cæremoniarum infrascriptorum Dominorum Cardinalium, videlicet, Moronum, Farnesium, Perusinum, Sabellum, de Sermoneta, Comensem, Madrutium, Varmiensem, Sfortiam, Ursinum, Sirletum, Sancti Sixti, Estensem, Medicem, & Carafium, qui diversis vicibus congregati, resolverunt infrascripta Capita approbata a Sanctissimo Domino nostro, prout prædictus Reverendissimus Dominus Cardinalis de Sermoneta referebat eidem Sanctissimo, eademque approbata, ut supra in scriptis mihi tradebat, ut sequitur.

Capita reformationum Capellæ Sanctissimi Domini nostri resoluta in Congregatione Illustrissimorum Dominorum Cardinalium deputatorum, & per ipsum Sanctissimum Dominum nostrum Gregorium XIII. confirmata præsenti anno Domini MDLXXIII.

In prima Congregatione.

Quod Nobiles omnes, Oratores Principum, Nepotes Sanctissimi, & Principes non sedentes in banco Cardinalium, eant ante Crucem.

Quod nullus incedat inter Papam, & Cardinales, nisi Gubernator Urbis, & Capitaneus custodiæ.

Quod Cardinales in eundo ad Capellam, sive Ecclesiam, habeant Caudatarium, & unum Familiarem pro quolibet, vel in casu necessitatis duos ad plus, iique incedant a lateribus, & non intermedii. In diebus vero, quibus Cardinales parantur in Capella, habeant tertium, qui deferat paramenta, & recte eat ad Capellam. Idem ordo servetur in redeundo.

Quod omnes alii se interponentes inter Cardinales euntes ad Capellam, omnino arceantur.

Quod in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Sanctissimus Dominus noster communicet Diaconos Cardinales, & alios non Presbyteros, prout in die Paschæ.

Quod in Capella, dum celebrantur Divina Officia, & fit Sermo, servetur silentium per omnes.

Quod Indulgentiæ pronuncientur in fine Missæ post Benedictionem solemnem, quando non est Sermo.

Quod in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi in Missa majori, Papa celebrante, dum Cantores dicunt Versiculum, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est*, Sanctissimus Dominus noster profundius solito se inclinet, & Reverendissimi Domini Cardinales genuflectant, prout in Cæremoniali dicitur.

Quod Lectiones in Matutinis noctis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi legantur per Cardinales eo modo, quo dicitur in Cæremoniali, qui hodie observatur.

Quod in Capella Papali servetur novum Breviarium, & Missale reformatum tam in Missis, quam in Vesperis.

Quod Sanctissimus Dominus noster, quando est celebraturus, capiat paramenta pro celebratione in Ecclesia.

Quod Diaconi Cardinales assistentes præstent obedientiam Papæ in Capella, prout faciunt alii Cardinales.

Quod Cardinalis celebrans capiat, & deponat paramenta in Sacristia.

Quod in Missa cum dicitur per Cantores Versus ille, *Et in Spiritum Sanctum &c. qui cum Patre, & Filio simul adoratur*, Sanctissimus Dominus noster, Reverendissimi Domini Cardinales, & omnes alii caput inclinent.

In alia Congregatione.

Quod potus in Aula in Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi omnino tollatur.

Quod in Vigilia Circumcisionis cum præstatur juramentum a Conservatoribus, & Officialibus Urbis, Reverendissimus Dominus Camerarius stet ad sinistram Solii, capite detecto. Idem faciant duo Diaconi Cardinales assistentes, & notetur in Libro Cæremoniali.

Quod in Festo Cathedræ Romanæ Sancti Petri celebretur Missa per Presbyterum Cardinalem de Festo cum Commeratione de Dominica in Septuagesima, vel simili, in Basilica Sancti Petri cum paramentis albis pro Papa, & Celebrante, & Cardinales veniant cum Cappis rubeis.

Quod in die Purificationis Reverendissimi Cardinales veniant cum Cappis rubeis, & infra scripta observentur.

Non

Digitized by Google

Non videtur prohibendum, ne in Capella deferantur aliæ candelæ, quam illæ, quas Sanctiſſimus Dominus noſter deferri faciet pro benedicendo.

QuodClerici Cameræ debeant miniſtrare tres primos cereos Gubernatori Urbis, & Gubernator Priori Epiſcoporum tradendos Sanctiſsimo.

Projectio candelarum ad populum videtur omnino tollenda.

Duo Nobiles teneant duos magnos cereos prope Solium, alius tamen nobilior laicus remaneat pro ablutione manuum.

An placeat Sanctitati ſuæ, quod petantur per Reverendiſſimos Cardinales candelæ pro Cardinalibus abſentibus, Regibus, & Reginis, ac aliis magnis Ducibus? Sanctitas ſua reſpondit, quod petantur pro Cardinalibus abſentibus tantum, ſed tamen non dentur in Capella, ſed poſtea.

Quod Cardinales quoties accipiunt candelam de manibus Sanctiſſimi, oſculentur manum, & genu pro qualibet candela, niſi illi, qui ex officio capiunt duas ſimul.

An Prior Epiſcoporum Cardinalium debeat in die Purificationis inſervire pro ablutione manuum Sanctiſſimi, prout dicitur in Cæremoniali impreſſo, an potius Prior Presbyterorum, prout in die Cinerum, & prout reperitur alias obſervatum, & ſecundum opinionem Paridis de Graſſis? Sanctiſsimus reſpondit, quod pro nunc obſervetur Liber Cæremonialis.

Quod, cum dicitur Evangelium, & elevatur Sanctiſſimum Sacramentum, Sanctiſsimus Dominus noſter, Reverendiſsimi Cardinales, & Prælati teneant candelas accenſas in manibus, dicto Evangelio, & elevato Sanctiſſimo Sacramento reſpective, extinguantur.

Videntur apponenda repagula circa Solium, ne populus obruat Pontificem, & deputandi Cuſtodes in numero, ac locis opportunis pro ingreſſu Capellæ.

Si Feſtum Purificationis venerit in die Dominico, in Septuageſima, vel ſimili, fiat benedictio, & diſtributio candelarum, & Miſſa celebretur de Dominica, niſi in Eccleſiis Beatiſſimæ Virgini Mariæ dicatis, in quibus celebretur de Feſto, cum Commemoratione Dominicæ.

Quod Sanctiſsimus Dominus noſter cantet Orationem poſt diſtributionem candelarum in cantu Feriali.

Quod regulariter ad Veſperas, & Miſſas, & publica Conſiſtoria, quæ præſertim fiunt in Aula Regum, Sanctiſſimus Dominus noſter portetur in Sede, niſi in Miſsis, & Veſperis pro Defunctis, & Matutinis, ac in die Cinerum, & in ſexta Feria Majoris Hebdomadæ. In Dominicis autem Adventus, & Quadrageſimæ ad arbitrium Sanctiſsimi.

Quod Auditores Rotæ, & Clerici Cameræ ſervent quæ dicuntur in Cæremoniali, præſertim quod ſtent genuflexi, dum Papa paratur a ſiniſtris, & in defectum Acolythorum miniſtrent paramenta.

Quod Sermocinantes in Capella Magiſter Sacri Palatii una cum Cardinali deputando advertat ad ætatem, & qualitatem Sermocinantis, & quod ſit ſaltem in Clericatu, neque admittantur omnes indiſtincte.

Quod nullus laicus, qui acceſſurus ſit ad Pontificem in Capella, vel aliquo alio actu publico, portet arma, ſed illa deſerat pro illo actu.

In alia Congregatione.

Papa debet ire in Tyara infraſcriptis diebus ad Miſsas; videlicet in die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Cathedræ Beati Petri, Paſchatis, Annunciationis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sanctorum Petri, & Pauli, omnium Sanctorum, in Anniverſario Coronationis, in Miſsa aliqua ſolemni pro aliqua magna lætitia.

In deferendo pacem Presbyter Cardinalis aſſiſtens non facit reverentiam Pontifici niſi poſt datam pacem, & pariter Epiſcopus, ſive Preſbyter Cardinalis aſsiſtens, Papa celebrante, nulli reverentiam faciat. Capellanus vero aſsiſtens Celebrantis, Papa præſente, faciet reverentiam Cardinalibus ſecundum ſolitum, & abſente Papa, nulli faciat reverentiam, niſi data pace.

In benedictione incenſi ſemper Papa dicat, *Ab illo benedicaris &c.* juxta ſolitum, præterquam ante Offertorium, nam tunc dicat, *Per interceſſionem &c.*

In Dominica Palmarum idem ſervetur in diſtributione Palmarum, quod in die Purificationis, videlicet.

Non videtur prohibendum, quod in Capella deferantur aliæ Palmæ, quam illæ, quas Sanctiſsimus Dominus noſter faciet deferri pro benedictione.

Quod Clerici Cameræ debeant miniſtrare tres primas Palmas Gubernatori Urbis, & Gubernator Priori Epiſcoporum tradendas Sanctiſsimo.

Projectio Palmarum ad populum videtur omnino tollenda.

Duo Nobiles teneant duas magnas Palmas prope Solium. Alius tamen nobilior laicus remaneat pro ablutione manuum Sanctiſsimi.

Quod petantur Palmæ, ſed non dentur ibi pro Cardinalibus tantum abſentibus, non pro Regibus, vel aliis.

Quod Cardinales accipiendo Palmas oſculentur manu, & genu Pontificis.

Non ſunt portanda luminaria in die Palmarum finita Paſsione, cum legitur Evangelium.

In die Palmarum cum dicitur in Epiſtola, *In Nomine Jeſu &c.* Papa, & omnes alii genuflectant.

In eodem die Palmarum Prior Epiſcoporum ſerviat pro ablutione manuum Papæ, ut dicitur in Cæremoniali.

Cum Cardinalis celebraturus capit paramenta, abſente Pontifice, vel Cardinalibus, ſerviant Cardinales genuflexi, alias ſtent.

Abſente Pontifice in Matutinis Tenebrarum, Decanus Cardinalium dicat Orationem, *Reſpice &c.*

Cantaturi Paſsionem in die Paraſceve deferant paramenta nigra.

Cardinales poſt adorationem Crucis, ſtante Cruce ſuper Altare, in eundo faciant reverentiam cum genuflexione; in redeundo vero cum Sacramento, cum capitis inclinatione profunda.

In die Paraſceves Papa deferat Cappam de roſato cum Mitra. Cardinales vero eant cum Cap-

Digitized by Google

Cappis, & pannis laneis violaceis.

Sabbato Sancto quando Papa sumit paramenta alba, videtur quod Cardinales etiam accipiant Cappas rubeas.

Videtur Festum Annunciationis solemniter celebrandum eo die, in quo veniet, exceptis diebus a Dominica Palmarum usque ad Feriam tertiam post Pascha, inclusive, & Cardinales veniant cum Cappis rubeis. Et cum in Symbolo dicitur a Cantoribus, *Et homo factus est &c.* Papa profundius solito se inclinet, omnes vero alii genuflectant.

Prælati, & omnes, qui habent locum in Capella præsentes in Curia moneantur venire ad Capellam.

In alia Congregatione.

In Cæremoniali in Titulo, *De Festo Sanctissimi Corporis Christi*, addantur Officiales descripti in *Motu proprio* secundum ordinem hactenus servatum.

In Vigilia dicti Festi Sanctissimus Dominus noster particulariter moneat Reverendissimos Dominos Cardinales, & Prælatos, ne in Processione ullos apud se habeant præter unum deferentem fanale a lateribus, & Caudatarium, tertium etiam pro laborantibus podagra.

In die Sanctissimi Corporis Christi videtur conveniens, quod Missa Solemnis celebretur summo mane ante Processionem ab aliquo Presbytero Cardinali in Capella Sixti.

Videtur pro majestate Sanctissimi Sacramenti convenientius, quod illud portetur per Pontificem Sella delatum, & Mitratum.

Reverendissimi Domini Cardinales infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi accedentes ad Processiones diversarum Ecclesiarum debent uti Cappis rubeis.

In Vesperis, & Missa in die Assumptionis Sanctissimæ Virginis Mariæ Cardinales uti debent Cappis rubeis.

Videtur in morte Cardinalium, quod aliquis Prælatus debet celebrare Missam funebrem uno die tantum in aliqua Ecclesia eligenda a Cardinalibus Executoribus Testamenti Cardinalis defuncti, & Camerario Collegii pro tempore existente, hantque Exequiæ expensis Collegii.

Quando celebratur aliqua Missa, absente Pontifice, quæ non sit solita celebrari, Reverendissimi Domini Cardinales uti debent Cappis violaceis, præsente vero Pontifice, prout videbitur Sanctitati suæ, Festum illud magis; vel minus solemniter celebrandum.

Quando Reverendissimi Cardinales eunt ad Prædicationes in Festis solemnibus uti debent eo Capparum colore, quo uterentur, si eo die Missa solemnis celebraretur in Capella.

II. Atque hæc sunt Decreta Sacræ Congregationis Cardinalium Deputatorum a Gregorio XIII. pro Cæremonialis, ac Cæremoniarum Capellæ reformatione. Lubet pro hujusce Appendicis coronide sequens Cæremoniale auctoritate sanctæ memoriæ Clementis XI. Disciplinæ Ecclesiasticæ Instauratoris probatum subjicere, quod legitur apud eruditissimum Tria in suis Additionibus ad Platum in Tractatu, *De Cardinalis dignitate, & officio* pag. 80. & seqq. estque hujusmodi.

Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Cæremoniale.

Sacra Congregatio Cæremonialis cujuscumque abusus, & novitatis eliminationi sedulo, ac provide intenta, ad amplissimam præcipue Sacri Cardinalatus dignitatem in sibi debito decore conservandam, Decreta jam confecta diligentissime examinavit, auxit, & in formam, ut infra, redegit.

I. Eminentissimi DD. Cardinales nuper creati, etiamsi ab Oratoribus Principum ante suscepta Cardinalatus insignia private fuerint visitati, eos tamen nullo modo revisitabunt, nisi prius publice ab eisdem Oratoribus fuerint visitati post suscepta hujusmodi Cardinalatus insignia. 16. Novembris 1627.

II. Nuper Sacro Collegio adscripti ante solemnem receptionem Galeri rubri quoscumque alios DD. Cardinales non visitent, neque ab iis, etiam sub prætextu, quod clam, & private id fiat, visitentur, neque eis ad Urbem accedentibus ante præfatam Galeri rubri receptionem ab aliis DD. Cardinalibus Romæ degentibus obviam eatur. Excipiuntur tamen DD. Cardinales, quos contigerit Sede vacante ad Urbem accedere, non habitis Cardinalatus insigniis, quibus, & cæteris DD. Cardinalibus, licet se mutuo invisere; Conclavi autem recluso, qui prædicta Cardinalatus insignia suscepturi sunt, donec illa susceperint, ab aliis DD. Cardinalibus nullo modo visitentur, aut alios visitent. 19. Novembris 1627.

III. A quocunque visitati cujusvis gradus, & conditionis ille fuerit, exceptis Principibus illis, quibus locus in subselliis eorumdem DD. Cardinalium cum Capellæ Pontificiæ intersunt, designari consuevit, dum abeuntes domo deducunt, nullum scalarum gradum descendant. 16. Novembris 1627.

IV. In Ecclesiis, & in omnibus aliis locis, & actibus publicis, quibus DD. Cardinales interfuerint, numquam in eodem scamno, genuflexorio, seu pari sella assideant, seu genuflectant, nisi cum illis Principibus, qui in subselliis DD. Cardinalium in Capella Pontificia locum obtinent. 7. Februarii 1656.

V. Cum per Urbem Rocchetto induti incedunt, quocunque modo proficiscantur, nemini subsistant: liceat tamen Gubernatori Almæ Urbis, Vicecamerario, Senatori etiam Urbis, ac Oratoribus Principum, qui Aula Regia gaudent, officium hujusmodi exhibere; cæteris autem Magnatibus, & Status Ecclesiastici Baronibus, etiamsi Pontificis viventis Fratres, aut Nepotes fuerint, gradum non sistant. 7. Februarii 1656.

XI. Cum sine Rocchetto per Urbem proficiscuntur, liceat ipsis, si libuerit, ex ordine Ecclesiastico Patriarchis, Episcopis, Auditori Cameræ Apostolicæ, Thesaurario Generali, & Decano Collegiorum Protonotariorum, S. Rotæ Auditorum, & Cameræ Apostolicæ Clericorum; ex ordine vero laicali illis Magnatibus Status Ecclesiastici, qui fuerint Ducatu, vel Principatu insigniti, Civitates, & Castra, quorum Duces, seu Principes nuncupantur, possederint in

Digitized by Google

in Statu Eccleſiaſtico, officium ſalutationis reddere ſubſiſtendo, dummodo ab illis prius DD. Cardinales viſitati fuerint; Magnatibus vero exteris hujuſmodi officium deferri poterit ab iis DD. Cardinalibus, qui jam ab illis viſitati fuerint, & tres antiquiores DD. Cardinales hujus S. Congregationis, audito, ſi libuerit, Reverendiſſimo Cæremoniarum Magiſtro, id convenire judicaverint; cæteris vero cujuſcumque gradus, conditionis, vel dignitatis extiterint, DD. Cardinales ſalutationis reddendæ gratia nullo modo ſubſiſtant. 7. Februarii 1656.

VII. Nemini ex DD. Cardinalibus liceat, etiamſi fuerit invitatus, publicis unquam Diſputationibus, Accademiis, Laurearum traditionibus, aliiſque ſimilibus actibus intereſſe, niſi eorum tantum, qui vel Sacri Palatii, vel Rotæ Auditores, vel Advocati Conſiſtoriales Aulæ fuerint deſignati, necnon exceptis tribus Orationibus, quæ in Collegio Romano initio Studiorum in laudem B. Aloyſii Gonzagæ, & funebri de ſel. record. Gregorio Papa XIII. ſingulis annis peraguntur, quibus quatuor tantum Eminentiſſimi Domini intereſſe poterunt, declarando, huic præſenti Decreto eos DD. Cardinales obnoxios non eſſe, quibus alicujus Collegii Protectionis munus demandatum eſt, vel quibus Concluſiones, ſeu Theſes, & actiones hujuſmodi dicatæ fuerint; illorum ſiquidem præſentia tales cœtus decorari poſſe, non prohibetur.

Excipitur præterea Accademia Convictorum Collegii Clementini ſemel in anno in honorem Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis ſolemniter celebrari conſueta, cui quatuor tantum Eminentiſſimi DD. Cardinales, Eminentiſſimo Domino Cardinali Collegii pro tempore Protectore inter quatuor adnumerato, poterunt intereſſe. 11. Julii 1702.

VIII. Non erigantur Umbellæ, ſeu Baldachina occaſione Theſium, aliorumque actuum Scholaſticorum in quocunque loco, niſi pro Summo Pontifice, Regibus, & Cardinalibus in Titulis, & Diaconiis; necnon in Monaſteriis, & Conventibus, aliiſque locis, quæ eorum protectioni ſubſunt. 11. Julii 1702.

IX. Cum tres Domini Cardinales in curru ſimul incedunt, quocunque habitu utantur, Prælatos, ſeu alias perſonas non admittant. 6. Julii 1699.

X. Eminentiſſimi DD. Provinciarum Legati hoſpitio recepturi Oratores Principum ad Urbem properantes, vel ab ea revertentes, ipſis obviam non procedant; quo vero ad eorundem Oratorum exceptionem in propriis Legatorum Domibus, ſervabitur conſuetus, & approbatus mos cujuſcunque Legationis. 18. Julii 1701.

XI. Eminentiſſimi DD. cum primum Oratores Principum ad Urbem pervenerint, niſi prius fuerint certiorati nomine eorundem Oratorum de ſecuto ipſorum adventu, ſuos Nobiles Familiares officioſitatis gratia ad eoſdem Oratores non mittent. 18. Julii 1701.

XII. Obſervetur Decretum antiquum, quo cautum eſt, Ablegatos Principum excipiendos fore ſine lemnicis, vulgo *Fiocchi*, & ſine titulo excellentiæ, nulla habita ratione ad quemcumque gradum, dignitatem, & præeminentiam, aut natalium qualitatem, quibus ipſos coruſcare contigerit. 15. Julii 1704.

XIII. Eminentiſſimi DD. occaſione luctus, e Rocchettis Lacinia, vulgo *Merletti*, necnon e Pileis cingula aurea quocunque tempore non auferent; & ſicuti in perſona, & in proprio curru nil luctus habere debebunt, ita neque in domibus, neque in curribus quibuſcunque. 18. Julii 1701.

XIV. Cum Eminentiſſimi DD. ſacris Paramentis induti ex Aula Paramentorum ad Capellam pergunt, & ex ipſa ad Aulam præfatam revertuntur, etiam in ſupplicationibus, quæ in Paramentis ſacris peraguntur, Caudatarium, & duos Nobiles Familiares tantum ſecum habebunt. 28. Maji 1702.

XV. Dominus Cardinalis Sacrum audiens in privato Oratorio Palatii ſuæ habitationis, nemini, etiam Cardinali ad ſe venienti occurrat. 16. Novembris 1627.

XVI. Dominus Cardinalis Mitram habens, nulli hominum (Romano Pontifice excepto) caput detegat. 16. Novembris 1627.

XVII. Eminentiſſimi DD. Cardinales in rebus dubiis quomodolibet Cæremoniale concernentibus, Decanum Sacri Collegii, & alium antiquiorem Cardinalem S. Congregationis Cæremonialis, necnon D. Cardinalem primum Miniſtrum Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ conſuſulant, qui in eiſdem rebus dubiis Sacram Congregationem convocari mandabunt. 11. Julii 1703.

XVIII. Prælati uſum Rocchetti habentes, eodem induti, Eminentiſsimos DD. nuper creatos viſitabunt, quos denuo cum Rocchetto, ut ſupra, viſitabunt poſt ſuſcepta Cardinalatus inſignia. 26. Aprilis 1701.

XIX. Dicti Prælati, ſi ab Eminentiſſimis DD in propriis Domibus viſitabuntur, ipſos Eminentiſſimos pro prima vice Rocchetto induti excipient. 26. Aprilis 1701.

XX. Barones Romani Eminentiſsimos DD. noviter creatos, poſt ſuſcepta Cardinalatus Inſignia, publice viſitabunt ad formam Decreti ſ. m. Alexandri VII. 18. Januarii 1667. & qui uſque adhuc viſitationem publicam non fecerunt Eminentiſsimis DD. Cardinalibus nunc viventibus, quamprimum expleant. 5. Decembris 1702.

XXI. DD. Cardinales quando prima vice a Principibus Magnis, qui ſolent ſedere in Banco DD. Cardinalium, viſitantur, erunt cum Rocchetto diſcooperto; idem quoque ſervetur pro prima, & unica tantum vice toto Cardinalatus tempore, quando viſitantur ab Oratoribus, ſive Ordinariis, ſive extraordinariis, qui Aula Regia gaudent, & cum Rocchetto, Mantello, & Mozzetta illis viſitationem reddent, itaut ſemel recepto, & viſitato, ut ſupra, uno ex prædictis Oratoribus, ſive fuerit ordinarius, ſive extraordinarius, non liceat amplius DD. Cardinalibus in prædictorum viſitationibus Rocchetto uti; ſed eos recipient cum Subtana, & Mozzetta, & in eodem habitu, cum pallio præfatos Oratores viſitabunt; quicunque vero Oratores, qui Sanctiſſimo Domino noſtro in Conſiſtorio publico obedientiam præſtabunt, tunc ratione obedientiæ præſtitæ cum Rocchetto diſcooperto in prima viſitatione ſemper excipiendi, & honorandi erunt, & cum Rocchetto, Mantello, & Mozzetta illis viſitationem reddent. 4. Septembris 1703.

Digitized by Google

XXII. Eminentissimi DD. cum e Capellis Pontificiis, Concionibus, & Consistoriis discedunt, Rocchettum non deponant, & Pallium in Ecclesiis, prout in ipsomet Palatio Apostolico, in quibus cum Rocchetto interfuere, non sument. 9. Decembris 1704.

XXIII. Eminentissimis DD. habitu communi Confraternitatum indutis, non licebit interesse Missis, Vesperis, & Concionibus earundem Confraternitatum. 9. Novembris 1704.

Facta autem per me Prosecretarium relatione Sanctissimo Domino nostro Clementi Papæ XI. Sanctitas sua non tantum Decreta supradicta laudavit, & approbavit, sed etiam DD. Cardinales memores fore voluit juramenti in receptione Pilei præstiti de observando omnia, & singula Decreta a S. Congregatione Cæremoniali hactenus emanata, & imposterum emanatura pro sublimi ejusdem Cardinalatus honore, & dignitate conservanda.

Ad quem effectum eorundem Decretorum exemplar authenticum, quousque illa in reviso, ac emendato libello de varietate, & usu vestium inserta, & typis tradita evulgentur, ad omnes, & singulos DD. Cardinales, qui ea observare omnino debeant, transmitti mandavit. Hac die 14. Maji 1706.

N. Episcopus Portuen. Cardinalis Acciajolus Præf.

Candidus Cassina Secretarius.

Decreta Sacræ Congregationis Cæremonialis habitæ die 22. Novembris 1742. super eodem argumento.

Cum de Mandato Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. propositi fuerint in Sac. Congregatione Cæremoniali nonnulli abusus, qui de recenti irrepserunt, inter quos est, quod Prælati Rocchetti usum habentes illo indiscriminatim induti per Urbem incedant; ac insuetis, indebitisque lemnicis, vulgo *Fiocchi* equos proprii currus exornent, brevioribus insuper nigris vestibus amicti Ecclesias adhuc lucente die ingrediantur, Sacramentum publice expositum veneraturi, vel recurrentibus Sanctorum solemnitatibus cultum exhibituri; atque debita erga Sac. Cardinalium Collegium publica visitationis officia aliquando non expleverint, tam in prima Prælatitii habitus susceptione, vel in nova dignitatum, aut munerum assecutione, quam erga eosdem Eminentissimos extra Urbem degentes, dum per Civitates, ubi ipsi resident, Prælati iter agentes, quamvis tempus congruum id permitteret, eos invisere non sategerint.

Eadem proinde Sacra Congregatio ad eos omnino eliminandos, enunciatis die, & mense ita decrevit.

I. Nulli Prælatorum cujusvis Ordinis, aut Collegii fuerit, qui Rocchetti prærogativa potitur, imposterum liceat eodem induto per Urbem incedere. Cum hoc gestare unice ex Summorum Pontificum munificentia una cum lemnicis nigris ad equos proprii currus appensis, præcipuorum suorum officiorum ratione, ac præstantia permissum sit almæ Urbis Gubernatori Vice-Camerario, Generalibus R. Cameræ Apostolicæ Auditori, ac Thesaurario, necnon utriusque Sac. Palatii Apostolici Præfecto, atque insuper ob distincti habitus accessionem, Mozzettæ scilicet a san. mem. Benedicto XIII. quatuor Patriarchis, Constantinopolitano videlicet, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano concessæ, dum Mantelletto, ac præfata Mozzetta ornati processerint.

II. Prælati autem, qui Rocchetti prærogativa fruuntur, tunc tantum sument illud per scalas Palatii Pontificii, Apostolicam Aulam, vel in antecedenti Cubiculo illud Congregationum, aut Collegialium actionum, quæ in eodem Palatio cum Rocchetto fient, ingressuri; necnon quando primum in promotione Sacro Senatui de novo adscriptos, & iterum Cardinalatus insigniis decoratos, eos in domibus suis visitabunt; quoties quemcumque ex DD. Cardinalibus primo invisent, vel Cardinali Rocchetto similiter induto in comitatus obsequiis erunt, sive domi fuerit, sive extra; conveniendo insuper cum Oratoribus Principum, qui Aula gaudent Regia, publica solemni pompa procedentibus; & in actu pariter dumtaxat cujuscumque alterius publicæ, vel privatæ actionis, in qua Rocchetti usus dignitatis, vel muneris ratione eis competere potest.

III. Jussit item, ut lemnisci, vulgo *Fiocchi*, aut quid simile ornatus, quocumque prætextu, titulo, modo, colore, aut forma in ephippiis equorum, Præsulum currus raptantium non apponantur; & si talia forte appositа fuerint ornamenta, omnino amoveantur.

IV. Nulli præterea Prælatorum, nisi Prælatitio habitu induto publicas Ecclesias, in quibus SS. Sacramentum Fidelium veneration fuerit expositum, vel alia quæcumque solemnia inibi peragentur, diurno tempore ingredi liceat.

V. Statuit insuper Sac. Congregatio, ut Decreto alias ab eadem emanato sub die scilicet 26. Aprilis 1701. & a f. mem. Clemente XI. approbato, nempe, *Prælati usum Rocchetti habentes, eodem induti Eminentissimos DD. nuper creatos visitabunt, quos denuo cum Rocchetto, ut supra, visitabunt post susceptа Cardinalatus insignia*, adderetur, quod ipsi Prælati ejusdem visitationis officium explere teneantur, non solum statim ac Prælatitium sumpserint habitum, sed etiam cum aliqua distincta nova dignitate, vel munere fuerint insigniti, & occasione publici alterius officii sibi ab Apostolica Sede collati, pro quo explendo ab Urbe sint recessuri; & quando illo adimpleto, in Urbem redierint permansuri.

VI. Utque suprema Cardinalatus Dignitas semper, & ubique debito non fraudetur honore, decrevit itidem eadem Sac. Congregatio, quod Prælati, tam privata, quam publica causa itinerantes, dum eos per Civitates, in quibus aliquis S. R. E. Cardinalis adfuerit, transire acciderit, erga ipsum, præfatum visitationis officium, prout tempus, & circumstantiæ ferent, explere non prætermittant.

Sequitur approbatio Regnantis Papæ facta die XXIII. Novembris prædicti anni, & deinde subscriptio T. Cardinalis Rufi Sacri Collegii Decani, & Ignatii Reali Secretarii.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM

QUÆ IN I. ET II. TOMO HUJUS OPERIS CONTINENTUR

Numerus Romanus Tomum, Arabicus paginam denotat.

A

ABbates pronunciandi formula. I. 338
Abbates in Conſiſtorio pro Canonizatione Sanctorum ſuffragium ferebant. I. 230
Abbates quando mitram habuerunt. II. 375
Acceſſum pro eligendo novo Pontifice faciendi ritus. I. 69 & ſeqq.
Accubitum quid. I. 153
Acclamationis verba in electionibus veterum Pontificum. I. 135
Acolythi Romanæ Eccleſiæ olim deferebant Euchariſtiam, a Papa in ſolemni Miſſarum celebratione conſecratam in diebus Dominicis, ad Eccleſias Titulares. II. 80
Acolythi olim Agnos Dei conficiebant. II. 372
Acolythorum erat oblatio panis, quæ fiebat in Miſſa ſolemni celebrata a Papa in nocte Nativitatis Domini. II. 50
Acolythorum antiquorum S.R.E. munia. II. 372
Acolythorum tria genera olim in Eccleſia Romana. II. 371
Acolythorum ſuppreſſo collegio, eorum privilegia addicta ſunt collegio Votantium Signaturæ Juſtitiæ. II. 372
Addextrare quid. I. 141
Addextratores qui. I. 141
Adventus vox pro ipſa die Nativitatis Domini accipiebatur. II. 1
Adventus ante Natalem Domini ad quid deſignatus. II. 1.
Adventus qua die apud Romanos incipiebat. II. 3
Adventus vocabatur Quadrageſima. II. 2
Adventus ad quadraginta dies durabat. II. 2
Adventus in Gallia ad ſex hebdomadas durabat. II. 2.
Adventus olim ſex Dominicæ numerabantur. II. 2
Adventus Dominicæ vocantur in Miſſali Mozarabico Dominicæ ante Adventum. II. 1
Adventus tempore nonnullæ Eccleſiæ colorem nigrum in ſacris veſtibus uſurparunt. II. 5
Adventus tempore quidam non ſecus, ac in Quadrageſima Sacras Imagines velabant. II. 5
Adventus quinque Dominicæ olim in Eccleſia Romana. II. 3
Adventus Domini tempus ex inſtitutione S. Petri celebrari nonnulli putant. II. 2
Adventus Domini initium non ab omnibus eodem tempore ducebatur. II. 2
Adventus antiqua Præfatio. II. 35 & ſeqq.
Adventus tempore conciones ad ſuos populos Epiſcopi habebant. II. 6
Adventus ſingulis diebus conciones olim habebantur. II. 2
Adventus Dominica tertia externis lætitiæ ſignis Romæ celebrari conſuevit. II. 33
Advocatorum Conſiſtorialium Collegium viris doctis, & Juris ſcientia præditis conitare debet. II. 374
Advocatorum veſtes in celebratione Papæ I. 108
Africana Eccleſia in Natali Domini Hymnos S. Ambroſii decantabat. II. 46
Africani in cœna Domini antequam ſe communicarent, cibum ſumebant. I. 148
Agnus quo ritu die Paſchatis in convivio Papæ comedebatur. II. 271 & ſeqq.
Agnus figura Chriſti I. 281 & ſeqq.
Agni Dei quo tempore conſecrabantur. I. 283
Agni Dei quo ritu Sabbato in Albis diſtribuuntur. II. 278
Agnorum Dei virtus. I. 288. & ſeqq.
Agnos Dei cereos conſecrandi in Eccleſia Romana uſus antiquus. I. 282.
Agnos Dei cereos conficere ad quos olim pertinebat. I. 283 & ſeqq.
Agnos Dei conſecrandi ritus. I. 286 & ſeqq.
Agnos Dei benedicendi antiquiſſima conſuetudo. II. 232 & ſeqq.
S. Ailredus Abbas Monaſterii Rievellenſis rationes Alexandri III. contra conciliabulum Papienſe propugnavit. I. 70
Alapam novo militi infligendi ritus I. 254
Alba Romana quid. I. 76
Albanenſis Epiſcopus conſecrat Papam. I. 110
Albergatus Nicolaus Cardinalis laudatus. I. 8
Alexandrini Clerici vocabant Papam Patriarcham Oecumenicum. II. 330
Alexander III. rogatu Friderici Imperatoris Venetiis Miſſam Pontificalem celebrans, poſt Evangelium ex pulpito ſermonem latinum habuit. II. 7.
Alexander III. Papali Manto privatus a pſeudopontifice Victore IV. I. 69
Alexandri III. rationes propugnavit S. Ailredus contra conciliabulum Papienſe. I. 70
Alexander VI. quomodo Authores ſuæ exaltationis ad Pontificatum remuneratus fuit. I. 48
Alexandri VI. Bulla, qua concedit Joanni Antonio Cardinali SS. Nerei & Achillei poteſtatem celebrandi die XIII. Decembris in Altari majori S. Petri. II. 336
Alleluja in aliquibus Eccleſiis in primo, & ſecundo Nocturno Nativitatis Domini non dicebatur. II. 47
Alleluja in Miſſis poſt Pentecoſten canere ſtatuit S. Gregorius Magnus. II. 225
Alleluja in aliquibus Hiſpaniæ Eccleſiæ in Quadrageſima olim dicebatur. II. 225
Alleluja apud Romanos in exequiis mortuorum olim decantabatur. II. 225
Alleluja in Sabbato Sancto quo ritu intonari ſolitum. II. 240
Altare olim conſuevit thurificari non ſolum a celebrante, verum etiam a Diacono *per circuitum*. II. 390
Altare in Veſperis thurificabatur, dum dicebatur verſiculus ad Antiphonam Cantici *Magnificat*. II. 38
Altaris S. Petri prærogativa I. 326
Altari magna eſt adhibenda reverentia. II. 329
Altaria primis temporibus lignea fuere. II. 336

Digitized by Google

Altaria in cœna Domini denudandi pervetusta consuetudo ll. 187 & cur ea denudentur. *ibi*
Altaria in cœna Domini lavandi ritus antiquus ll. 188. quæ ejus ritus ratio. *ibi*
Altaria in quibusdam Ecclesiis Feria sexta majoris hebdomadæ solemni ritu olim lavabantur. ll. 194
Altaria septem Sabbato Sancto olim consecrabantur. ll. 226
Altarium Ecclesiarum Patriarchalium Urbis privilegium. ll. 336
Alumni Collegii Græci Epistolam, & Evangelium in solemni Missa Papali Græce canere debent. ll. 67
Ambones, in quibus olim Epistola, Prophetiæ, & Evangelium in Missa legebantur, vel hodie in Ecclesia S. Clementis de Urbe visuntur. ll. 16
Amedeus Sabaudiæ Dux a Concilio Basileensi pseudopontifex renuntiatus. l. 81
Ammantare quid. l. 70
Amula quid. ll. 72
S. Anastasiæ veterrimus cultus in Ecclesia Occidentali, & Orientali. ll. 55
Angelicus Hymnus originem ducit a Spiritibus Seraphinis. ll. 26
Angelicus Hymnus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* a populo in Missa olim decantabatur. ll. 26
Angelicus Hymnus *Sanctus, Sanctus, Sanctus* a Subdiaconis Romanæ Ecclesiæ retro Altare dicebatur. ll. 26
Angelicum Hymnum Sacrificio Missæ quis addidit. ll. 16
Angelicam Salutationem una cum Symbolo ante Officium Divinum S. Pius V. dici jussit. ll. 161
Angelicam Salutationem dicendi initio concionum S. Vincentius Ferrerius institutor. ll. 136
Angelicam Salutationem, non vero antiphonam, *Regina Cæli*, vel tempore Paschali sacer Orator initio concionis recitare debet ex præscripto Cæremonialis. ll. 135
Angliæ Rex Cardinali Presbytero scribens, nomini illius nomen suum postponit. ll. 334
Anniversarium pro Defunctis ab initio nostræ Religionis. ll. 321
Anniversarium generale pro defunctis Pontificibus, & Cardinalibus. ll. 325
Anniversarium electionis, & consecrationis Papæ quibus ritibus celebratum. ll. 323
Anniversarium consecrationis Episcopi. li. 322
Annos Pontificatus S. Petri nemo ex Papis attigit. l. 113 Responsum S. Petri Damiani de ea re. *ibi*.
Annunciatio S. Mariæ diversis nominibus donata. ll. 280 Ejus Festum in Ecclesia pervetustum. *ibi*. Quo ritu celebrandum. ll. 283
Antiphona in Introitu Missæ instituta a S. Cælestino I. atque a S. Gregorio itidem I. cantari jussa. ll. 14
Antiphona *ad offerenda*, quæ. ll. 23
Antiphona ad Communionem. ll. 87
Antiphona in Vesperis solemnibus toties olim cani solita, donec populus incensaretur. ll. 38
Antiphonæ quo ordine vel olim in Capella Papali annunciatæ. ll. 38
Anulus Piscatoris unum ex sigillis Papæ. l. 72 Quæ isto muniuntur. *ibi*.
Anulus Episcopi quid significet. l. 163
Anulus quo ritu datur Cardinalibus. l. 313
Anuli Cardinalitii valor. l. 312. & 314
Anulis Cardinales, antequam habeant Titulos, non utuntur. l. 313
Apostoli Orationem Dominalem in Missa recitarunt. ll. 27
Apostoli omnes sub unica festivitate olim Calendis Maji colebantur. ll. 304
Apostoli Divinorum Mysteriorum Festa instituentes unum decreverunt in honorem Dominicæ Passionis. ll. 191
Apostolorum Festa in Oriente principium habuerunt. ll. 103
Apostolos instituisse in Missa Præfationes, nonnulli putant. ll. 44. & seqq.
Apostolos omnes sub unica Festivitate in die Sanctorum Petri, & Pauli Græci venerantur. ll. 303
Apostolicæ Sedis dignitas longe superior Regia, & Imperatoria Majestate. l. 176
Apulia ab Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ confirmata. l. 173
Aquilejensis Patriarchæ sedes in Concilio Lugdunensi fuit destructa. l. 378
Aquilejensi Patriarchæ locus post alios Patriarchas in Concilio Lugdunensi fuit controversus. l. 378
Aragoniæ Regi Colobium, & Mitram Innocentius III. concessit. l. 194
Archidiaconi Cardinalis Romæ olim summa potestas. l. 10
Archimandritæ secundæ Syriæ vocaverunt Papam universi Orbis Patriarcham, & Caput, & Pastorem omnium. l. 330
Archiparaphonista qui. ll. 72
Arcus triumphales novo Pontifici vel antiquitus erigebantur. l. 140. & seqq.
Arcum triumphalem novo Papæ ad Lateranum solemniter progredienti Dux Parmæ, & Placentiæ tamquam Ecclesiæ Romanæ Feudatarius erigit. l. 143. & seqq.
Argentea Porta Basilicæ Vaticanæ quæ. l. 192
Aromatarius Palatii Apostolici olim Agnos Dei conficiebat. l. 283. & seqq.
Auditores Rotæ quomodo appellati. l. 215
Auditores Rotæ vocantur etiam hodie Papæ Capellani. ll. 368
Auditores Rotæ sunt custodes Conclavis. l. 17
Auditores Rotæ participabant mediatatem Oblationum provenientium in Stationibus Sancti Petri. ll. 369
Auditoris Contradictarum munus. ll. 388
Auditorum Rotæ Officium. ll. 368. & seqq.
Auditorum Rotæ numerus. ll. 369
Auditorum Rotæ Collegium conspicuum. ll. 367 Ex eo multi Cardinales, & etiam Pontifices proderunt. *ibi*.
Auditorum Rotæ Officium in Consistorio. l. 230
Auditoribus Rotæ committitur examinatio causarum circa Canonizationes. l. 225. & seqq.
Auditoribus Rotæ salaria constituit Innocentius Papa VI. ll. 369
S. Augustinus censebat dignum esse depositione Presbyterum, qui in Vigilia Nativitatis Christi non jejunavit. ll. 35
Aula Concilii quæ. l. 136
Aurea Hora quæ. ll. 31
Aurea Rosa. Vide, *Rosa aurea*.
Auricularia quid. l. 293

Ave-

Digitized by Google

Avenione Officia Eccleſiaſtica ſolemni ritu in Sacellis Palatii Pontificii primum celebrari cœperunt. II. 3. & ſeqq.
Aſcenſio Chriſti celebritas ab Apoſtolis, vel Synodis Oecumenicis repetenda. II. 289
Aſcenſionis Chriſti Feſtum quo ritu celebrari ſolitum. II. 289
Aſſiſtentes Epiſcopi quando Miſſam in Sacello Pontificio celebrant. I. 4
Aſſiſtentiæ Pontifici tam in Veſperis, quam in Miſſis ritus. II. 349. & ſeqq.
Aſſumptionis B. Mariæ Virginis Feſtum peculiari ritu Romana Eccleſia ſemper celebrare conſuevit. II. 309

B

Bacchanalia olim Calendis Januarii a Chriſtianis fiebant. II. 105
Bacinus quid. II. 126
Baculus Epiſcoporum antiquum inſigne. I. 102
Baculus Paſtoralis quid ſignificat. I. 102
Baculus S. Petri ubi colitur. I. *ibi.*
Banderenſes qui. I. 16. 46
Bandonarii qui. I. 16
Bandora quid. I. 360
Baptiſma ſuſcepturis pedes lavabantur. II. 178
Barbam recens mortuo radendi antiqua conſuetudo. I. 389
Baſileenſe Concilium renunciavit pſeudopontificem Amedeum Sabaudiæ Ducem. I 81
Baſileenſis Concilii vitia. I. 380
Baſilicarii qui. II. 26
S. Baſilius primus in Oriente invenit conſuetudinem legendi in menſa. I. 158
Baſſinus quid. II. 126
Benedicamus Domino olim complebatur prima Miſſa in nocte Nativitatis Domini. II. 54
Beneficiarii de ſolo patrimonio, non vero de iis, quæ ex Eccleſiæ rebus acquiſiiſſent, teſtandi habent facultatem. I. 386
Benedicere menſam, & cibos, antiquiſſimum eſt inſtitutum. I. 155
Benedictionis Menſæ formula. I. 156
Benedicebant pueri in nonnullis Eccleſiis menſam Prælatorum. I. 156.
Benedictionis Divinæ, & humanæ differentia, & quænam illa. I. 248
Benedictionis Divinæ effectus a quonam procedat. I. 248. & ſeqq.
Benedictionis Eccleſiaſticæ duplex differentia, & quænam ſit illa. I. 249.
Benedictionis candelarum in die Purificationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ ritus. II. 111
Benedictionem inter Miſſarum Solemnia poſt Evangelium Papa olim largiebatur. II. 265
Benedictionem ſolemnem quo ritu Papa elargitur. II. 177
Benedictionem ſolemnem in Paraſceve ante Matutinum Tenebrarum olim Papa publice elargiebatur. II. 218
S. Benedicti Patriarchæ Monachorum Occidentalium Regula circa Orationem, & lampades noctu in Cœnobio ardentes. I. 50
Benedictus XIII. laudatus. I. 290
Benedictus XIII. arcum Triumphalem a Senato, Populoque Romanum ſibi decretum recuſavit. I. 143
Benedictus XIII. iterum laudatus. II. 221.
Benedictus XIII. Lateranenſem Eccleſiam conſecravit. II. 320
Benedictus XIII. plures ex ſuggeſtu, & ex gradibus Altaris conciones habuit. II. 7
Benedicti XIII. inſignia pietatis, & humilitatis argumenta. I. 78.79
Benedicti XIII. maxima pietas, & diligentia in ſervandis antiquis Eccleſiæ Romanæ ritibus, & cæremoniis. II. 98
Benedictus XIV. laudatus. I. 145. & 332. & ſæpe.
Benedictus XIV. laudatus ob reſtitutum celebris Triclinii monumentum. I. 278
Benedictus XIV. aureas habuit Allocutiones in quibuſdam Solemnitatibus. I. 7
Benedictus XIV. conceſſit Parochis Romæ, deferre Stolam in Sacris Proceſſionibus. I. 354
Benedictus XIV. fuſe, perdocte, ſolideque pertractavit doctrinam de Sanctorum Canonizationibus. I. 122. & ſeqq.
Beenedictus XIV. docte refellit fœdum effatum Cardinali Beſſarioni falſo tributum. I. 230
Benedictus XIV. eximia liberalitate Carolum utriuſque Siciliæ Regem excepit. I. 174
Benedictus XIV. Conſtitutionem edidit de Indultis Cardinalium, teſtandi, & diſponendi de ſacra ſupellectile Sacellorum ſuorum domeſticorum. II. 3
Benedictus XIV. ſtatuit, ut in Feſto Conceptionis immaculatæ Beatæ Virginis Mariæ, etſi in Dominicam Adventus incidat, Miſſa non de Dominica, ſed de ejuſdem Virginis immaculatæ Conceptione in Capella Papali celebretur. II. 32
Benedicti XIV. ſapientiſſimum conſilium. I. 87
Benedicti XIV. Bulla de electione Auguſtini Chiſii Principis Romani in Mareſciallum conclavis. I. 16
Benedicti XIV Allocutio habita in Conſiſtorio ſecreto de Enſe, & Pileo ad Emmanuelem Pintum Ordinis Hieroſolymitani Magnum Magiſtrum dono mittendis. I. 227. & ſeqq.
Benedicti XIV. Allocutio de pretioſa morte plurium Martyrum Dominicanornm. II. 411
Benedicti XIV. Conſtitutio de ratione ſecernendi honorarios a cæteris familiaribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Prælatorum Romanæ Curiæ. I. 398. & ſeqq.
Benedicti XIV. inſigne, ac doctiſſimum Opus de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione. I. 222. & ſeqq.
Benedicti XIV. celeberrima Conſtitutio de benedictione, & traditione Pallii. I. 343
Benedicti XIV. Conſtitutio de forma ſervanda in exequiis S.R.E.Cardinalium. I. 392. & ſeq.
S. Bibianæ Officium fuit ſimplex uſque ad Urbanum VIII. II. 16
Birellus Joannes Generalis Ordinis Carthuſianorum a Pontificatu rejectus. I. 50
Biretum fuit Doctorum inſigne. I. 257
Biretum rubri coloris Paulus II. Cardinalibus conceſſit. I. 308
Bonellus Hieronymus electus Dux Generalis Urbis. I. 46
Bonifacius VIII. Sanctorum Faſtis adſcripſit S. Ludovicum IX. Galliæ Regem. II. 2
S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus in ſua Ordinatione nomen ſibi immutavit. I. 72
Borſius Marchio Ferrarienſis magna pompa Romam

Digitized by Google

mam advenit. l. 249. & seqq.
Bremond Antoninus Magister Generalis Ordinis Prædicatorum laudatus. ll. 412
Ejusdem Epistola encyclica ad Fratres ejusdem Ordinis de pretiosa morte plurium Fratrum Dominicanorum. ll. 412 & seqq.
Brevia quo sigillo muniuntur. l. 409
Buccapadulius Antonius Romanus Orationem habuit de eligendo Pontifice. l. 41
Bugia quid. ll. 14
Bugiæ mystica ratio. *ibi.*
Brundusii in Sallentinis in die Palmarum Epistola, & Evangelium Græce dicere consuetum erat. l. 118
Bulla plumbea unum ex sigillis Papæ. l. 72
Quid ipsa muniatur. *ibi.*
Bulla Alexandri VI. qua concedit Joanni Antonio Cardinali SS. Nerei & Acchillei potestatem celebrandi die XIII. Decembris in Altari majori S. Petri. ll. 336
Bullæ plumbeæ antiquitas. l. 83
Bullæ in Canonizatione Sanctorum ritus. l. 242
Bullæ quo sigillo obsignantur. l. 409
Bullas cur Gentiles collo suorum infantium appendebant. l. 282. & seq.
Bullis plumbeis usi sunt Episcopi. l. 409
Burgi Legatus. l. 46
Bursa quid. ll. 23
Bursæ gazophilacium, & mystica ratio. l. 138

C

S. Cælestinus I. antiphonæ in Introitu Missæ institutor. ll. 14
S. Cælestinus V. ex Eremita ad Papatum evectus. l. 6 & 80 Renovavit constitutionem conclavis. l. 6. Papatui renuntiavit. *ibi.*
Cæremoniarum Magister quibus nominibus olim dictus. ll. 345. Ejus munus in Ecclesia antiquissimum. *ibi.*
Cæremoniarum Magister in Capella Papali aliquando ultramontanus. ll. 346 ejusque officium aliquando etiam venale. *ibi.*
Cæremoniarum Papalium Magistri parare debent schedulas pro electione Papæ. l. 65 Eisdem assignatur una ex clavibus conclavis. l. 33 debentur ipsis vestes Cardinalitiæ, & cella novi Pontificis. l. 75
Vide, *Magister Cæremoniarum.*
Cæremonias sacras olim Diaconi, vel Archidiaconi dirigebant. ll. 345
Cadolus, seu Cadolaus antipapa. l. 30
Calabria ab Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ confirmata. l. 173
Calcaria aurea, sive deaurata novo militi imponendi ritus. l. 254
Calix post Offertorium e latere Hostiæ olim locatus. ll. 72
Calicis communio tribus modis. l. 207
Calicis Natalis. Vide, *Natalis Calicis.*
Caligæ quid. l. 79
Camerarii Romæ institutio, & officium. ll. 4
Campanæ a Feria v. cœnæ Domini, usque ad Sabbatum Sanctum cur non pulsandæ. ll. 191
Campanarum inordinata pulsatio in vibrandis excommunicationibus cur instituta. ll. 176
Candelabrum maximum Hadrianus Papa I. confecit, in quo mille trecenti, ac septuaginta cerei affigebantur. ll. 372
Candelabrum triangulare, quo utimur in Matutinis Tenebrarum, est antiqui ritus vestigium. ll. 158
Candelabra septem in solemni Processu Pontificis ad Ecclesiam ex antiquo instituto deferuntur. ll. 58 65 & 260
Candelabra septem in solemni Missa Papali ex pervetusto ritu adhibentur. ll. 397
Candela accensa quare projicitur in vibrandis excommunicationibus. ll. 175 & seqq.
Candelæ in quibusdam Ecclesiis in Matutinis Tenebrarum quare manu cerea extinguebantur. ll. 158
Candelæ ardentis absconditæ sub altari in fine Matutini Tenebrarum mystica ratio. ll. 163
Candelarum numerus, quæ in Matutinis Tenebrarum olim in quibusdam Ecclesiis accendebantur. ll. 158
Candelas in die Purificationis Virginis benedicendi ritus. ll. 111
Candelas distribuendi ritus in eodem Festo Purificationis. ll. 121 & seqq.
Candelas in populum projiciendi in eodem Festo usus sublatus. ll. 115
Canonicæ Horæ debito tempore dicendæ. l. 54
Canonizatio quid. l. 221
Canonizatio prima solemnis a quo acta. l. 221
Canonizationis vocabulo quis primo usus. l. 220
Canonizationis decreti formulæ, & earum origo explicatæ. l. 242. & seqq.
Canonizationes Sanctorum cum maxima semper diligentia a Papis celebratæ. l. 130 Cur fiunt magnis expensis. l. 247
Canonizatis Sanctis qui honores debiti. l. 242
Cantatorium quid. ll. 264
Cantores a Dominica quintæ Quadragesimæ usque ad Pascha, excepta Feria v. cœnæ Domini, uti debent cantu Gregoriano. ll. 162
Capellæ S. Mariæ inter Turres in Ecclesia Vaticana antiquitas, & dignitas. l. 188
Capellæ Paulinæ, & Sixtinæ in Palatio Vaticano cur ita dictæ. l. 8
Capitellum quid ll. 38
Capitulum in Vesperis memoriter a celebrante recitatum. ll. 38
Capitulorum Ecclesiæ antiquæ accurata effigies collegium Cardinalium. l. 354 358
Cappa qua utitur Papa in nocte Nativitatis Domini. l. 264 & seqq.
Cappa rubea, antiquum insigne Legatorum Apostolicæ Sedis. l. 322
Cappas in die Paschatis mutandi consuetudo antiqua. ll. 261
Capuanus Principatus ab Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ confirmatus. l. 173
Cardinalis Presbyter, & Cardinalis Episcopus quando assistunt Papæ celebranti. ll. 348
Cardinalis Episcopus assistens olim non modo Prælatos, sed & Capellanos incensabat. ll. 39
Cardinalis a latere Crucem sibi præfert. l. 323
Cardinalis Episcopus S. Rufinæ tenebat itapham quando Papa equitabat. l. 319 Ejusdem summa antiquitus potestas. *ibi* 318
Cardinalis Archidiaconi summa olim potestas, quæ deinde sublata fuit. l. 10. & seqq.
Cardinali Rex Angliæ scribens, nomen suum omini Cardinalis postponit. ll. 334
Cardinales qui olim appellati. l. 290

Digitized by Google

Cardinales, ſunt baſes, & columnæ S. R. E. & membra Papæ præcipua, & cum ipſo unum corpus efficiunt. ll. 334 381
Cardinales quando olim creabantur. l. 290
Cardinales qua formula creati. l. 297
Cardinales Sede vacante collegialiter congregati, Oratores Regum, alioſque Magnates genuflexos audiunt. l. 329
Cardinales olim defuncti Papæ cadaver ad Eccleſiam deducebant. l. 405
Cardinales in exequiis Papæ Orationem olim habebant. l. 406
Cardinales habebant etiam olim Orationem de futuro eligendo Pontifice. l. 41
Cardinales tantum coram Papa celebrante concionari olim debebant. ll. 334
Cardinales Epiſcopi, ſive Presbyteri, non autem Diaconi coram Papa concionabantur. ll. 7
Cardinales quo ordine, & ritu conclave ingrediuntur. l. 43
Cardinales poſt ingreſſum ad conclave, jurant conſtitutiones de electione Papæ. l. 33
Cardinales ut veſci debeant, ſi electionem Papæ non cito perficiant. l. 36
Cardinales licet excommunicati, ab electione Papæ minime excluſi. l. 58
Cardinales, ſi in Ordine ſaltem Diaconatus non ſunt conſtituti, non poſſunt dare ſuffragium in electione Papæ. l. 59
Cardinales quo ritu deferunt ſchedulas in Papæ electione. l. 62 66
Cardinales quid præter electionem Papæ debent in conclavi tractare. l. 21
Cardinales quibus diebus ad capellam Papæ vocantur. ll. 304 & ſeqq.
Cardinales quando debent præcedere Papam, & quando ſequi. l. 353 & ſeqq.
Cardinales a latere, quo ritu creati. l. 321
Cardinales quo ritu promovendi ad ſacros Ordines. l. 324 & ſeqq.
Cardinales tandem ut promovendi ad Epiſcopatum. l. 219 & ſeqq.
Cardinales ſeptem Epiſcopi ſuburbicarii hebdomadatim olim Miſſarum ſolemnia in Lateranenſi Baſilica peragebant. l. 318
Cardinales olim in die Purificationis candelas benedicebant, quas poſtea Papa diſtribuere ſolebat. ll. 311
Cardinalium dignitas ſumma. l. 155 291
Cardinalium circuli quid denotent. ll. 13
Cardinalium habitus in conclavi. l. 53
Cardinalium in convivio Papali locus. l. 149
Cardinalium antiquorum vota exquirebat Pontifex novos Cardinales creaturus. l. 293
Cardinalium ad Urbem venientium ſine Galero ritus. l. 327 & ſeqq.
Cardinalium Sede vacante poteſtas. l. 15 329
Cardinalium collegium eſt vera effigies antiquæ Eccleſiæ capitulorum. l. 354 & 358
Cardinalium ſedes in conciliis. l. 374 & ſeqq.
Cardinalium exequiæ. l. 386 & ſeqq.
Cardinalium cadavera per viros Religioſos ad Eccleſiam deferebantur. l. 390
Cardinalibus committitur examinatio cauſæ circa Canonizationem jam diſcuſſæ ab Auditore Rotæ. l. 226
Cardinalibus S. R. E. tantummodo data poteſtas eligendi Papam. l. 30. & 291
Cardinalibus quo in caſu permiſſum fuit generale concilium indicere. l. 60
Cardinalibus Archiepiſcopatus, aut Epiſcopatus ſuos retinere olim vetitum. l. 297 & ſeqq.
Cardinalibus Galerum rubri coloris Innocentius IV. dedit. l. 307
Cardinalibus biretum rubri coloris Paulus II. conceſſit. l. 308
Cardinalibus claudendi, & aperiendi os ritus antiquus. l. 310 & ſeqq.
Cardinalibus quo ritu datus Titulus, & Anulus Cardinalitius. l. 313
Cardinalibus quibus Galerus miſſus. l. 315
Cardinalibus Archiepiſcopi, & Epiſcopi olim præpoſiti. l. 141
Cardinalibus defunctis olim Novendialia celebrata. l. 397
Cardinalitii Anuli valor. l. 314
S. Caroli corpus poſt ejus obitum veſtibus albis indutum. l. 389
Carolus magnus Romæ magna cum pompa exceptus. l. 189 Advocatus S. Petri electus. 189
Carolus IV. Romæ Imperator coronatus per Cardinalem Epiſcopum Hoſtienſem. l. 215 In nocte Nativitatis Domini in ſolemni Miſſa per Legatum Pontificium celebrata munere Diaconi functus. ll. 53
Carolus V. Imperator Bononiæ coronatus. l. 178 Clementi VII. equum conſcendenti ſtapedam tenet. l. 180
Carolus Borbonius Rex utriuſque Siciliæ Cardinalatus inſignia Dominico Urſino Gravinenſium Duci confert. l. 317 Romam venit, ut Summi Pontificis pedes deoſcularetur. l. 176
Carthuſiani Monachi in die Paſchatis unicam Miſſam celebrant, in qua omnes etiam Presbyteri comunionem de manu Prioris percipiunt. ll. 268
Catechumeni Sabbato Sancto ad Eccleſiam procedebant Symbolum reddituri, ultimumque ſcrutinium ſubituri. ll. 223
Catechumeni Sabbato Sancto Baptiſmum percipiebant. ll. 223 & ſeqq.
Cauda Cappæ Papalis quid ſignificat. l. 275
Caudam Pluvialis Papæ magni Principes, & Reges in ſacris Functionibus deferunt. l. 251
Celebrantes non modo Diaconum, & Subdiaconum, verum etiam viros illuſtres aliquando communicaverunt de eadem Hoſtia, quam obtulerant. ll. 82
Cella novi Pontificis ſpectat ad Cæremoniarum Magiſtros. l. 75
Cellæ conclavis pannis variorum colorum cooperiæ. l. 13
Cellæ conclavis ſorte Cardinalibus diſtribui ſolitæ. l. 14. Quando fieri cœptæ ex tabulis. 34
Cereus Paſchalis fieri olim ſolitus inſtar columnæ. ll. 227 Affigebatur columnæ marmoreæ prope Ambonem. 226
Cerei Paſchalis benedictio munus Diaconi. 231
Cereo Paſchali inſcripti olim annus ab origine mundi currens, & annus Dominicæ Incarnationis. ll. 227
Cereum Paſchalem benedicendi uſus antiquus in Eccleſia. ll. 230
Cereorum uſus in celebritatibus Sanctorum vetuſtus. l. 234 In ſolemni lectione Evangelii ad Miſſam. ll. 68 69
Cereos ſeptem accenſos deferendi antiquus ritus in ſolemni Evangelii lectione Miſſæ Papalis. *ib*

Digitized by Google

Chiſius Auguſtus Princeps Romanus electus Mareſciallus conclavis a Clemente XI. l. 18
Auguſtinus ejus Filius datus ei coadiutor in eadem dignitate a BENEDICTO XIV. l. 19
Chinea olim in Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli poſt Miſſam ſolemnem Papæ offerebatur. ll. 306 & ſeqq.
Chinea quo ritu Papæ offertur. ll. 306 & ſeqq.
Chlamys veſtis Pontificia. ll. 377
Chriſtiana Religio innititur Jeſu Chriſti Reſurrectioni tamquam ſolidiſſimæ baſi. ll. 253
Chriſtiani ſigno Crucis omnia ſemper inchoare conſueverunt. ll. 11
Chriſtiani omnes in die Nativitatis Domini olim communicare tenebantur. ll. 90
Chriſtiani olim, ſuſcepta Euchariſtia, conſueverunt oſculari Epiſcopum, ſeu Sacerdotem, a quo eam acceperant. ll. 80 & ſeqq.
Chriſtierni Regis humilitas erga Papam. l. 181
Chriſtus ſub figura Agni jam vel antiquitus colebatur. l. 281 & ſeqq.
Cineres ex ramis Palmarum anno antecedenti benedictis ſunt faciendi. ll. 125
Cineres initio Quadrageſimæ Fidelium omnium capitibus imponere, quandonam fuit inſtitutum. ll. 123 & 125
Cineres in quibuſdam Eccleſiis non ad Altare, ſed ſupra menſam ſeparatam, & ad hunc effectum præparatam benedicebantur. ll. 126
Cineres ſpargebantur ſuper publicos peccatores in eorum reconciliatione. ll. 122
Cineres benedicendi, & diſtribuendi varii ritus. ll. 125 & ſeqq.
Circulus porphyreticus quid. l. 106 & ſeqq.
Circulus aureus. l. 258
Circuli Cardinalium quid denotant. ll. 13
Circuli Cardinalium qui fiunt ante Papam quid ſignificant. ll. 381
Ciſtercienſes Fratres converſi antiquitus Bullas cudebant. l. 83
Claretum quid. l. 159 & ſeqq.
Claves S. Petri quæ. l. 279
S. Clemens I. an S. Petro in Pontificatum immediate ſucceſſit. l. 25. ejus ſuppoſitia epiſtola. *ibi*
S. Clemens I. inſtituit ſeptem Notarios, eiſque Urbis regiones diviſit, ut Acta Martyrum conſcriberent, & poſteritati mandarent. ll. 365
Clemens III. juſſit decantari Pſalmum, *Deus venerunt &c.* inter Miſſam poſt Orationem Dominicam, quouſque Chriſtiani a Paganis liberarentur. ll. 28
Clemens IV. Vicarium in temporalibus in Regno Siciliæ conſtituit. ll. 404
Clemens V. nonnulla ad conſtitutionem Gregorii X. de electione Pontificis addidit. l. 7
Clemens XI. e Pontificali Solio poſt Evangelium, inter ſolemnia Miſſarum Homilias recitavit. ll. 7
Clementis XI. Bulla de electione Auguſti Chiſii Principis Romani in Mareſciallum conclavis. l. 18
Clemens XII. edidit conſtitutionem de electione Pontificis. l. 15
Clerici Romani Presbyterium a novo Pontifice recipiebant. l. 140
Clerici, quo ritu Papam extra Urbem conſecratum excipiebant. *ibi*.
Clerici cameræ antiquitus in capella Pontificia locum non habebant. ll. 371
Clerici communione, & dignitate privati, ſi incolumi Papa, promittebant alicui in proxima electione ſuffragium. l. 2
Clerici Concilii Toletani IV. ævo Divinum Officium ſingillatim recitabant. ll. 160
Clerici officium in antiquo conclavi. l. 8
Clericorum, & Epiſcoporum Tonſura olim æqualis. l. 340
Codex ſacer Evangelii in honorificentiſſimo Throno in celebrandis conciliis poſitus. ll. 373
Colores quibus utitur Eccleſia Romana. l. 108
Collecta quid. ll. 129
Columna marmorea a Senenſibus erecta. l. 172
Collina Porta, quæ. l. 176
Comitum pervetuſta Familia Romana de Eccleſia optime merita. l. 153
Comitum nobilis, ac pervetuſta Familia laudatur. ll. 343
Communionis generalis, quæ olim die Paſchatis ad Summi Pontificis Miſſam peragebatur, ritus. ll. 268. & ſeqq.
Communionem quibus ritibus vel ab ipſis antiquiſſimis temporibus Papa in ſua Miſſa Pontificali ſolemni percipere conſuevit. ll. 79. ſeq.
Communionem in Miſſa ſolemni Summi Pontificis ſub utraque ſpecie omnes ſumebant. ll. 83
Communionem ſub utraque ſpecie Imperatores ſumebant. l. 206
Communionem ſub utraque ſpecie Chriſtiani olim ſumebant. ll. 80. 83
Compacti vox quid apud Gallos. l. 386
Conceptionis immaculatæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ Feſtum etſi in Dominicam Adventus incidit, Miſſa non de ipſa Dominica, ſed de immaculatæ ejuſdem Virginis Conceptione Conſtitutione BENEDICTI XIV. in Capella Papali celebratur. ll. 32
Conciliabolum Papienſe Fridericus I. Imperator addictus pſeudopontifici Victori IV. indixit. l. 70. & ſeqq.
Concilium Generale tantummodo Papa poteſt indicere. l. 271
Concilium Nicenum in Aula Palatii Conſtantini Magni celebratum. l. 372 & ſeqq.
Concilium Chalcedonenſe vocat Papam Patriarcham Oecumenicum, & Eccleſiæ caput. ll. 330
Concilium Generale Lateranenſe IV. Romanam Eccleſiam ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis principatum obtinere, & omnium Chriſti Fidelium Matrem, & Magiſtram eſſe declaravit. ll. 363
Concilium Toletanum IV. cur vetuit kalendis Januarii cantari *Alleluja* in ſolemnibus Eccleſiæ precibus. ll. 105
Concilium Matiſconenſe a S. Martini Feſtivitate ad Chriſti Nativitatem ter ſingulis hebdomadis jejunium indixit. ll. 2
Concilium Baſileenſe renuntiavit pſeudopontificem Amedeum Sabaudiæ Ducem. l. 81
Concilii Congregatio generalis, & publica Seſſio quo ritu celebratæ. l. 381. & ſeqq.
Concilii Decreta quomodo intitulantur, ſi præſens eſt Papa. l. 384
Concilii Officiales qui. l. 386 & ſeqq.
Concilii Baſileenſis vitia. l. 480
Concilii Lugdunenſis Decretum de electione Papæ. l. 1
Concilii Conſtantienſis quædam inſcriptio confutata. l. 385

Con-

Digitized by Google

Concilio Niceno quo habitu, & modeſtia Conſtantinus Magnus interfuit. l. 374
Concilio Imperatores, & Reges adſunt tamquam teſtes, & ejuſdem Concilii defenſores, non vero ut judices. l. 374. & ſeqq.
Concilia, uno, vel altero excepto, in Eccleſiis, vel earum Sacretariis celebrari jam olim ſolita. l. 373
Concio in Capella quibus diebus habetur. ll. 405
Concio de Chriſti in Civitatem Hieroſolymam ingreſſu benedictioni Palmarum olim præmittebatur. ll. 144
Concio Feria v. in cœna Domini poſt Evangelium habebatur. ll. 170
Conciones populo primis Eccleſiæ Sæculis Diaconi habebant. ll. 383
Conciones tempore Adventus ab Epiſcopis ad ſuos populos habebantur. ll. 6
Conciones ſingulis diebus Adventus olim habebantur. ll. 2
Conciones in Dominicis Adventus in Pontificio Sacello a quibus habendæ. ll. 8
Conciones in Sacello Pontificio habendas prius debet legere, & approbare Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici. ll. 2
Conciones coram Papa Epiſcopi Cardinales, ſive Presbyteri, non autem Diaconi conſueverunt habere. ll. 7
Conciones ad Populum a primis Eccleſiæ incunabulis Papæ habuerunt. ll. 382. & ſeqq.
Conciones habere jam olim Monachis vetitum, & cur. ll. 385
Concionatores Crucis ſigno vel primis Eccleſiæ temporibus ante ſacram concionem ſe muniebant. ll. 387
Concionatores in Gallia poſt exordium Crucis ſigno ſe muniunt. ll. 387
Concionatores poſt Sermonem conſueverunt Indulgentiam annuntiare. ll. 20
Concionaturi benedictionem ab Antiſtite poſtulare conſueverunt. *ibi*.
Conclave qua de cauſa erectum. l. 32
Conclave conſtruere, & ornare ſpectat ad S. R. E. Camerarium l. 11. Etiam poſt conclavis erectionem extra iſtud antea poterat eligi Papa. *ibi* 32 Nunc vero eſt eligendus in conclavi, & eo clauſo. *ibi* 33 Quo ordine in illud ingrediuntur Cardinales. *ibi* Qui in ipſo præter Cardinales habitant. *ibi* 32 & ſeq. Quibus vetitum. *ibi* 33
Conclave eſt veluti cœnobium Monachorum, *ibi* 54 Quæ modeſtia in eo ſervanda. *ibi*. Rota ad introducenda fercula in eo quando inſtituta. *ibi* 34 Recipientes, aut mittentes litteras e conclavi excommunicati. *ibi*.
Conclavis prima erectio. l. 2 & ſeqq.
Conclavis prima erectio Viterbii falſa. l. 3
Conclavis conſtructio olim parva fiebat impenſa. *ibi* 78
Conclavis Gubernator. *ibi* 16
Conclavis cuſtodia quibus commiſſa. *ibi* 16
Conclavis cuſtodes juramentum præſtant ſacro collegio. *ibi* 46
Conclavis clauſura. *ibi* 48
Conclavis cellulæ ſorte S. R. E. Cardinalibus diſtributæ. *ibi* 14
Conclavis cellulæ primum pannis variorum colorum coopertæ. *ibi* 13
Conclavis antiqua ſtructura, & capella. *ibi* 8
Conclavis ſtructura poſt obitum Julii II. *ibi* 13
Conclavis Mareſciallus. l. 18 & ſeqq.
Conclavis cellæ quando primum fuerunt factæ ex tabulis. *ibi* 34
Confeſſionis formula in Ordine Romano. ll. 12
Confeſſorum Sanctorum commemoratio cur non fit in Canone Miſſæ. l. 220 & ſeqq.
Confraternitas B. Mariæ Annunciatæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam plurimas virgines in anno dotare ſolet. ll. 282
Confraternitati B. Mariæ Annunciatæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam Leo X. cum omnibus Cardinalibus adſcribi voluit. *ibi*.
Confraternitatem B. Mariæ Annunciatæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam inſtituit Cardinalis de Turre Cremata. *ibi*.
Confraternitates proceſſionaliter in Hebdomada majori cum pœnitentibus ſeſe diſciplinantibus ad viſitationem Sacræ Eucharistiæ vel Pauli Papæ IV. tempore procedebant. *ibi* 218
Conſervatores Urbis cuſtodes conclavis. l. 16
Conſiſtorium quid, *ibi* 330
Conſiſtorium publicum quo ritu celebrari ſolitum. *ibi* 304
Conſiſtorii publici ordo, & quæ in eo tractantur. l. 321 & ſeqq.
Conſiſtorii ſecreti ordo & quæ ibi agantur. l. 333
Conſiſtoria quot pro canonizatione Sanctorum haberi ſolita. *ibi* 225 & 227
Conſtantini Magni habitus, & modeſtia in concilio Niceno. *ibi* 374
Convivium fieri ſolitum a novo Papa poſt ſuam poſſeſſionem. *ibi* 145 & ſeqq.
Convivium a Papa factum in cœna Domini. l. 148
Convivium Papæ die Paſchatis. ll. 271
Convivium die Paſchatis a S. Udalrico celebrari conſuetum. *ibi* 272
Convivii Papalis ritus. l. 150 & ſeqq.
Cornuta quid. l. 51
Corona Regni Longobardici dicta ferrea. l. 184
Coronatio Papæ antiqua. l. 122
Coronationis Papæ ritus. l. 119. & ſeqq.
Corporale ad uſum Miſſæ, & plura de eo. l. 23.
Corporis Chriſti Feſtum inſtitutum ab Urbano Papa IV. ll. 296 Ejus officium a S. Thoma Aquinate compoſitum. *ibi* Matutinum in Capella Pontificia olim poſt Veſperas cantari ſolitum. *ibi*. Proceſſio antiqua, & Romæ ad Molem Adriani extendebatur. ll. 299
Crocea quid. l. 53
Crux ſtationalis Vaticana præibat univerſo Urbis Clero procedenti ad ſtationes Quadrageſimales. ll. 397
Crux ad Altare poſt ejus adorationem quo ritu defertur. ll. 211
Crucis Schola quid. ll. 208
Crucis ſigno omnia ſemper a Chriſtianis inchoari ſolita. ll. 11
Crucis ſigno concionaturi jam vel primis ſeculis ante concionem ſe muniebant. ll. 387 In Gallia obſervant eum ritum poſt exordium. 388
Crucis ſigno in fronte, ore, & pectore Diaconus Evangelium lecturus, & adſtantes jam olim ante illius lectionem ſe muniebant. ll. 19
Crucis denudatio, & adoratio quibus ritibus fieri ſolita Feria ſexta in Paraſceve. ll. 204 Crucem tunc Papa diſcalceatus ac tertio proſtratus adorare ſolitus ex priſco ritu. ll. 207
Crucifixi quædam Imago in Paraſceve vino la-

Digitized by Google

vari ſolita, de eoque bibebant quicumque communicaverant. ll. 194
Cryptæ Ferratæ Monachi Epiſtolam, & Evangelium Græce in ſolemni Miſſa Papali cantare olim ſoliti. ll. 66 & ſeqq.
Cubiculariorum tonſuratorum, & laicorum munia quæ. ll. 373
Cubiculariosi S. Leo I. in Eccleſia Romana inſtituit ad cuſtodienda SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Sepulcra. ll. 372
Cucullus quid. l. 53
Cuſtodum conclavis officium. l. 35

D

DAlmaticæ in Adventu cur a Diaconis, & a Subdiaconis non adhibeantur. ll. 5
Decreta Concilii quomodo intitulantur, ſi præſens eſt Papa. l. 384
Defunctorum Officium cum primis, & ſecundis Veſperis, cæteriſque Horis diurnis alicubi recitabantur. ll. 313
Defunctorum omnium generalem Commemorationem ſtato die quis primum decrevit. ll. 312
Defunctorum anniverſarius dies uſque ab initio Chriſtianæ Religionis celebrabatur. ll. 321
Deus venerunt &c. Pſalmum inter Miſſam poſt Orationem Dominicam decantari juſſit Clemens III. quouſque Chriſtiani a paganis liberarentur. *ibi.* 28
Dextrarii qui. l. 141
Diaconus in ſublimiori loco Evangelium legebat. ll. 19
Diaconus Evangelium lecturus meridiem verſus ſe convertebat. *ibi.*
Diaconus ad Evangelium legendum procedens ante Epiſcopos, & Presbyteros tranſiens, fauſta benedictionis verba ab iſtis recipiebat. *ibi*
Diaconus, & adſtantes nudo capite ad Evangelii lectionem ſtabant, & Crucis ſignaculo in fronte, ore, & pectore ſe muniebant. *ibi*
Diaconus olim conſuevit thurificare Altare *per circuitum*. ll. 390
Diaconus in Miſſa ſolemni Papæ ſub utraque ſpecie communicat. ll. 360
Diaconi Cardinalis Evangelium lecturi in Miſſa ſolemni Papali munus. ll. 357
Diacono, & Subdiacono Eccleſiæ S. Dionyſii prope Pariſios Communio ſub utraque ſpecie in ſolemnibus diebus permiſſa. l. 206
Diaconi in multis Eccleſiis conſeſſum ſupra Presbyteros uſurparunt. ll. 361
Diaconi primis Eccleſiæ Sæculis Conciones populo habebant. ll. 385
Diaconi primo ſuæ Ordinationis anno ſemper Stolam deferebant. l. 354
Diaconi, & Subdiaconi cur tempore Adventus Planetis a parte anteriori plicatis utuntur. ll. 5
Diaconi multi olim Romæ erant. ll. 356
Diaconi ſæpe in Summos Pontifices antiquitus eligebantur. l. 8
Diaconorum Eccleſiæ Romanæ officium, & dignitas in ſpiritualibus, & temporalibus. l. 27
Diaconorum S. R. E. potentia. l. 87
Dominica Oratio Romæ ad Officii finem juxta Apoſtolorum conſtitutionem dicebatur. ll. 161
Domicellus quis. l. 300
Dominica Capitalivium quæ. ll. 142
Dominica Indulgentiæ quæ. ll. 142
Dominica petitum, ſive competentium quæ. *ibi*
Dominica vacans quæ. ll. 136
Dominica II. Adventus Papa ſolemniter in Baſilica Sanctæ Crucis in Jeruſalem olim celebrabat. ll. 33
Dominica III. Adventus quare dicitur de *Gaudete*. *ibi*
Dominica III. Adventus Diaconi, & Subdiaconi utuntur Tunicellis, & Dalmaticis. *ibi*
Dominica tertia Adventus cum externis letitiæ ſignis Romæ celebrari conſuevit. *ibi*
Dominica tertia Adventus Papa ſolemniter in Baſilica Vaticana olim celebrabat. *ibi*
Dominica IV. Adventus quare dicitur de *Canite tuba*. ll. 34
Dominica *Oculi* quæ. l. 184
Dominica IV. Quadrageſimæ quare dicta *Lætare Jeruſalem*. l. 266
Dominica in Roſa, ſeu de Roſa quæ. l. 266. & ll. 138.
Dominica Scrutiniorum quæ. ll. 137
Dominica Paſſionis quæ. ll. 140
Dominica Paſſio appellabatur olim Feria ſexta in Paraſceve. *ibi*
Dominica *Oſanna* quæ. ll. 142
Dominico die Epiſcopi olim conſecrabantur. l. 97
Dominicæ Adventus olim ſex numerabantur. ll. 2
Dominicæ Adventus quinque olim in Eccleſia Romana. ll, 2
Dominicæ Adventus in Miſſali Mozarabico vocantur Dominicæ ante Adventum. ll. 1
Dominicis diebus jejunare vetitum. ll. 135
Dominicis Quadrageſimæ, & diebus in ea occurrentibus in quibuſdam Eccleſiis Præfatio communis, non vero Quadrageſimæ in Miſſis dicebatur. ll. 135
Dominicalis Oratio ab Apoſtolis in Miſſa fuit uſurpata. ll. 28
Dominicalis Oratio cur alta voce in Miſſa recitatur. ll. 28
Dominicalis Oratio apud Græcos in Miſſa ab omni populo dicebatur. *ibi*
S. Dominicus Prædicatorum Ordinis Patriarcha primus omnium functus eſt munere Magiſtri Sacri Palatii. ll. 369
S. Dominicus Parens præclariſſimi Ordinis Prædicatorum cum ingenti auditorum conflúxu, & plauſu in publicis Scholis ſacras Litteras docuit in Palatio Apoſtolico. ll. 369. & ſeqq.
Dominicani Martyres plures recentes laudati publica Allocutione regnantis Papæ BENEDICTI XIV. in Conſiſtorio. ll. 411
Dominus vobiſcum, ſive, *Pax vobis*, quando Epiſcopus in Miſſa debeat pronunciare. ll. 15
Drageja quid. l. 151
Dragerium quid. *ibi*
Ducis novi creatio quomodo celebratur. l. 249
Duces benedicere quando cœptum. l. 250

E

ECcleſiæ Romanæ Diaconorum officium in ſpiritualibus, & temporalibus. l. 27
Eccleſia S. Martini ad Montes vocatur Titulus Equitii. ll. 1
Eccleſia Romana a quibus adminiſtrabatur vacante Sede, vel abſente Pontifice. l. 35

Ec-

Digitized by Google

Ecclesia Romana ante Sæculum VIII. proprium habeoat Martyrologium. I. 121
Ecclesiæ Romanæ Senatus quis. I. 26
Ecclesiæ Romanæ Senatus a Sancto Petro institutus. *ibi*
Ecclesiæ Romanæ Presbyteros frustra Marcion conatus fuit inducere in errorem. *ibi*
Ecclesiæ Gallicanæ ritus notabilis in ordinatos Episcopos. I. 78
Ecclesiæ nonnullæ in Adventu colorem nigrum in sacris vestibus usurparunt. II. 5
Ecclesiam Romanam Sede vacante, vel absente Pontifice qui administrabant. I. 82
Ecclesias floribus, comisque arborum ornandi antiquissimus usus. I. 232
Egelsinus Monasterii S. Augustini prope Cantuariam Abbas, primus omnium Abbatum ex Alexandri II. indulto Mitra usus fuit. II. 375
Electio Papæ facienda, ubi præcedens Pontifex mortuus est. I. 4
Electio Papæ nunc fit juxta Cæremoniale Gregorii XV. I. 15
Electio Papæ, si extra Urbem esset facienda, quid curandum. I. 21
Electio Papæ, ut diceretur Canonica, an Imperatoris confirmatio requireretur. I. 28
Electio Papæ quomodo concluditur. I. 71
Electio Papæ, ut sit Canonica, requiritur electi assensus. I. 71
Electio Papæ commissa tantummodo S. R. E. Cardinalibus. I. 30. & 291
Electio Papæ est res magni momenti. I. 47
Electionis Papæ triplex forma. I. 63
Electione Papæ nihil in terris excellentius inveniri potest. I. 47
Eligendi Papam Jus a Christo Domino derivatum. I. 23
Electi qui. I. 341
Electores Imperatoris a quo instituti. I. 166
Eleemosinæ pro anima defuncti Papæ olim fiebant. I. 405.
Eli Eli Lammasabactani cum nota, & cantu singulari Feria sexta majoris hebdomadæ in recitanda Christi Passione in Albiensi Ecclesia proferebatur. II. 201
S. Elisabethæ filiæ Regis Hungarorum peculiaris devotio. II. 193
Ensem, & Pileum benedicendi origo, atque ritus. I. 272
Epiphania propriam habuit Vigiliam, & quidem cum jejunio. II. 107
S. Epiphanius uno die Diaconus, Presbyter, & Episcopus ordinatus. I. 90
Episcopus in Missa quando debeat pronunciare, *Dominus vobiscum*, sive, *Pax vobis*. II. 15
Episcopus Cardinalis assistens jam non modo Papam, Cardinales, & Prælatos, verum etiam Capellanos thurificabat. II. 39
Episcopus Albanensis consecrat Papam. I. 40
Episcopus Portuensis consecrat Papam. I. 110
Episcopus Ostiensis est primus consecrator Pontificis. I. 109. & seqq.
Episcopus Ostiensis primus ex Episcopis Pallii honore suffultus. *ibi*
Episcoporum septem Cardinalium prima mentio. *ibi*
Episcopi consecrati oblatio a quo instituta. I. 204
Episcopi in sua ordinatione nomen sibi immutabant. I. 72
Episcopi Græci in sua Ordinatione solent sibi nomen immutare. I. 72
Episcopi anniversarium diem eorum Consecrationis celebrare consueverunt. II. 322
Episcopi, qui antiquitus ex Monachis assumpti fuerunt, vestem, atque asperitatem retinuerunt. II. 380
Episcopi assistentes quando missarum solemnia in Capella Pontificia celebrant. II. 4
Episcopi in Gallia ordinati deportabantur ab aliis Episcopis in sella aurea. I. 78
Episcopi novi in sella manibus aliorum Episcoporum deportabantur. I. 127
Episcopi post suam promotionem tenentur Summum Pontificem, & S. R. E. Cardinales præsentes in Curia visitare. I. 340
Episcopi in eorum consecrationis die Communionem sub utraque specie percipiunt. I. 104
Episcopi Dominico die, vel Natalitiis Apostolorum consecrabantur. I. 97
Episcopi usi sunt Bullis plumbeis. I. 409
Episcopi vel antiquitus Optimates convivio excipiebant. I. 147
Episcopi olim semper Stolam deferebant. I. 354
Episcopi aliarum Ecclesiarum ad Romanum Pontificatum minime promovebantur. I. 96
Episcopi, ceterique Beneficiarii de solo patrimonio, non vero de iis, quæ ex Ecclesiæ rebus acquisiissent, testandi facultatem habent. I. 386
Episcoporum dignitas summa. I. 338
Episcoporum assistentium munus. II. 362
Episcoporum assistentium Summo Pontifici collegium antiquissimum. II. 363
Episcoporum, & Clericorum tonsura olim æqualis. I. 340
Episcoporum pedes olim Christiani deosculari solebant. I. 181
Episcoporum antiquum insigne est Baculus. I. 102
Episcopis vetitum eligere sibi successores. I. 24
Episcopis a subditis suis in propria Diœcesi est genuflectendum. II. 339
Episcopis stratoris officium Reges, & Principes exhibuerunt. I. 210
Episcopos creandi, & confirmandi ritus. I. 336
Epistola in Missa solemni Papæ canitur Græce, & Latine I. 115. Aliquando etiam Hebraice *ibi*.
Epistola in nonnullis Neapolitani Regni Ecclesiis olim dicebatur Grece. I. 118
Epistola in die Palmarum Brundusii in Sallentinis Græce legitur ex prisca consuetudine. I. 118
Epistola Missæ solemnis quo in loco antiquitus legebatur. II. 16 66
Epistola non modo Latine, sed & Græce in Missa solemni Papæ cani solita. II. 399
Epistolam legendi ritus. II. 16
Epistolam priscis temporibus Lectores legebant II. 17 Quo tempore Subdiaconi eam legere cœperint, incertum. *ibi*
Equitationis solemnis Papæ in Feria secunda Paschæ ritus. II. 275 & seqq.
Equitatione solemni die Cinerum Papa post Missam ad S. Sabinam pergebat. II. 132
Equitii Titulus vocatur Romæ Ecclesia S. Martini ad Montes. II. 1
Equitationis Papalis ordo. I. 350 & seqq.
Equus, super quo novus Papa insederat in solemni processione ad Lateranum, ad quem pertinebat. I. 131
Equus, cui Papa insedit, nulli olim usui. *ibi*

Digitized by Google

Erithreæ Sybillæ verſus in aliquibus Eccleſiis poſt ſecundam Lectionem ſecundi Nocturni in Natali Domini decantari ſolebant. II. 47
Ethnici manuum lotionem ſacrificio præmittebant. II. 62 & ſeqq.
Euchariſtia præferebatur Romano Pontifici ad Miſſarum ſolemnia celebranda accedenti. II. 9
Euchariſtia portabatur in Proceſſione, qua Feria ſexta majoris Hebdomadæ ibat Papa diſcalceatus ad Eccleſiam S. Crucis in Jeruſalem. II. 193
Euchariſtia in proceſſione Palmarum olim in quibuſdam Eccleſiis deferebatur. II. 147
Euchariſtia Feria ſexta in Paraſceve quo ritu ad Altare defertur. II. 212
Euchariſtiæ Sanctiſſimum Sacramentum in equitationibus ſolemnibus Papæ geſtabatur. I. 126
Euchariſtiæ Venerabile Sacramentum in equitatione ſolemni Papæ cum Imperatore defertur. I. 212
Euchariſtiæ Sacramentum publice ad infirmum eſt deferendum. I. 387
Euchariſtiam ſub papilione, ſeu umbella deferendi antiqua conſuetudo. II. 173
Euchariſtiam poſt conſecrationem in altum tollere, & populo oſtendere, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conſuevit. II. 76
Euchariſtiam ſumebant infantes in Miſſa Sabbati Sancti, poſtquam erant baptizati. II. 225
Euchariſtiam a Papa in ſolemni Miſſarum celebratione conſecratam diebus Dominicis in ſignum communionis ad Eccleſias Tutelares Urbis Acolythi deferebant. II. 8. 80
Euchariſtia ſuſcepta, Chriſtiani olim conſueverunt oſculari Epiſcopum, ſeu Sacerdotem, a quo eam acceperant. II. 80. & ſeqq.
S. Eugeniæ Romanæ Virginis, & Martyris Eccleſia ubi olim extructa. II. 34
Eugenius IV. electus Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum. I. 7 Cur ibi electus. I. 8
Evangelium priſcis temporibus Lectores legebant. II. 17
Evangelium quo in loco olim cantabatur. II. 68
Evangelium in Miſſa ſolemni Papa Græce canitur. II. 399
Evangelium Græce in ſolemni Miſſa Papali legendi ritus antiquus. II. 66 & ſeqq.
Evangelium in ſublimiori loco Diaconus legebat. II. 19
Evangelium Diaconus lecturus Meridiem verſus ſe convertebat. *ibi*.
Evangelium in Miſſa ſolemni Papæ canitur Græce, & Latine. I. 118 Aliquando etiam Hebraice. *ibi*.
Evangelium in aliquibus Eccleſiis Regni Neapolitani Græce dicebatur. *ibi*.
Evangelium Brunduſii in Sallentinis die Palmarum legitur Græce. *ibi*.
Evangelii Sacer Codex in honorifico Throno in Conciliorum celebratione collocabatur. I. 373
Evangelii Sacer Textus in proceſſione Palmarum ſolemni pompa in feretro deportabatur. II. 147
Evangeli Codex poſt ejus lectionem in Miſſa ſolemni Papali ſigillo olim muniabatur. II. 258
Evangelia, quæ habebantur in quinque Dominicis Adventus in Eccleſia Romana. II. 3
Excommunicationes tribus diebus in anno Romana Eccleſia vibrare conſuevit. II. 174
Excommunicationes vibrandi ritus. *ibi*, & ſeqq.
Excommunicationes in cœna Domini poſt Miſſam Sixtus IV. vibrare inſtituit. II. 187
Exequiæ Papæ. I. 405
Exequiæ Cardinalium. I. 386
Expenſæ magnæ quare fiunt in Canonizationibus Sanctorum. I. 247
Extrema Unctio olim ſolemni apparatu ad infirmos deferebatur. I. 388

F

FEbruarius menſis a quonam nomen ſuum deſumpſit. II. 109
Federicus I. tenuit ſuppedaneum Papæ ex equo deſcendenti. I. 176
Fercula in convivio Papali quo ordine, & modo portari debent. I. 157
Feriam quintam in cœna Domini veteres Scriptores vocaverunt *Natalem Calicis*. II. 166
Feria v. in cœna Domini omnes feſtivitates antecellit. II. 169
Feria quinta in cœna Domini novum ignem Papa olim benedicebat. II. 167
Feria quinta in cœna Domini Romana Eccleſia pœnitentes reconciliare conſuevit. II. 166
Feria v. in cœna Domini alicubi Sanguis una cum SS. Corpore Chriſti in craſtinum reſervabatur. II. 169
Feria quinta in cœna Domini plures Miſſas olim cantari conſuevit. II. 167
Feria ſexta in Paraſceve quibus ritibus celebratur. II. 196 & ſeqq.
Feria ſexta in Paraſceve veſtimenta Sacrorum Miniſtrorum in aliquibus Eccleſiis rubri erant coloris. II. 196
Feria ſexta majoris Hebdomadæ vocatur Paraſceve, ideſt præparatio. II. 191
Feria ſexta majoris Hebdomadæ Paſchatis nomine a Tertulliano vocatur. II. 191
Feria ſexta ad recolendam Chriſti Paſſionem ab Apoſtolis fuit inſtituta. *ibi*.
Feria ſexta tantum, & Sabbatum duobus primis Eccleſiæ ſeculis ad repreſentandum Eccleſiæ luctum in morte Chriſti electa. II. 157
Feria ſexta in Paraſceve poſt Veſperas lavabatur Crucifixi Imago aqua, & vino, de eoque bibebant quicumque communicaverant. II. 194
Feria ſecunda Paſchatis cum magna ſolemnitate a Pontifice olim fuit celebrata. II. 275
Ferula inſigne Pontificium. I. 102 & ſeqq. Vide, Baculus.
Ferulam geſtabat Archidiaconus, ſolemnem dirigens Proceſſionem. I. 112
Ferulæ, quæ dabatur Papæ, myſtica ratio. I. 138
Feſta Apoſtolorum, ac Martyrum in Oriente principium habuerunt. II. 103
Feſtum in duplici ſenſu ab Eccleſia Romana uſurpatur. I. 242
Feſtum Purificationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Eccleſia Latina antiquiſſimum. II. 109
Feſtum S. Stephani a primis uſque temporibus in Eccleſia celebre fuit. II. 101
Feſtivitates Sanctorum, in quibus Papa ſolebat coronari. II. 1
Fiſtula olim Sanguinem Chriſti Fideles ſumebant. I. 207
Fiſtula qua utitur Summus Pontifex ad ſugendum Chri-

Digitized by Google

Chriſti Sanguinem, communis olim fuit non ſolum Epiſcopis, verum etiam Laicis. II. 83 90
Flabella tenendi ad abigendas muſcas in funere Papæ antiquus ritus. I. 394
Flectamus genua cur omittitur in oratione pro Judæis in Paraſceve. II. 203
Floribus, comiſque Arborum Eccleſias ornandi antiquiſſimus uſus. I. 232
Fœdus initum contra hoſtes Eccleſiæ, aut infideles publicandi ritus. I. 346 & ſeqq.
Formula, quæ dicebatur in creatione, ſeu inauguratione novi Pontificis. I. 119
S. Franciſcus de Paula Leoni X. adhuc puero Summum Pontificatum vaticinatus fuit. I. 237
Franciſcus I. Galliæ Rex caudam Papæ ſuſtinuit. II. 11
Fratres plumbei, ſive de Plumbo. I. 83
Fratres Ciſtercienſes antiquitus Bullas cudebant. I. 83
Fridericus I. Imperator addictus pſeudopontifici Victori IV. conciliabulum Papienſe indixit. I. 69 70 & ſeqq.

G

GAlerum rubri coloris Innocentius IV. Pontifex Maximus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus dedit, quando, & quam ob cauſam. I 307
Galliæ Rex Canonicus in multis Eccleſiis ſui Regni dictus. I. 190
Galliæ Regibus Euchariſtica communio in die ſuæ inaugurationis ſub utraque ſpecie permiſſa ex conſuetudine antiqua. I. 206
Gallicana Eccleſia olim rubeis coloribus in Dominica Palmarum utebatur. II. 152
Gallicanæ Eccleſiæ ritus notabilis in ordinatos Epiſcopos. I. 78
Gelaſius II. in ſuis Sandaliis non Crucem, ſed tres clavos pingi curavit. I. 75
Gentiles cur bullas collo puerorum ſuorum appendebant. I. 282. & ſeqq.
Genuflexiones a Paſchate uſque ad Pentecoſten, & diebus Dominicis, a variis Conciliis, & a SS. Patribus prohibitæ. II 401
Gladium novo militi tradendi ritus. I. 253
Gladium imponere collo novi militis in ejus benedictione, Anglorum fuit conſuetudo. *ibi.*
Gloria in excelſis Deo Hymnum in Miſſa tantum nocturna Nativitatis Domini, S. Teleſphorus Papa cantari ſtatuit. II. 50
Gloria in excelſis Deo a Papa ſolemniter celebrante in III. Dominica Adventus recitabatur. II. 34
Gloria in excelſis Deo Romæ olim in prima Miſſa Nativitatis Domini Græce dicebatur, in ſecunda vero Latine. II. 50
Gloria in excelſis Deo cur in Cœna Domini canitur. II. 170
Gloria in excelſis Deo a Feſto Nativitatis uſus incœpit dicendi in Miſſis ſolemnibus. II. 50
Gloria in excelſis Deo cur in Sabbati Sancti Miſſa canitur. II. 239.
Gothorum Reges ter Papam elegerunt. I. 28
Gratiarum actionis poſt menſam priſca conſuetudo. I. 160
GræciEpiſcopi in ſua Ordinatione ſolent ſibi nomen immutare. I. 72
Græci Apoſtolos omnes ſub unica Feſtivitate in SS. Petri & Pauli Feſto venerantur. II. 304
Græci in vibrandis excommunicationibus candelas extinguere, ſeu in terram projicere non conſueverunt. II. 176
Græci Feria ſexta majoris Hebdomadæ Chriſti Corpus undequaque efformatum, ſculptumque circumducere per Urbem, & adorare conſueverunt. II. 194
S. Gregorius Magnus ſtatuit decantari *Alleluja* in Miſſis poſt Pentecoſten. II. 225
S. Gregorii Magni peculiare privilegium. I. 82
S. Gregorii Magni ætate jam tres Miſſæ in die Nativitatis Chriſti dicebantur. II. 49
Gregorii VII. electionis Decretum. I. 32
Gregorius X. quomodo electus. I. 80
Gregorius X. fuit auctor Conclavis pro electione Pontificis. I. 2. & ſeqq.
Gregorii X. leges de electione Romani Pontificis. I. 4
Gregorius XV. edidit celeberrimam Conſtitutionem de electione Romani Pontificis. I. 33
Gubernator Conclavis. I. 16
Guidanea Porta Baſilicæ Vaticanæ quæ. I. 192

H

HAbitus Papæ qualis. II. 377
Habitus Cardinalium. II. 378
Habitus Prælatorum. II. 379
Habitus Cardinalium, & Prælatorum Religioſorum. II. 380
Hadriani III. Synodus ſuppoſititia. I. 28
Hadrianus V. obiit antequam Sacerdos ordinatus eſſet. I. 4
Hadrianus IV. Germaniæ Rex reddidit ſe indidignum privilegio ſibi a Nicolao Papa II. conceſſo. I. 30. & ſeqq.
Hieronymus Platus laudatus. I. 45
Hirpyces quid. II. 158
Homilias ad populum Romani Pontifices habuerunt. II. 6
Homines Jeſu Chriſti ætate nudis pedibus cum ſandaliis tantum, ſive ſoleis etiam incedebant. II. 178
Hora aurea quæ. II. 31
Hora ſacra quæ. *ibi*
Hora Tertia ſemper magni ab Eccleſia habita fuit. II. 61
Hora Tertia ante Miſſam Solemnem Pontificalem ſolemni ritu in Secretario decantabatur. II. 31
Hora Tertia deſcendit Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes in Apoſtolos. II. 61
Horæ Tertiæ præfixio Rei Divinæ celebrationi olim fuit ſancita. II. 31
HoramTertiam ante ſolemnem Miſſam Papalem cantandi uſus antiquus. II. 61
Hymnus *Gloria in excelſis Deo*. Vide, *Gloria in excelſis Deo*.
Hymnus *Te Deum laudamus*, diſceptatum olim fuit, utrum in nocte Nativitatis Domini ante primam Miſſam, vel poſt ipſam eſſet dicendus. II. 49
Hymni *Veni Creator Spiritus* origo. I. 101
Hymnum *Gloria, laus, & honor &c.* qui in Proceſſione Palmarum recitatur, quis inſtituit. II. 149
Hymni formula apud Auctorem Apoſtolicarum Con-

Digitized by Google

Conſtitutionum. ll. 25 & ſeqq.
Humbertus Delphinus Viennenſis uno die in Subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum ordinatus. l. 90

I

Ignis novus in Cœna Domini olim benedicebatur. ll. 167
Ignis benedictus ex Eccleſia per cæteras Chriſtianorum domos diſtribuebatur. *ibi*
Ignis in Eccleſia Romana, & in aliis nonnullis Feria ſexta majoris hebdomadæ olim benedicebatur. ll. 114
Ignis in Sabbato Sancto, etiam celebrante Pontifice, benedicebatur a Cardinali juniore Presbytero. ll. 245
Ignem Sabbato Sancto benedicendi ritus. ll. 228
Imagines ſacræ olim non in Dominica Paſſionis, ſed in Dominica prima. Quadrageſimæ velabantur. ll. 140
Imagines ſacras quidam in Adventu non ſecus ac in Quadrageſima velabant. ll. 5
Immaculatæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ Conceptionis Feſtum etſi in Dominicam Adventus incidit, Miſſa non de ipſa Dominica, ſed de Conceptione immaculatæ Virginis ex Indulto Benedicti XIV. in Capella Papa celebratur. ll. 32
Immantare quid. l. 70
Imperator quis olim dictus, l. 165
Imperator Romanorum appellatus Princeps terrarum. l. 167
Imperator Romam progrediens iterum atque iterum Papæ iuramentum præſtabat. l. 171
Imperator ante Urbis ingreſſum juramentum Populo Romano facit. l. 176
Imperator antequam Coronam reciperet, juramentum denuo Papæ præſtat. l. 188
Imperator quo ritu coronatur. l. 182
Imperator quibus coronis datur. *ibi*
Imperator in Baſilica Vaticana coronatur. l. 185
Imperator cooptatur inter Canonicos Baſilicarum, Vaticanæ ſcilicet, atque etiam Lateranenſis. l. 190. & 214
Imperator ex Eccleſia Sanctæ Mariæ in Coſmedin revertens ante Molem Hadrianam equites creat. l. 213
Imperator Stratoris officium Papæ exhibet. l. 209
Imperator in locum Subdiaconi Calicem, & aquæ ampullam Papæ miniſtrat. l. 205
Imperator quibus ſacris veſtibus utitur cantaturus ſeptimam Lectionem in nocte Nativitatis Domini. ll. 53
Imperator Diaconali, aut Subdiaconali veſte indutus Rebus Divinis miniſtrat. l. 193
Imperator in ſua Coronatione recipit inſignia Imperialia a Papa. l. 197
Imperator in nocte Nativitatis Domini ſeptimam Lectionem Divini Officii veſte Imperiali recitat. l. 206. & 272
Imperator Communionem ſub utraque ſpecie olim ſumebat. l. 206
Imperator Papæ epulanti aquam ad lavandas manus defert. l. 154
Imperator veniens Romam peregrinationis cauſa quo ritu excipitur. l. 358
Impe ratoris locus in Concilio. l. 373 & ſeq.
Imperatoris locus in menſa Papali. l. 150
Imperatoris confirmatio an requireretur, ut electio Papæ Canonica diceretur. l. 28
Imperatorem elegendi jus a Romano Pontifice emanavit. l. 167
Imperatorem Sacro Oleo Epiſcopus Oſtienſis inungit. l. 145
Imperatorem coronandi, abſente Papa, ritus. l. 214 & ſeqq.
Imperatores, & Reges in Cœna Domini pedes pauperum lavare conſueverunt. ll. 178
Imperatricis Coronationis ritus. l. 201 & ſeqq.
Imperatricis Coronationis abſente Imperatore ritus. l. 217 & ſeqq.
Imperatricis coronatio antiqua conſuetudo. l. 219
Indulgentia Plenaria in Canonizatione S. Franciſci de Paula primum concedi. l. 243
Indulgentiam annuntiandi per Concionatores poſt Sermones conſuetudo. ll. 20
Indulgentiæ in Canonizatione Sanctorum ex antiquo ritu conceſſæ. l. 242 & ſeqq.
Indulgentias ad formam Jubilæi datas quis inſtituit. l. 243
Indulgentias promulgandi in Miſſa Pontificali formula. ll. 89
Indulgentias in Dominicis Adventus Papa ſolet elargiri. ll. 20 & 30
Infantes poſt receptum Baptiſmum in Sabbati Sancti Miſſa Euchariſtiam ſumebant. ll. 225
Infantibus recens baptizandis lac & mel antiquitus infundebatur. l. 247
Infula quid. l. 264
Innocentius IV. pileum rubri coloris Cardinalibus conceſſit. l. 307
Innocentius VI. reſcidit ſtatuta facta a Cardinalibus in Conclavi. l. 55
Innocentius VIII. ſtatuit, ut non duodecim, ſed tredecim pauperibus pedes in Cœna Domini lavarentur. ll. 180
Introitus Miſſæ cur inſtitutus. ll. 238
Itali ad electionem Imperatorum vocati. l. 166.
Itinerarii Papæ formula. l. 35 & 355
Jaddus Sacerdos maxima pompa obviam ivit Alexandro Magno. l. 177
Januarius menſis a quo nomen deſumpſit. ll. 104
Januarii kalendis quale Officium Romæ olim fiebat, incertum. ll. 105
Januarii kalendis duæ Miſſæ olim dicebantur. ll. 106
Januarii kalendis multa vitia a Chriſtianis olim patrabantur. ll. 104 & ſeq.
Januarii kalendis qua de cauſa Concilium Toletanum IV. prohibuit cantari in ſolemnibus Eccleſiæ precibus *Alleluja*. ll. 105
Januarii kalendis olim a Chriſtianis bacchanalia fiebant. ll. 105
Jejunium diebus Dominicis vetitum. ll. 35
Jejunium Quadrageſimale niſi poſt mediam noctem Sabbati Sancti ſolvi non poteſt. ll. 241.
Jejunium triduanum pro electione novi Epiſcopi indici conſuetur. l. 412
Jejunium indicendi in celebratione Conciliorum ritus antiquus. l. 384
Jejunium a S. Martini Feſtivitate ad Chriſti Nativitatem ter olim ſingulis hebdomadis a Concilio Matiſconenſi præceptum. ll. 2.
Joannes Apoſtolus Epheſi mortuus. ll. 103
Miraculum illius ſepulchri. *ibi*
S. Joannes I. Papa ſummo cum honore Conſtantinopoli exceptus a Juſtino Imp. l. 357

Joan-

Digitized by Google

Joanni I. Conſtantinopolim progredienti tota Urbs cum Crucibus, & facibus obviam ivit. II. 331
Joannes XII. an primus ex Romanis Pontificibus nomen ſibi immutavit. I. 71
Joannes XV. primam Solemnem Canonizationem celebravit. I. 221
Joannes XXII. recitari juſſit Pſalmum *Lætatus ſum &c.* in Miſſa poſt Orationem Dominicam ad impetrandam Eccleſiæ Pacem. II. 28
Joannæ pſeudopapiſſæ commentum. I. 137
Joſeph Maria Saporiti Archieſcopus Gennenſis laudatus. I. 279
Joſeph de Pezio Generalis Ordinis Clericorum Regularium laudatus. I. 221
Joviniani doctrina dam nata a Siricio Papa. I. 26
Judæi presbyterium a novo Papa olim recipiebant. I. 140 & ſeqq.
Judæi novo Papæ ſolemniter ad Lateranum progredienti Legem Moſaicam offerebant. I. 129
Judica me Deus Pſalmus ex antiqua conſuetudine in Miſſæ initio dicitur. II. 12
Judicii Porta Baſilicæ Vaticanæ quæ. I. 191
Juramentum Imperatores antequam Urbem ingrederentur Populo Romano præſtabant. I. 176
Juramentum Imperatores Romam venientes Romano Summo Pontifici iterum iterumque præſtabant. I. 171 & ſeqq.
Juramentum a novis militibus præſtatur. I. 256
Juramentum, quod novo Papæ Senator Urbis olim præſtabat. I. 139

K

KAlendis Januarii multa vitia a Chriſtianis olim patrabantur. II. 104
Kalendis Januarii quale Officium Romæ olim fiebat, incertum. II. 105
Kalendis Januarii olim a Chriſtianis bacchanalia fiebant. *ibi.*
Kalendis Januarii duæ Miſſæ olim dicebantur, & quænam illæ. II. 106
Kalendis Januarii cur Concilium Toletanum IV. prohibuit, cantari *Alleluja* in ſolemnibus Eccleſiæ precibus. II. 105
Kalendis Maji Apoſtoli omnes ſub unica feſtivitate olim colebantur. II. 304
Kyrie eleiſon vox lætitiæ, atque acclamationis dicta. I. 120 & 122
Kyrie eleiſon dicendi in Miſſa conſuetudo. II. 14
Kyrie eleiſon novies in Miſſa ex inſtitutione S. Gregorii Papæ dicitur. *ibi.*

L

LAc, & mel Infantibus poſt receptam Euchariſtiam porrigebatur. II. 125
Lac & mel cur baptizatis in Sabbato Sancto offerebatur. II. 142
Lætatus ſum &c. Pſalmus poſt Orationem Dominicam quo ritu in Miſſa Pontificali recitabatur. II. 28
Lætatus ſum &c. Pſalmum in Miſſa ante *Agnus Dei* Nicolaus III. juſſit recitari ad Pacem inter Chriſtianos Principes impetrandam. II. 28
Lætatus ſum &c. Pſalmum in Miſſa poſt Orationem Dominicam juſſit recitari Joannes Papa XXII. ad obtinendam Eccleſiæ Pacem. *ibi*
Laicus Nobilis Pluviali indutus in Capella Pontificia quintam Lectionem Officii Divini in nocte Nativitatis Domini legebat. II. 28
Laici homines ſub utraque ſpecie olim Communionem Euchariſticam ſumebant. I. 206 & ſeq.
Laici Principes ſacris veſtibus induti tanquam Diaconi, & Subdiaconi Rebus Divinis miniſtrabant. I. 193 & ſeqq.
Laici Principes Canonicalibus veſtibus induti in Choro miniſtrarunt, & ſacras Reliquias populo oſtenderunt. I. 190 & ſeqq.
Laicorum Principum unctio non eſt Sacramentum, ſed tantummodo cæremonialis. I. 195
Laicis Principibus ſacris veſtibus redimitis Epiſtolam, & Evangelium in Miſſa recitare permiſſum. I. 193 & ſeqq.
S. Lambertus quare punitus. I. 54
Lampas una cum Cereo in Sabbato Sancto olim benedici conſuevit. II. 230
Lanceam, qua perforatum fuit Chriſti Latum Innocentius VIII. dono accepit a Bajazete Turcarum Imperatore. II 275
Lapis porphyreus in Baſilica Vaticana poſitus, quid ſignificabat. I. 106 & ſeqq.
Lateranenſe Concilium. Vide Concilium.
Lateranenſe Capitulum ad pedum oſculum novus Papa in ſua poſſeſſione recipit. I. 135 & 134
Lateranenſis Eccleſia a Conſtantino Magno fuit ædificata. II. 319
Lateranenſis Eccleſiæ laus. II. 319
Lateranenſis Prioris officium in poſſeſſione novi Pontificis. I. 136
Lateranenſi in Baſilica Pontificum Romanorum facta inthronizatio. I. 105
Latrinæ Conclavis. I. 12
Laudes fieri ſolitæ Papæ. I. 118
Laudes factæ Papæ ad Miſſam Nativitatis Domini. II. 65
Laudes dictæ Papæ in Aula Concilii. I. 136
Laudes quæ fierent Imperatori. I. 203
Laudes Officii nocturni Nativitatis Domini in Eccleſiis Gallicanis ſtatim poſt Communionem incœptæ, & per Orationem, quæ dici debet in fine Miſſæ, completæ. II. 54
Lectio brevis quid. II. 38
Lectiones in nocturno Officio Nativitatis Domini a quibuſnam olim in Capella cantatæ. II. 52
Lectiones olim Græce & Latine in Sabbato Sancto dictæ. II. 233 & ſeqq.
Lectores Clerici priſcis temporibus Epiſtolam, & Evangelium in Miſſa legebant. II. 17
Legati veri qui dicendi. I. 370
Legati a Latere inter alia privilegia Crucem ſibi præferferunt. I. 323
Legati quo ritu excipiendi. I. 368 & ſeqq.
Legatorum tria genera. I. 321
Legatorum Apoſtolicæ Sedis inſignia. I. 322
Legendi in menſa conſuetudo antiqua. I. 158
Leo Papa X. Pragmaticæ Sanctonis Gallicanæ abrogator. II. 11
Levare menſam quid. II. 170
Liberius Papa die Nativitatis Domini Romæ in Baſilica S. Petri Marcellinam Virginem S. Ambroſii Sororem ſacro Velo donavit, & Sermonem habuit. II. 382
S. Linus Papa an S. Petro in Pontificatu immediate ſucceſſerit. I. 24 & ſeqq.
Litania major, & Litania minor quæ. II. 284
Litania a S. Gregorio Magno Papa inſtituta, & cur

Digitized by Google

cur ſeptiformis appellata, II. 285
Litania in creatione novi Ducis. I. 257
Litaniæ nomen duplicem ſenſum habet. II. 309
Litaniæ nomen eſt commune omnibus Proceſſionibus. II. 284
Litaniæ ſeptiformis a S. Gregorio M. inſtitutæ ordo. II. 284
Litaniæ majoris ritus. II. 285 & ſeqq.
Litaniam triplicem Sabbato Sancto Romæ recitandi uſus. II. 235
Litanias in Conciliorum celebratione recitare conſuetudo. I. 384
Lotio manuum Papæ in Miſſa ſolemni, & ejus ritus. II. 396
Luminaria circum Altaria diu noctuque micantia ſeculo Chriſti IV. adhibita. II. 397

M

MAgi Chriſti Domini naſcentis adoratores tres fuere. I. 355
Magiſter Sacri Palatii eſt unus ex Cuſtodibus Conclavis. I. 17. & ſeqq.
Magiſter Sacri Palatii debet legere, & approbare Conciones in Sacello Pontificio habendas. II. 8
Magiſter Sacri Palatii primus omnium fuit Sanctus Dominicus præclariſſimi Ordinis Prædicatorum inſtitutor. II. 369
Magiſtri SacriPalatii locus inCapella Papali antiquus, & recens. I. 17. & II. 371
Magiſtri Sacri Palatii dignitas coæva eſt primæ inſtitutioni Ordinis Prædicatorum II. 369
Magiſtri Sacri Palatii munia. *ibi*
Magiſter Cæremoniarum quibus nominibus olim fuit appellatus. II. 345
Magiſter Cæremoniarum in Capella olim erat ultramontanus. II. 346
Magiſtri Cæremoniarum munus in Eccleſia antiquiſſimum. *ibi*
Magiſtri Cæremoniarum munus in Capella Papali olim erat venale. *ibi*
Magiſtro Cæremoniarum aſſignatur una ex clavibus Conclavis. I. 33
Magiſtri Cæremoniarum debent parare ſchedulas pro electione Romani Pontificis. I. 65
Magiſtris Cæremoniarum debentur veſtes Cardinalitiæ, & Cella novi Pontificis. I. 75
Magiſtri Sacri Hoſpitii antiquiſſima emolumenta. II. 343
Magiſtri Sacri Hoſpitii officium. I. 152 & ſeq.
Magiſtri Sacri Hoſpitii dignitas pervetuſta penes nobiliſſimam Familiam Romanam Comitum. I. 153
Magiſter Domus Pontificiæ quis. *ibi*
Magiſtri Domus Pontificiæ officium. *ibi*
Major Domus Pontificiæ quis. *ibi*
Mandatum facereFeria V. inCœna Domini quidnam. I. 140. & II. 177
Mantum Papale quid. I. 70 Per iſtud Pontifices inveſtiebantur de Papatu. *ibi*
Manus quid. II. 185
Manuum lotionem Ethnici Sacrificio præmittebant. II. 62. & ſeqq.
Mappula quid. II. 10
Mappula extenſa quid. *ibi* & 260
Mappularii qui. *ibi*
Matiſconenſe Concilium ter ſingulis hebdomadis a S. Martini Feſtivitate ad Chriſti Nativitatem jejunium indixit. II. 2
Matutinum Nativitatis Domini cum paramentis trium colorum in aliquibus Eccleſiis celebrabatur. II. 45
Matutinum Nativitatis Chriſti, Papa abſente, cantandi ritus. II. 96
Matutinum Solemnitatis Corporis Chriſti olim poſt Veſperas de ſero in Capella Pontificia cantari conſuevit. II. 296
Matutinum Tenebrarum majoris Hebdomadæ olim media nocte celebrabatur. II. 257
Matutinum Tenebrarum variis ritibus terminabatur. II. 164
Marabotinus quid. II. 185
S. Marci Evangeliſtæ Feſtum ad diem XXV. Aprilis non idem in Martyrologiis. II. 274
Marcion fruſtra conatus fuit inducere in errorem Presbyteros Romanæ Eccleſiæ. I. 26
Mareſciallus Conclavis. I. 18
Mareſciallus Conclavis juramentum præſtat flexis genibus in manibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii. I. 19. & ſeq.
Mareſcialli Conclavis officium. I. 18
B. Mariæ Virginis Nativitatis Feſtum quo ritu olim celebrabatur. II. 310
B. Mariæ Virginis Annunciatio quibus nominibus ab antiquis Scriptoribus donata eſt. II. 280
B. Mariæ Annunciationis Feſtum quo ritu celebratur. II. 283
B. Mariæ Virginis Annunciationis Feſtum in Eccleſia pervetuſtum. *ibi*
B. Mariæ Annunciatæ Confraternitatem in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam inſtituit Frater Joannes de Turre Cremata S. R. E. Cardinalis. II. 282 Vide, Confraternitas.
B Mariæ Virginis Viſitationis Feſtum cur Urbanus VI. inſtituit. II. 305
B. Mariæ Virginis Aſſumptionis Feſtum peculiari cultu Romana Eccleſia ſemper celebrare conſuevit. II. 309
Martinus V. cur in ſua electione ad Pontificatum Martini nomen accepit. I. 5
S. Martini ad Montes Eccleſia vocatur Titulus Equitii. II. 1
S. Martini dies cur in Gallia erat occaſio hilaritatis. II. 2
Martyrologium proprium Eccleſia Romana ante Sæculum VIII. habebat. I. 221
Martyres plures Dominicani recentes laudati publica Allocutione regnantis Papæ BENEDICTI XIV. in Conſiſtorio. II. 412
Martyrum Feſta in Oriente principium habuerunt. II. 103
Medici excommunicationis pœnam incurrunt, ſi poſt tertiam infirmi viſitationem, non abſtineant a cura ejuſdem infirmi, donec ipſe Pœnitentiæ Sacramentum non ſuſceperit juxta Decreta Pontificum. I. 387
Memento homo, quia pulvis es &c. dicebatur olim imponendo cinerem Papæ. II. 126
Menſam, & cibos benedicendi antiquiſſimus uſus apud Chriſtianos. I. 155
Menſæ benedictionis formula. I. 156
Menſam quis debet benedicere. *ibi*
Menſarum præparatio in convivio Papali. I. 149
Militis novi benedictio quare in antiquis Pontificalibus non invenitur. I. 251
Militis novi benedictio cur ab Eccleſia Romana in-

Digitized by Google

inſtituta, & quando. l. 251 & ſeqq.
Milites novos benedicendi ritus. *ibi*
Milites quales debent eſſe. l. 252
Milites S. Petri quis inſtituit. l. 256
Miſſale Mozarabicum Dominicas Adventus vocat Dominicas ante Adventum. ll. 1
Miſſa de Spiritu Sancto ante ingreſſum Conclavis celebranda. l. 32 40 & 42
Miſſa de Spiritu Sancto poſt obitum Gregorii XI. & Urbani VI. celebrata fuit a Cardinalibus ante ingreſſum Conclavis in Hoſpitali S. Spiritus. l. 33 41
Miſſa de Spiritu Sancto quotidie cani ſolita in PalatioVaticano uſque ad novi Pontificis electionem. l. 61
Miſſa de Spiritu Sancto in Anniverſario Electionis, & Coronationis Summi Pontificis olim celebrabatur. l. 323 & ſeqq.
Miſſa ſolemnis quo ritu a Summo Pontifice celebratur. ll. 64 & ſeqq.
Miſſa, quæ cantabatur media nocte Nativitatis Domini, cum *Benedicamus Domino* olim complebatur. ll. 54
Miſſa ſecunda in Nativitate Domini ad S. Anaſtaſiam a Pontifice, vel ab ejuſdem Eccleſiæ Titulari olim celebrabatur. ll. 55
Miſſa in Sabbato Sancto quo tempore olim celebrari conſuevit. ll. 238
Miſſa in Sabbato Sancto quando primum celebrari cœpit. ll. 225
Miſſa unica olim die Paſchatis in aliquibus Eccleſiis celebrabatur. ll. 267
Miſſæ introitus cur inſtitutus. ll. 238
Miſſæ Præſanctificatorum antiquiſſima origo, & ritus notabilis tam apud Græcos, quam apud Latinos. ll. 214 & ſeqq.
Miſſæ pro eligendo Summo Pontifice ritus. l. 410
Miſſam in feſtivitate Corporis Chriſti olim poſt Proceſſionem ſolemniter in Baſilica Vaticana Papa celebrabat. ll. 300
Miſſam in Commemoratione omnium defunctorum Papa olim celebrare conſuevit. ll. 316
Miſſam coram Papa celebrandi ritus. ll. 11
Miſſam ſolemnem in Dominica prima Adventus olim in Baſilica S. Mariæ majoris Papa ſolemniter celebrabat. ll. 3
Miſſam in Dominica prima Adventus quis debet celebrare. ll. 4
Miſſam in Sacello Pontificio Epiſcopi aſſiſtentes quando celebrant. ll. 4
Miſſæ ſolemnes celebrabantur ante Seſſiones Conciliorum. l. 373
Miſſæ in Conclavi celebrandæ. l. 61
Miſſæ tres in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ olim celebrabantur. ll. 302 & ſeqq.
Miſſæ tres in die Nativitatis Domini vel S. Gregorii M. ætate dicebantur. ll. 49
Miſſæ duæ Kalendis Januarii dici antiquitus ſolitæ alicubi. ll. 106
Miſſæ, quæ olim a Pontifice in Eccleſia Sanctæ Sabinæ die Cinerum celebrabatur, varii ritus. ll. 130 & ſeq.
Miſſæ plures Feria v. in Cœna Domini cantari olim conſueverunt. ll. 167
Miſſæ duæ in die Paſchatis olim in aliquibus Eccleſiis celebrari ſolitæ. ll. 264 & ſeqq.
Miſſæ ſolemnes, quas debet celebrare Summus Pontifex. ll. 56
Miſſas ſolemnes in Lateranenſi Baſilica ſeptem Epiſcopi Cardinales hebdomadatim perſolvebant. l. 318
Miſſas duas in Feſto SS. Petri, & Pauli olim Papa celebrabat. ll. 306
Miſſas celebrantibus in exequiis Papæ quæ elemoſynæ dabantur. l. 406
Mitra Aragoniæ Regi conceſſa. l. 194
Mitræ turbinatæ antiquus uſus. l. 121 & ſeqq.
Mitræ aurifriſiatæ antiquus uſus. l. 121 & ſeqq.
Mitræ privilegium Abbatibus primus omnium Alexander II. conceſſit. ll. 375
Moguntinus Archiepiſcopus eſt totius Germaniæ Metropolitanus. l. 367
Monachi Cryptæ Ferratæ Epiſtolam, & Evangelium Græce in ſolemni Miſſa Papali olim cantabant. ll. 66 & ſeqq.
Monachis munus Prædicationis jam olim interdictum. ll. 385
Morettus Petrus Canonicus S. Mariæ trans Tyberim laudatus paſſim, ejuſque Opera, *De Ritu Oſtenſionis Sacrarum Reliquiarum*, *De Ritu variandi Chorale indumentum*, *De Presbyterio*, & *De Feſto S. Petri &c.* l. & ll.
Mortuorum cadavera lavari, & unguentis condiri jam antiquitus conſuevere. l. 389
Mozarabicum Miſſale Dominicas Adventus vocat Dominicas ante Adventum. ll. 1
Mulieres in convivio Summi Pontificis Papæ intervenire aliquando ſolitæ. l. 161
Muſcus adhibitus in poſſeſſione novi Pontificis. l. 134

N

NAtalem Calicis veteres Scriptores vocaverunt Feriam quintam in Cœna Domini, & cur. ll. 166
Narbonenſis Eccleſia quibus coloribus utebatur in Matutino Nativitatis Domini. ll. 45
Natalis Chriſti dies fuit unus ex tribus anni ſolemnitatibus, in quibus Fideles omnes communicare tenebantur. ll. 90
Nativitas Jeſu Chriſti dicitur Eccleſiæ incunabulum. ll. 49
Nativitas Jeſu Chriſti die VI. Januarii in Oriente olim celebrabatur. ll. 101
Nativitatis Chriſti Vigilia cum jejunio celebrari ſolita. ll. 35
Nativitatis Domini Vigilia quale Officium recitabat Eccleſia Romana. ll. 35
Nativitatis Domini Veſperæ ſolemniter in Baſilica S. Mariæ Majoris Romæ olim celebrabantur. ll. 37
Nativitatis Domini Matutinum cum paramentis trium colorum in aliquibus Eccleſiis recitabatur. ll. 45
Nativitatis Deiparæ Feſtum quo ritu olim celebrabatur. ll. 310
S. Nicolai Capella in Palatio Vaticano quæ. l. 12
Nicolaus II. ſolis Cardinalibus committit Papæ electionem. l. 30
Nicolai II. Decretum in favorem Henrici IV. Regis Germaniæ. *ibi*.
Nicolaus III. juſſit recitari in Miſſa ante *Agnus Dei*, Pſalmum *Lætatus ſum &c.* ad impetrandam pacem apud Principes. ll. 28
Nicolaus IV. revocavit Bullam Gregorii X. de incluſione Cardinalium in Conclavi. l. 5
Nicolaus V. electus Romæ in Cœnobio S. Mariæ

Digitized by Google

riæ ſupra Minervam Ordinis Prædicatorum. l. 7 Cur ibi electus. l. 8
Nigris paramentis utebantur quædam Eccleſiæ in primo Nocturno Nativitatis Domini, ll. 45
Nigrum colorem in ſacris veſtibus in Adventu nonnullæ Eccleſiæ uſurparunt. ll. 5
Nomen Papæ in electione immutatur. l. 71
Nomen Joannes XII. primus ex Romanis Pontificibus ſibi immutaſſe dicitur. *ibi*.
Nomen Epiſcopi Latini in ſua Ordinatione ſibi immutabant. l. 72
Nomen Epiſcopi Græci in ſua Ordinatione ſolent ſibi immutare. *ibi*.
Nomenculator qui. l. 350
Noris S. R. E. Cardinalis laudatur. ll. 210
Notarii a ſcriniis reconditarum ſcripturarum, quæ eiſdem antiquitus committebantur, Scrinarii dicti ſunt. ll. 366
Notarios ſeptem S. Clemens I. inſtituit, eiſque Urbis regiones diviſit, ut acta Martyrum conſcriberent, & poſteritati mandaret. ll. 365
Notariorum S. R. E. antiquum munus. ll. 366
Novatianus primum ſchiſma excitavit in Eccleſia Romana. l. 60
Novendialia quid. l. 32 40 & 407
Novendialia in exequiis Papæ celebranda. l. 407
Novendialia Cardinalibus defunctis olim celebrabantur. l. 397 & ſeqq.

O

OBlata olim Romæ in Miſſa ſolemni minime thurificata. ll. 73
Oblatio ab Epiſcopo in ſua conſecratione facienda, a quo inſtituta. l. 104
Oblatio panis fieri ſolita in Miſſa ſolemni celebrata a Papa in nocte Nativitatis Domini, erat Acolythorum. ll. 50
Oblatio pecuniæ ad Crucem in Paraſceve antiquitus introducta. ll. 208
Oblatio variarum rerum fieri ſolita in Miſſa Canonizationis Sanctorum. l. 246 & ſeqq.
Oblatio columbarum, & turturum in prædicta Miſſa jam olim uſitata, deinde vetita. *ibi*.
Oblationes in Miſſa ad Offertorium a Fidelibus olim factæ. ll. 23
Oblationes, quæ olim fiebant in ſolemni Papæ Miſſa nocte Nativitatis Domini, ad Capellanos, excepto pane, ſpectabant. ll. 50
Oculi Dominica quæ. l. 184
S. Odilo Abbas Cluniacenſis omnium primus generalem omnium Fidelium defunctorum Commemorationem die 11. Novembris celebrandam inſtituit. ll. 312
Officiales Concilii qui. l. 376 & ſeqq.
Officiales Conclavis juramentum præſtant ſacro Cardinalium Collegio. l. 33 Vide & ibi alia de eiſdem.
Officium, ſeu Lectiones Romæ, quando aderat Aurora, vel abbreviabantur, vel omittebantur, & ſub lucis ortum Laudes ipſæ Divini Officii inchoabantur. ll. 255
Officium Nocturnum duplex, Eccleſia Romana olim in Nativitate Domini celebrabat. ll. 45
Officium Tenebrarum dicendi antiquiſſima conſuetudo. ll. 160
Officium Tenebrarum dicendi ritus. ll. 160
Officium Feriæ VI. in Paraſceve quare appellatur Tenebrarum. ll. 191
Officium de Sepuichro in die Paſchatis poſt Matutinum in aliquibus Eccleſiis quo ritu fieba olim. ll. 257
Officium ſolemnitatis Corporis Chriſti compoſuit S. Thomas Aquinas. ll. 296
Officium de Feſto Viſitationis B. Mariæ Virginis quis compoſuit. ll. 308
Officium defunctorum cum primis, & ſecundis Veſperis, cæteriſque Horis diurnis alicubi recitabatur. ll. 313
Officium S. Bibianæ fuit ſimplex uſque ad Urbanum VIII. ll. 16
Oratio Dominicalis ab Apoſtolis in Miſſa fuit uſurpata. ll. 27
Oratio Dominicalis cur alta voce in Miſſa recitatur. ll. 28
Oratio Dominicalis apud Græcos ab omni populo dicebatur. *ibi*
Oratio *ad complendam* quæ. ll. 88
Oratio, quæ in antiquo Miſſali Eccleſiæ Turonenſis invenitur ad benedicenda luminaria Eccleſiæ. ll. 110
Oratio a Sixto Papæ IV. inſtituta in traditione Enſis. l. 274
Orationes in Miſſa ex Apoſtolica traditione dicuntur. ll. 15
Orationes, quæ nunc per totam Eccleſiam Catholicam in Miſſis dicuntur, ab Eccleſia Romana ortum habuerunt. *ibi*
Orationes, quas Sacerdotes in aliquibus Eccleſiis recitabant Feria VI. majoris Hebdomadæ in ipſa Crucis adoratione. ll. 207
Orationes funebres in exequiis Papæ Cardinales olim habuere. l. 406
Orandum pro electione, & incolumitate Romani Pontificis. l. 412
Orarium quid. l. 354
Orator Sacer initio Concionis debet recitare Salutationem Angelicam, non vero Antiphonam, *Regina Cæli &c.* etiam toto tempore Paſchali. ll. 133
Oratores Principum quo ritu excipiendi. l. 368
Oratores defuncto Pontifice viſitant Sacrum Collegium nomine ſuorum Principum. l. 44
Oratoribus Principum demandata cuſtodia Conclavis. l. 16. & ſeqq.
Ordo ſedendi in Capella Papali. ll. 339
Ordinatio per ſaltum in Eccleſia Romana abrogata. l. 89
Ordinibus omnibus Sacris uno tantum die initiati aliqui. l. 90
Oſculum pacis novo Militi datur. l. 254
Oſtienſis Epiſcopus primus Conſecrator Summi Pontificis. l. 109. & ſeqq.
Oſtienſis Epiſcopus primus ex Epiſcopis Palii honore decoratus. *ibi*
Oſtienſis Archipresbyter, impedito Epiſcopo, Conſecrationi Summi Pontificis intereſſe debebat. l. 110
Oſtienſis Epiſcopus Imperatorem Sacro Oleo inungere debet. l. 188 & 195
Oſtienſis Epiſcopus, abſente Papa, Imperatorem coronare debet. l. 215

P

S. PAcomii Diſcipuli die Paſchatis ad præcipuum Cœnobium conveniebant ad recolendam

Digitized by Google

lendam omnes ſimul cum ſuo Abbate gloriam Dominicæ Reſurrectionis. II. 254
Pallia benedicuntur in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. II. 305
Pallia benedicendi, & tradendi ritus a BENEDICTO XIV. inſtitutus. I. 343
Palmarum benedictio, & diſtributio olim extra Civitatem fiebat. II. 149
Palmarum benedictionis ante Sæculum nonum nulla mentio reperitur. II. 143
Palmarum benedictioni olim præmittebatur Concio de ſolemni Chriſti in Civitatem Hieroſolymam ingreſſu. II. 144
Palmas antiquitus benedicendi varii ritus. *ibi*
Panis oblatio, quæ in Miſſa Solemni celebrata a Pontifice in nocte Nativitatis Domini fiebat, ad Acolythos ſpectabat. II. 50
Pantheon mirabile Templum Romæ. II. 310
Papa quibus nominibus a Sanctis Patribus eſt appellatus. I. 47
Papa ab Archimandritis ſecundæ Syriæ univerſi Orbis Terræ Patriarcha, & Caput, & Paſtor omnium fuit appellatus. II. 330
Papa poteſt eligi ex laicis hominibus. I. 86 93
Papa eligebatur antea ſuffragiis Cleri, & populi Romani. I. 27 & ſeqq.
Papa eligitur per viam Inſpirationis, Compromiſſi, & Scrutinii. I. 63 & ſeqq.
Papa ſedens ſuper Altare excipit Cardinales ad reverentiam. I. 76
Papa ante ſuam conſecrationem Eccleſiam Romanam olim non adminiſtrabat. I. 82
Papa novus quo ritu in Eccleſiam S. Petri deſcendit. I. 78
Papa, ſi non eſt Sacris Ordinibus initiatus, quo ritu ad illos promovetur. I. 85 & ſeq.
Papa antea in ſua electione non ipſe ſibi nomen aſsumebat, ſed ei ab aliis imponebatur. I. 71
Papa nunc ipſe ſibi nomen aſsumit, & quod. I. 72
Papa poſt ſuam electionem, & Conſecrationem pluries in anno coronabatur. II. 1
Papa per Mantum Papale inveſtiebatur de Papatu. I. 69 & ſeqq.
Papa ſedens ſupra Altare excipiebat Cardinales non modo, ſed & alios ad reverentiam. I. 76
Papa tantummodo ad Altare S. Petri ordinari vel olim ſolitus. I. 196
Papa a tribus Epiſcopis conſecratur. I. 109
Papa ante ſuam conſecrationem imprimit Litteras Bulla Plumbea. I. 83
Papa novus poſt ſuam poſſeſſionem lautum convivium vel antiquitus faciebat. I. 145
Papa quibus clauſulis utebatur in ſcribendis Litteris ante ſuam conſecrationem. I. 84
Papa novus pecuniam populo propriis manibus projiciebat. I. 134
Prpa recipit ante ſuam Coronationem ad oſculum pedis Capitulum S. Petri. I. 106
Papa poſt ſuam primam Coronationem pluries quoque in anno coronabatur certis quibuſdam ſolemnitatibus. I. 120
Papa uno eodemque die ad Sacros Ordines promoveri poteſt. I. 91
Papa quibus elargiebatur Presbyterium. I. 140
Papa in nonnullis diebus ſpecies, & vinum largiri ſolebat. I. 159 & ſeqq.
Papa cum bibit, omnes adſtantes præter Epiſcopos genuflectunt. I. 159
Papa utebatur Phrygio in die ſuæ Coronationis juxta ritum antiquum. I. 121
Papa quomodo excipit Imperatorem ad oſculum pedis ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ. I. 179
Papa quando equitabat, Cardinalis Epiſcopus S. Rufinæ ſtapham ſuſtinebat. I. 319
Papa nunquam debet exire in publicum ſine Stola. I. 354
Papa ad Eccleſiam Sede vectus Miſſarum ſolemnia celebraturus ire conſuevit. II. 259
Papa tantummodo Generale Concilium poteſt indicere. I. 371
Papa nemini reverentiam facit. II. 330
Papa quo ordine ad Capellam accedit. II. 9
Papa quo ritu ſolemnem benedictionem elargitur. II. 177
Papa in Canonizatione Sanctorum falli minime poteſt. I. 242 & 248
Papa in Canonizatione Sermonem habebat in honorem Beati inter Sanctos referendi I. 236
Papa novos Cardinales creaturus, antiquorum Cardinalium vota exquirebat. I. 293 & ſeqq.
Papa omnes Chriſtiani Orbis Epiſcopatus diſtribuit. I. 335
Papa quot ſolemnes Miſſas debet celebrare. II. 56
Papa in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum olim celebrare conſuevit. II. 316
Papa in Baſilica S. Mariæ Majoris ſolemniter in Dominica 1. Adventus olim celebrabat. II. 3
Papa poſt celebratam in Nativitate Domini ſecundam Miſſam apud S. Anaſtaſiam proceſſionaliter ad S. Petrum procedebat. II. 58
Papa in die Cinerum diſcalceatus e S. Anaſtaſia ad S. Sabinam pergebat Miſſam ſolemnem celebraturus. II. 127
Papa die Cinerum ſolemni equitatione poſt Miſſam ad S. Sabinam pergebat. II. 132
Papa in Dominica *Lætare* Sermonem de aurea Roſa ad Populum in Baſilica S. Crucis in Jeruſalem poſt Evangelium habebat. II. 138
Papa quo titu ſedet in Matutinis Tenebrarum majoris hebdomadæ. II. 159
Papa in Cœna Domini Presbyterium dare conſuevit. II. 185 & ſeqq.
Papa in Cœna Domini novum ignem olim benedicebat. II. 167
Papa in Cœna Domini pedes duodecim Subdiaconorum, & tredecim pauperum lavare conſuevit. II. 179 & ſeqq.
Papa quo ritu lavat pedes pauperum in Cœna Domini. II. 182 & ſeqq.
Papa in Cœna Domini conſuevit conficere Sanctum Chriſma, & Oleum Sanctum, & Oleum Catechumenorum, & benedicere Agnos Dei cereos in primo anno Pontificatus. II. 188
Papa diſcalceatus, atque tertio proſtratus Feria VI. in Paraſceve Crucem adorare vel olim conſuevit. II. 207
Papa in Paraſceve ſecundum antiquas cæremonias non conſuevit ſedere ſuper ſedes, ſed ſuper ſcabella. II. 222
Papa in omnibus Proceſſionibus, in quibus pedes vadit, pedibus diſcalceatis incedit. II. 115
Papa quibus indumentis utitur in celebratione Miſſæ ſolemnis. II. 49 & ſeqq.
Papa quo habitu utitur die Sabbati Sancti uſque ad Sabbatum in Albis incluſive. II. 244
Papa poſt Evangelium inter Miſsarum ſolemnia benedictionem olim elargiebatur. II. 265
Papa duas Miſsas in Feſto SS. Petri, & Pauli olim

Digitized by Google

olim celebrabat. II. 306
Papa in ſolemni Proceſſione Corporis Chriſti, ex antiquo ritu Sede vectus Sacramentum defert. II. 299
Papa quibus ritibus vel ab ipſis antiquiſſimis temporibus ſacram Communionem in Miſſis ſolemnibus percipere conſuevit. II. 79
Papa, abſoluta ſolemni Miſſa, olim redibat in Secretarium ſolemni proceſſione Epiſcoporum, ac Secularis, & Regularis Cleri, ac Militum, atque Cantorum. II. 90
Papa quo ordine in aliquam Urbem ingreditur. II. 356 & ſeqq.
Papa nemo inventus qui annos Pontificatus Sancti Petri attigerit. I. 113. Reſponſum S. Petri Damiani de hac re. *ibi*.
Papa eſt ſupra Concilium. I. 382
Papa Conſtitutiones poteſt facere abſque Concilio. I. 484
Papa an poſſit eligere ſibi ſucceſſorem. I. 25
Papa quo habitu ſedet in menſa. I. 151 & ſeqq.
Papa quando equitat, Imperatores, & Reges ſtratoris officium ei exhibent. I. 209 & ſeqq.
Papæ electio commiſſa tantummodo S. R. E. Cardinalibus. I. 30 & 291
Papæ electio ut ſit Canonica, requiritur Electi aſſenſus. I. 71
Papæ nomen in electione immutatur. I. 71
Papæ novi veſtimenta. I. 75
Papæ electio, quo ritu publicata. I. 73 74
Papæ novi Cella Conclavis, & Domus in Urbe a populo ſpoliabatur. I. 77 Hujus abuſus antiquitas. I. 78
Papæ ſedentis ſuper Altare poſt ſuam electionem ritus. I. 77
Papæ Conſecratio ad quos ſpectat. I. 109
Fieri ſolita in Baſilica Vaticana. I. 104
Coronatio quam antiqua. I. 122
Papæ poſſeſſio in Baſilica Lateranenſi antiquiſſimi eſt ritus. I. 131 & ſeqq.
Papæ inſignis prærogativa. I. 90
Regia magnificentia. I. 350
Temporalis poteſtas. I. 275 & ſeqq.
Papæ habitus. II. 377
Sandalia ejuſdem antiquiſſima. I. 75
Miſſalia paramenta quo ordine ad eundem deferantur. I. 107
Papæ præparatio ad ſolemnem Miſſam. *ibi*
Papæ iter agentis habitus. I. 355
Papæ liberalitas erga Imperatorem in illius ad Territorium Eccleſiæ ingreſſu. I. 73
Papæ deoſculandi pedes uſus antiquus. I. 75. & aliis ſequentibus.
Papæ manus, & os deoſculantur Cardinales tantum, & Reges. I. 79
Papæ ægrotatio, mors, & exequiæ I. 400 & ſeq.
Papæ novo quæ fiunt Laudes. I. 117 136
Papæ ad Miſſarum ſolemnia celebranda accedenti Euchariſtia præferebatur. II. 9
Papæ epulanti Imperator aut Rex aquam ad lavandas manus deferre debet. I. 154
Papam eligendi Jus a Chriſto Domino derivatum. I. 23
Papam Sella deferri, antiqua conſuetudo. I. 127
Papam in Epiſcopum conſecrandi ritus. I. 97
Papa ſolemniter celebrante, Symbolum non Cantores in Choro, ſed Subdiaconi ad Altare decantabant. II. 25
Papa abſente, qui Eccleſiam Romanam adminiſtrabant antiquitus. I. 82
Papæ extra Urbem creati, & ritus in eorum Coronatione. I. 162 & ſeqq.
Papæ ex ordine Diaconali per ſaltum conſecrati Epiſcopi. I. 88
Papæ electi extra Collegium Cardinalium. I. 80
Papæ qui una cum Pontificatu Romano priſcos ſuos retinuere Epiſcopatus. I. 97
Papæ inveſtiebantur de Papatu per Mantum Papale. I. 70
Papæ a primis Eccleſiæ incunabilis conciones ad populum habuere. II. 382
Papæ in omnibus ſolemnitatibus, quæ per annum occurrunt, ſolemniter olim celebrare conſueverunt. II. 31
Papæ Officia Eccleſiaſtica ſolemni ritu in Sacellis Palatii Pontificii Avenione primum celebrare cœperunt. II. 3 & ſeqq.
Papæ maximam diligentiam in Canonizatione Sanctorum ſemper adhibuerunt. I. 230
Papæ nonnulli Succeſſorem ſibi deſignaverunt, ſalva tamen Cardinalium poteſtate. I. 25
Papalis equitationis ordo. I. 350 & ſeqq.
Papalis Regni antiquitas. I. 119 & ſeqq.
Papalis Regni forma. *ibi*.
Papienſis Cardinalis laudatus. I. 47 Queritur de legibus a Paulo II. abrogatis. I. 56
Pappas quis. I. 157
Paramenta Miſſalia Pontificis quo ordine portantur. I. 107
Parmæ & Placentiæ Dux, tamquam Eccleſiæ Romanæ Feudatarius Arcum triumphalem novo Papæ ad Lateranum progredienti erigit. I. 143
Parochi Romæ ex indulto BENEDICTI XIV. deferunt Stolam in ſacris Proceſſionibus. I. 354
Patena in Miſſa ſolemni quo ritu olim tenebatur. II. 72 & ſeqq.
Patenæ magni ponderis, & gemmis ornatæ Pontificibus Romanis donatæ. II. 79
Patriarcha Oecumenicus a Concilio Chalcedonenſi, & ab Alexandrinis Clericis Papa fuit appellatus. II. 330
Patriarcha in convivio Papali, quo in loco ſedeat. I. 155
Patriarcharum olim locus in convivio Summi Pontificis. I. 149
Paſcha nuncupatur a S. Gregorio Nazianzeno feſtivitas feſtivitatum, & ſolemnitas ſolemnitatum. II. 253
Paſchalis Cerei particulæ cur populo diſtributæ. I. 185
Paſchatis nomine vocatur a Tertulliano Feria ſexta majoris Hebdomadæ. II. 191
Paſchatis die duæ Miſſæ in aliquibus Eccleſiis olim celebrabantur. II. 264. In aliquibus vero unica. 267
Paſchatis die omnes ad Sacram Communionem accedere tenebantur. *ibi.*
Paſchatis Feſto in quibuſdam regionibus deferebant in magno vaſe omnia fercula, quæ eo die comedere volebant, ad Eccleſiam, in cujus atrio Sacerdos ea benedicebat, & aliquid de ſingulis ad ſuam tantumodo neceſſitatem ſumebat. II. 272
Paſchatis mane ingredientes in Eccleſiam ſe ſe invicem olim oſculabantur, dicentes, *Surrexit Dominus de Sepulcbro*. II. 255
Paſchatis Feria ſecunda cum magna Solemnitate a Pontifice olim jam fuit celebrata. II. 275

Pa-

Digitized by Google

Paſchatis tota hebdomada in univerſa Eccleſia olim fuit feſtiva. ll. 253
Paſſio Chriſti ab unico tantum Diacono in ſolemni Miſſa cum ſalutatione, & cum populi reſponſione in Capella Papali olim recitabatur. ll. 152
Paſſio Chriſti in Hebdomada majori ſemel tantum in Africa recitabatur. ll. 151
Semel etiam apud Monachos, nempe in Feria ſexta. *ibi*
Paſſionem Chriſti Feria VI. in Paraſceve ad populum prædicandi antiquiſſima Romanæ Eccleſiæ conſuetudo. ll. 202
S. Paulæ Matronæ Romanæ Corpus per Epiſcopos ad Eccleſiam translatum fuit. l. 390
S. Pauli Eccleſia in Via Oſtienſi a Conſtantino Magno fuit ædificata. ll. 320
S. Pauli Feſtum quo ritu olim celebratum. ll. 307
Paulus II. abrogat leges factas a Cardinalibus in Conclavi. l. 56
Paulus II. conceſſit S. R. E. Cardinalibus Biretum rubri coloris. l. 308
Pauli II. liberalitas erga Borſium Marchionem Ferrarienſem. l. 250
Paulus III. progreſſus eſt Niceam ad conciliandam pacem inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. Galliæ Regem. l. 346
Pax ab Alexandro III. facta cum Imperatore Friderico I. & ſolemni anathemate confirmata fuit. ll. 176
Pax in Miſſa Solemni quo tempore, & quibus formulis dabatur. ll. 77
Pax vobis, ſive, *Dominus vobiſcum*, quando Epiſcopus in Miſſa pronunciare debeat. ll. 15
Pax in Pontificia Capella quonam ritu datur in Miſſa. ll. 392. & ſeqq.
Pax a Papa ſolemniter celebrante datur non ſolum Imperatori, ſed etiam Regi. ll. 394
Pax in Cœna Domini quare non datur. ll. 171
Pax in Miſſa Solemni Sabbati Sancti cur non datur. ll. 242
Pacem in Miſſa dandi ritus antiquus, & Chriſtianæ Religioni coævus. il. 392
Pacem publicandi ritus. l. 346
Pecuniæ jactabantur in ſolemni equitatione novi Pontificis capturi poſſeſſionem Baſilicæ Lateranenſis. l. 128
Pedes lavabantur Baptiſma ſuſcepturis. ll. 178
Pedes peregrinorum Bethlehem confluentium S. Hieronymus lavit. *ibi*
Pedes pauperum in Cœna Domini Imperatores, & Reges lavare conſueverunt. *ibi*
Pedes duodecim Subdiaconorum in Cœna Domini Summus Pontifex olim lavare conſuevit. ll. 179. & ſeqq
Pedes duodecim pauperum in Cœna Domini Sixtus IV. lavit. ll. 180
Pedes tredecim pauperibus, non vero duodecim in Cœna Domini lavari, Innocentius Papa VIII. ſtatuit. *ibi*
Pedes abluere ad Viduas pertinebat. ll. 178
Pedes ſibi invicem lavare Sanctimonialibus permiſſum. *ibi*
Pedes Epiſcoporum Chriſtiani olim deoſculabantur. l. 281
Pedum ablutio cur ævo S. Auguſtini a pluribus prætermiſſa. ll. 178
Pedum ablutio in Feria V. Cœnæ Domini quo ritu fit a Papa. ll. 182
Pedum Papæ deoſculatio. Vide, *Papa*, &, *Oſculum*.
Pentecoſtes ſemper caruit Octava. ll. 194
S. Petrus Apoſtolus inſtituit Romanæ Eccleſiæ Senatum. l. 26
S. Petri Baculus ubi colitur. l. 102
S. Petri annos Pontificatus nemo ex Romanis Pontificibus attigit. l. 113. Reſponſum de hac re S. Petri Damiani. *ibi*
S. Petri Altaris prærogativa. l. 326
S. Petri ad Vincula Eccleſia a Sixto III. Papa condita. ll. 7
S. Petrum ſtatuiſſe Adventus Domini celebrationem nonnulli putant. ll. 2
SS. Petri & Pauli Feſtum vel primis Eccleſiæ Sæculis ſolemni ritu celebratum. ll. 304
SS. Petri & Pauli imagines per mare, nemine ducente, Romam venerunt. l. 139
S. Petrus Damianus laudatus. l. 27
Petri Bleſenſis celebre dictum. l. 53
Pera quid. ll. 23
Peruſini arctant Cardinales ad ſollicitam Papæ electionem. l. 32
Phano quid. l. 108
Philippus Franciæ Rex frænum equi Clementis V. tenuit. l. 164
Philippi V. Hiſpaniarum Regis maximum humilitatis indicium erga Papam. l. 174
Phrygium quid. l. 121
Ejus uſus antiquiſſimus. l. 122
Pii II. Oratio ad Virginem Lauretanam. l. 353
Pii II. Concio habita ad Cardinales de novorum Cardinalium creatione. l. 095
Pii II. Concio habita ad Cardinales antequam ipſe vita migraret. l. 401
Pius IV. Conſtitutionem edidit de Romani Pontificis electione. l. 14
S. Pius V. juſſit, recitari Angelicam Salutationem, & Symbolum ante Officium. ll. 161
Pierſanctes Philippus Venantius Cæremoniarum Magiſter laudatur. ll. 347
Pileum benedicendi ritus. l. 273
Pileum rubri coloris S. R. E. Cardinalibus Innocentius IV. conceſſit. l. 307
Placet formulam Eccleſia in Sacris Canonibus decernendis ab Apoſtolis accepit. l. 380
Placeat tibi Sancta Trinitas &c. in omnibus Miſſalibus ante annum Chriſti milleſimum invenitur. ll. 89
Planetæ olim totum Sacrum Miniſtrum involvebant. ll. 5
Planetis a parte anteriori complicatis cur utuntur Diaconi, & Subdiaconi tempore Adventus, & Quadrageſimæ. *ibi*
Platinæ inepta opinio. l. 157
Plumbeæ Bullæ antiquitas. l. 83
Plumbo Litteras Apoſtolicas obſignandi antiquus ritus. l. 409
Pluviale, cur ita appellatum. l. 76
Pœnitentia publica Fabiolæ Romanæ. ll. 166
Pœnitentes in Cœna Domini Romana Eccleſia reconciliare conſuevit. *ibi*
Pœnitentiarius Major S. R. E. ſi, Sede vacante, moritur, ſtatim pro tempore eſt eligendus a Cardinalibus. l. 21
Pœnitentiarius Major petit a novo Pontifice pro omnibus abſolutionem a Cenſuris in Conclavi forte contractis. l. 72
Pœnitentiarii Majoris S. R. E. olim ſumma auctori-

Digitized by Google

ctoritas in Ecclesia. l. 37
Pœnitentiarii Majoris S. R. E. Ministri, & Officiales. *ibi* & seqq.
Pœnitentiarii in Canonizatione S. Francisci de Paula civis mei suffragium tulerunt. l. 230
Pons erigebatur ob possessionem novi Papæ in Laterano. l. 135 & seqq.
Populus, qui Vesperis solemnibus intererat, quo tempore olim thurificabatur. ll. 38
Populus olim decantabat in solemni Missa Hymnum Angelicum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *&c.* ll. 26
Porphyreus lapis, sive circulus quid. l. 106
Porphyretica rota quid. l. 107
Portæ Vaticanæ Basilicæ numerus, atque earum nomina. l. 192
Portæ Conclavis a quibus custoditæ. l. 16
Portæ quartæ Conclavis clausura. l. 20
Porticani qui. l. 261
Portuensis Episcopus consecrat Papam. l. 20
Portuensis Episcopus consecrat Clementem XI. Summum Pontificem. l. 111
Potus in Aula quid. ll. 40
Potus in Aula quo ordine sub Innocentio VIII. datus fuit. ll. 31
Possessionis Papæ in inclyta Lateranensi Basilica ritus. l. 133
Postcommunio quomodo olim nuncupata. ll. 87
Postcommunio a priscis temporibus in Ecclesia Romana recitari consuevit. *ibi*
Pragmatica Sanctio Gallicana a Leone X. Papa abrogata. ll. 11
Præconizatio quid. l. 327
Prædicatorum Ordinis vetus, ac celebre Missale quo tempore præcipit denudationem Altarium in Cœna Domini. ll. 187
Prædicatorum Ordinis Generalis primus inter alios Generales in Concilio Tridentino locum habuit. l. 376
Prædicatorum Ordinis Procuratores generales semper primum locum habuere in Sermonibus recitandis in Capella Papæ. ll. 137
Prædicatarum Ordinis Fratres in die Pentecostes in Ecclesiis suis spargunt diversos flores, dum canitur in solemni Missa Prosa, *Veni Sancte Spiritus*. ll. 293
Prædicatorum Ordinis Religiosis in Polonia gerentibus Legationem Apostolicæ Sedis indultum fuit ab Innocentio IV. ut rubeo Galero, rubeis Sandaliis, Ocreis, & Chirothecis rubeis, caput, & manus, atque etiam pedes tegerent. ll. 379
Præfatio ad quid instituta. ll. 24
Præfatio a quibus verbis initium ducit. *ibi*
Præfatio communis Dominicis Quadragesimæ, & Festis in ea occurentibus in quibusdam Ecclesiis dicebatur. l. 135
Præfatio antiqua Adventus. ll. 35
Præfationi in Missa Solemni Romani Pontificis Subdiaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ olim respondebant. ll. 25
Præfationes olim plurimæ. *ibi*
Præfationes in Missa ab Apostolis institutas quidam putarunt. *ibi*
Prægustatores quis primum Romæ adhibuit. l. 151
Prælatorum habitus. ll. 379
Prælatorum locus in convivio Papæ. l. 149
Eorundem habitus in dicto convivio. l. 152
Prælatorum Canonizationem postulantium antiqua consuetudo. l. 226
Presbyterum Maximo Imperatori S. Martinus in convivio præfert. l. 156
Presbyterum dignum depositione censebat S. Augustinus, qui in Vigilia Natalis Christi non jejunavit. ll. 35
Presbyteri olim Stolam semper induebant. l. 354
Presbyteri in Concilio Basileensi suffragium decisivum dederunt. l. 376
Presbyteri tenentur deferre sine intermissione vestem talarem. l. 354
Presbyterorum Ecclesiæ Romanæ Officium, & dignitas in spiritualibus, & temporalibus. l. 26
Presbyteros Ecclesiæ Romanæ frustra Marcion conatus fuit inducere in errorem. l. 26
Presbyterium quibus elargiebatur Papa. l. 140
Presbyterium in Cœna Domini Papa dare consuevit. ll. 185 & seqq.
Presbyteria quid. l. 145
Primiscrinii, seu Primiscriniarii qui. l. 71
Princeps terrarum quis. l. 167
Principes Germaniæ quare dicuntur Principes Imperii. l. 367
Principes Electores, & alii maximi Principes quo ritu excipiuntur. l. 366 & seqq.
Proba, probatio, probamentum quid. l. 157
Processio ad Missarum solemnia per ipsum Romanum Pontificem celebranda, e Secretario, non vero ex ædibus Papæ intruebatur. ll. 9
Processio in Festo Purificationis Bmæ Virginis Mariæ ad calcandam præcipue superstitionem fuit instituta. ll. 114
Processio Corporis Christi appellatur Jesu Christi triumphus. ll. 298
Processio Corporis Christi Romæ olim usque ad Molem Hadriani extendebatur. ll. 299
Processio Corporis Christi firmata fuit auctoritate Concilii Tridentini. ll. 298
Processionis Corporis Christi ritus. ll. 299
Processionis, qua Papa descendit ad Ecclesiam solemniter celebraturus, ritus. ll. 57 & seqq.
Processionis ordo, quando cantatur Missa coram Papa per Prælatum. ll. 8 & seqq.
Processionis in Coronatione Papæ ritus l. 112
Processionem ordinabat Archidiaconus. *ibi*.
Processionis ritus, qua olim Papa e Patriarchio Lateranensi ad celebrandum in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris die festo Paschatis procedebat. ll. 257 & seqq.
Processionis ordo, qua olim Papa in die Paschatis post Primam ibat ad Sancta Sanctorum. ll. 256
Processionis in Canonizatione Sanctorum ritus, & ordo. l. 136
Processionis, quam olim Papa in die S. Stephani faciebat, ritus. ll. 202
Processionis in Festo Purificationis Deiparæ Virginis antiquissima in Romana Ecclesia consuetudo. ll. 113 & seqq.
Processionis in die Cinerum ordo. ll. 126 & seq.
Processionis Palmarum varii ritus apud Latinos. ll. 147 & seqq.
Processionis Palmarum ritus apud Græcos. ll. 148
Processionis, quæ fiebat Feria sexta majoris Hebdomadæ, ritus. ll. 193
Processionis e Vaticano ad Lateranum post Papæ Coronationem ordo. l. 125 & seqq.
Processionis ordo in introitu in Conclave. l. 43
Processionis ad Lateranum ob possessionem Papæ ordo, & ritus. l. 123 & seqq.

Pro-

Digitized by Google

Proceſſionis ritus ad excipiendum Romanorum Imperatorem. l. 177
Proceſſiones in omnibus B. Mariæ Feſtivitatibus Romana Eccleſia a S. Adriano ad S. Mariam Majorem fieri conſuevit. ll. 281
Proceſsus generales tribus diebus in anno Eccleſia Romana facere conſuevit. ll. 174
Vide Excommunicationes.
Propoſitio quid. l. 337
Protonotarii Apoſtolici olim ſupra Epiſcopos ſedebant. ll. 366
Protonotariorum Apoſtolicæ Sedis officium. l. 229
Protonotariorum Participantium officium. *ibi*.
Protoſcriniarii qui. l. 71
Proviſio Epiſcopatuum, aliarumque Dignitatum dumtaxat ad Summum Romanum Pontificem pertinet. l. 335
Pſalmus aliquis pro rei neceſſitate in Miſsa poſt Dominicam Orationem olim decantata. ll. 28
Pſalmus *Judica me Deus* ex antiqua conſuetudine dicitur initio Miſsæ. ll. 12
Pſalmus *Sicut cervus &c.* Græce, & Latine antequam Catechumeni baptizarentur olim decantabatur. ll. 224
Pſalmi qui olim a Sacerdotibus ad Miſsæ præparationem recitabantur. ll. 61
Pſalterium integrum in Feria ſexta majoris Hebdomadæ recitare fuit conſuetum. ll. 192
Pſalterium cantabatur in Proceſſione, qua Feria ſexta majoris Hebdomadæ Papa ibat diſcalceatus ad Baſilicam S. Crucis in Hieruſalem. ll. 192 & ſeqq.
Pueri menſam Prælatorum in nonnullis Eccleſiis benedicebant. l. 156
Pugillaris quid. ll. 90
Purificationis Beatiſsimæ Virginis Mariæ Feſtum in Eccleſia Latina antiquiſsimum. ll. 109

Q

QUadrageſimale tempus eſt tempus jejunii, & pœnitentiæ. ll. 130
Quadrageſimale jejunium niſi poſt mediam noctem Sabbati Sancti ſolvi non poteſt. ll. 241

R

RAvenniana Porta Baſilicæ Vaticanæ, quæ dicta. l. 192
Reali Ignatius Cæremoniarum Apoſtolicarum Præfectus laudatus, & ſæpe. ll. 347
Rex in convivio Papali aquam ad lavandas manus Papæ deferre debet. l. 154
Regis ſedes in Concilio. l. 374
Regis ad Urbem venientis excipiendi ritus, & pompa. l. 361
Regis Primogenitus quo ritu excipitur. l. 365
Regis locus in convivio Papali. l. 150
Reges coronis Regiis ornati Papæ epulanti inſervierunt. *ibi*.
Reges ſtratoris officium Papæ exhibent. l. 210
Reges Romæ coronati pecunias in plebem effundere conſueverunt. l. 178
Reges Galliæ in die eorum Coronationis ſub utraque ſpecie ſacram Euchariſtiæ Communionem percipiunt. ll. 84
Regiæ quid. ll. 100
Regina Cæli Antiphonam vel tempore Paſchali Orator Sacer initio Concionis numquam debet recitare. ll. 135
Reginæ quo ritu excipiuntur. l. 364
Regnum Papæ quid. l. 119. Ejus uſus antiquus. *ibi* & 122
Regni Papalis antiquitas. l. 119
Regni Papalis forma. *ibi*.
Regula S. Benedicti de Oratione, & lampadibus noctu in Cœnobio ardentibus. l. 50
Religioſi quomodo in convivio Papali. l. 152
Roga quid. l. 179
Reverentias faciendi erga Pontificem, & S.R.E. Cardinales ritus. ll. 330 & ſeqq.
Roma in XIV. Regiones ab Auguſto Cæſare diviſa. l. 126
Romæ laus. l. 167
Romana Porta Baſilicæ Vaticanæ quæ. l. 192
Romana Alba quid. l. 76
Romana Eccleſia ante Sæculum VIII. proprium habebat Martyrologium. l. 221
Romana Eccleſia quod Officium in Nativitatis Domini Vigilia recitabat. ll. 35
Romana Eccleſia Officium nocturnum in Nativitate Domini duplex olim celebrabat. ll. 45
Romana Eccleſia tribus diebus in anno excommunicationes vibrare conſuevit. ll. 174
Romana Eccleſia in omnibus B. Mariæ Feſtivitatibus proceſsiones a S. Adriano ad S. Mariam Majorem fieri conſuevit. ll. 281
Romana Eccleſia quo tempore olim Adventus initium ducebat. ll. 3
Romana Eccleſia a Concilio IV. Generali Lateranenſi omnium Chriſti fidelium Mater, & Magiſtra fuit appellata. ll. 363
Romana Eccleſia in Cœna Domini Pœnitentes reconciliare conſuevit. ll. 166
Romanæ Eccleſiæ Senatus quis. l. 26
Romanæ Eccleſiæ Senatus a Sancto Petro primum inſtitutus. l. 26
Romanæ Eccleſiæ Presbyteros fruſtra Marcion conatus fuit inducere in errorem. l. 26
Romanæ Eccleſiæ Presbyterorum officium, & dignitas in ſpiritualibus, & temporalibus. l. 26
Romana Sedes trium annorum ſpatio vacua. l. 2. Multa mala ex longa vacatione accidebant in Eccleſia. *ibi*
Romana Sedes per unum diem vacua. l. 32
Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi olim Præfationi in Miſſa ſolemni Romani Pontificis reſpondebant. ll. 25
Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi Hymnum Angelicum *Sanctus Sanctus Sanctus &c.* retro Altare dicebant. ll. 26
Romanam Eccleſiam qui adminiſtrabant, Sede vacante, vel abſente Pontifice. l. 35 & 82
Romanam Eccleſiam ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis principatum habere dixit quartum Concilium Generale Lateranenſe. ll. 363
Romani elegerunt ſibi Advocatum S. Petri Carolum Magnum contra Reges Longobardorum. l. 189
Romani decertabant pro habendo equo, in quo novus Papa ad Lateranum ſolemniter progrediens, ſederat. l. 131
Roſam auream benedicere quis inſtituit. l. 266
Roſæ proprietates. l. 268 & ſeqq.
Roſæ aurea myſticus ſenſus. l. 269 & ſeqq.
Roſa aurea quo ritu donatur, vel mittitur alicui ma-

Digitized by Google

magno Principi. I. 270 & seqq.
Rota porphyretica quid. I. 107
Rota ad introducenda fercula in Conclavi quando instituta. I. 34
Rotæ Auditores sunt custodes Conclavis. I. 17
Rotæ Auditores quomodo appellati. I. 225
Rotæ Auditoribus committitur examinatio causarum circa Canonizationes. I. 225 & seqq.
Rubeis paramentis aliquæ Ecclesiæ in III. Nocturno Nativitatis Domini utebantur. II. 45
S. Rufinæ Episcopi Cardinalis olim summa potestas. I. 318
S. Rufinæ Episcopus Cardinalis sustinebat stapham, quando Papa equitabat. I. 319
Rugerius Constantinus Bibliothecæ Imperialis Præfectus laudatus. I. 8

S

Sabbati Sancti Missa quo tempore olim celebrabatur. II. 238
Sabbati Sancti Missa Baptizatos spectat. II. 239
Sabbati Sancti Missam celebrandi ritus. II. 238
Sabbati Sancti Vesperæ sunt pars Missæ, & gratiarum actio pro baptizatis. II. 243
Sabbato Sancto septem Altaria olim consecrabantur. II. 226
Sabbato Sancto a Papa missi Cardinales ad suos Titulos ad parvulos baptizandos. II. 225
Sabella Nobilis Familia Romana longo annorum spatio ornata fuit dignitate Marescialla-tus Conclavis. I. 18
Sacellarius quis. I. 350
Sacerdos quo tempore olim in Vesperis Altare thurificabat. II. 38
Sacerdotes ante præparationem Missæ quos Psalmos olim recitabant. II. 61
Sacerdotes ut manus lavent ante Sacrum, vetus Ecclesiæ institutum. II. 63
Sacerdotes in Gallia tria jejunia in anno olim agebant. II. 2
Sacramentum Eucharistiæ in solemnibus Papæ equitationibus ferebatur. I. 126
Sacra Hora quæ. II. 31
Sacri Hospitii Magister quis. I. 152
Sacrificium Feria VI. in Parasceve non offerendi ritus communis in Orientis, & Occidentis Ecclesiis. II. 494
Sacrista olim erat Papæ Confessarius. II. 265
Sacrista Palatii Apostolici inter Episcopos assistentes in Capella Papæ locum tenet. *ibi*
Sacrista Palatii Apostolici nunc debet celebrare Missam secundam in Festo Nativitatis Domini. II. 55
Sacrista debet facere prægustionem in Missa Pontificia. II. 71
Sacrista Palatii Apostolici quibus Cæremoniis celebrat in Conclavi. I. 50
Sacristæ Palatii Apostolici dignitas. *ibi*
Sacristæ Palatii Apostolici munus perpetuo exercendum a PP. Ordinis S. Augustini. *ibi*
Sacristæ Palatii Apostolici officium ad vitam conceditur uni ex Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini. II. 365
Salaria via extra Romæ muros cur sic dicta. I. 178
Salvatoris Imago a Judæo percussa sanguinem emisit. I. 137
Salutem, & Apostolicam benedictionem, quis hujus formulæ auctor. I. 85
Sancta quid. II. 9
Sanctimonialibus permissum Feria V. Cœnæ Domini pedes sibi invicem lavare. II. 178
Sanctorum commemoratio in Missa ritus est vetustissimus. I. 220
Sanctorum Festivitates, in quibus solebat olim Summus Pontifex coronari. II. 1
Sanctorum omnium Festivitas a Bonifacio IV. Romano Pontifice instituta. II. 310
Sanctorum omnium Festivitas celebrari prius solita III. Idus Maji. *ibi*
Sanctis Canonizatis qui honores debiti. I. 242
Sanctus quis primum a Romano Summo Pontifice solemniter canonizatus. I. 221. 231
Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. in solemni Missa Romæ olim a Subdiaconis retro Altare decantari solitum. II. 26
Item a populo. *ibi*
Sandalia Papæ antiquissima. I. 75
Deferebantur vel olim ad ipsum Pontificem per Subdiaconum. I. 107
Sanguis Christi in Basilica Lateranensi reservari solitus in vasculo aureo. I. 170
Sanguis una cum Corpore Christi in Cæna Domini alicubi in crastinum reservabatur. II. 169
Sanguinem Fideles hauriebant ex Calice, in quo vinum primo misci solebat. I. 83
Sceptrum novo Duci traditur. I. 259
Schedulas pro electione Romani Pontificis parare spectat ad Sacrarum Cæremoniarum Magistros. I. 65
Schedulas quo ritu a Cardinalibus in electione Papæ deferuntur. I. 66
Schedularum pro electione Papæ forma. *ibi*
Schola Crucis quid. II. 108
Scholæ in Sacro Palatio Apostolico olim habebantur. II. 369
Scholenses qui. II. 34
Scutum novo Militi a Papa dabatur. I. 254
Scrutinium faciendi pro electione Pontificis ritus. I. 65
Secretas Orationes in Missa dicendi per antiquus usus. II. 74
Secretariorum Papæ numerus. II. 374
Secretariorum vestes in celebratione Papæ. I. 108
Sedes Romana trium annorum spatio vacua. I. 2
Multa mala ex longa vacatione accidebant in Ecclesia. *ibi*
Sedes Romana per unum diem vacua. I. 32
Sedes fœda loco quæ. I. 34
Sede vacante, quinam Ecclesiam Romanam administrabant. I. 82
Sede vacante Cardinalium summa potestas. I. 329
Sede vacante, Cardinales collegialiter congregati Regum Oratores, aliosque Magnates genuflexos audiunt. *ibi*
Sede vacante penes quos est potestas administrandi Urbem. I. 15
Sede vacante ab omnibus Christianis preces sunt effundendæ pro celeri, concordi, atque utili electione Papæ. I. 411
Sedis pertusæ antiquitas. I. 133
Sedium perforatarum mystica ratio. I. 138
Sedendi in Capella Papæ ordo. II. 339
Sella Papæ a quibus portari debeat. I. 126
Sella deferri Pontificem, perantiqua est consuetudo. I. 127
Sella Episcopi novi manibus aliorum Episcoporum

Digitized by Google

rum deferri ſolita. l. 127
Senator Urbis claves novo Pontifici in Capitolio porrigit. l. 143
Senatoris Urbis juramentum, quod olim novo Pontifici præſtabat. l. 139
Senatus Romani olim inſolentia. l. 346
Senatus Eccleſiæ Romanæ quis. l. 26
Senatus Eccleſiæ Romanæ a Sancto Petro inſtitutus. l. 16
Senenſis Cardinalis dictum. l. 73
Sergius II. quomodo vocabatur antequam Papa elig eretur. l. 71
Servus ſervorum Dei, quis Romanorum Pontificum hujus tituli auctor fuit. l. 84
Servientium armorum munus in Capella Pontificia. ll. 344
Seſſoriana Baſilica quæ. ll. 32
S. Severinus Epiſcopus Colonienſis qua de cauſa in Purgatorio detentus. l. 54
Sicilia ab Imperatoribus confirmata Papæ. l. 173
Siciliæ utriuſque directum dominium pertinet ad Apoſtolicam Sedem. ll. 305
Sicut cervus &c. Pſalmus Græce, & Latine, antequam Catechumeni baptizarentur, olim decantabatur. ll. 224
Sigilla Romani Pontificis. l. 72
Sigillo muniebatur Evangelii Codex poſt ejus Lectionem in Miſſa Papæ. ll. 258
Signum, unum ex ſigillis Papæ. l. 72
Quæ iſto muniuntur. *ibi*
Sigiſmundus Romanorum Rex frænum equi Martini V. tenuit. l. 162
Sigiſmundus Auguſtus quo habitu Conſtantienſi Concilio interfuit. l. 374
Silentium in Eccleſia indicere ad Diaconos olim pertinebat. ll. 344
Siniſtra pars dignior longe dextera olim exiſtimata. l. 378
Siphones quid. l. 83
Siricius Papa damnavit doctrinam Joviniani hæretici. l. 26
Sixtus IV. in Cœna Domini non duodecim Subdiaconorum, ſed duodecim pauperum pedes lavit. ll. 180
Sixtus IV. inſtituit vibrare Excommunicationes poſt Miſſam in Cœna Domini. ll. 187
Solium Patriarchale. l. 133
Soldanus Curiæ pecunias jactabat in ſolemni equitatu Papæ capturi poſſeſſionem Baſilicæ Lateranenſis. l. 129
Soldani Curiæ dignitas propria illuſtris Familiæ de Capite Ferro. l. 129
Smyrnenſis Portus catenæ, & vectes ejus Urbis ubi olim appenſæ. *ibi*.
Species, & vinum in nonnullis diebus Papæ largiri ſolebant. l. 159
Spiritus Sanctus deſcendit in die Pentecoſtes in Apoſtolos hora tertia. ll. 61
S. Spiritus in Saxia Collegium in Litania majori olim procedebat. ll. 287
Stationis vox ambigua. ll. 130
S. Stephanus fuit primus e Sanctis, cui Feſtum in Eccleſia fuit conſecratum. ll. 101
S. Stephani Eccleſia antiquiſſima Anconæ. *ibi*.
S. Stephani Feſtum in Eccleſia Romana magno honore antiquiſſimis temporibus fuit celebratum. *ibi* & ſeqq.
S. Stephani Feſtum a primis uſque temporibus in Eccleſia celebre fuit. *ibi*.
Stercoraria ſedes, quare ſic dicta. l. 133
Stercorariæ ſedis antiquus uſus. *ibi*.
Stolam ſemper Papa deferre ſolitus. l. 354
Stolam olim ſemper deferebant Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi. *ibi*.
Stupæ combuſtio in Coronatione Papæ, quo tempore inſtituta. l. 112
Stupæ combuſtionis ritus. *ibi*.
Stupæ combuſtio in Coronatione Imperatorum. *ibi* & ſeqq.
Subdiaconus in Miſſa ſolemni Papæ ſub utraque ſpecie communicat. ll. 360
Subdiaconi veſtes quæ. ll. 16
Subdiaconi electi in Pontifices poſt Decretum Stephani III. l. 87
Subdiaconi ad Altare, non Cantores in Choro, Papa ſolemniter celebrante, decantabant. ll. 25
Subdiaconi quo tempore Epiſtolam legere cœperint, incertum. ll. 17
Subdiaconi electi in Summos Pontifices. l. 28
Subdiaconi excluſi e Pontificatu. *ibi*.
Subdiaconi Romanæ Eccleſiæ olim Præfationi in Miſſa ſolemni Romani Pontificis reſpondebant. ll. 25
Subdiaconi Romanæ Eccleſiæ Hymnum Angelicum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* retro Altare decantabat. ll. 26
Subdiaconorum veterum S. R. E. munia. ll. 367
Subdiaconorum Romæ olim tres ordines. *ibi*.
Subdiaconorum S. R. E. Collegium ſuppreſſit Alexander VII. *ibi*.
Succeſſores eligere ſibi jure Canonico prohibiti Epiſcopi. l. 24
Succeſſorem an poſſit Papa ſibi eligere. l. 25
Sybillæ Erithreæ verſus in aliquibus Eccleſiis poſt ſecundam Lectionem ſecundi Nocturni in Natali Domini decantari debebant. ll. 47
Symbolum una cum Angelica Salutatione Sanctus Pius V. juſſit recitari ante Officium. ll. 161
Symbolum in Miſſa cantandi origo. ll. 21
Symbolum *tempore* Leonis III. in Eccleſia Romana non canebatur, ſed legebatur. *ibi*.
Symbolum, Papa ſolemniter celebrante, non Cantores in Choro, ſed Subdiaconi ad Altare decantabant. ll. 25
Symbolum dici in Miſſis Romæ quando fuit inſtitutum. ll. 241
Symbolum in Cœna Domini in Eccleſia Romana olim dicebatur. ll. 171
Symmachus Papa Synodum 1. Romæ celebravit. 2
Synodus ſuppoſititia Hadriani III. l. 28

T

TE Deum laudamus &c. diſceptatum olim, utrum dici debet ante primam Miſſam, vel poſt in Nativitate Chriſti. ll. 49
S. Teleſphorus Papa Hymnum, *Gloria in excelſis Deo* in Miſſa tantum nocturna Nativitatis Domini cantari decrevit. *ibi*
Theca quid. ll. 23
Thus in thuribulo ante Evangelium imponendi ritus. ll. 19
Thus benedicendi in Miſſa ſolemni mos. ll. 13
Thurificationis poſt Offertorium ritus. ll. 24
Thurificationis ritus in Pontificia Capella. ll. 389
S. Thomas Aquinas compoſuit Officium Solemnita-

Digitized by Google

nitatis Corporis Christi . II. 296
Titulus quo ritu Cardinalibus assignatur . I. 313
Titulus Ecclesiæ quo ritu datur Eminentissimis Cardinalibus . *ibi*
Toletanum Concilium IV. cur vetuit, Kalendis Januarii cantari *Alleluja* in solemnibus Ecclesiæ precibus . II. 105
Tonsura Episcoporum, atque Clericorum olim æqualis . I. 340
Trevirensis Episcopatus a Sancto Petro Apostolo institutus . II. 367
Tria Joannes Andreas Archiepiscopus Tyri laudatus, & sæpe . I. 41
Triclinium quid . I. 153
SS. Trinitatis Festum Joannes XXII. Romæ solemniter celebrari jussit . II. 195
Trisagii, quod ad Crucis adorationem hodie cantatur, origo . II. 209
Triumphales arcus novo Papæ erecti . I. 140
Tunicellæ in Adventu cur a Diaconis, & Subdiconis non adhibeantur . II. 5
Tutare quid . II. 162
Turre Cremata Joannes S. R. E. Cardinalis instituit Societatem B. Mariæ Annunciatæ in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam . II. 282

U

S. UDalricus omnium Sanctorum primus a Papa solemniter canonizatus . I. 221
S. Udalricus die festo Paschatis solemne convivium facere solitus . II. 272
Unctio Imperatorum est quidem cæremonialis, non autem Sacramentum, nec characterem imprimit . I. 195
Uratislao Bohemiæ Duci primo ex laicis Principibus Mitræ usus concessus . I. 202
Vaticana Basilica a Constantino Magno Imperatore ædificata . II. 320
Vaticana Basilica vel secundo Christi Sæculo visebatur, colebaturque a Fidelibus Romam ex toto terrarum Orbe confluentibus . II. 320
Vaticana Basilica inter alias ea prærogativa gaudet, quod in ipsa consecratur Papa . I. 190
Vaticanæ Basilicæ portæ, earumque numerus, ac nomina varia . I. 192
Vaticanæ Basilicæ Canonicus eligitur in sua Coronatione Imperator . I. 190
Vaticanæ Basilicæ Canonicatu alii quoque Principes Romam venientes donati, qui etiam Sacras Reliquias populo ostenderunt . I. 191
Veni Creator Spiritus Hymni origo . I. 101
Veni Sancte Spiritus &c. quis composuit. II. 292
Veni Sancte Spiritus &c. dum olim in diversis Ecclesiis in die Pentecostes cantabatur, diversi flores, aves, & subtilissimæ particulæ stupæ accensæ ad instar charismatum Spiritus Sancti desursum immittebantur . II. 293
Vesperæ Nativitatis Domini quonam ritu celebratæ . II. 37
Vesperæ Sabbati Sancti sunt pars Missæ, & gratiarum actio pro baptizatis . II. 243
Cur in omnibus Ecclesiis brevissimæ . *ibi*
Cum tribus Psalmis, totidemque Antiphonis, cum Capitulo, Versu, Antiphona ad *Magnificat*, Lugduni concinebantur . *ibi*
Ex Ordinario Argentino, & ex Missali, ac Breviario Parisiensi cum Psalmo, *Laudate Dominum*, sine, *Gloria Patri* . *ibi*
Vestes Legales antiquæ quibusnam coloribus ornatæ . I. 208
Vestes Cardinalitiæ novi Papæ spectant ad Apostolicarum Cæremoniarum Magistros . I. 75
Vestes novi Papæ quæ . *ibi*
Vestes, quibus utitur Papa in solemni Missa. II. 49
Vestes Sacræ Imperatoris septimam Lectionem cantaturi in nocte Nativitatis Christi . II. 53
Vexillum cum Imagine Beati, qui est canonizandus, in Processione delatum . I. 233
Vexillum bellicum Principibus a Romano Pontifice mitti solitum . I. 278
Vexillum quo ritu traditur . I. 281
Vexilli bellici benedicendi ritus . I. 279
Vexilli bellici benedicti virtus . I. 280
Vexilli bellici a S. Pio V. Papa Joanni Austriaco missi forma . I. 280
Vicecancellarii dignitas, & prærogativa in Romana Ecclesia . I. 409
Vicedominus quis . I. 153
Victimæ Paschali Sequentia, & ejus origo. II. 164
Victor III. extinctus veneno injecto in sacrum Calicem, dum celebraret . II. 71
Viduarum munus notabile . II. 178
Vigilia Festi Nativitatis Christi cum jejunio antiquissima in Ecclesia . II. 35
Vigilia cum jejunio in Epiphania . II. 107
Vigilia cum jejunio in Pentecoste . II. 390
S. Vincentius Ferrerius dictus Institutor recitandæ Salutationis Angelicæ initio Sacrarum Concionum . II. 146
Vinum ex contactu Particulæ consecratæ in Calicem immissæ, an in Christi Sanguinem commutetur . II. 216
Violaceis paramentis usa Ecclesia Narbonensis in tertio Nocturno Nativitatis Domini. II. 45
Visitationis B. Mariæ Festum ab Urbano VI. Papa institutum, & cur . II. 307
Viterbienses in Conclave irrumpentes . I. 5
Viterbii an factum primum Conclave . I. 3
Vultus Sanctus ostendi solitus Papæ die Paschatis post Missarum Solemnia . II. 271

Z

ZAnca, cujus mentionem faciunt antiqui Romani Ordines, quid . I. 264

FINIS.

Digitized by Google